MONVMENTA

GERMANIAE

HISTORICA

INDE AB ANNO CHRISTI QVINGENTESIMO
VSQVE AD ANNVM MILLESIMVM
ET QVINGENTESIMVM

EDIDIT

SOCIETAS APERIENDIS FONTIBVS
RERVM GERMANICARVM MEDII AEVI

AVCTORVM ANTIQVISSIMORVM TOMI VI PARS PRIOR

SYMMACHI OPERA

BEROLINI
APVD WEIDMANNOS
MDCCCLXXXIII

Q. AVRELII SYMMACHI

QVAE SVPERSVNT

EDIDIT

OTTO SEECK

BEROLINI
APVD WEIDMANNOS
MDCCCLXXXIII

SOCIETAS APERIENDIS FONTIBVS RERVM GERMANICARVM MEDII AEVI.

SANCTVS
AMOR PATRIAE
DAT
ANIMVM.

FRANCOFVRTI A. M.
XIII. KAL. FEBR. MDCCCXIX.

I.

DE SYMMACHI ORATIONIBVS.

Symmachi gloria inter aequales non tam epistulis, quae ante mortem eius neque in libros compositae neque in publicum editae erant, quam orationibus innitebatur. nam oratoris disertissimi titulum filius statuae eius subscripsit[1], ὁ λογογράφος ab Olympiodoro nuncupatur[2]), Socrates, ubi de scriptis eius loquitur, orationes solas commemorat[3]), et laudes ab antiquis ei tributae, cum plerumque eiusmodi sint, ut quemvis librum respicere possint, apud Prudentium tamen praecipue eloquentiam senatoriam efferunt[4]). qua de causa nos quoque de libris Symmachianis dicturi, ab orationibus

---

1) C. I. L. VI 1699 = Orelli 1187 = Wilmanns 1235.

2) Ap. Phot. c. 80 p. 63 A 10.

3) V 14 ἐθαυμάζετο δὲ ἐπὶ παιδεύσει λόγων Ῥωμαικῶν· καὶ γὰρ αὐτῷ πολλοὶ λόγοι συγγεγραμμένοι τῇ Ῥωμαίων γλώσσῃ τυγχάνουσι. ex quo hausit Cassiod. hist. tripert. IX 23.

4) Contra Symmach. I praef. 77 *oris rhetorici.* 632 *o linguam miro verborum fonte fluentem, Romani decus eloquii, cui cedat et ipse Tullius, has fundit dives facundia gemmas? os dignum, aeterno tinctum quod fulgeat auro, si mallet laudare deum, cui sordida monstra praetulit et liquidam temeravit crimine vocem.* II praef. 56 *quo nunc nemo disertior exultat fremit intonat ventisque eloquii tumet.* 10 *orator catus.* 19 *Ausoniae vir facundissime linguae.* 370 *sollers orator.* 644 *praenobilis ille senator orandi arte potens.* 760 *nil te permoveat magni vox rhetoris, oro, qui sub legati specie sacra mortua plorans, ingenii telis et fandi viribus audet, heu, nostram temptare fidem.* orationes ab Ennodio non minus compilatae sunt, quam epistulae. cf. Ennod. ed. Hartel p. 264, 3 cum Symm. 218, 12. 14; Enn. 265, 7 = Symm. 328, 19; Enn. 265, 14 = Symm. 325, 32; Enn. 266, 9 = Symm. 320, 28; Enn. 367, 7 = Symm. 324, 15; Enn. 269, 15 = Symm. 325, 18; Enn. 269, 18 = Symm. 321, 3; Enn. 270, 11 = Symm. 324, 14; Enn. 270, 22 = Symm. 335, 16; Enn. 275, 14 = Symm. 324, 26; Enn. 276, 18 = Symm. 326, 3; Enn. 277, 22 = Symm. 326, 19; Enn. 278, 4 = Symm. 328, 26; Enn. 280, 12 = Symm. 326, 26; Enn. 281, 15 = Symm. 329, 27; Enn. 282, 5 = Symm. 329, 16; Enn. 282, 8 = Symm. 329, 29. 18; Enn. 282, 17 = Symm. 328, 35; Enn. 282, 19 = Symm. 325, 10; Enn. 285, 21 = Symm. 323, 38.

initium facimus primumque ea componemus, quae auctoris ipsius reliquorumque scriptorum antiquorum testimoniis de eis innotuerunt.

Ex orationibus, quarum reliquias tenemus, unius tantum apud auctorem mentio fit, quae in nostro corpore loco quinto collocata *pro Trygetio* inscribitur. habita autem esse dicitur a. d. v id. Ian. a. 376[5]) maximamque senatus admirationem movisse[6]). qua causa adductus Symmachus eam in publicum edidit[7]) et omnibus viris, qui litteris clari habebantur, exemplaria misit[8]). epistulae, quibus ea prosecutus est, supersunt quattuor, ad Praetextatum I 44, ad Syagrium I 105, ad Iulianum Rusticum III 7, ad Neoterium V 43, et tres, quibus laudibus orationi tributis respondit, ad Praetextatum I 52, ad Syagrium I 96, ad Hesperium I 78.

Temporis ordine prima haec oratio est, quae apud Symmachum commemoratur, et quae sequuntur, omnes plus quam decennium ab illa distant. sunt autem hae:

1) Panegyricus in Maximum tyrannum; quem dictum esse putaverim, cum kalendis Ianuariis a. 388 consulatum alterum iniret. Socrat. V 14. βασιλικὸν οὖν λόγον εἰς Μάξιμον ἔτι περιόντα γεγραφὼς καὶ διεξελθών, τῷ τῆς καθοσιώσεως ἐγκλήματι ἔνοχος ὕστερον ἐγένετο. hunc aut numquam editum esse aut certe post tyranni mortem suppressum, non est quod moneam[9]).

2) Apologeticus ad Theodosium de panegyrici illius crimine habitus a. 388 exeunte. 52, 20 *quod in panegyrici defensione non tacui*; Socrat. l. l. συγγνώμης οὖν ἀξιωθεὶς ὁ Σύμμαχος τὸν ἀπολογητικὸν λόγον εἰς τὸν αὐτοκράτορα Θεοδόσιον ἔγραψεν. ad eandem orationem pertinere videtur, quod Symmachus mense Ianuario aut Februario a. 389 scribit, se civiles et bellicas laudes Theodosii stili honore percurrisse 46, 16.

3) Gratiarum actionem pro consulatu in a. 391 accepto Symmachum recitasse, nusquam traditur, sed nihilominus pro certo habendum est[10]). fragmenta, quae ab Arusiano Messio nobis servata sunt (p. 340), ad hanc orationem referenda esse videntur[11]).

---

5) 23, 5.

6) 22, 30 *meretur diligentia in me tua, ut ea, quae proxime laudi mihi fuerunt, clam te esse non patiar. — ego sub incerto examinis tui aliorum sententias occulendas putavi, ne te praeiudicio tanti ordinis viderer urguere.* 41, 29 *libellum, quo nuper in senatu sustuli civium secunda suffragia. vides, quo praeiudicio antevertam gravissimi examinis tui severitatem: non stili mei praetendo meritum sed ordinis iudicatum.* 135, 26 *quamvis totius ordinis secunda suffragia cepisse videamur.* 72, 25 *nunc tuarum partium erit respondere, cum legeris, an debuerit me senatus animare.* 26, 3 *orationem meam tibi esse conplacitam nihilo setius gaudeo, quam quod eam secunda existimatione pars melior humani generis senatus audivit.* 33, 26 *sed haec merito dicerentur, ni tecum faceret existimatio omnium, quibus sermo noster auditus est.* quae orationem pro Trygetio spectare, nisi de eo loco, quem primum proposui, certe quidem non constat, sed propter summam similitudinem, quae inter illum et omnes reliquos intercedit, veri simillimum est.

7) 72, 23 *oratiunculum nostram, cuius edendae fiduciam mihi favor civium dedit.*

8) 33, 21 *unus mihi adhuc supereras ex omnibus . . . litterarum viris, cui probari orationem meam laudis avarus optarem.* Hesperius, ad quem haec scripta sunt, proconsulari imperio tum Africae praeerat; quare oratio eo tempore habita, quo mare navigiis nondum patebat, sero ad eum pervecta est.

9) Cf. 234, 8 *interea frequentibus epistulis desidiam meam stimula. unum quippe hoc litterarum genus superest post amaros casus orationum mearum, quod me ad usum scribendi possit adlicere.*

10) Cf. Prosp. de promiss. dei III 38, 2 *cui* (scil. Theodosio) *Symmachus ille mirabili eloquio et scientia praeditus, tamen paganus, praeconio laudum in consistorio recitato, subtili arte, qua valuit, aram Victoriae in senatu restitui christiano, ut noverat, principi intimavit.* hic panegyricus idem cum apologetico fuisse non potest, quoniam orator capitis crimine vix absolutus aram Victoriae repetere certe non ausus est; sed ut de gratiarum actione cogitemus, et res ipsa et temporum ratio (v. infra) suadent.

11) Titulus ab Arusiano laudatus: *ad Theodosium imperatorem* tam ad apologeticum quam ad gratiarum

4 et 5) Orationes de censura non restituenda et contra Polybii filium praetorium candidatum simul in publicum prodierunt, quarum prior altera non nihil antiquior, ut ederetur, aucta et emendata est[12]. emittebantur eo tempore, quo Felix et Minervius dignitate inlustri praediti simul Mediolanii erant[13]. quorum alter inde ab a. 395 quaestura sacri palatii fungebatur eamque deposuit a. 397 aut 398 ineunte, ut praefectus praetorio in Gallias mitteretur, alter aestate aut autumno a. 397 primum honorem inlustrem, comitivam rerum privatarum, accepit (v. infra). editio igitur orationum illarum aut ultimis mensibus a. 397 aut primis a. 398 adscribenda est.

6) Quinque orationes ad Euphrasium in Hispanias misit Symmachus, cum alias ei iam ante misisset[14]. quarum omnium tempora et argumenta incerta sunt.

7) Fragmentum Symmachi quartum (p. 340) a Cassiodorio nobis servatum ex oratione aliqua argumenti panegyrici desumptum est. de qua id solum constat, ab eis, quarum reliquiae in codice Bobiensi leguntur, diversam fuisse. nam omnes eiusmodi sunt, ut verba: *specto feliciter virtutis eius augmenta, qui differo laudare principia* nulla ratione ad eas pertinere possint.

Quae Symmachus in senatu contra Gildonem pronuntiavit, non inter orationes sed inter sententias senatorias collocaverim, quas libro decimo epistularum adnexas fuisse inscriptione per codicem Divionensem servata docemur (276, 26). scribit enim auctor, Stilichonem in gestis curialibus ad scrinia Augusta missis (99, 27) ea reperturum esse, quae ipse dixerit (99, 35); quae res magis ad brevem sententiam[15] quam ad orationem elaboratam referenda esse videtur.

Vidimus igitur orationes non minus septem a Symmacho ipso editas esse, quae omnes aut singulae aut binae monobiblis in publicum emissae sunt. corporis alicuius, quo ipse aut omnes aut maiorem earum partem composuerit, nulla mentio fit, sed cave, ne ex auctoris silentio aliquid concludas. nam Symmachus quadam verecundiae affectatione nisi rarissime opera sua non commemorat et ne relationis quidem de ara Victoriae, quae in omnium ore erat et a christianis quoque summis

actionem referri potest, sed verba fragmenti primi: *beatum iam parvulum meum, cui pium adrisit* docent, occasionem orationis magnum imperatoris beneficium fuisse, quod non solum Symmacho ipsi sed etiam filio eius tributum est; consulatus autem, cum totius familiae splendorem augeret, posteris quoque senatoris usui futurus erat.

12) 126, 17 *duas igitur oratiunculas nuper editas a nobis misi. earum una ad urbanos fasces resultantem tenuit candidatum, alteri argumentum dedit iam pridem decreto senatus inprobata censura. sed iudicium meum, cum res acta est habitum, propagavi opere largiore.* 113, 31 *misi igitur ad eruditionem tuam duas oratiunculas nostras, quarum una ad Polybii filium pertinens ex recenti negotio nata est, altera dudum, cum res in senatu agitaretur, a me parata nunc opere largiore aucta processit. huic argumentum est repudiata censura, quam tunc totius senatus fugavit auctoritas.* 108, 16 *ego tamen vel tradendas coram tibi a fratre nostro Minervio duas oratiunculas meas vel mittendas in patriam fidelitati eius ingessi. — commoneo tamen, ne orationis unius titulo mutetur de me existimatio tua. nam repudiata censura gravat nos principio sola argumenti inspectione, sed ubi dicta legeris, cum sententia mea in gratiam reverteris. hanc partem: 'quae tempestate resecata est' totius ordinis nostri antetulit auctoritas.*

13) 193, 3 *duas oratiunculas meas nuper editas ad inlustres viros virtutum ac litterarum praeditos sacerdotio Felicem et Minervium misi. harum etiam te ut amantem mei, si mediocribus ingeniis non offenderis, opto esse lectorem. ipsi voluminis copiam facient.*

14) 120, 26 *nec tantum epistulas meas poscis, sed oratiunculas quoque nostras nondum tibi editas deferri in manus tuas praecipis. quae res videtur ostendere, quid iudicii habeas de iis, quas ante sumpsisti. — misi igitur ex recentioribus oratiunculis meis quinque numero, quarum mihi iam fiduciam fecit publicus favor.*

15) Cf. 99, 32 *ingenti causae devotis sententiis satisfecimus.*

laudibus celebrabatur, ullam mentionem inicit. ad illud igitur testimonium convertamur, quod in codice orationum superstite etiam nunc tenemus; cuius cum rationem et indolem perspexerimus, de primis quoque editionibus a scriptore ipso curatis nonnulla edocebimur.

In praeclaro illo codice Bobiensi, cui Ciceronis quoque de re publica libros et Frontonis epistulas debemus, folia viginti septem sub scriptura recentiore Symmachi orationes continent [16]. constant paginae singulae versibus vicenis senis, in quaternione autem primo, qui alia manu, quam reliqui scriptus est, vicenis octonis. summis paginis versis litteris minoribus inscriptum est *q. aur. summaci* (rarius *summachi*, numquam *symmachi*) *vc.* [17], rectis tituli orationum hi: *laud. in. val. sen. aug. I* [18] — *laud. in. val. sen. aug. II* [19] — *laud. ingratianum. aug* — *pro. patre* [20] — *pro. trygetio* — *pro. fl. severo* — *prosynesio* — *provalerio. fortunato.* inter fines orationum secundae et tertiae atque initia tertiae et quartae spatia vacua versuum tredecim et novem reperiuntur. quibus olim tituli et prima orationum verba rubrica inscripta erant. contextus a librario nonnumquam distinctus est et spatiis parvulis intermissis, quae aut puncta aut crucis signa praecedunt et litterae maiores sequuntur, in capita divisus, quae ego quoque in editione repraesentanda duxi, aut ubi sensum intolerabilem in modum dirumpunt, saltem in apparatu critico indicavi [21]. codex correctus est manu secunda coaeva, quae cum paene semper lectiones aut veras aut ad veras propius accedentes restituat sed numquam menda graviora tollat, idem exemplar correctioni adhibuisse videtur, e quo prima manus contextum descripserat. et archetypum quoque correctorem expertum esse, docet p. 335, 17, ubi traditur *aurummirabilesnise* pro *aerumnis miserabiles.* nam syllabas *nis* et *se*, quae in vocabulis ipsis desiderantur, post illa in codice legi, eo tantum explicari potest, quod a librario prius omissae et inter lineas additae fuerunt. idem in corruptela p. 322, 25 *hicstentinam* pro *hinc intestinam* perspicitur. nam postquam librarius codicis archetypi calami lapsu *hicintetinam* scripsit, correctori litterae *n* et *s* adiciendae erant, quae cum permutasset hoc modo *hic*^{s}*int*^{n}*etinam*, ea, quae in codice nostro leguntur, nata sunt. lectio partis maioris paene certa est; paucis tantum locis nisi parva scripturae vestigia non apparent, quae non numquam quinque diversis modis vel etiam pluribus interpretari possumus. sed etiamsi singulae litterae interdum plane incertae sint, nihilominus de verbis integris ubique fere constat. quae supersunt folia in codice primario hoc modo inter se cohaeserunt:

16) Repertae et primum editae sunt ab Angelo Maio, *Q. Aurelii Symmachi v. c. octo orationum ineditarum partes, Mediolani 1815.* ab eodem repetitae et fragmentis Vaticanis auctae in *Scriptorum veterum nova collectione e Vaticanis codicibus edita I, Romae 1825 et 1831* et *M. Tullii Ciceronis librorum de re publica quantum superest in palimpsesto bibliothecae Vaticanae praecipue repertum, Romae 1846.* praeterea edidit Niebuhr, *Q. Aurelii Symmachi VIII orationum fragmenta* Frontonis reliquiis adiecta, *Berolini 1816.* panegyricum secundum in Valentinianum edidi in *Commentationibus philologis in honorem Theodori Mommsen scriptis, Berolini 1877, p. 595.*

17) *summaci* scriptum est decies sexies, *summachi* sexies, *summ.* bis, verbi finis ter legi nequit.

18) ita ter, *ualn.* bis, *valen.* semel, *aug.* semel omittitur.

19) ita ter, *ualn.* ter, *senia.* semel, finis inscriptionis *sen. aug. II* semel desideratur.

20) ita ter, *laude. inpatre* semel, in summa p. 204.

21) 325, 1; 31; 331, 23; 332, 11; 333, 4; 336, 1; 337, 26.

Quaternio I	Quaternio II	Quaternio III	Quaternio IV
x	283/4 I	x	x
438/7 I[22]	x	209/10 II	x
x	x	365/6 II	369/70 II
Vat. 11/2 I	x	447/8 II	359/60 II. III
Vat. 5/6 I	x	441/2 II	357/8 III
x	x	363/1 II	x
452/1 I	x	199/200 II	x
53/4 I	285/6 II	x	x

Quaternio V	Quaternio VI	Quaternio VII	Quaternio VIII
x	201/2 IV	xxx	xxx
x	x	211/2 VI	Vat. 7/8 VII
206/5 III	x	xxx	xxx
449/50 III	x	197/8 VII	Vat. 9/10 VIII
439/40 IV	x	xxx	xxx
204/3 IV	x		
x	x		
371/2 IV[23]	207/8 V		

Fragmenta laudationis in Valentinianum prioris, quae superstitum agmen ducunt, incipiunt ab imperatoris patria Illyriciana primisque eius stipendiis. nihil igitur praecedere potuit praeter inscriptionem et prooemium orationis, quod apud Symmachum brevissimum esse solet. quae cum unius folii spatio facile capiantur, nihil impedit, quominus quaternionem, qui nunc primus est, eundem locum in codice integro obtinuisse sumamus. secundus cum illo cohaeret, orationesque secunda, tertia, quarta, septima per binos semper aut trinos quaterniones extenduntur et ita quidem, ut argumentum sufficiens vix reperi possit, quod quaterniones integros intercedentes expleat. itaque paene certum est, a primo usque ad sextum nos omnium quaternionum, qui in codice primario fuerunt, partes habere septimumque atque octavum inter se cohaesisse; de eo tantum dubitari potest, quantum inter sextum et septimum et in fine totius corporis perierit.

Orationes non ordine chronologico compositas esse, vel ea re docemur, quod tertia secundam, quinta quartam aliquot mensibus praecessit[24]; digestae autem sunt secundum dignitatem eorum, quibusde in iis agitur. incipiunt itaque a panegyricis tribus in imperatores dictis et ita ordinatis, ut Augustus, qui prior purpuram sumpserat, praecedat; qui ordo in omnibus monumentis publicis, legibus, inscriptionibus, relationibus, sollemnis erat. sequuntur orationes duae pro patre scriptoris, cui a filio proximus post Augustos locus merito tribuitur, nam ea quoque, quae pro Trygetio inscripta

22) Numeris Romanis oratio indicatur, cuius pars in folio legitur.

23) Inter folia 204/3 et 371/2 folium unum periisse ex argumento veri simile, sed non certum est. si plura desunt, quaternio sextus hoc modo restituendus erit:

371/2 IV
201/2 IV
x
x
x
x
207/8 V
x

24) De tempore orationum vide caput praefationis ultimum.

est (V), maiore ex parte in patris laudibus versatur. sexta habita est pro viro amplissimis iam honoribus perfuncto, septima pro filio summi et locupletissimi senatoris, octava pro homine tam inopi, ut ea de causa senatoriam dignitatem amisisset. cum Symmachus numquam in foro versatus sit nec dixerit nisi apud imperatores aut in senatu, de homine dignitatis minoris agere vix potuit. haec igitur in calce totius corporis posita fuit, nec ulla oratio tota intercidisse videtur, quae quidem in hoc volumine erat, nisi forte inter quintam et sextam. at vero sermo apologeticus Symmachi, qui simul panegyricus in Theodosium erat, et gratiarum actio pro consulatu accepto secundum eum ordinem, quem ubique observatum vidimus, inter laudationem in Gratianum (III) et orationem pro patre (IV), quae se in codice nostro nulla lacuna intercedente excipiunt, collocari debuerunt. desiderantur igitur non solum in reliquiis nostris, sed etiam in codice integro deerant. qua ex re concludi potest, corpus orationum, cuius partem fere tertiam tenemus, compositum et editum esse, antequam illae habitae sint, i. e. ante a. 389.

Ex orationibus, quae supersunt, prima et tertia recitatae sunt a. 369, secunda a. 370, quarta et quinta a. 376, sexta inter annos 376 et 378, septima ante a. 388, octava nullum temporis indicium praefert. omnes eiusmodi sunt, ut ante a. 377 compositae esse aut debeant aut certe possint. anno autem 376 Symmachus ipse, summo civium plausu, quo oratio pro Trygetio excepta sit, se ad editionem eius commotum esse dicit, eandemque causam fuisse putaverim, qua adductus omnes, quas ante habuerat paulove post habuit, in corpus illud collectas, cuius reliquiae nobis servatae sunt, in publicum emisit[25]. nam ne sumamus, optimas et gravissimas eum elegisse, argumento satis futili supremarum trium vetamur.

Iam igitur constat, Symmachum orationes non monobiblis solum amicis distribuisse, sed etiam certis temporibus editiones instituisse, quibus omnes, quas tum composuerat, in unum colligerentur. et primam illam ab auctore iuvene curatam procul dubio aliae auctiores secutae sunt, quarum unam Cassiodorio Senatori praesto fuisse, ex fragmento supra allato verisimile est. neque eas orationes, quae iam in prima prodierant, scriptor summa cum anxietate stili argutias captans sine ulla correctione librariis iterum describendas tradidit, sed partim sententias expolivit et mutavit, partim novas adiecit, cuius rei locupletissima argumenta in exemplari nobis servato supersunt.

Legimus p. 320, 35, ubi de militibus agitur, quorum suffragio Valentinianus imperator electus erat, *merito nunc quoque certatim in omnibus parent, libenter obtemperant: neque enim tantum imperio tuo, sed etiam iudicio suo militant.* verba *certatim in omnibus parent* et *libenter obtemperant* plane idem dicunt neque gradatio aliqua in hac repetitione deprehenditur, quin immo ea, quae sequuntur, multo languidiora prioribus sunt. hac igitur ratione Symmachum scripsisse, persuaderi mihi nequeo, nec de glossemate cogitari potest, quia omnia tam facile intelleguntur, ut ne lector quidem maxime

25) Inscriptiones orationum primae et secundae: *laudatio in Valentinianum seniorem Augustum* editionem earum tum factam esse demonstrare videntur, cum iam Valentinianus minor imperium acceperat (a. 375). sed huic argumento magnam vim ideo non tribuo, quia inscriptiones a librariis quoque temporis posterioris immutatae esse possunt.

insipiens interpretationem necessariam credere possit. sed mendum explicatur, si sumamus, Symmachum in prima editione posuisse *merito nunc quoque libenter obtemperant*, quod cum in secunda paulo elatius exprimere vellet, margini eum adscripsisse *certatim in omnibus parent*, librarium autem utrumque in contextum recepisse.

Simillimum est, quod p. 336, 18 legitur: *me quoque in hoc negotio cogitari decet, qui soleo agere gratias, qui obliterari benefacta non patior.* nam *qui obliterari benefacta non patior* elegantius tantum id exprimit, quod iam in verbis praecedentibus *qui soleo agere gratias* dictum erat. alterum igitur correctio alterius est.

319, 32 *unus, cui parcit, ignoscit, multi metuunt, quem tuentur; iuvenem terror excusat, senem miseratio; in illo recolebatur, in te sperabatur imperium. non sunt paria exempli utriusque momenta: Mario adhuc supererat fulgor occidui sideris, in te iam radiabat flamma nascentis.* comparantur Marius, cui carnifex Minturnensis, et Valentinianus, cui milites seditiosi pepercerant, et ita quidem, ut differentiae inter eos enumerentur, quae res verbis: *non sunt paria exempli utriusque momenta* indicatur. cum alia similia iam praecederent, haec non necessario toti comparationi praeponenda erant, sed ultimo quoque eius membro applicari potuerunt, quod ita a reliquis secerneretur magisque, ut gravissimum, efferretur. hoc autem membrum duplex est, nam *in illo recolebatur, in te sperabatur imperium* et *Mario adhuc supererat fulgor occidui sideris, in te iam radiabat flamma nascentis* non duae dissimilitudines diversae sunt, sed una tantum duobus modis expressa. sententia ergo illa generalis has propositiones praecedere quidem potuit, sed non dividere. qua de causa de transponenda ea cogitavi, donec a Kiesslingio amico in meliorem emendandi viam deductus sum. nam si ultima deleas, tota comparatio optime concluditur neque quidquam desideraveris: *unus, cui parcit, ignoscit, multi metuunt, quem tuentur; iuvenem terror excusat, senem miseratio; in illo recolebatur, in te sperabatur imperium.* contra si verba, quae nunc ultima relinquuntur, eicias, et quae prius deleveris, in locum eorum restituas, propositio sensum omnino eundem exhibet, sed plenior et concinnior evadit: *unus, cui parcit, ignoscit, multi metuunt, quem tuentur; iuvenem terror excusat, senem miseratio. non sunt paria exempli utriusque momenta: Mario adhuc supererat fulgor occidui sideris, in te iam radiabat flamma nascentis.* alterum ergo in prima editione scriptum erat, alterum in secunda.

320, 10 *sentio divinae lucis adflatum, ut ferme adsolet, cum iubar emicat et mundi splendor aperitur aut cum solis emergente purpura ruborem ducit aurora.* ea quae hoc loco particula *aut* componuntur, nulla re nisi verbis differunt; quis autem scripserit: cum dies illucescit a u t cum sol oritur? itaque illud *aut* nihil aliud indicare potest, nisi scribendum esse aut *cum iubar emicat et mundi splendor aperitur* aut *cum solis emergente purpura ruborem ducit aurora*. sed utrum in prima, utrum in secunda editione scriptum fuerit, dignosci iam non potest, nam utrumque aequis fere coloribus distinctum est. itaque Symmachus hoc loco ingenio indulsisse videtur et margini adscripsisse, quomodo eadem sententia aliter exprimi posset, electionem tempori posteriori reservans.

Cum hoc loco componenda sunt, quae leguntur p. 319, 1: *quare seu in Aethiopas atque Indos contra externum militem solo calore munitos felicia signa contuleris, frustra ad aestuantes recessus a u t torrida astra confugient: cito enim terrarum talium dominus*

eris, qui vim siderum non timebis. coniunctio disiunctiva hic non magis admitti potest quam in exemplo praecedenti, et verba *aut torrida astra* ex correctione auctoris nata esse, ea re etiam veri similius redditur, quia causa mutationis in aperto est. cum enim orator scripsisset, Augustum vim siderum non timere, hanc conclusionem melius praeparatum iri perspexit, si de sideribus iam ante sermo esset. itaque pro *aestuantes recessus*, quod eundem sensum reddebat, sed non eadem relatione cum sequentibus coniunctum erat, posuit *torrida astra*.

328, 2 *non ego montium speculas aut decisa Aegyptiis rupibus procera miracula vel pyramidum vertices angulosos fastigiis celsae urbis aequarerim.* pyramides non quasi tertium aliquid montibus et decisis Aegyptiis rupibus proceris miraculis addi possunt, quoniam ab his non diversae sunt. cum autem utraque pyramidum designatio tam Symmachiana esset, ut altera utra pro glossemate accipi nequiret, in commentationibus Mommsenianis vocem *vel* delevi, ut haec efficerentur: *non ego montium speculas aut decisa Aegyptiis rupibus procera miracula, pyramidum vertices angulosos, fastigiis celsae urbis aequarerim.* sed hoc modo duo propositionis membra componuntur, quorum alterum duobus, alterum octo vocabulis constat, omnisque symmetria rhetorica perit. quam respiciens Symmachus quoque pro *decisa Aegyptiis rupibus procera miracula* in secunda editione *pyramidum vertices angulosos* scripsisse videtur, quod cum multo brevius sit, membro opposito *montium speculas* melius quoque respondet.

Vbi ratio, qua Valentinianus in nova civitate condenda usus est, emptioni fraudulentae Didonis opponitur, haec in codice scripta sunt: 326, 32 *non ferro pellimur, non auro aut aere fraudamur.* quando Dido, ad cuius facinus alluditur, non fraudem experta est, sed fecit, tertium quod dicimus comparationis evanescit, nisi pro *fraudamur* scribas *fraudamus*. sed hac emendatione recepta nondum omnis dubitandi causa sublata est. inter duo enim sententiae membra similitudo verborum cum quadam anxietate observatur: praecedit in utroque *non*, sequitur metalli nomen casu ablativo positum, agmen claudit verbum; quae symmetria alioquin usque ad syllabarum numerum extensa turbatur, si voci simplici *ferro* duplex *auro aut aere* opponatur. praeterea electio illa, quae lectori inter aurum et aes offerri videtur, inepta est, cum id tantum quaeratur, utrum terra hostilis armis an pecunia capta, non quo metallo pretium solutum sit. ergo scribendum est aut *non ferro pellimur, non auro fraudamus* aut *non ferro pellimur, non aere fraudamus*, sed quamnam Symmachus mutandi causam habuerit, equidem divinare non possum.

Videmus igitur, Symmachum, cum editionem novam pararet, margini permulta adscripsisse, quibus aut sententias concinniores uberioresve redderet aut certe indicaret, quomodo ea, quae ante scripserat, si non melius, saltem aliter exprimi possent. qui nobis autem servatus est codex non ex editione secunda fluxit, sed raro quodam casu apographum est eius primae editionis exemplaris, quod auctor ipse, cum alteram institueret, doctis meditationibus suis adhibuit. ex quo, quia nova adscripta, vetera non deleta erant, is librarius, cuius in manum postea venit, et editionem primam integram descripsit et non solum ea ex margine in contextum transtulit, quae re vera in secundam recepta sunt, sed etiam ea, quibusde recipiendis Symmachus cogitaverat.

tenemus igitur orationes, neque ut dictae sunt neque ut editae, sed potius commentarios orationum denuo edendarum.

Nunc transpositiones quoque illae, quae cum in editione laudationis in Valentinianum alterius a me commendarentur, plerisque viris doctis audaciores visae sunt, facile explicantur. sunt enim plerumque eiusmodi, ut ea, quae transponenda duxi, eo quidem loco, quo in codice leguntur, tolerari non possint, sed nullo alio desiderentur et interdum ne locum quidem reperiant, quo satis apte inseri possint. cuius rei exempla pauca afferam, cum numerus eorum abundans ab uno quoque in editione nostra inveniri possit.

326, 27 *Carthago Tyriorum, quam Punicis glaebis advena opulentus inposuit, pretio a Libysin venit. ecce exempla reterata saeculorum! armato populo terra Libyae tuta est nec otiosae, suspicor, additionis. inermitas conpulit breve spatium postulari, sed quo magis fieret turpe conmercium. dolus circumcisi tergoris auxit dedecus emptionis.* haec ab omnibus facile intelleguntur, qui historiam Didonis noverunt, neque ulla interpretatione indigent. sed scriptori, cum orationem retractaret, verba *dolus circumcisi tergoris* non satis perspicua visa sunt, si nulla corii taurini mentio praecederet. addidit igitur in margine *bovini tegminis ambitum definitum.* quae, ut Gruppius meus perspexit, post *breve spatium postulari* inserenda erant, sed a librario inter *suspicor* et *additionis* collocata sunt.

338, 13 *et quantum, dii boni, in dies proficit domus sobria! quippe, ut scitis omnes, saepe inopia vel copia ex moribus venit. nisi forte excongruam putatis istiusmodi laudem. plane inter facultates censenda est parsimonia. nam senator, qui privato usui minimum vindicat, publico plus reservat.* parsimonia ideo inter facultates censenda est, quia rem familiarem auget, non quia in rem publicam sumptus maiores facere permittit; itaque particula *nam*, quae propositionem ultimam praecedentis causam esse indicat, tolerari nequit. sed etiamsi hoc mendum coniectura tolleremus, nihil tamen proficeremus, quando neque ea, quae praecedunt, apte inter se cohaerent. nam si Symmachi auditores laudem sobrietatis in domu senatoria, utpote cui magnificentia et largitas magis convenirent, *excongruam* putassent, hoc non eo refelli debuit, quod facultates per illam crescunt, quo argumento etiam avaritia commendari poterat. si autem verba: *plane inter facultates censenda est parsimonia* eicias, omnia recte procedunt causaque, quae etiam in senatore sobrietatem laudandam reddit, dubitationi illi statim opponitur. sed licet enuntiatum, quod seclusimus, omitti possit, alio tamen loco insertum orationem exanget et ornat: *et quantum, dii boni, in dies proficit domus sobria! plane inter facultates censenda est parsimonia, quippe, ut scitis omnes, saepe inopia vel copia ex moribus venit. nisi forte excongruam putatis istiusmodi laudem: nam senator, qui privato usui minimum vindicat, publico plus reservat.* nec praetereundum est, verba illa, quae Symmachus contextui primae editionis adiecit, sententiam brevem et absolutam efficere, qualem homines litterati illius saeculi vel praecipue admirari excerpere imitari soliti sint.

321, 14 loquitur orator de fratre a Valentiniano in imperii consortium ascito idque maxime laudat, quod Valentem statim Augustum creavit, non prius Caesarem, ut Constantius in Iuliano fecerat. *ergo Augustum pari iure confirmans curasti, ne umquam*

tibi suspectus esset, cui non reliquisti, quod ultra optare deberet. hinc plerique principum, quos secundos creaverant, quasi aemulos mox timebant. urget enim potissimos expectatio proximorum, semperque similis invidenti est, cui superest, quod requirat. nec istud nimium gratiosa aut populari festinatione fecisti iamdudum cuncta expertus in fratre, quae diu explorantur in Caesare. si enuntiata hoc ordine procedunt, ex particulis, quibus singula inter se cohaerent, altera sensum nullum praebet, altera perversum. nam quod scribitur: *nec istud nimium gratiosa aut populari festinatione fecisti*, tum demum intellegi posset, si aliquod Valentiniani factum praecederet, non sententia generalis: verbo autem *hinc* indicari videtur, id ipsum, quod regni participi nihil, quod ultra optaret, relictum esset, causam fuisse, cur Augusti eos, quos Caesares creaverant, quasi aemulos timerent, id quod cum tota scriptoris sententia pugnat. sed vox *istud* coniungitur cum verbis *ergo Augustum pari iure confirmans*, ad quae referenda est, si *hinc plerique — quod requirat* deleas, neque deest locus, cui haec inseras: *tua liberalitas desideriis nil reliquit maximeque in imperatore faciundo magnitudinem regiae largitatis minui credidisti, si cum insperata concederes, adhuc speranda differres. hinc plerique principum, quos secundos creaverant, quasi aemulos mox timebant. urget enim potissimos expectatio proximorum, semperque similis invidenti est, cui superest, quod requirat. ergo Augustum pari iure confirmans curasti, ne umquam tibi suspectus esset, cui non reliquisti, quod ultra optare deberet: nec istud nimium gratiosa aut populari festinatione fecisti iamdudum cuncta expertus in fratre, quae diu explorantur in Caesare.* ita enim *hinc* ab *adhuc speranda differres* pendet, quo pertinere potest. causa autem, qua adductus Symmachus hanc periodum secundae orationis editioni addendam esse censuit, facile perspicitur. nam cum ante scripsisset: *curasti, ne umquam tibi suspectus esset, cui non reliquisti, quod ultra optare deberet*, haec suspicionis inter fratres Augustos mentio panegyrico parum convenire videbatur, nisi exemplis ex historia petitis et sententia ex illis deducta praepararetur.

327, 10 *sed quid prius mirer, ignoro, ceteros ab usu fabricationis, te per te solum scisse, quid conderes, an sub te uno magistro omnes ilico, qui aderant, institutos? nullus inde abiit inscius, quod iam per te erat eruditus. solus Epius Troianis arcibus adduxit excidium et Cretaeus Daedalus grassatorem Cecropiae nobilitatis inclusit: quid expectabit Alamannia, quam totus exercitus et mancipare novit et claudere?* singuli homines, fabricatores equi lignei et labyrinthi, suffecerunt, ut urbs Troia caperetur et Minotaurus includeretur. apud Romanos autem, cum novam civitatem in solo barbaro construerent, totus exercitus et terram hostilem capere et hostes munitionibus includere Augusto magistro didicit. omnibus igitur militibus ea fabricationis arte instructis, quam in exercitu Agamemnonis solus Epius, inter Cretenses solus Daedalus possederant, multo maius periculum Alamannis imminebat, quam cui Troiani et Minotaurus succubuerant. — haec sententia iam per se satis obscura et claudicans omnino intellegi nequit, si ea, quibus de institutione exercitus sermo est, a commemoratione Epii et Daedali divellantur. at in codice legitur: *nullus inde abiit inscius, quod iam per te erat eruditus. praetereo, quod aliis vices mensium curantibus vim solis aut imbrium iugi patientia pertulisti — quanto tibi labore constant rei publicae semper otia vindicata! — solus Epius Troianis arcibus adduxit excidium et Cretaeus Daedalus grassatorem Cecro-*

piae nobilitatis inclusit et q. s. quae omni sensu carent, nam quid tolerantia aestus et frigoris, quae in Augusto laudatur, ad Epium et Daedalum pertinet? optime autem verba *praetereo — vindicata* ante *sed quid prius mirer* collocantur: qua ratione ea, quae orator praeterit, aptissime eis opponuntur, quae miratur et longius exequitur.

318, 5 *totius orbis estis indigenae alibi fructum lucis, alibi usum laboris indepti. an non ipsam quoque Africam iure patriam tuam dixerim, quae te prima in contubernio parentis edocuit, qualis princeps esse deberes? ibi primum tolerans solis et pulveris esse didicisti, cuius dudum cunabula Illyriae nives texerant; qui caesam glaciem paulo ante potaveras, is veluti ad alia elementa translatus urentis Libyae sitim patientia temperabas.* locus, quem exscripsimus, et quae eum sequuntur, in imperatore praedicant, quod iam inde a prima inventute omnium caelorum ab ultimo septentrione ad ultimum meridiem experientiam adeptus est. cui expositioni inseruntur haec: *nec umquam te existimes aliis militasse: futurus Augustus sibi quaesivit, quidquid ante defendit: servavit tenera aetas, quod regeret matura felicitas.* quae cum ad totius capitis argumentum minime pertineant, eo etiam magis orationis nexum disturbant, quia post: *qualis princeps esse deberes* collocata sunt. hac enim ratione vox *ibi* nihil habet, ad quod referatur; siquidem loci indicatio *Africam* tanto spatio ab illa dirimitur, ut vix lector diligentissimus, nedum auditor orationis aures praeterlabentis, relationem agnoscere possit. sed locum, cui haec sententia apte inseratur, in orationis partibus superstitibus non invenio, et fortasse scriptor, cum has argutias excogitaret et margini exemplaris adscriberet, ipse nescivit, ubinam collocari deberent.

Capite octavo orationis primae de longa deliberatione sermo est, quae electionem Valentiniani praecessit, capite nono de eis, qui elegerunt. at priori haec verba inserta sunt: *ergo servatus es iudicio multitudinis, ne quis te mussitaret praeiudicium captasse paucorum.* quae cum electores, non tempus electionis spectent, ad caput posterius referenda sunt. sed in hoc nullus locus est, quo sententia salva collocari possint: qua ratione adductus conieci quidem post 320, 25 *iuventus* illa inserenda esse, ut vinculum quoddam inter utrumque caput efficiant. sed non nego orationem concinnius procedere, si hoc quoque loco desint. haec igitur sententia et multa eius similia a scriptore in margine orationum addita sunt, cum iam ante omni ex parte absolutae essent, ut aut in novam editionem reciperentur aut re denuo perpensa abicerentur.

In his interpolationibus, quae Symmacho ipsi debentur, maxima orationum difficultas posita est: nam codex noster mendis quidem vulgaribus laborat, quibus omnes libri manuscripti plus minus inquinati sunt, sed plerumque corruptelam quam dicimus puram conservavit, maiorque pars coniecturarum, quibus huc usque temptatus est, inde profectae sunt, quod scriptor a lectoribus parum in rebus verbisque temporis Symmachiani versatis male intellectus est.

II.

DE SYMMACHI RELATIONIBVS.

Primum, quod post orationes in lucem prodiit, Symmachi opusculum non ab ipso librariis describendum et vendendum traditum est, sed ab adversariis: loquor de relatione tertia, qua de ara Victoriae sumptibusque caerimoniarum restituendis a. 384 praefectus urbi ad Valentinianum Augustum rettulit. cuius eloquentia cum etiam hodie corda hominum tangat, tunc adversariorum quoque admirationem excitavit[26]) neque effectu caritura videbatur; siquidem omnes consistorii comites ne christianis quidem exceptis suadebant, ut tanti viri ratio haberetur[27]) petitionesque eius concederentur[28]). qua re comperta Ambrosius episcopus statim ad Valentinianum scripsit (ep. I 17) fideique eum admonens exemplum relationis poposcit, ut verbis eius cognitis plenius respondere posset[29]). quod cum accepisset, epistulam alteram refutatoriam ad imperatorem (I 18) maiore cum cura composuit. non in usum aliquem — nam periculum iam aversum erat[30]) — sed ut doctis rationibus viri pagani christianorum rationes opponeret. refutatio igitur non tam auribus Augusti quam omnium hominum litteratorum destinata erat, ut reliqui quoque libri apologetici christianorum, statimque eam divulgatam esse vel ex eo apparet, quod Symmachum nihil respondere ausum esse, Paulinus Ambrosii discipulus gloriatur[31]). quomodo enim respondere potuisset, si episcopi opusculum in scriniis imperialibus latuisset? editum autem est non solum, sed coniunctum cum epistula superiore et cum relatione ipsa, contra quam scriptum erat, ut codices eius superstites testantur.

Praefectura urbis deposita Symmachus ipse relationes omnes, quas magistratus tempore ad imperatores miserat, monobiblo composuisse videtur, neque omisit, ut consentaneum est, eloquentissimam et gravissimam de ara Victoriae. quam editionem ut pararet, certe non scrinia sacra perscrutatus est, sed exempla, quae apud se reti-

26) Ambros. epist. I 18, 2 *relationis adsertioni respondeo, hoc unum petens, ut non verborum elegantiam sed vim rerum spectandam putes. aurea enim, sicut scriptura divina docet, est lingua sapientium litteratorum, quae phaleratis dotata sermonibus et quodam splendentis eloquii velut coloris pretiosi corusco resultans capit animorum oculos specie formosa visuque perstringit.* Prud. in Symm. I 648 *inlaesus maneat liber, excellensque volumen obtineat partam dicendi fulmine famam.* cf. adnot. 4.

27) Ambros. epist. I 17, 6 *deferendum meritis clarorum virorum et ego suadeo, sed deum certum est omnibus praeferendum.*

28) Ambros. de obit. Valent. 19 *cum universi, qui in consistorio aderant, christiani pariter atque gentiles, dicerent esse reddenda, solus* (scil. Valentinianus) *velut Daniel excitato in se dei spiritu arguebat perfidiae christianos, gentilibus obviabat.* epist. I 17, 8 *quodsi aliqui nomine christiani tale aliquid decernendum putant, mentem tuam vocabula nuda non capiant.* cf. 10.

29) Ambros. epist. I 17, 13 *detur mihi exemplum missae relationis, ut ego plenius respondeam.* 18, 1 *poposci tamen exemplum mihi relationis dari.* ex his epistulis hausit Paulin. vit. Ambros. 26.

30) Ambros. epist. I 18, 1 *cum — tu, imperator, licet adhuc in minoris aevi tirocinio florentibus novus annis, fidei tamen virtute veteranus, obsecrata gentilium non probares* et q. s. 2 *itaque non fidei tuae ambiguus sed providus cautionis et pii certus examinis hoc sermone relationis adsertioni respondeo.* cf. epist. I 57, 3.

31) Paulin. vit. Ambros. 26 *qua relatione accepta praeclarissimum libellum conscripsit, ut contra nihil umquam auderet Symmachus vir eloquentissimus respondere.*

nuerat, librariis commisit. cuius rei vestigia in codicibus nostris apparent; nam cum in exemplaribus sollemnibus ad Augustos missis etiam rebus formalibus omnis diligentia adhibenda erat, in eis relationum apographis, quae tenemus, subscriptio diei et consulum fere semper[32], inscriptio plerumque omissa est, nonnumquam autem, si supersit, in nominibus imperatorum tam gravia menda admittit, ut librariis solis culpae dari non possint. exempli gratia relatio de ara Victoriae, quam Valentiniano soli missam esse ex Ambrosii verbis constat[33], ne nomen quidem eius praefert, sed Theodosio soli inscribitur. eadem ratione plerumque *ddd imppp* scriptum est pro formula sollemni *ddd imppp Valentiniane Theodosi et Arcadi victores ac triumfatores semper Augusti*, quam in relatione tertia codices Ambrosiani soli servaverunt, utpote qui ex apographo e scriniis sacris profecto fluxerint. et ternarius ille imperatorum numerus *d* et *p* triplicatis in eis quoque epistulis nonnumquam indicatur, quae expressis verbis uni tantum aut duobus diriguntur[34]. quae omnia vitiosa quidem sunt, sed editori res et verba conservanti, formulas neglegenti optime conveniunt ideoque, ut ab auctore ipso profecta, a me in editione intacta relicta sunt, etiamsi correctio facillima et certissima fuisset.

Post Symmachi mortem relationes iterum a filio eius editae sunt. qui cum epistulas patris colligeret, illas quoque corpori earum adiunxit. nam quamvis Iuretus, ut eas reliquiis libri decimi epistularum adnecteret, nulla codicum auctoritate usus sit, errasse tamen non videtur; siquidem in florilegio epistularum, quod e codice non integro quidem sed pleniore quam omnes, qui in saeculum sextum decimum duraverunt, excerptum est, relatio undecima reperitur, quae si in illo codice fuerat, de ceteris relationibus idem praesumendum est. sed praeter frustulum illud, quo lectiones codicum reliquorum confirmantur, sed ex quo nihil novi discimus, haec Symmachi filii recensio nobis periit; res igitur critica sola editione monobiblica nititur, si relationem de ara Victoriae exceperis.

Haec enim ab Ambrosio edita est ex apographo, quod ex officiis imperialibus acceperat, a Symmacho ex exemplo, quod in scriniis suis retinuerat; ergo communis utriusque editionis archetypus nullus alius est, quam autographum ipsum auctoris aut eius servi, cui relationem dictaverat. qua ratione adductus sum, ut non solum coniecturis, quibus lectiones consentientes utriusque recensionis mutarentur, omnino abstinerem[35], sed etiam, ubi dissentiebant, alteram plerumque secutus neque ipse ingenio indulgerem neque aliorum commenta reciperem. utra autem melior et fide dignior sit, tum perspiciemus, cum scripturas discrepantes omnes composuerimus.

---

32) Servata est ad calcem relationis 23.

33) Ambros. epist. I 57, 2 *retulerat vir amplissimus Symmachus, cum esset praefectus urbis, ad Valentinianum augustae memoriae imperatorem iuniorem, ut templis, quae sublata fuerant, reddi iuberet.* cf. I 17, 12 *convenio mentem tuam, ne vel respondendum secundum huiusmodi petitionem gentilium censeas vel in eiusmodi responsa sacrilegium subscriptionis adiungas. certe refer ad parentem pietatis tuae principem Theodosium, quem super omnibus fere maioribus causis consulere consuesti.*

34) 280, 7; cf. 279, 7; 289, 5 et ea, quae Meyer in editione relationum p. 65 composuit.

35) Quod 281, 14 *ominis* pro *hominis* scripsi et 282, 18 *uittae* pro *uitae*, non coniecturae sunt sed correctiones mere orthographicae.

Lectiones meliores servavit Ambrosiana editio contra Symmachianam locis his:

280, 23	*denegata* A	*deneganda* S
24	*domini imperatores ualentiniane theodosi et archadi incliti uictores ac triumfatores semper augusti* A	*ddd. nnn. imperatores* S
281, 5	*repetimus* A	*respeximus* S
8		*igitur* intrudit S
9		*barbaris* om. S
23		*nostris* om. S
24	*periuriis* A	*a periuris* S
26	*aemulemur* A	*emulentur* S
27	*de reprehensione* A	*deprehensione* S
29	*num* A	*nunc* S
32	*repleuit* A	*decreuit* S
35		*ipse* om. S
282, 5	*putemus* A	*putamus* S
10	*instituendum* A	*constituendum* S[36]
15	*certamina offerimus* A	*certamen afferimus* S
19	*ducitur* A	*dicitur* S
	requirunt A	*requiruntur* S
20		*a* om. S
28	*retentat* A	*retentatur* S
283, 12	*dodonaeas* A	*idoneas* S
	conuolauit A	*conualuit* S
18	*alienae* A	*aligenae* S
27	*detrahentium* A	*trahentium* S

editio Symmachiana contra Ambrosianam locis his:

281, 6	*dinumerentur* S	*numerentur* A
7	*pars eorum prior* S	*proximus eorum* A
9	*aliarum* S	*talium* A
10		*tamen* intrudit A
21	*numinis* S	*religionis* A
25	*dicetur* S	*dicitur* A
36		*suus* om. A
282, 10	*quale sit quod* S	*quid* A
17	*denegetur* S	*denegatur* A
19	*sacerdoti* S	*sacrificii* A
23	*illud tene* (pro *illud tenue*) S	*ullumne* A
24	*inuidiam* S	*inuidia* A
	atqui S	*et quia* A
26	*quia* S	*qui* A
31	*religiones ad* S	*religione sub* A
34	*excludentur* S	*excluduntur* A
36	*adplicare* S	*adpublicare* A
37	*itane* S	*itaque* A
283, 2	*expediit* S	*expedit* A
6	*sacra* S	*sacrae* A
8	*imputemus austris* S	*inputamus astris* A
	necauit S	*negauit* A
11	*causa* S	*aura* A
19		*olim* om. A
23	*adhuc* S	*haec* A
29	*numinis* S	*culminis* A

lectio utriusque recensionis eadem fide digna est locis his:

281, 4	*tunc* S	*tum* A
31	*nihil* S	*nil* A

36) Eadem ratione p. 300, 19 *consistentibus* pro *insistentibus* traditum est.

282, 2 *aperto* (pro *operto*) S	*operato* A
6 *optimi principum* S	*optimi principes* A
7 *ut a* (pro *utar*) S	*ut utar* A
18 *ueluti* S	*uelut* A
19 *quoddam* S	*quodammodo* A
34 *praesidiis* S	*praediis* A
283, 2 *tueri solam causam religionum* S	*solam causam religionum tueri* A
16 *prouentum* S	*prouentus* A

Ex hac comparatione apparet, auctoritatem editionum non tam diversam esse, ut Meyer praesumpsit: nam Ambrosiana locis 23 verum exhibet, Symmachiana locis 26, quae differentia nullius momenti est. nec altera utra ab interpolationibus libera mansit: nam ut de Ambrosiana taceam, in Symmachiana quoque 281, 5 *respeximus* pro *repetimus*, 8 *igitur* perperam contextui intrusum, 32 *decrevit* pro *replevit*, 283, 12 *idoneas* pro *dodonaeas* non merae certe corruptelae sunt. sed in universum dicendum est, Ambrosianam magis coniecturis librariorum, Symmachianam autem vitiis vulgaribus laborare, praecipue parvis lacunis singularum nonnunquam litterarum ut 281, 9; 23; 27; 35; 282, 15 (excidit littera *o*); 20; 283, 12; 27. hanc igitur in eis locis secutus sum, qui dubii erant, maximeque nobis gaudendum est, ex hac collatione eos codices, quibus in ceteris relationibus solis utendum est, tam probos fideque dignos evasisse [37].

Nititur autem notitia, quae de relationum monobiblo ad nos pervenit, codicibus duobus Tegernseensi [38] et Mettensi (T et M), utroque saeculo undecimo scripto, et editione principe (Γ), quae Basileae apud Froben a. 1549 prodiit curata a Sigismundo Gelenio [39]. quorum fontium inter se cognatio nunc nobis consideranda est. et optimum quidem huius inquisitionis fundamentum relatio de ara Victoriae praeberet, nisi haec a Gelenio ex exemplari satis corrupto recensionis Ambrosianae hausta esset, eo codice, quem in reliquis adhibuit, obiter tantum inspecto. quod ut probemus, pauci nobis loci ex multis electi sufficiunt:

281, 7 *proximus eorum* AΓ	*pars eorum prior* TM
10 *tamen saltem* AΓ	*saltem* TM
21 *religionis* AΓ	*numinis* TM
282, 19 *sacrificii* AΓ	*sacerdoti* TM
283, 29 *culminis* AΓ	*numinis* TM

de fonte igitur Gelenii eius dubitari nequit, praesertim cum Ambrosii quoque epistulas in editionem receperit.

Hac igitur inquirendi via interclusa, menda componemus, quibus Γ aut cum M aut cum T consentiat. sunt autem haec:

289, 6 et 14 *uectius* MΓ	*uetcius* T (pro *Vettius*)
290, 1 *reuertitur* MΓ	*reuertit* T
292, 26 *imposterum* MΓ	*inposterum* T
298, 29 *confectus* MΓ	*confectis* T
302, 24 *admoneri* MΓ	*admoueri* T

37) Relationis tertiae fragmenta codicibus Prudentii adscripta ex editione Ambrosiana hausta sunt nec ullum rei criticae usum praebent.

38) Hunc codicem primus crisi Symmachianae adhibuit multosque locos ex eo praeclare correxit Gulielmus Meyer Spirensis, *Q. Aurelii Symmachi relationes, Lipsiae 1872.*

39) *Epistolarum Symmachi v. c. praefecti urbi libri duo. D. Ambrosii epistolae in Symmachum II. Epistolarum Magni Turci ad varias gentes liber unus, a Laudino Equite Hierosolymitano latine redditus. Froben Basileae calend. Septemb. anno M.D.XLIX.*

304, 11 *seuerellam* MΓ	*seuerillam* T
16 *mitteretur* MΓ	*niteretur* T
311, 10 *sacri* om. MΓ	
20 *constantiana* MΓ	*constantiniana* T
312, 5 et 23 *terracinensis* MΓ	*tarracinensis* T
35 *martianus* MΓ	*marcianus* T
313, 30 *martiani* MΓ	*marciani* T
317, 14 *affricani* MΓ	*africani* T

quae omnia tam futilia sunt, ut ne commemoranda quidem duxissem, si res gravioris momenti suppeterent, praesertim cum T quoque et Γ in lectionibus vitiosis paene totidem conspirent:

280, 17 *iudicium* TΓ	*iudicum* M
284, 12 *aelyus* T, *alius* Γ	*elyus* (pro *Elius*) M
287, 18 *cursum* TΓ	*currum* M
297, 36 *bonifacium* TΓ	*bonifatium* M
302, 17 *praeterea* T, *praeteream* Γ	*praetereo* M
28 *quando aut* TΓ	*ut quando et* (pro *quando et*) M
308, 19 *diffinitionem* TΓ	*definitionem* M
311, 13 *constantianae* TΓ	*constantinianae* M
31 *constantius* TΓ	*constantinus* M
313, 32 *indiscretae* T, *indiscretas* Γ	*indiscrete* M

Si in paginis triginta sex tam rarus in mendis consensus sit, quamvis etiam orthographica enumeraverimus, pro certo pronuntiari potest, nullam cognationem artiorem inter Γ et alterum utrum codicum nostrorum intercedere. et ne sumamus, editorem utroque codice apographisve eorum usum esse, ea re prohibemur, quod permulta menda recepit, quae facile corrigere potuisset, si vel unum adhibuisset. exempli gratia 284, 15 tam M quam T scribunt: *ut contra Publicolae decus tribuit inclinatio potestatis*; *submisit enim contioni civium consularem securem*, at in Γ legitur: *summisit Publicola concioni civium consularem securem*. in codice ergo Gelenii verba *ut contra — potestatis* deerant, et nomen Publicolae ab editore insertum est, ut lacuna quodammodo tegeretur. eadem ratione 286, 25 *decretum est* in Γ omittitur et multa alia, quae enumerare superfluum videtur.

Itaque uter codex melior sit, ne quaerendum quidem est, cum paene numquam in eam necessitatem adducamur, ut unius codicis solius auctoritate insistamus. nam quia editio Geleniana ex neutro originem duxit et ne ex cognato quidem alterius utrius, semper is sequendus est, quocum illa consentit. quod cum certum sit, ea tamen remanet quaestio, an Gelenio tanta auctoritas tribui possit, ut etiam contra consensum codicis utriusque eum sequamur, aut quod idem est, utrum codex eius ex diverso archetypo descriptus sit, quam ex quo T et M fluxerunt, an ex eodem. quae inquisitio propterea multo intricatior est, quia non codicem ipsum sed editionem tantum doctissimi grammatici habemus, de quo dubitari non potest, quin multa illius menda coniecturis non numquam felicissimis sustulerit. praeterea liber Gelenii, si non idem, certe eius simillimus erat, ex quo T et M descripti sunt, nisi quod multis mendis et interpolationibus scatebat, quibus codices superstites liberi manserunt. nihilominus credo, Γ non meliorem quidem fontem esse, quam T et M, sed tamen ex communi horum archetypo non pendentem, adductus his potissimum rationibus.

T et M p. 314, 22 exhibent haec: *cum plerosque consortio suo ante decretos muniri Macedoni suffragio repperissent, relationem super eorum n u m i n i b u s impetrarunt.* unus

quisque editor, si haec in codicibus inveniret, certe pro *numinibus* scriberet *nominibus*; sed in Γ receptum est *muniminibus*, quod nisi ex codice fluxisset, numquam a Gelenio reperiri potuisset.

296, 31 *senatum prisco more consului, quid in communi causa patrum iuveret auctoritas* TM. *iuberet* pro *iuveret* non coniectura est sed correctio erroris orthographici, nec quisquam alia ratione ex ingenio hunc locum emendare potest. at Gelenius scripsit *innueret*, quod multo melius est, nam senatui in ea re qua de agitur non iubendi sed tantum suadendi ius erat.

292, 22 *si melioribus viris officia intra mura mandetis* T. iam in M hoc in *intra muros* correctum est, nec editorem saeculi decimi sexti umquam aliter correxisse putaverim; Gelenius autem verbum rarissimum *intramurana* posuit.

314, 6 *dignum est igitur divina temporum vestrorum felicitate, ut peractam sine offensione militiam, si perennitatis vestrae pius natus adriserit, praerogativa sollemnis exornet* TM. pro *natus* tam Meyer quam Halm coniecerunt *nutus* nec Gelenius aliud coniecisset, si coniectura ei opus fuisset; scripsit autem *vultus*. qua ex lectione corruptela codicum facile explicatur, si litteram *l* intercidisse sumamus et *uu* in *na* mutatum. quod autem praecipue me movit, ut scripturam Gelenianam veram crederem, res ipsa est. nam ei, qui militia in officio perfuncti erant, antequam ad altiores dignitates promoverentur (*praerogativa sollemnis*), purpuram adorare solebant, id est admittebantur ad principem, quem genu flexo consalutarent. cf. Gothofr. ad Cod. Theod. VI 8. ergo non solum *nutu* Augusti honoribus exornati sunt, sed etiam *vultum* imperatoris aspiciebant, id quod Gelenii lectio indicat.

Cum recensionem relationis tertiae Ambrosianam cum Symmachiana componeremus, nullum in hac vitium frequentius esse invenimus, quam lacunas paucarum vel etiam singularum litterarum. quis credat, tempore renascentium litterarum hominem aliquem ita in codicum indoles inquisivisse, ut ad huiusmodi minutias animum attenderet? quattuor autem, quos modo proposuimus, locis iam vidimus, Gelenium coniecturas maxime obvias sprevisse et eas scripturas recepisse, quae nisi hac codicum proprietate perspecta inveniri non potuissent. omnino autem similia sunt haec:

280, 7	*aug̃* TM	*augustum* Γ
14	*deerunt* TM	*dederunt* Γ
284, 11	*modera* TM	*moderator* Γ
285, 30	*promptam* TM	*promptamne* Γ, quo loco *ne* eo facilius excidere potuit, quia verbum sequens littera *n* incipit.
286, 16	*et* om. TM, verbum praecedens syllaba *et* finitur.	
287, 20	*affecta* TM	*affectata* Γ
34	*urciae* TM	*martiae* Γ pro *Marciae*
289, 19	*uestrum* TM	*uestrumque* Γ
292, 21	*nolo* om. TM	
293, 2	*nimium* TM	*minimum* Γ
295, 36	*ullumuis* TM	*ullum e suis* Γ
	arcere TM	*carcere* Γ
297, 16	*probatus* TM	*probaturus* Γ
298, 12	*crassa* T, *crasse* M	*crastina* Γ
302, 17	*cum* TM	*in eum* Γ
303, 19	*salius gationibus* M, *solius gationibus* T	*saluis allegationibus* Γ
306, 20	*redisse* TM	*resedisse* Γ

306, 29	*repetendae* TM	*rependendae* Γ
307, 14	*error* TM	*terror* Γ
30	*debiti* om. TM ante *deprehendit*	
310, 3	*ut queruntur* om. TM	
311, 18	*duorum* TM	*diuorum* Γ
313, 20	*si* om. TM	
37	*exemplum* om. TM	
314, 15	*brittanni* TM	*brittannici* Γ
315, 5	*adiuuauit* TM	*adiudicauit* Γ
316, 24	*precum* om. TM	

innumeras alias emendationes certissimas, sed quas Gelenius ingenio debere potuit, omitto, praesertim cum ne eas quidem, quas proposui, omnes codicis deperditi auctoritate stare spondere ausim. illud tamen adiciendum duco p. 286, 26, ubi *censuum* legendum est, TM *censum* exhibere, Γ *censitum*, quod omni sensu caret et puram igitur corruptelam propius ad veram scripturam accedentem repraesentat.

His rationibus satis explicatum puto, cur scripturas Gelenianas non ut coniecturas sed ut traditas in contextum receperim, quamvis non negaverim, maiorem fortasse earum partem editoris inventa esse. nam virum doctissimum multa proprio quoque Marte praeclare emendasse, curae eius Ammianae et Livianae satis produnt. praeterea codex eius multum bonitate infra Tegernseensem erat plurimasque interpolationes perpessus. itaque utendum quidem eo est maxima cum cautione, sed unaquaeque lectio ex Γ prolata, licet semper suspecta sit[40], tamen semper quoque ex fonte genuino ab archetypo codicum T et M diverso derivata esse potest.

Cum adiecero, me in re orthographica in relationibus nullam codicum rationem habuisse, sed Parisinum epistularum et Bobiensem orationum in orthographia Symmachiana restituenda ubique solos secutum esse, lectorem iam satis instructum credo, ut ad editionem nostram plena cum cognitione accedat.

III.

DE SYMMACHI EPISTVLIS.

Ex epistulis oratoris nostri tres ad Ausonium scriptae (I 14; 25; 31), quibus una Ausonii ad Symmachum accedit[41] (I 32), paene eadem fortuna usae sunt, cuius ope relationis tertiae verba tam integra ad nos pervenerunt. nam in corpus operum

40) Hanc ob causam vocem *enim* a Gelenio ter contextui intrusam (284, 7; 288, 2; 311, 23) et multa similia non recepi.

41) Quod Peiper (*Die handschriftliche Ueberlieferung des Ausonius. Jahrb. f. class. Philol. Suppl. Bd. VI p. 320*) suspicatus est, Ausonii epistulam in corpus Symmachianum a librariis perperam intrusam esse omittique in melioribus eius libris manuscriptis, omni fundamento caret. nam ut de florilegio taceam, in codice Palatino et in Divionensi Parisini apographo eodem loco aut legitur aut legebatur neque in Scioppii libris deerat. v. Suspectarum lectionum lib. I ep. 2 *De Symmacho autem, cuius editionem tantopere urges, nihil etiam certi habeo polliceri. nam quia inaudivi, illum qui olim eius editionem adornavit* (scil. Iuretum), *eum nunc propediem denuo editurum, quasi novo opere mihi nuntiato tantisper mihi opperiendum existimavi, dum praeclarum illud opus, ipso iam decennio usque expolitum, in publico appareat: et videbo, omnesne correctiones meas ex Verisimilium libris, ut ad me nuntiatum est, sublectas pro suis venditaturus sit. si qui ta-*

Ausonii receptae per duos fontes nobis traditae sunt, qui etsi non ex autographis scriptorum ducti, inde a saeculo tamen quinto ineunte rivulis diversis fluxerunt. omnes autem epistulas post mortem auctoris a Q. Fabio Memmio Symmacho filio eius editas esse, ex inscriptionibus librorum tertii quinti decimi partim in codice Parisino partim per apographum eius Divionense servatis discimus[42]. tempus editionis ea re definitur, quod epistulae ad Attalum (VII 15—25) in collectionem receptae sunt, quae postquam Alaricho auctore a. 409 purpuram sumpsit, aut omitti debuerunt aut certe inscriptionibus privari, ut ad Maximum et Eugenium satellitesque eorum scriptae aut desiderantur aut inter anonymas librorum octavi et noni latent. quod nemo certe casui tribuendum esse putabit, qui consideraverit, nullum in epistulis plus nongentis locum reperiri, qui apertam commemorationem honestam tyrannorum contineat[43]. cum igitur Q. Aurelius Symmachus a. 402 mortuus sit, epistularum corpus inter annos 403 et 408 prodiisse debet. nec parvam diligentiam filius adhibuit, cum pio editoris munere fungeretur; nam quamvis maior epistularum numerus eiusmodi sit, ut ad quemlibet hominem mitti potuerint, et Symmachus sine ullo dubio eodem exemplo ad plures nonnumquam scripserit, in ea tamen epistularum simillimarum copia duae tantum sub diversis nominibus repetitae sunt, III 40 = V 1 et II 67 = VII 53. sed haec diligentia in materia colligenda substitit, in digerenda nullam operam collocavit, nisi quod editor epistulas ad eosdem homines missas per libros septem priores composuit. praeterea neque temporis ordo observatus est neque ea, quae argumento cohaerent, coniuncta sunt; exempli gratia epistulae, quibus scriptor Ausonio de consulatu accepto gratulatur (I 20 et 22), una intercedente dirimuntur et ita collocantur, ut tempore posterior priorem praecedat: quod ut agnoscatur, non in-

men te casus interea ad illius lectionem perduxerit, haec te praemonendum putavi. libro primo epist. 26 (nunc 32) *impressum et in Giphanii manuscripto codice scriptum visitur: 'Ibi me et parentem et amicum, et si quid utroque charius est, chariorem fuisse sensisti'. sed longe verior meo animo lectio est, quam ex Fuldani et Bertiniani coenobii membranis restituo: 'Ibi me tibi et parente et amico et si q. u. c. est, c. f. sensi'.* — hunc igitur locum ex Ausonii epistula desumptum (p. 18, 10) Scioppius de Symmachi editione agens corrigit et codices Symmachi tam Giphanianum quam Fuldensem eum continuisse dicit. extat autem testis multo antiquior, de quo Vogel me certiorem fecit et in editione Ennodii huic monumentorum collectioni inserenda fusius acturus est; siquidem episcopus Ticinensis, quamquam nullam praeterea Ausonii notitiam prodit, hanc eius epistulam simul cum Symmachi operibus compilavit. neque est cur miremur, filium testimonium tam honorificum viri, qui et in re publica et in litteris summum sui temporis locum obtinuerat, de patris ingenio in corpus epistularum eius recepisse.

42) *Q. Aureli Symmachi v. c. consulis ordinarii epistolarum liber II explicit editus post eius obitum a Q. Fabio Memmio Symmacho v. c. filio, incipit liber III feliciter* P. *Q. Aur. Symmachi v. c. c[ons.] ordinari epistolarum liber III[I explicit], incipit liber V editus post eius obitum a Q. Filio* (sic) *Memmio Symmacho feliciter* P. *Q. Aurelii Symmachi epistolarum lib. X continens epistolas familiares ad imperatores, sententias senatorias et opuscula: editus post eius obitum a Q. Flavio* (sic) *Memmio Symmacho v. c.* (Π). inscriptio simillima in florilegii exemplaribus nonnullis in initio totius corporis reperitur ut in Parisino 1858 saec. XIII: *Simmachi uiri consuluris eplarum et diuersorum negotiorum continens eplus familiares ad amicos. Incip̄ liber I[9] editus post eius obitum a Quinto Flavio Mēnio eiusdem Simmachi filio.*

43) 66, 26 *praeterea domino et principi nostro ad referendam largitati eius sedulam magis quam parem gratiam, auro circumdatum diptychum misi.* 57, 13 *velimque, si ita facile factu est, hanc munificentiam principis Libycarum largitione mutari.* 137, 19 *interea domino et principi nostro eiusque in me beneficientiae egi per epistulam gratias* ad Eugenium quidem referenda sunt, sed hoc neque editor neque lector agnoscere potuerunt. Eugenium virum clarissimum Ricomeris amicum (89, 20. 26) eundem fuisse, qui postea purpuram sumpsit, neque affirmare neque negare ausim; id autem pro certo pronuntiari potest, Memmium Symmachum, cum has epistulas relegeret, de tyranno non cogitasse.

quisitione diligentiore opus est, cum res primo obtutu pateat. eadem ratione, ut multa similia omittam, epistulae ad litem Iucundi pertinentes (VII 81; 83; 89) et illae, quibus de Nicomacho Flaviano ad consulatum Theodori evocato sermo est (VI 10; 30; 35), divulsae sunt, et raro tantum ea, quae re et tempore congruunt, casu aliquo iuxta posita inveniuntur.

Patuerunt Q. Fabio Memmio Symmacho, cum patris litteras colligeret, copiae duplices. nam primum epistulas a viro summa eloquentiae gloria claro profectas amici diligenter conservabant et nonnumquam in libellos componebant[44]), quin etiam tabellarios eius in itinere aucupabantur, ut litteras aliis directas furarentur et describerent[45]), et praeterea librarii oratoris, ut ipse adserit se invito, ut equidem crediderim iussu eius, exempla earum retinere solebant[46]), ita ut maior pars binis exemplaribus aut, si iisdem verbis ad amicos plures scripserat, etiam trinis et quaternis in filii manus pervenire potuerit. quem scrinia tam patris quam amicorum eius compilasse res ipsa docet. nam quod epistulae ad Protadium (IV 17—34) ad Minervium (IV 35—49) ad Florentinum (IV 50—55) et inter se et ab iis, quae tribus fratribus iunctim inscribuntur (IV 56; 57), divisae sunt, contra ad Petronium missae cum iis, quae Patruinum et quae utrumque fratrem spectant, eo modo confusae, ut ne inscriptionibus quidem discernantur, nisi ex diversa ratione, qua Symmacho filio traditae erant, explicari nequit. illas videlicet inscriptionibus distinctas aut ex patris schedis collegit aut a fratribus accepit, cum eae, quas aut Petronius aut Patruinus ei subministraverat, in unum libellum, qui inscriptiones ut res parvi momenti omittebat, compositae erant. et cum amici oratoris litteras etiam ad alios missas nonnumquam descripsissent, evenire potuit, ut epistula ad quemlibet hominem ignotum scripta inter Ausonianas collocaretur (I 42), videlicet quia simul cum iis, quae re vera Ausonii erant, per heredes eius in Memmii Symmachi manus pervenit[47]). at librarii Symmachiani farraginem sapit, quod epistulae ad Limenium et ad Licinium, ad Euphrasium et ad Eupraxium, ad Theodoros patrem et filium missae in codicibus componuntur et confunduntur[48]). in uni-

44) 149, 3 *quod epistulas meas condis, amoris est tui, qui describenda nescit eligere.* 149, 18 *et tamen voluntati tuae pareo nec vereor, ne temere a me effusa verba in paginas librarii tui referas. nam si quid horum, quae apud te incuriosius loquor, cuipiam lectori nauseam moverit, non in scribendo neglegentia mea, quam tua in describendo diligentia displicebit.* 110, 28 *itane me ludos facis, ut quae apud te incuriosius loquor, in citri caudices aut tiliae pugillares censeas transferenda, ne facilis senectus papyri scrinia corrumpat? — tu etiam sericis voluminibus Achaemenio more infundi litteras meas praecipis.*

45) 58, 2 *quae, ut confido, iam tradita sunt, nisi forte denuo aliquis ex urbanis divitibus insessor viarum scripta nostra furaverit. dii illos mentibus suis puniant!*

46) 119, 6 *quare velim, tibi habeas, quae incogitata proferimus; licet eadem mei quoque librarii servare dicantur, sed illi per examinis ignorantiam, quod te facere non oportet Mercurialis artis peritum.* cf. 16, 3 *spatiari in foro urbis nostrae post acceptas a me litteras plerosque cognovi, et sic nimis vereor, ne quid in nos fraudis admiserit simulata ante properatio. merito apographa epistularum mearum simulque hominum nomina vel legenda tibi vel relegenda subieci.* apographa igitur epistularum ad Flavianum missarum in scriniis retinuerat.

47) Epistulas ad Ausonium non ex schedis Symmachianis editas esse, ea quoque re docemur, quod idem mendum 15, 2 codicibus, qui cum Ausonii opera contineant, ex poetae hereditate litteraria compositi esse videntur, cum omnibus Symmachi libris manuscriptis commune est. nam si utraque recensio ex fontibus omnino diversis fluxisset, altera eorum veram scripturam conservasset, ut in relatione tertia loci corrupti codicum Tegernseensis et Mettensis semper ope editionis Ambrosianae sanari possunt et vice versa.

48) Pars libri quinti, quae ab epistula 72 incipit, inscripta est in P: *incipit eiusdem ad Licinium*, sed singulae epistulae sub hac rubrica coniunctae modo Licinii modo Limenii nomen praeferunt. IV 58—65 inscripta est: *incipit ad Eufrasium*, subscripta: *explicit ad Eupraxium.* de Theodoris v. infra.

versum autem suspicor, libros septem priores secundum eos ordinatos, quibus litterae inscriptae erant, maiore ex parte ex amicorum scriniis conquisitos esse, ultimos tres paene totos ex hereditate litteraria auctoris fluxisse. ea enim ratione magna illa, quae inter duas corporis partes intercedit, differentia optime explicatur.

In libris septem prioribus binae epistulae nonnumquam ita coniunctae sunt, ut unam efficere videantur, id quod in schedulis tam amicorum quam librariorum ipsius auctoris evenisse potest. sed inscriptiones in codicibus optimis P et Γ per maiora spatia non omittuntur nisi inter VII 42 et 59, ubi culpa certe non editoris primarii, sed eius scribae est, qui archetypum exaravit. nam septem primas ad Decium epistulas inscriptionibus distinctas sequuntur aliae, quas spatia vacua singulorum versuum praecedunt, sed quae ad eundem Decium scriptae sunt: Memmius igitur Symmachus, qui in componendis epistulis non erravit, in inscribendis titubasse non potest. mendi causam divisa librarii et rubricatoris officia praebuisse videntur: nam cum epistularum contextui ab altero perscripto alter inscriptiones minio adpingeret, aliquot archetypi folia errore praeteriit. diversa omnino ratio est in libro octavo et nono. nam ut epistulas in unum coalitas omittam, quae nihil novi praebent, desunt inscriptiones VIII 1; 11; 20; 52; IX 33—48; 53; 63; 67—150; 152; 153. inter anonymas autem una (IX 112), ut ex argumento patet, ad Probum scripta est[49], quam si Symmachus filius agnovisset, sine dubio cum reliquis ad eundem datis (I 56—61) composuisset. ergo inscriptio eius non a rubricatore codicis archetypi omissa est, sed iam editori ipsi ignota remansit. idem dicendum erit de IX 21, quae inscripta est: *Symmachus vicario Hispaniarum:* nam cum omnes reliquae nomen sine dignitate praescriptum habeant, haec dignitatem sine nomine non alia de causa praeferre potest, quam propter ignorantiam Symmachi filii. et relationes quoque magna ex parte sine inscriptionibus in auctoris scriniis iacuisse, supra (p. XVII) iam vidimus.

Cum omnis epistularum copia in libros digesta sit, per septem priores subdivisiones quoque certae reperiuntur. in optimo enim codice Parisino praeter inscriptiones singularum epistularum rubricae, ut ita dixerim, maiores occurrunt huiusmodi: 29, 7 *Explicit ad Probum, incipit ad Celsinum Titianum fratrem,* 32, 25 *Explicit ad Titianum germanum suum, incipit ad Hesperium,* et plenius 136, 25 *Q. Aur. Symmachi v. c.*

---

49) Epistulam IX 112, quae consulis designati evocationi respondet, ad Probum datam esse, duabus rationibus probatur; prima quod consul, de quo sermo est, in Galliis fasces sumpsit (*quo enim pacto ad prima fascium tuorum vocatus auspicia, paucis diebus Galliarum longinqua penetrarem?*), secunda quod post aliquot annos Augustis et ducibus militaribus reservatos, primus homo civilium partium consulatum accepit (*quia honor iam pridem togae et ordini rarus nimisque difficilis tandem summatem civilium partium virum respicit*). annis enim 364—378 praeter Augustos filiosque eorum novem tantum homines consulatus gerebant, inter quos septem magistri militum Dagalaifus (366), Lupicinus et Iovinus (367), Victor (369), Arintheus (372), Aequitius (374), Merobaudes (377), duo praefecti praetorio Probus (371) et Modestus (372). itaque Symmachi epistula, cum Modestus Orienti praefuerit et ibi quoque fasces sumpserit, aut ad Probum referri debet aut ad alterum ex consulibus anni 379, Ausonium aut Olybrium, post quos homines civiles saepissime annis nomina dederunt. de Ausonio, quocum Symmachus iam inde ab a. 369 intima familiaritate coniunctus erat, ideo cogitari nequit, quia ad consulem illum designatum scribit: *amicitias nostras necdum aliis officiis inchoatas prompta evocatione iunxisti;* Olybrius autem Gratianum a. 378 in Orientem comitatus est (Auson. grat. act. 12, 55) ibique praefectus praetorio factus in Galliis consulatum inire non potuit (v. indicem s. v. Olybrius). solus igitur relinquitur Probus, qui praefectus quidem Italiae erat et plerumque Sirmii residebat, sed ut simul cum Gratiano Augusto trabeam sumeret, facile Treviros evocari potuit.

explicit ad Neoterium, incipit eiusdem ad Felicem, 139, 25 *Q. Aur. Symmachi v. c. explicit ad Felicem, incipit eiusdem ad Sallustium.* quae subdivisiones nonnumquam tam minutae sunt, ut trinas tantum vel etiam binas epistulas comprehendant [50]. contra in libris octavo et nono — decimi tam parvae reliquiae supersunt, ut certum de eo iudicium ferri nequeat — nulla huiusmodi partitio observatur, quamvis materia non desit. saepissime enim eadem nomina litteris praescripta per loca plura dispersa leguntur [51], quibus quominus homines diversos designari credamus, argumenta epistularum nonnumquam obstant [52]. facile igitur apparet, priorem materiae disponendae viam a Symmacho filio relictam esse, sed si quaeras, quamnam novam ingressus sit, nullam reperies. nam quod liber nonus inscriptus est: *continens commendaticias*, indicare quidem videtur, argumenti eum rationem habuisse, sed si diligentius inquiras, nec multo plures commendaticias hoc in libro invenias quam in ceteris, nec parvum epistularum numerum, quae inscriptioni minime respondeant. qua causa adductus pro certo habeo, iuvenem editorem longi operis taedio captum schedulas, quae supererant, ita uti in patris scriniis compositae vel potius incompositae iacebant, librariis describendas tradidisse. qua neglegentia melius usui nostro consuluit, quam diligentia librorum superiorum.

Vidimus Symmachum epistularum, quas emittebat, exempla retinuisse. quae cum plerumque brevissimae essent, magna et inutilis chartarum profusio fuisset, si oratoris librarius apographum unius cuiusque in schedulam propriam rettulisset. coniunxit igitur eas, quae aut eodem die aut iisdem diebus dictatae erant, ita ut membranae singulae parvos epistularum quasi fasciculos continerent, qui scriniis scriptoris a filio compilatis in libris prioribus discerpti et in subdivisiones illas distributi sunt, sed in octavo et nono indivisi manebant. qua ratione effectum est, ut quamvis editor de ordinis chronologici observatione ne cogitasset quidem, plerumque tamen modo binae modo plures epistulae eodem tempore scriptae in editione iuxta collocarentur. cuius rei documenta in praefationis capite ultimo proponemus, ubi de chronologia operum Symmachianorum acturi sumus.

50) III 43—45; V 1—3; 55—57; VII 129—131; IV 15—16; 56—57.

51) Reperiuntur epistulae quinque ad Marcianum VIII 9. 23. 54. 58. 73, quaternae ad Romanum VIII 28. 56. 59. 70 et ad Maximilianum VIII 48. 51. 55; IX 52, ternae ad Eusebium VIII 8. 34; IX 55, ad Apollodorum VIII 13; IX 14. 51, ad Carterium VIII 16; IX 7. 31, ad Iovium VIII 30. 50; IX 59, ad Romulum VIII 38. 62; IX 62, binae ad Alevium VIII 15; IX 65, ad Quintilianum VIII 36; IX 57, ad Dynamium VIII 39. 67, ad Valerium VIII 47. 57, ad Leporium VIII 53; IX 10, ad Lampadium VIII 63. 65, ad Dionysium VIII 64; IX 4, ad Vincentium IX 9. 25, ad Marcellum IX 11. 23, ad Geminianum IX 15. 56, ad Bassum IX 20. 24, ad Aurelianum IX 22. 26, ad Caecilianum IX 50. 58. epistulae igitur quinquaginta quinque, quibus maior fortasse numerus accederet, nisi pars fere dimidia librorum octavi et noni inscriptionibus careret, eadem ratione ordinari potuerunt, quam in libris prioribus observavimus. quae si coniunctae essent, librum octavo non multo minorem efficerent.

52) Epistula ad Apollodorum altera IX 14 de frumento urbi invehendo agit, altera IX 51 duos curiales civitatis Africanae commendat; utraque igitur ad proconsulem Africae, qui a. 399—400 munere fungebatur, scripta est. tertia eodem nomine inscripta VIII 13 de honore aliquo deponendo loquitur, quod ad proconsulatum Africanum referri non debet sed certe potest. IX 20 et 21 ad Bassum idem postulatum continent occasione aliqua oblata repetitum. IX 7 a Carterio petitur, ut Auxentio filiam despondeat, VIII 16 eidem gratiae aguntur, quod testimonium Symmachi secutus generum elegerit. IX 63 a Lampadio quaeritur, quid *in administranda urbis tutela ex bono publico* fecerit, IX 65 de quiete urbis Lampadii consiliis parta sermo est; epistula ergo utraque praefectum urbis anni 398 spectat. ex litteris ad Romulum datis IX 62 com-

Inter codices manuscriptos, per quos nobis epistularum corpus traditum est, primum locum obtinet Parisinus 8623, quem littera P signavi[53]. scriptus est saeculo nono columnis binis in quarto minore. inscriptiones omnes litteris maiusculis sed atramento exaratae sunt, nisi quod, ubi aut liber novus aut nova epistularum subdivisio incipit, linea paenultima aut, quod rarius factum est, ultima minio distinguitur. praeterea prima cuiusque epistulae littera rubricata et maior reliquis est. correctorum non minus duorum manus expertus est, quae ut a prima tempore non multum distant, ita haud facile inter se discernuntur. plerumque orthographiam codicis partim rasura partim correctione commutant, ut exempli gratia paene semper ex *quidquid* effecere *quicquid*, *computo* ex *conputo*, *ascribo* ex *adscribo*, et cum prima manus in fine versuum more antiquo verba dividat: *ads/to*, *rec/te*, *conrup/tus*, manus secunda ultimis superioris lineae litteris erasis iisdemque in margine inferioris adiectis syllabarum divisionem hac ratione mutavit: *a/sto*, *re cte*, *corru ptus*. quae omnia in apparatu critico neglexi orthographiam primae manus ubique secutus. vera autem menda corrector coniectura plerumque obvia[54], nonnumquam falsa[55] temptavit, sed aliqua ex codice quoque hausit, qui eo, ex quo contextus descriptus est, auctoritate inferior, sed non omnino contemnendus erat. nam ut multa alia omittam, lacunas nonnullas ea ratione explet, quam veram esse aut res ipsa aut codices reliqui testentur[56]. liber initio et fine truncatus est: incipit enim p. 26, 7 *tam bonae voluntatis*, desinit p. 227, 2 *scissa veste fugisti*, sed iam inde a medio libro quinto margo sensim deficit, ita ut primum singulae litterae, mox voces et sententiae, finem versus totae columnae perierint. cum P in orthographia veram temporis Symmachiani imaginem prae se ferat et cum codice rescripto orationum fere conveniat, collationem eius in libro primo integram dedi, in reliquis permutationes tantum litterarum *e* et *ae* et *epistola* pro *epistula* positum omisi:

mendationi respondet, quam filius eius a patre ad Symmachum pertulerat, VIII 38 de eiusdem filii studiis Symmachi curae delegatis loquitur.

53) *Octavius Clason, de Symmachi epistularum codice Parisino. Bonnae 1867.*

54)	26, 8 *tetigissem* P 2 m.	*tegissem* P 1 m. V
	28 *salvere* P 2 m.	*salvare* P 1 m. V
	27, 3 *suades* P 2 m.	*suadis* P 1 m. V
	36, 24 *structurarum* P 2 m.	*histructurarum* P 1 m. VΓΦ
	37, 22 *ne umquam* P 2 m.	*meum quam* P 1 m. V
	38, 31 *proelii* P 2 m.	*proeliis* P 1 m. VM

multa similia, in quibus consensus codicis V ostendit, mendum primae manus iam in archetypo fuisse.

55)	26, 18 *contionaris* P 2 m.	*continaris* P 1 m. VΦ, cf. Kiessling in programmate Gryphisvaldensi aest. a. 1883 p. 3.
	29, 25 *fidei* P 2 m.	*fitei* P 1 m., *fisci* VMΓ
	38, 12 *frustrer* P 2 m.	*frustra* P 1 m., *frustra sim si* V
	78, 20 *filium iam* P 2 m.	*filio iam* P 1 m., *filiolam* VF
	92, 18 *audeo* P 2 m.	*deo* P 1 m., *debeo* F
	131, 30 *magis* intrudit P 2 m.	om. P 1 m. VF

56) 17, 29 *praemittere hanc ego impensius tibi voto optare studeo quam* P 2 m. VM — *prae* reliquis omissis P 1 m.; 53, 30 *quod mihi librarii error* P 2 m. VF; 79, 4 *tui in fastigium tolleremus amabili enim* P 2 m. F; 97, 33 *in aperto est merito eius laudibus nostrum cedit ingenium* P 2 m. F; 165, 22 *vestram servare temptavimus sed perseverante inedia* P 2 m.; 177, 6 *simul accipe quod voto tuo congruit fasces praeturae* P 2 m.; 180, 15 *veneratusque dominum et principem nostrum cuius sermo divinus itineris* P 2 m. quae omnia prima manus omiserat.

quae vox sescenties repetita semper eodem vitio inquinata est, nisi in compendio scripturae vocales mediae omittantur.

Praeter Parisinum nullus codex manuscriptus ad nos pervenit, qui inscriptiones integras conservaverit; reliqui enim neque libros dividunt et epistulis nomina nisi rarissime non praeponunt.

Deteriorum optimus est Vaticanus Palatinus 1576 (V) saeculo undecimo satis neglegenter in quarto scriptus. ne in initio quidem totius voluminis inscriptio conservata est, sed manu recentissima addita. epistulae continuantur et littera tantum maiore praemissa distinguntur. correctiones secundae manus, quae neque in hoc libro desunt, cum scripturis codicis P plerumque consentiunt neque tamen eius momenti sunt, ut ex alio fonte, quam ex quo prima quoque fluxit, derivatae esse videantur. quare menda vulgaria primae manus, ubi a correctore sublata erant, in commentarium criticum non rettuli. codex integer est, utpote qui in media pagina desinat, neque tamen continet nisi haec: I 1 — II 38 *res magnae et inspe*; V 78—97 *formis adhuc reddere*; VII 39 — *potui rebus retentis*; III 20—40; II 51; III 41. 42; II 40; IV 21 — V 97 *formis adhuc residere*; VII 39; V 97 *constitui ut* — VI 8; VII 34—38. 40 — VIII 14 *negotiorum dura meminisse vale*. desunt igitur II 39. 41—50. 52 — III 19. 43 — IV 20; VI 9 — VII 33 et finis totius corporis inde ab VIII 14 *sed quando fit*, repetitae sunt V 78—97 *formis adhuc residere* et initium epistulae VII 39. reliqua ita perturbata sunt, ut archetypi folia transposita explicationi non sufficiant. nam epistulae singulae, ut II 40. 51; VII 39, quae ne in codice quidem minutissimo folia integra complere potuissent, loco alieno insertae inveniuntur. variam libri Palatini lectionem omnem adnotavi excepta orthographica.

Codicibus, quos descripsimus, multo peior est ea familia, quae florilegium (F) ex litteris Symmachianis continens in exemplaribus plus minus abbreviatis aut truncatis per omnes paene bibliothecas maiores dispersa reperitur[57]). quae ubi integerrima sunt, his epistulis constant: I 1. 5. 6. 14. 23. 25. 28. 31—34. 36—38. 43. 45—47. 56. 60. 61. 67. 74—77. 79. 80. 82—84. 86. 88. 90—93. 96. 97. 99. 100. 105. 107.

II 1. 3. 6. 8. 16. 22. 27. 29. 32. 35. 37. 39. 41. 42. 48—50. 56. 58. 63. 68. 70. 71. 73. 79. 80. 87—91. 64.

III 1—14. 13. 15. 17. 18. 21—26. 29—34. 35—37. 40.

II 51; III 42; II 40.

III 43. 45. 44 — *salii canunt*. 51. 46. 53. 48. 44 *et augures* usque ad finem. 54. 64—67. 61. 63. 56—58. 69—74. 77—83. 86. 90. 91.

IV 1. 7. 14. 15—17. 20. 25. 26. 28. 30. 32. 35. 38—44. 47. 49—51. 54.

Relatio 14; IX 142; X 2 inde ab *ineundam capitali exitio*.

IV 56—60. 63. 66. 67. 69. 72.

V 3—5. 8. 13. 19. 21. 23. 24. 29. 30. 34. 36. 38. 41. 44—47. 49—51. 53. 55. 57. 59—61. 65. 67. 68. 70. 71. 73. 75. 77. 78. 80. 79. 84. 85. 89. 91. 92. 96.

57) Ex huiusmodi codice excerpta Vincentii Bellovacensis fluxerunt, de quibus egit Carolus Schenkl, *Die Excerpte aus den Briefen des Symmachus in dem Speculum historiale des Vincentius Bellovacensis. Zeitschr. f. österr. Gymnas. 1860 p. 412.*

VI 3. 13. 18. 22 — *graviora esse referenda*. 28. 31. 45. 47. 55. 60. 61. 65. 72—74. 78—80.

VII 2. 3. 9. 11. 16. 19. 21. 22. 25. 33. 44. 47. 49. 51—54. 56. 60. 61. 64. 66. 67. 71—73. 78. 80. 85. 88. 92—94. 98. 99. 102. 105. 107. 109. 114. 117. 119. 125. 128—130.

VIII 4. 9. 11. 16. 19. 20. 21. 22. 24—28. 30. 31. 35. 43. 47. 49. 51. 54. 57. 62. 64. 67. 68. 70. 73. 74.

IX 1. 2 inde ab *igitur consensu famae*. 7. 9. 10. 18. 20. 24. 26—28. 33. 35. 36. 39. 40. 42. 43. 45—47. 49. 53. 54. 57. 61. 67—69. 71—76. 78. 81. 87. 91—93. 114. 115 inde ab *in sola conscientia*.

X 1.

IX 137. 138. 139—141.

Haec codicum familia omni interpolationum genere incredibilem in modum scatet neque ullius usus est, ubi librorum Parisini et Palatini subsidiis uti licet. lectiones igitur eius in septem libris prioribus in apparatum criticum non recepi, nisi ut eius indoles fontibus melioribus collatis perspiciatur. cui consilio ea sufficere putabam, quae iam in totius classis archetypo fuisse videbantur, quare singulorum codicum nunc superstitum errores omisi. quod in prima quoque libri octavi parte facere potuissem, si nihil aliud egissem, quam ut Symmachi verba restituerem, sed cum in partibus sequentibus florilegium iam maioris momenti futurum esset, lectori aliquam potestatem facere volui non solum familiam, sed etiam singula eius exemplaria cum P et V conferendi. itaque inde ab initio libri octavi integram proposui lectionem librorum manuscriptorum duorum, impressi unius qui sunt:

F¹ = *Symmachi cons. rq. Epistolae Familiares. — Laudini equitis Hierosolymitani in epistolas Turci Magni traductio. — Marci Bruti Romani Epistolae. Argentoraci ex Officina litteraria Ioannis Grueniger. Die. IX. Octobris Anno virginei partus MDX. Regnante Dn. imperatore Maximiliano p. f. Aug.* qua in editione corrector operam omnino nullam collocavit, sed codicem aliquem nunc deperditum cum omnibus mendis in librum impressum transferendum curavit.

F² = codex Parisinus lat. 8559 saec. XII exeuntis aut XIII ineuntis multis locis a manu secunda coaeva correctus, quae partim coniectura, partim codice optimo nititur.

F³ = codex Vaticanus Reginae 1575 saec. XIII. horum ut cognatio agnoscatur, scripturas paucas ex eis Symmachi partibus, ubi meliorum quoque fontium usus suppetit, hoc loco proponam.

153, 16 *praefato* PVF¹	*ore faceto* F²·³
19 *laudabiles* PVF¹F² 2 m.	*debiles* F² 1 m. F³
157, 3 *superiorum* PVF¹	om. F²·³
174, 20 *instructio* PF¹	*institutio* F²·³
176, 3 *aevum* P, *cum* F¹	*in perpetuum* F²·³
179, 10 *roti caput* PF¹	*caput roti* F²·³
181, 12 *refoventur* PF¹	*refocillantur* F²·³
190, 5 *quamquam enim* PF¹	*quod nihil* F²·³
209, 8 *ista* PF¹	*haec* F²·³
215, 18 *Ad Lollianum* PV, *Symmachus Iuliano* F¹	om. F²·³

216, 24	*Ad Marcianum* PV, *Symmachus Martiano* F^1	om. $F^{2.3}$
217, 9	*in scribendo rarior* VF^1	*rarior in scribendo* $F^{2.3}$
218, 23	*Ad Carterium* PV, *Symmachus Carterio* F^1	om. $F^{2.3}$
223, 2	*litationi* PF^1	*litterationi* $F^{2.3}$

his collatis patet puriorem archetypi imaginem editionem Argentoratensem exhibere quam libri manuscripti, utpote qui ex eodem illius apographo multo pluribus mendis et interpolationibus inquinato deducti sint. sed nihilominus in codice Vaticano, quamvis Parisino etiam peior sit, nonnullae lectiones genuinae reperiuntur, quas solus ex florilegii familia conservavit.

216, 26	*securus ingredere* VF^3	*ingredere securus* $F^{1.2}$
219, 24	*patriam fame* PF^3	*patriae famam* $F^{1.2}$
25	*an* PF^3	*aut* $F^{1.2}$
220, 9	*noluptate* PF^3	*noluntate* $F^{1.2}$
11	*anni* PF^3	*annum* F^2, *animum* F^1
19	*nouos fasces* PF^3	*nouas faces* $F^{1.2}$
222, 11	*rescribendo* PF^3	*scribendo* $F^{1.2}$
224, 21	*et* PF^3	om. $F^{1.2}$

codex igitur, ex quo F^3 descriptus est, ex alio multo meliore correctus esse videtur, ita ut plerumque F^1 sequendus sit, minorem auctoritatem habeat consensus codicum F^2 et F^3, minimam F^3 solus, nec tamen nullam.

Inter florilegii codices singulari quadam ratione enitet Montepessulanus scholae medicorum H no. 4 fol. saec. XIII. nam epistulae eius, si eos numeros sequamur, quos librarius ipse minio scriptos singulis praeposuit, ducentesima septuagesima tertia usque ad quadringentesimam nonagesimam tertiam, quae ultima totius codicis est, descriptae sunt ex mutilo aliquo florilegii exemplari, quod incipiebat ab I 6, desinebat in VI 55. quae autem praecedunt, ea tantum in supplementum continent, quae in illo desiderabantur, hausta ex codice aliquo Palatini V simillimo, utpote qui ordine epistularum lacunisque omnino cum eo consenserit, nisi quod initio et fine truncus erat. itaque priorem libri partem littera M signavi, altera cum reliquis florilegii exemplis littera F comprehensa, qua ratione effectum est, ut in apparatu critico F et M nusquam simul appareant, nisi post VI 55 et in iis epistulis, quas librarius aut in parte secunda omiserat (I 5; 23; 25; 28; 56) aut errore in utraque repetivit (IV 25; 26; 50). cum codex foedissime interpolatus sit[58]), lectiones eius omnes in apparatum criticum recipere operae pretium non duxi, sed eas tantum proposui, quae ad restituendum archetypum, ex quo V et M communem originem ducunt, alicuius momenti futurae esse videbantur.

Cognatio codicum V et M vel ex lacunarum communione primo obtutu patet. difficilior autem quaestio est de F. nam plerumque V et P contra florilegium consentiunt, ita ut eos artiore vinculo cohaerere suspiceris, sed si rem propius inspexeris, invenies, semper illis aut in lectionibus veris convenire aut in iis mendis, quae coniectura

58) Pauca exempla afferam: 41, 13 *quidquid in praesentis muneris contulisti*] *quod praesentibus munera contulisti* M; 42, 26 *et Zeuxin vel horum similes*] *et geus in bellorum similes* PV, *et id gaenus inbellorum silens* M; 43, 29 *ne diu essetis incerti* P, *ne diuersetis incerti* V, *ne diversum iremus incerti* M; eiusmodi et peiora reperies sescenta.

facillima corrigi potuerint, nonnumquam autem P solum contra V et F verum servare. exempli gratia:

30, 21	*anysium* P	*ansium* VF
33, 13		*a* om. VF
37, 20	*ita* P	*istam* VF
41, 29	*testem* P	*tristem* VF
80, 7		*de nobis* om. VF
82, 8	*poscenti* P	*petenti* VF
107, 26	*contempleris* P	*contempseris* VF
112, 19	*in se recepit* P	*fideliter persoluit* VF
116, 24	*diis quippe auctoribus* P	*deo quippe auctore* VF [59]
117, 16		*mei* om. VF
118, 21		*sed* om. VF
125, 18	*diu inter* P	*diuinitus* VF
127, 23	*deorum* P	*dei* VF [59]
141, 12	*tusasio* (pro *Turasio*) P	*tuis* VF
194, 10	*herbam porrigens* P	*herba moriens* VF

quibus cum accedat, quod epistulae II 40 et 51 in V et F altera post III 42 altera post III 40 insertae sunt, iam de cognatione eorum dubitari nequit. sed quia huiusmodi consensus rarissimus est nec lacunae maiores utrisque communes omnino occurrunt, archetypus eorum codicis P simillimus fuisse putandus est neque per multos rivos e communi fonte deductus esse.

Vt stemma codicum absolvam, de secunda Parisini manu pauca addenda sunt; quam vidimus pleraque coniectura aut emendasse aut corrupisse, aliqua ex libro manuscripto addidisse. is codex cui generi adscribendus sit, haud facile diiudicaveris. nam certissimum familiarum indicium, mendorum consensus, perraro tantum reperiri potest, quia corrector, ut homo iudicii non spernendi, errores, quos in altero quocum contulit exemplari invenit, transcribendos non duxit. sed si nihilominus non desint, argumenta tanto certiora praebent. collegi autem haec:

33, 23	*me est* P 1 m.	*me hodie* M, *me est hodie* P 2 m. V [60]
40, 22	*inueteralo obsequia* P 1 m. pro *inuiter ad obsequia*	*inueterato obsequio* P 2 m. VM
68, 21		*quaeso* inserunt P 2 m. F
91, 23		*est* inserunt P 2 m. F
110, 9	*nec ulla* (scil. oracula) *in antro Cumano litteris legi* P 1 m.	*nec ullas in antro Cumano litteras legi* P 2 m. VM
30	*scrinta* P 1 m. pro *scrinia*	*scripta* P 2 m. VM
144, 9	*aprugnos* P 1 m.	*aprinos* P 2 m. VM

codicem igitur familiae VMF corrector adhibuit, sed eum, qui ultra initium libri septimi non procederet. nam lacunarum, quas librarius inde a VII 76 reliquerat spatiisque vacuis indicaverat [61], nisi partes minimas [62], quas in archetypo lectu difficili maiore cura adhibita indagasse videtur, non explevit, quamvis supplementa certissima in VMF


59) Dei pagani in unum deum christianum mutati peculiare quoddam interpolationis genus est, quod etiam in P interdum grassatum esse probare quidem non possum, sed locis nonnullis suspicatus sum.

60) *Quis me est fortunatior venustatisque adeo plenior*, versus Terentianus (Hecyr. 848), cuius lectionem comoediarum codices tuentur.

61) 198, 10; 199, 29. 30; 200, 4. 5. 20. 21. 27; 202, 25; 204, 18—20; 212, 2; 214, 1; 215, 10. 13; 220, 22.

62) 190, 30; 191, 17; 201, 4; 204, 2. 20. 21; 216, 11; 218, 14; 219, 3.

invenire potuisset. congruit, quod post VII 14 nullam correctionem secundae manus invenies, quin coniectura facta esse possit. si igitur ultimam illam partem mittamus, ubi P 2 m. nullius plane auctoritatis est, efficitur stemma codicum hoc:



Hi codices vel etiam P et V soli abunde sufficerent ad contextum Symmachianum firmissime stabiliendum, si totum epistularum corpus continerent; sed cum V vix partem dimidiam servaverit, P initio et fine mutilatus sit, editiones antiquae largioribus copiis instructae nobis adeundae sunt[63].

Quae primae prodierunt Venetiis inter annos 1503 et 1513, Argentorati a. 1510 et 1511, Basileae a. 1549, omnes ex florilegii exemplaribus fluxerunt. de editione Argentoratensi anni 1510, quae anno sequente locis paucissimis immutatis repetita est, iam supra verba fecimus. in Basiliensi relationibus a Sigismundo Gelenio primum in lucem emissis epistulae Martini Lypsii cura adiectae sunt[64], ut ipse editor gloriatur, *repurgatae ab innumeris quibus undique scatebant mendis.* coniecturis igitur multis correctae, pluribus corruptae nullum recensioni subsidium praebent, quamvis codice florilegii non spernendo inniti videantur. editionem Venetam neque ipse vidi neque quemquam novi, qui eam viderit, sed cum a Iureto saepissime quidem commemoretur neque tamen in ulla epistula adhibeatur, quae in florilegii codicibus non extet, iudicium de fonte eius satis certum est. vera igitur princeps, quae Symmachum paene integrum publici iuris fecit, ea demum est, quae inscribitur:

Q. Aurelii Symmachi v. c. p. u. et cos. ord. epistolarum ad diversos libri decem ex bibliotheca coenobii S. Benigni Divionensis magna parte in integrum restituti cura et studio Francisci Iureti, cuius etiam notae adiectae sunt, quibus et emendationum ratio redditur, et aliquot cum huius, tum aliorum auctorum loci obiter illustrantur. Parisiis, apud Nicolaum Chesneau, via Iacobaea, sub Quercu viridi. M.D.LXXX. cum privilegio regis.

Subsidia, quibus editor usus est, enumerat in notarum interpretatione epistulis praemissa:

V. C. vetus codex Divi Benigni, cuius mihi copiam fecit Gulielmus Trestondantius coenobita, vir optimus et studiosissimus.

Lib. Pith. liber P. Pithoei IC. clarissimi.

Lib. Scotti. editio Scotti. Argentoraci, anno M.D.X.

Lib. Frob. Frobenii editio. Basileae anno M.D.XLIX.

63) Pleniorem editionum conspectum dedit Suse (*Susiana ad Symmachum quatuor programmatis scholasticis edidit I. Gurlittus Hamburgi apud Hoffmannum et Campium in commissis 1816—1818*).

64) De relationibus, quae epistularum liber primus inscribuntur, p. XIX egimus; epistulae hanc inscriptionem praeferunt: *Symmachi v. c. urb. praef. epistolarum liber secundus, continens familiares epistolas, editas post eius obitum a Q. Flaviano Memmio, eiusdem Symmachi filio, repurgatus ab innumeris quibus undique scatebat mendis. per Mart. Lypsium.*

Quae ex libro P. Pithoei laudantur, magna ex parte quidem redeunt in nostro M, qui et ipse ex bibliotheca Pithoeana Montem Pessulum pervenit: sed cum praeterea ex eodem codice nonnulla proferantur, quae neque in M leguntur neque sola coniectura niti possunt, utpote quae interdum omni careant sensu, non unum librum Pithoei fuisse certum est, quamvis Iuretus ipse aliter sentiat. apparet igitur editorem codicem vel potius codices Pithoeanos non ipsum vidisse, sed ab amicis tantum scripturas aliquas ex eis haustas accepisse, quas fortasse plagulis corrigendis in margine adiecerunt. etenim nulla fere codicis M lectio peculiaris contextui inserta est, sed omnes aut margini adscriptae aut in adnotationibus libro in calce adiectis propositae, epistulae vero I 3; 4; 7; 8; 9; VII 76, quae in M leguntur, in Iureti editione desiderantur. contextus igitur totus aut codice Divionensi innititur aut editionibus Argentoratensi et Basiliensi.

Et altera quidem utpote recentiore et emendatiore in eis epistulis, quae iam in publicum prodierant, Iuretus ita usus est, ut integram paucis locis e codice correctis aut suppletis prelo subiceret. quare omnes lectiones, quibus editio Parisina cum Basiliensi consentit, maiore auctoritate non utuntur, quam si in Basiliensi sola reperirentur. sed in eis epistulis, quas primus edidit, codici soli insistebat, de cuius indole nunc videamus.

Epistulis I 1; 5; 6, quae in florilegio quoque reperiuntur, praemissis series continua incipiebat ab I 10, sed lacunis minoribus in primis paginis nonnumquam relictis. libri II—VI et VIII integri erant: in libro septimo desiderabatur epistula 76, cuius in P quoque pauca tantum verba servata sunt: in nono deerant ep. 19; 21; 23 inde ab *subiungo postulatum:* 29; 29 A; 63; 66; 100; 101; 103; 104; 111; 129 inde ab *quam cum Romae;* 130—133; 136 inde ab *ad praesentem enim;* 137—142, in decimo ep. 2 inde ab *ineundis poena capitali.* pars dimidia epistulae 124 libri noni inde a *simulque restituas* et cum ea epistularum 125—136 quae supererant, suo loco omissa et reliquiis libri decimi adnexa erant, qua ratione verba p. 272, 12 *tuae gloriae detrahitur* totius codicis ultima facta sunt.

Continebat II — hac enim nota codicem Divionensem designo — inde ab I 10 omnes epistulas, quae in reliquis quoque codicibus leguntur, sed antecedebant eae tantum, quae in florilegio sunt. e codice igitur cum fine tum etiam initio trunco descriptus supplementa ex libro aliquo familiae omnium pessimae receperat. quem in partibus quoque ceteris correctioni adhibitum esse, veri quidem est simillimum, sed probari nequit, quia Iuretus florilegio ipso in omnibus, quas continet, epistulis editionis fundamento usus est nec ullae in his lectiones codicis II nobis innotuerunt, nisi quae ab editione Basiliensi discrepant. in omnibus autem, quae ex F hauriri non potuerunt, II cum P fere congruebat lacunasque eius aut repetebat aut coniecturis audacissimis explebat. cuius rei unum, sed quod sufficiat, exemplum proponam epistulam VII 100:

P:	Editio Iureti:	V:
si igitur aliquid in adsertione mea	si igitur aliquid in assertione mea	si igitur aliquid in adsertione mea
putas esse grauitatis ********* ut	putas esse grauitatis, contestor ut	putas esse grauitatis uestrae ut
huiusmodi persuasionem ne adser-	huiusmodi persuasionem ne asser-	huiusmodi persuasionem me adser-
tore *********** et ex-	tore quidem aliquo recipias, sed ex-	tore deponas et ex-
clusis aliquorum susurris con-	clusis aliquorum susurris	clusis aliquorum susurris con-
stat serues sanctis moribus tuis	sanctis moribus tuis competentes	stantiam serues sanctis moribus tuis
et amicitia (amicitias 2 m.)	et dignus amicitias.	et amicitiae
************ certe si quid in	uel certe si quid in	congruentem certe si quid in
notitiam tuam aemulus (aemulus 2 m. in spatio ante vacuo)	notitiam tuam aemulus	notitiam tuam e multis
*********** peruexit mecum	peruexit, mecum	sermo peruexit mecum
quaeso participes *********	quaeso partiaris, ut commotio,	queso participes ut amaritudo
quae ex (2 m. in spatio vacuo)	quae ex	quae ex
aliorum simulatione concepta est	aliorum simulatione concepta est,	aliorum simulatione contempta est
fidis (est fidis 2 m. in spatio vacuo)	fidis	fidis
purgatoribus diluatur.	purgationibus diluatur.	purgationibus diluatur.

nulla igitur ex veris lectionibus, quae codicis V propriae sunt, in Π apparet excepta *purgationibus* pro *purgatoribus*, sed ea aut a librario aut ab editore haud difficulter coniectura reperi potuit; omnes autem codicis P lacunae interpolatione aut expletae aut quodammodo tectae sunt, semperque Π correctiones secundae manus repetit. cuius rei exempla praeter haec quoque innumera sunt.

43, 10	*petemus* P 1 m. VF	*petiuimus* P 2 m. Π
44, 33	*nigeas* VF, *nigeus* P 1 m.	*nigeres* P 2 m. Π
78, 20	*filiolam* VF, *filio iam* P 1 m.	*filium iam* P 2 m. Π
110, 24	*primus parentes dies* P 1 m. VM	*prima parentes die* P 2 m., *primo parentes die* Π
115, 19	*postulat* VF, *portabat* P 1 m.	*portebat* P 2 m., *oportet* Π
131, 30		*magis* perperam inserunt P 2 m. Π
136, 19	*sperato* P 1 m. VF	*insperato* P 2 m. Π
137, 29	*orsu* P 1 m. VF	*orsuque* P 2 m., *orsu quae* Π
143, 3	*putes* VM, *potes* P 1 m.	*potest* P 2 m. Π
150, 3	*properanti tabellario* VM, *properant itabellario* P 1 m.	*properanti ita bellario* P 2 m., *properanti ita tabellario* Π
154, 11		*quia* perperam inser. P 2 m. Π
196, 28	*satisfaciens* P 1 m. VM	*satisfaciam* P 2 m. Π
199, 30	*prestanda* M, *praestandi* V, **restanda* P 1 m.	*res tantas* P 2 m. Π
200, 4	*renouandae petitioni* P 1 m. VM	*renouandis petitionibus* P 2 m. Π

haec omnia et falsa sunt et in nullo alio codice inveniuntur; dubitari igitur nequit, quin ex prava coniectura a correctore in contextum codicis P inlata sint. cum igitur in Π aut repetantur aut novis interpolationibus ansam praebuerint, ex P eum descriptum esse iam constat, sed eo tempore, quo folia nunc deperdita et in margine mutilata maiore ex parte integra supererant.

Itaque codice Π, quamvis ex pessima librorum familia correcto et interpolationibus cum P secundae manus tum propriis inquinato, in eis epistulis, quae in P perierunt, fundamento utendum est. atque utinam in omnibus saltem ipse nobis satis notus esset! sed ut de Iureti coniecturis taceam, quae in prima editione nec multae nec maioris fere momenti fuisse videntur, in omnibus editionis Basiliensis epistulis codicis Π pauci̇ssimae tantum lectiones innotuerunt. itaque epistulae plus sexaginta aut totae aut pro parte sola florilegii auctoritate nituntur, quae cuiusmodi sit, iam supra exposuimus.

Quae secutae sunt editionem Iureti Lectianae tres (Genevae 1587; 1598; S. Gervasii 1601) praeter coniecturas aliquas nihil attulerunt, quod codicibus Parisino et Palatino repertis adhuc commemoratione dignum videtur; magni autem et interdum maximi momenti sunt, quae Scioppius protulit in eo libro, cuius inscriptionem subiecimus:

Gasperis Schoppi Franci Verisimilium libri quatuor, in quibus multa veterum scriptorum loca, Symmachi maxime, Cor. Nepotis, Propertii, Petronii, aliorum emendantur, augentur, illustrantur. Noribergae, excudebat Paulus Kaufmann, anno MDXCVI.

Nactus erat Scioppius ab Huberto Giphanio codicem (Γ), quem ex bibliotheca cardinalis Bessarionis surreptum ipse dicit, libro Π multo pleniorem. scriptus erat litteris Langobardicis, ut Scioppii verbo utar, quod ex usu illius saeculi minusculas designat[65]), omnesque inscriptiones continebat, quae in P quoque reperiuntur. ex hoc libro Scioppius multas emendationes protulit epistulasque publicavit I 2; 3; 8; 9; VIIII 19; 21; 63; 100 et dimidiam ep. VIIII 23, et ita quidem, ut exceptis rebus orthographicis integram codicis scripturam proponeret emendationibus in calcem reiectis.

Verisimilibus editis alterum codicem Fuldensem (Φ) accepit, scriptum partim litteris uncialibus, partim minusculis, sed qui non procedebat ultra V, 29. e quo lectiones paucas publici iuris fecit in *Suspectarum lectionum libris quinque*[66]), plures in editione postea commemoranda.

Vterque denique codex adhibitus est in libro, qui inscribitur:

Gasperis Schoppi Franci de Arte critica, et praecipue de altera eius parte emendatrice, quae ratio in Latinis scriptoribus ex ingenio emendandis observari debeat, commentariolus. in quo nonnulla nove emendantur, alia prius emendata confirmantur ad Christophor. Pflugium in Euteren. eq. Misnum. Noribergae, e typographeio Valentini Fuhrmanni. anno M.D.IIIC. in hoc opere recensentur menda in codicibus auctorum antiquorum maxime obvia, qua occasione oblata permulta quoque e codicibus Symmachianis commemorantur, et quamvis non indicetur, quo ex codice hausta sint, maior certe pars aut ad Γ aut ad Φ referenda est. quae in apparatu critico omittenda non duxi et hac nota distinxi (ΓΦ).

Successit Iureti editio altera haec: *Quinti Aurelii Symmachi v. c. cons. ordinarii et praefecti urbi epistolarum lib. X castigatissimi, cum auctario. Duo libelli S. Ambrosii episc. ad Valentinianum imper. eiusdemque epistola ad Eugenium. cum miscellaneorum lib. X et notis nunc primum editis a. Fr. Iur. D. Parisiis ex typographia Orriana, anno Christiano 1604. cum privilegio regis.* in notis huius editionis nonnullae codicis Π scripturae proferuntur, quae in prima praeteritae erant, neque subsidiis novis Iuretus omnino caruit. nam praeter codices Danielis, qui florilegium reddebant, Pithoeanorum notitiam pleniorem acceperat, e quibus epist. IX 29; 29 A; 66; 101; 103; 130—133; 138 primus edidit; quas tamen non suo loco collocavit, sed in auctarium calci totius

65) Cf. Sciopp. de arte critica, p. 41. *plerique omnes, qui hodie in bibliothecis existunt libri calamo exarati non maiusculo illo et Romano charactere, sed litteris Langobardicis et minoribus vulgo fere hodieque usitatis perscripti sunt.*

66) Praesto mihi erat editio altera Amstelodamensis a. 1664.

editionis adiectum congessit. ita ut ordo, quem in libro nono obtinent, sola Scioppii auctoritate nitatur. ad crisin autem earum, quae iam antea editae erant, paene nihil addidit, quin etiam innumerabilia corrupit. nam Pithoeani et is, qui superstes est (M), et alter nunc deperditus[67]) omni genere interpolationum scatebant, et Iuretus tantopere coniecturis maiore ex parte superfluis indulsit, ut vix ulla epistula intacta remaneret. nihilominus haec editio omnium, quae eam sequebantur, fundamentum factum est, praecipue Scioppianae, de qua nunc dicturi sumus.

Symmachi epistolarum nova editio. Gasp. Scioppius recensuit. Moguntiaci imprimebat Ioannes Albinus, anno MDCVIII. cum in praefatione tum in notis Scioppius corrigendi pruriginem Iureti verbis severissimis castigat praedicatque, se *nisi auctoribus libris antiquis nihil fere in Lectiana editione immutare sibi permisisse, quod tamen si quando factum sit, eius statim in notis rationem reddidisse*, re vera autem hanc ipsam Iureti editionem cum omnibus coniecturis iteravit locis paucissimis e codicibus suis correctis epistulisque IX 104; 111 cum fine epistulae 136 additis. itaque contextus ipse editionis praeter paucula illa, quae a Iureto discrepant, nullius plane utilitatis est, paulo maioris autem adnotationes, quibus aliquot codicum Γ et Φ lectiones novas proposuit. sed ne eae quidem fide satis dignae sunt, cum nonnumquam vel inter se vel cum florilegii exemplaribus Bertiniano[68]) et Vaticano permutentur; cuius rei certius indicium adferri nequit, quam quod florilegii codices saepissime in eis epistulis laudantur, quae in florilegio desunt. et quamvis mentitus sit editor codicem Γ se una tantum nocte evolvisse dictitans, tamen ipsum in editione adornanda manibus non tenuit sed variam tantum lectionem eius margini editionis Iureti primae adnotatam. qua causa adductus nonnumquam scripturas codicis Π in editione illa propositas libro Γ adscripsit, in quo eas non fuisse quovis pignore contenderim[69]). sed cum omnia, quae de Γ innotuerunt praeter pauca a Rittershusio cum Lectio communicata sola Scioppii auctoritate niterentur, ea, quae in codicibus suis fuisse adnotavit, a nobis quamvis dubitantibus proponenda erant.

Ex his iam perspicitur, quam difficile certum iudicium de Γ et Φ feratur: cui tamen codicum generi adnumerandi sint, satis apparet ex scripturis his:

30, 12	*factum* P	*fautum* VMΓΦ
33, 13		*a* om. VFΓΦ
22	*nolui* P	*nolo* VMΓ
16, 23	*suspecta* P	*suscepta* VMΓΦ
52, 5		*et* om. VMΓ
74, 24	*pedisequus* P	*pedissequus* P 2 m., *pedissequens* FΦ
94, 26	*pactione* P	*petitione* FΓ
107, 26	*contempleris* P	*contempseris* VFΓΦ
110, 5	*animis* P	*amico* VMΦ
112, 19	*in se recepit* P	*fideliter persoluit* VFΦ

67) Aliquas lectiones eius speciminis causa proponam: 6, 9 *estis imitati* VF, *mutastis* Pith. 10, 10 *scytico* VFA², *scythio* A¹, *sarmatico* Pith. 13, 31 *largiores* VFM, *longiores* Pith. 29, 27 *iustitiam* PVM, *tristitiam* Pith. 51, 4 *exigendis* PVF, *promouendis* Pith. 118, 29 et 119, 4 *curulium* PVF, *curracium* Pith. 121, 29 *supplimenta* PVΓΦ, *subleuamenta* Pith. 141, 1 *lautioribus* PVF, *aptioribus* Pith.


68) Foerster, *Eine verschollene Handschrift des Symmachus. Rhein. Mus. N. F. XXX p. 466.*

69) Cf. 26, 18; 28, 3.

Et inter se quidem Γ et Φ artiore vinculo cohaerere videntur, quam cum VMF, quod efficitur ex scripturis, quae sequuntur:

3, 13 *admiranda tuis* V	*tristitiam tua mirandis* ΓΦ
47, 22 *praenotalis* P	*praenatalis* VF, *natalis* ΓΦ
117, 7 *nomisma* PV, *nummisma* M	*norma* ΓΦ

Fateor haec pauca esse neque ea, quibus firmiter insistas, sed cum in parva atque incerta notitia, quae de Φ et Γ suppetit, certiora afferri nequeant, his acquiescendum est. stemma igitur codicum integrum hoc erit:



Quae Scioppianam exceperunt editiones Pareanae quattuor (Neapoli Nemetum 1617; 1628; Francofurti 1642; 1651) Wingendorpiana (Lugduni Batavorum 1653) Migniana (Patrologiae Latinae cursus completus XVIII) emendationi nulla subsidia addiderunt, ita ut plura de eis loqui supersidere possim.

Epistulis quattuor I 14; 25; 31; 32 inter Ausonii quoque opera editis ad indolem codicis archetypi cognoscendam adiumento utimur eius simili, quod nobis in relationibus praestitit tertiae recensio Ambrosiana. nam etsi sumamus, illas non ex poetae scriniis, sed ex collectione epistularum a Q. Fabio Memmio Symmacho instituta in Ausonianorum operum corpus receptas esse, quod nullo plane fundamento nitatur, propagationem tamen contextus iam inde a saeculo quinto duplicem fuisse, certum est. itaque recensionem utramque eadem ratione comparabimus, qua in relatione tertia usi sumus.

Loci, quibus editio Ausonii contra Symmachianam verum conservavit:

10, 4 *amusoteros* A	*amusos* S
iudicare A	*diiudicare* S
13 *quam* A	*quae* S
uaria tam A	*uariata* S
20 *offensi spargas* A	*offensis parcas* S
14, 28 *existimabor* A	*estimabor* S
16, 23 *mihi gaudium* A	*gaudium mihi* S
17, 8 *ingratis* A	*ingratus* S
24 *ubi* A	*tibi* S
27 *inlicior et rursum* A	*in licio retrorsum* S
28 *brattee* A	*bractea* S
18, 4 *affectet* A	*affectat* S
16 *maria ut effluant* A	*mare ut effluat* S
17 *fit* A	*sit* S

Verum exhibet epistularum corpus contra Ausonii editionem:

9, 27 *nos ueri* S	*nostri* A
10, 10 *melone* S	*nilo* A
12 *nisi certo* S	*ni* (*certo* om.) A

15	*atqui in* S	*atquin* A
	praetorio S	*praetio* A
18	*dii — praestent* S	*deus — praestet* A
17, 6		*res* om. A
24	*uero* S	*enim* A
18, 3		*ita* om. A
10	*me tibi* S	*ibi me* A
19		*id* intrudit A
22		*tibi* om. A

His collatis apparet, auctoritatem utriusque recensionis omnino parem esse; quare ubi lectiones eiusmodi erant, ut eodem iure recipere possent, eam elegi, quae formam paulo rariorem et ideo minus interpolationis suspectam exhibere videretur, ut 14, 27 *decorem* S contra *decora* A, 18, 18 *sat* A contra *satis* S.

Nam neutram editionem interpolationibus carere, docet in A *Nilo* pro *Melone*, *pretio* pro *praetorio*, *id* perperam intrusum, *deus* christianus pro diis paganis positus, in S *diiudicare* pro *iudicare*, *mare ut effluat* pro *maria ut effluant*, in utraque autem 10, 10, ubi Symmachus scripsit: *clarioremque hoc nostro populari reddidisti* et ad vocem *populari* A addidit *Tiberi*, S *Fucino*. qua corruptela primum docemur, codicem Symmachi archetypum glossematibus inquinatum fuisse, id quod permulti alii loci confirmant[70], tum interpolatorem hominem fuisse non indoctum, qui etiam locorum nomina si non vera attamen non inepta contextui inferre posset. similia praeterea deprehendes 13, 9 *Capuam* pro *Coram*, 165, 11 *Eusebii* pro *Euscii*, 197, 14 *Baiani* pro *Formiani*, 211, 9 *Italia* pro *Praevalitana*[71]). duobus autem ultimis locis, quos rettulimus, interpolationi syllabae omissio ansam dedit: *Baiani* enim ex *iani* aut cum dittographia *iaiani*, *Italia* ex *itana* factum est, syllabis *form* et *praeval* omissis. et quod in relationibus iam invenimus, in universum lacunae modo singularum syllabarum modo totorum versuum aut intactae aut interpolationibus tectae maioris fere partis omnium in archetypo corruptelarum causa fuerunt.

Cum apographum Parisinum saeculo nono scriptum sit, archetypus antiquissimus fuisse debet. tanto magis mirandum est, menda nonnulla in codicibus superstitibus inveniri, quae nisi ex compendiis scripturae male intellectis explicari nequeant. exempli gratia:

28, 11 *plus* pro *epistulas* (= *eplus*) PVΦ
29, 21 *epistolum* (= *eplam*) pro *episcopum* (= *epum*) P
72, 22 *epistolarum* (= *eplarum*) pro *ineptiarum* PF
104, 24 *u c a* (i. e. *uir clarissimus a*) pro *una cum* (= *ua c*) PΓΦ
197, 20 *noster* (= *nr*) pro *nunc* (= *nc*) PVM

archetypum igitur non plus quam saeculum vel etiam minus ante P ipsum conscriptum esse puto. sed quamvis brevi temporis spatio vicissitudines multas pertulerat. nam in fine liber decimus paene totus deerat et iam antea folia aliqua exciderant[72]), ali-

70) 11, 2; 61, 25; 65, 33; 71, 24; 77, 28; 94, 2; 101, 34; 112, 28; 142, 25 etc.

71) Loquitur de ursis ad ludos filii missis, qui unde venerint, monstrat 273, 21 *plures de Dalmatia ursos in apparatum domus nostrae proxime esse venturos, fides adserit nuntiorum.* cf. IX 135. itaque 211, 9, qui locus omnino similis est: *ursi quam plurimi ad editionem muneris nostri ex Italia devehuntur*, provinciam Dalmatinam reponendam duxi pro Italia, ubi certe tum non ea ursorum copia erat.

72) 240, 30; 244, 18; 251, 21; 255, 3; 263, 19; 265, 18; 273, 25.

qua suo loco evulsa inter ultimum et paenultimum collocata erant[73]. praeterea codex humore corruptus fuisse videtur, nam cum P ex eo descriptus est, librarius multos in eo locos legere non potuit spatiisque vacuis relictis omisit[74].

In V codicibusque deterioribus plerique ex illis locis evanidis recte suppleti sunt. sed alii, quos librarius codicis P legit, omissi[75]: semel V supplementa integra habet, Γ partem earum[76]. atque supra iam vidimus, archetypum, ex quo classis deterior pendet, eius simillimum fuisse, ex quo P fluxit; nunc vero, si hanc lacunarum rationem consideraverimus, non solum similem, sed etiam eundem fuisse statuemus, postquam P ex eo descriptus est, a manu aliqua secunda partim supplementis veris auctum, partim interpolationibus corruptum.

Codices, quibus in adornanda editione usus sum, omnes ipse contuli exceptis Ambrosianis et Ausonianis, quorum lectiones benignissime mecum communicavit Carolus Schenkl, florilegiique exemplari Vaticano F[3], cuius collationem dono Ottonis Hirschfeld debeo. librum Parisinum (P) bis evolvi et magna ex parte plagulis corrigendis adhibere potui; Vaticani Palatini (V) collationem ab Ottone Hirschfeld factam ut cum mea conferrem, vir liberalissimus permisit. quae ubi inter se dissentiebant, de vera codicis lectione a viris doctissimis Dessau et Heisterbergk certior factus sum. in plagulis corrigendis adiutoribus mihi uti licuit Theodoro Mommsen et Adolfo Kiessling, quorum doctam operam multis locis lector agnoscet, multo pluribus editor sensit.

IV.

DE SYMMACHI VITA.

I. Gothofredus, Vita Symmachi editioni Pareanae Neap. Nemet. 1617 adiecta. Suse, de vita Symmachi narratio, Hamburgi 1817. A. Mai, Scriptorum veterum nova collectio, Romae 1825—31, tom. I, commentarii praevii in Symmachi orationes. E. Morin, *Études sur Symmaque ou recherches biographiques et chronologiques sur la seconde moitié du IVe siècle, Paris 1847.* Disquisitio chronologica de dimidia altera quarti saeculi parte iuxta Symmachum, Parisiis 1847. O. Clason, *Zur Prosopographie der Briefe des Symmachus, Heidelberger Jahrbücher der Litter. 1872. p. 461. 465. 526.* O. Koren, Quaestiones Symmachianae, Vindobonae 1874.

Quamvis taedium movere possit, quanto orator noster nobilitatis fastu inflatus fuerit[77], tamen familia eius antiquissimis saeculi non adnumeranda est. nam quia haec in ea lex obtinuit, ut maximo cuique natu filio a patre nomen Symmachi imponeretur[78],

---

73) 269, 12 *simulque res turbidas* usque ad 273. 24 *hanc provinciam confestim* in omnibus codicibus legebantur inter 277, 28 *promptus* et *ineundis.*

74) 29, 16; 33, 12. 21; 39, 11; 49, 12. 25; 54, 3; 68, 26; 86, 27; 170, 8; 179, 14; 198, 10; 199, 29; 200, 1. 20. 27; 201, 4; 202, 25; 201, 2. 18—21; 212, 1—2; 213, 27; 214, 1; 215, 10. 13; 216, 11; 218, 14; 219, 3; 220, 19—22; 222, 9.


75) Spatia vacua in V, ubi P nulla habet, invenies 216, 8—15; 217, 18.

76) 215, 13 *pendeo animo* V, ++++++++++ *immo* Γ, spatium vacuum P.

77) 4, 24 *Bais remotis arbitris otiabar. eo postquam rumor adlatus est, terrae filios convenire, oppido cavimus, ne sobriam solitudinem nostram sodalitas plebeia fuscaret.* 26, 4 *pars melior humani generis senatus.* 339, 10 *inpulsu fortasse boni sanguinis, qui se semper agnoscit.*

78) Eandem legem in Ausonii quoque familia, quae et ipsa obscura erat, observatam esse, in praefa-

STEMMA SYMMACHORVM.



maiores eius facile agnoscuntur neque tamen ultra Constantini tempora reperiri possunt. primus, qui in fastis apparet, Aurelius Iulianus (aut Tullianus) Symmachus[79], loco equestri vel etiam inferiore natus erat, nam vicaria praefectura, quam in Macedoniae dioecesi a. 319 administravit[80], saeculo quarto ineunte a senatoribus nondum gerebatur[81]; sed honorum cursu ad clarissimatum provectus a. 330 cum Gallicano consul processit. filium eius ex coniuge generis haud ignobilis[82] susceptum L. Aurelium Avianium Symmachum fuisse crediderim, qui inter a. 300 et 320 natus est[83]. hic uxorem duxit claris natalibus ortam[82], sororem, ut videtur, Volusii Venusti patris Virii Nicomachi Flaviani[84], ex qua filios habuit non minus quattuor[85]. maximus, ut nomen eius docet, orator noster Q. Aurelius Symmachus erat. unus e minoribus Celsinus Titianus, qui vicariam praefecturam Africae gerens a. 380 mortuus est[86]. de reliquis nihil innotuit, nisi quod iam ante Titianum diem obierunt.

Honores Avianii Symmachi plenissime enumerat titulus sub Capitolio in foro Romano (?) repertus C. I. L. VI 1698: *Phosphorii. — Lucio Aur(elio) Avianio Symmacho v(iro) c(larissimo), praefecto urbi, consuli, pro praefectis praetorio in urbe Roma finitimisque provinciis, praefecto annonae urbis Romae, pontifici maiori, quindecemviro s(acris) f(aciundis), multis legationibus pro amplissimi ordinis desideriis apud divos principes functo, qui primus in senatu sententiam rogari solitus auctoritate prudentia atq(ue) eloquentia pro dignitate tanti ordinis magnitudinem loci eius inpleverit, auro inlustrem statuam, quam a dominis Augustisq(ue) nostris senatus amplissimus decretis frequentib(us) inpetrabit, idem triumfatores principes nostri constitui adposita oratione iusserunt, quae meritorum eius ordinem ac seriem contineret. quorum perenne iudicium tanto muneri hoc quoque addidit, ut alteram statuam pari splendore etiam apud Constantinopolim conlocaret. — dedicata III kal. Maias d(omino) n(ostro) Gratiano IIII et Merobaude co(n)s(ulibus)* (a. 377). de praefectura annonae et vicariatu urbis nullum praeter hanc inscriptionem testem

tione carminum testatur: III 9 *hinc late fusa est cognatio: nomina multis ex nostra, ut placitum, ducta domo veniant. derivati aliis, nobis ab stemmate primo et non cognati sed genetiva placent.* itaque pater eius, ipse, filius maximus in pueritia mortuus Ausonii nuncupabantur.

79) De nominibus eius v. de Rossi, Inscript. christ. urb. Rom. p. 37.

80) Legum ad eum datarum altera accepta Corinthi dicitur Cod. Theod. II 4, 1. dies subscriptos habent 4 Febr. a. 319 l. l. et 25 Iul. a. 319 Cod. Theod. II 15. altera nomen Symmachi sine dignitate praefert, altera inscripta est: *ad Symmachum vicarium.* v. Cod. Iust. II 20, 8 ed. Krueger. Gothofredus ex loco Corintho collegit, Symmachum proconsulem Achaiae fuisse, sed cum provincia proconsularis dioecesi Macedoniae adscripta fuerit (Not. Dign. Or. III 8) neque ullo, quod sciam, argumento comprobatum sit, vicarii iurisdictionem in ea cessavisse, in lectione tradita acquiescendum est.

81) Mommsen, *de C. Caelii Saturnini titulo. Nuove Memorie dell' Instituto II 1865 p. 311.*

82) Avianius Symmachus a filio poscit, ut epigrammata in socerum et avunculum suum scribat, quae cum elogiis nobilissimorum illius temporis hominum componantur 4, 8.

83) Inter *bonos aetatis suae* (3, 2) recenset Aradium Rufinum praefectum urbi II a. 312 et 313, cos. a. 311 aut 316, praefectum praetorio a. 319, Valerium Proculum praefectum urbis a. 337—338, Anicium Iulianum consulem a. 322, praefectum urbi a. 326—329, Petronium Probianum consulem a. 322, praefectum urbis a. 329—331. itaque post a. 320 natus esse non potest, sed ne ultra a. 300 recedamus, vetat aetas filii natu maximi, de qua mox dicturi sumus.

84) v. quae in ultimo praefationis capite ad epistulas libri secundi exposuimus.

85) Symmachus post mortem Celsini Titiani scribit: 72, 2 *tertius hic mihi de optimis fratribus luctus est.*

86) v. in capite ultimo ad ep. I 62—74.

habemus; ex legationibus una tantum ab Ammiano Marcellino commemoratur[87], quam Symmachus simul cum Maximo et duobus aliis[88] ad Constantium suscepit ultimo imperii eius anno (361). per Illyricum revertens Iulianum Naissi vidit et honorifice ab eo exceptus est. sed quamvis religionis antiquae sectator duo sacerdotia amplissima gereret, nullum ab imperatore apostata dignitatis augmentum accepit. sub Valentiniano demum in locum L. Turcii Aproniani[89] praefectus urbi factus est[90] ante d. 24 Mai. a. 364[91]. quo in magistratu pontem Valentinianum, qui nunc Sancti Sixti dicitur, inchoavit, quem honore deposito speciali principum mandato inter annos 365 et 367 dedicavit[92]. postquam successorem nactus est inter dies 9 Mart. et 4 Apr. a. 365[93], reliquum vitae tempus in otio degit, quod semel tantum turbis gravissimis interruptum est. nam in vini penuria homo aliquis plebeius ab inimicis Symmachi instigatus[94] rumorem disperserat, dixisse eum *libenter se vino proprio calcarias extincturum, quam id venditurum pretiis, quibus sperabatur*: qua re efferata plebs urbana domum eius transtiberinam incendit ipsique tantum terrorem iniecit, ut urbe decederet[95]. ruri

87) XXI 12, 24 *ibi* (Naissi) *Symmachum repertum et Maximum senatores conspicuos a nobilitate legatos ad Constantium missos, exinde reversos honorifice vidit. et potiore posthabito in locum Tertulli Maximum urbi praefecit aeternae.*

88) Liban. epist. 923 ad Symmachum: ἀπὸ γὰρ ἐκείνου δὴ φιλῶ τοῦ χρόνου, ὃς πατέρα τὸν σὸν δεῦρο ἡμῖν ἤγαγε (Constantius hiemem a. 360/1 Antiochiae peregit) τῶν θεῶν, οἷς ἡμῶν μέλει, τοῦτο ἡμῖν διδόντων, ὅπως ἡμῖν ᾖ καὶ θεᾶσθαι τὸν ἄριστον Σύμμαχον, ὃς τέταρτος μὲν ἧκε, μόνος δὲ εἰς αὐτὸν ἐπέστραφε τὴν πόλιν.

89) Amm. XXVII 3, 3 *Symmachus Aproniano successit inter praecipua nominandus exempla doctrinarum atque modestiae.*

90) *Die Reihe der Stadtpräfecten bei Ammianus Marcellinus.* Herm. XVIII p. 302.

91) Leges ad eum datae, quarum subscriptiones aut recte traditae sunt aut cum aliqua probabilitate restitui possunt, reperiuntur hae: d. 24 Mai. a. 364 Cod. Theod. VIII 5, 19 + XV 1, 11. cf. Herm. XVIII p. 302. d. 27 Mai. a. 364 Cod. Theod. XIV 2, 1. d. 8 Iun. a. 364 Cod. Theod. I 6, 2 + IX 40, 5 + XI 1, 8 + XIV 3, 3—6 + 6, 2 + 15, 1 + 22, 1 + XV 1, 12. d. 8 Oct. a. 364 Cod. Theod. XI 36, 16 + XIV 21. d. 9 Nov. a. 364 Cod. Theod. XI 30, 34. d. 25 Nov. a. 364 Cod. Theod. IX 42, 6. d. 10 Dec. a. 364 Cod. Theod. XII 1, 62. d. 11 Ian. a. 365 Cod. Theod. XIII 5, 11 + 6, 2. d. 15 Ian. a. 365 Cod. Theod. IX 40, 8 + XIV 3, 8. d. 16 Febr. a. 365 Cod. Theod. XI 31, 2. d. 9 Mart. a. 365 Cod. Theod. I 6, 4 + X 1, 9. subscriptiones falsae sunt propter locum cum die non congruentem: d. 22 Apr. a. 364 Antiochiae Cod. Theod. VII 4, 10. d. 27 Sept. a. 365 Aquileiae Cod. Theod. XIV 3, 11. d. 23 Oct. a. 365 Mediolani Cod. Theod. XI 2, 2. d. 17 Nov. a. 365 Mediolani Cod. Theod. XVI 1, 1. d. 20 Dec. a. 365 Mediolani Cod. Theod. XI 36, 18. Symmacho perperam inscripta est Cod. Theod. XI 2, 1 propter argumentum ab officio praefecti urbis alienum.

92) Ephem. epigr. IV p. 279 basis magna effossa ex alveo Tiberis sub arcu primo pontis Sixti: *Imp(eratori) Caesari d(omino) n(ostro) Fl(avio) Valenti max(imo) p(io) f(elici) victori ac triumfatori semper Aug(usto) s(enatus) p(opulus)q(ue) R(omanus) ob providentiam, quae illi semper cum inclyto fratre communis est, instituti ex utilitate urbis aeternae Valentiniani pontis atq(ue) perfecti; dedicandi operis honore delato iudicio princip(um) maximor(um) L. Aur(elio) Avianio Symmacho v(iro) c(larissimo) ex praefectis urbi.* pontem ante mensem Augustum a. 367 perfectum esse, ex eo colligitur, quod in inscriptione nulla Gratiani mentio fit, qui tum Augustus factus est. cf. Amm. XXVII 3, 3 *quo* (scil. Symmacho) *instante urbs sacratissima otio copiisque abundantius solito fruebatur et ambitioso ponte exultat atque firmissimo, quem condidit ipse et magna civium laetitia dedicavit ingratorum, ut res docuit apertissima. qui consumptis aliquot annis domum eius in transtiberino tractu pulcherrimam incenderunt ea re perciti, quod vilis quidam plebeius finxerat, illum dixisse sine indice ullo vel teste, libenter se vino proprio calcarias extincturum, quam id venditurum pretiis, quibus sperabatur.* de eodem ponte loquitur Symm. 332, 5.

93) Herm. XVIII p. 293.

94) 335, 31 *nec formidamus invidiam: sensit ac experta est, quid parenti meo adversata profuerit.*

95) Amm. l. l. Symm. 22, 31 *credo indicium fecisse tibi famam, quod parentem meum ruri atque in secessu amissae domus iniuriam decoquentem frequentibus suffragiis, denique oratoribus missis novo honore senatus acciverit.* 335, 32 *cesserat quidem sponte ille per verecundiam paucorum facilitati* (i. e. credulitati po-

igitur agens *animum litteris excolebat*, quarum lucubrationum specimina reddunt epigrammata illa (I 2) frigida et ieiuna, sed propterea non aspernanda, quia monstrant, quantilla eloquentia admirationem saeculi illius movere potuerit. paulo autem post Symmachi discessum plebs ipsa paenitentia commota poenam in seditionis auctores poposcit[96]) et senatus offensam honore reparavit, qui numquam ante privato tributus esset, scilicet ut legatione ad Symmachum missa reditum eius posceret. cui petitioni obsecutus kalendis Ianuariis a. 376[97]) oratione in senatu recitata decretis eius gratias egit, quibus d. 9 Ian. filius, cum pro Trygetio diceret, suas adiunxit (v. p. VI).

Iam ex eis Symmachi minoris litteris, quibus Agorio Praetextato orationem pro Trygetio laudanti respondet, facile intellegitur, praeparari aliquid, quod omnes amicorum vires in senatu requirat[98]). mox res patuit. ordo enim amplissimus legatis ad Gratianum missis consulatum Aviano Symmacho petiit et impetravit. qua de re post patris orationem filius quoque eam habuit, quae *pro patre* inscribitur.

Cum Symmachi nomen in fastis non inveniretur, plerique crediderunt, consulem eum suffectum fuisse; quod si nulla alia re, nimio gaudio nimiaque gratulatione filii refellitur. nam consulatus summus honor propter eam solam rationem habebatur, quia nomen fastis insertum aeternum manebat[99]), et suffectus, qui saeculo quarto hac praerogativa carebat, tam parvi aestimabatur, ut ne in inscriptionibus quidem commemoratus sit nisi eis, quae non solum honores, sed etiam munera senatoria, quaesturam et praeturam, recensent[100]). in tot epistulis Symmachi ne una quidem reperitur, qua

puli, qui vanis rumoribus commotus domum incenderat), *et quo melior ad vos rediret, curarum vacuus animum litteris excolebat. sed hoc ordo amplissimus diu non tulit: statim quasi ex longo, ut redire vellet, orastis — iussistis malui dicere, nam senatus cum petit, vehementius praecipit. parum hoc deferentibus visum est: adlegantur ad eum cum primis nobiles viri administri et internuntii publicae voluntatis.*

96) 55, 8 *in bonam partem plebs nostra mutata est, adeo ut iugiter seditiosorum poena poscatur et iam terga dederint insolentes.*

97) 23, 2.

98) 26, 8 *quid si adfuisses* (scil. in senatu, cum oratio pro Trygetio habita est) *tam bonae voluntatis auditor? ne ego digito, ut aiunt, supera convexa tetigissem! erit alias fortasse nobis optatior praesentiae tuae copia.*

99) Auson. grat. act. 7, 32 de consulatu Frontonis. *sed consulatus ille cuiusmodi? ordinario suffectus —, quaerendum ut reliquerit tantus orator, quibus consulibus gesserit consulatum.* Liban. in Iul. cons. I p. 369 ὥστ᾽ οὔτε λιθίνην οὔτε χαλκῆν οὔτ᾽ ὀρειχαλκίνην ἀλλ᾽ οὐδ᾽ ἐξ ἀδάμαντος στήλην εὑρήσεις μονιμωτέραν τῆς μνήμης, ἣν τουτὶ τὸ καλὸν τῷ τυχόντι βεβαιοῖ. κεῖται γὰρ οὐκ ἐν μιᾷ τινι πόλει, καθάπερ Ἀθήνησιν Ἁρμοδίῳ καὶ Ἀριστογείτονι, τῇ τῆς πόλεως ὑποκείμενον τύχῃ καὶ μετὰ ταύτης σωζόμενόν τε καὶ διαφθειρόμενον — καίτοι πόλεως ἑστώσης πολλάκις αἱ γραφαὶ τῶν στηλῶν προαπεῖπον —, ἀλλ᾽ αὕτη γε καὶ κατακλυσμὸν καὶ τὴν ἐκ πυρὸς ἂν διαφύγοι διαφθορὰν μετὰ τῶν ἐκεῖνα διαφευγόντων ἀνθρώπων, οὓς αἱ τῶν τόπων ῥύονται φύσεις· κἂν τὰ πεδία γένηται πέλαγος, οἵ γ᾽ ἐν σκοπέλοις οἰκοῦντες ἢ πόλεις ἢ κώμας ἔχουσιν, ἐν οἷς μάλιστα φυλάττουσι τοὔνομα καὶ διδάσκειν τοὺς ἔπειτα δύνανται. — τί γὰρ ἂν γένηται σεμνότερον ἢ τὴν οἰκουμένην ἅπασαν ἡλίου δίκην ἐπέχειν τῇ προσηγορίᾳ; Prudent. contr. Symm. I 595 *fastorumque arce potiti annales proprio signarint nomine chartas atque inter veteres cera numerentur et aere.* Auson. VI 6 *Roma — hoc capite aeternis signat sua tempora fastis.* C. I. L. VI 1693 *consul et aeterno decoravit nomine fastos.* Kaibel. epigr. graec. 919 δέξατ᾽ ἀείδιον ὑπάτων [λάχος].

100) In titulis Memmii Vitrasii Orfiti C. I. L. VI 1739—1742 *consuli, praetori, quaestori kandidato* semper ultimo loco post omnes honores collocatum est; in altera Vincentii Ragonii Celsi inscriptione C. I. L. 1760 *quaestor, praetor triumphalis, consul* iuxta ponuntur, in altera 1759 cum quaestura et praetura consulatus quoque omittitur. praeter hos nullum novi lapidem, qui consulatum suffectum post Constantini tempora gestum commemoret, nam C. I. L. VI 1772 *consuli* errore quadratarii pro *consulis* scriptum esse docet 1768, L. Turcius Secundus autem, ad quem hac lectione recepta consulatus referendus est, saeculo iam tertio aut primis quarti annis fasces sumpsit. etiam *bis consul* ita positum, ut consulatus prior suffectus sit.

consuli suffecto gratulatus sit. non igitur dubitari potest, quin pater eius consul ordinarius designatus fuerit, aliaque explicationis via ingrediendum est.

Praetextato ante consulatum initum mortuo senatus immortalitati nominis eius, quod fastis extare iam non poterat, ea re consuluit, ut ei ab imperatoribus statuam impetraret[101]. fasces autem in eius locum sumpsit Arcadius Augustus, nam cum consulatus functio eum apparatum requireret, qui nisi ab imperatore brevi tempore confici non posset, honorem demortui in privatum conferre ultimis anni mensibus iam non licebat. quae omnia in Avianio Symmacho quoque accidisse animadvertimus: statuae a senatu impetratae, a principibus concessae inscriptionem tenemus, et ne nomen eius in Oriente moreretur, alteram Constantinopoli positam esse accipimus; anno 377, qui solus ei destinatus esse poterat, Gratianum consulem cum homine privato videmus: in titulo statuae, quaestura et praetura omissa, consul appellatur, cum consulatum suffectum aut cum muneribus illis componi aut omnino taceri vidimus: in scriptis denique filii post a. 376 nulla eius mentio fit[102]. quid igitur obstat, quin eum quoque ante consulatum mortuum esse putemus, nisi quod vox *designato* in titulo eius omissa est, quae in Praetextati inscriptionibus legitur? sed in omnibus Symmachi filii epistulis, quae ad consules designatos missae sunt, eadem omissio deprehenditur, ita ut pateat, saeculo quarto iam inde a designatione appellationem consulis non solum admissam sed etiam usitatam fuisse. Praetextati igitur et Symmachi tituli nulla alia ratione inter se differunt, quam qua in statuarum basibus modo *consul* modo *consul ordinarius* scriptum est.

Q. Aurelius Symmachus, cum in epistula a. 375 scripta iuvenem se dicat[103] et a. 396 nondum senex fuerit sed tantum de *annis in senectam vergentibus* loquatur[104], ante a. 340 natus esse vix potest, nec tamen multo post, nam primum magistratum a. 365 gessit. quocum convenit, quod cum pater eius legatus Antiochiae versabatur a. 361, etsi clarae indolis documenta iam dederat, nondum ad eam aetatem pervenit, quae disciplina rhetoris non indigeret[105]. qua imbutus est a *sene Garumnae alumno*, fortasse Ti. Victore Minervio Burdigalensi, cuius gratissimo animo memor fuit[106],

ultimum reperitur in consule ordinario anni 325 C. I. L. VI 1680. contra nonnumquam *consul* nulla re adiecta scribitur, ubi ordinarius intellegendus est (C. I. L. VI 1653. 1767. 1777. 1778 etc.), ita ut appareat, nullum iam errorem ex hac brevitate timeri.

101) 290, 6 *certe ille est Praetextatus, quem iure consulem feceratis, ut fasti memores celebre nomen extenderent. aliis titulis* (scil. statua, de qua ante locutus est) *fatalia damna reparate. abierit cum homine praemium, sed iudicium post hominem perseveret. probate casibus adversum gloriam nihil licere.*

102) Quod Symmachus 40, 27 anno 380 scribit, parentes sibi de morte fratris solandos esse, non necessario ad patrem et matrem referendum est, cum parentum nomine omnes necessitudines natu maiores designare soleat; si igitur praeter matrem avia aut amita Titiano supervixit, numero plurali uti potuit.

103) 2, 16 *hos inter iuvenile decus, sed honore senili, bis seno celsus, Symmache, fasce cluis. sed te Baulorum necdum lenta otia quaerunt: cura habeat iuvenem publica pervigilem.*

104) 103, 24.

105) Liban. epist. 923 ad Symmachum: ὁρῶν δέ με οὐ πάνυ τῶν ἀποβλήτων ἀνὴρ (Symmachus pater) πολλὰ περὶ τῆς σῆς φύσεως διεξιών, ᾔτει παρὰ τῶν θεῶν γενέσθαι τι τοιοῦτον, ὅ σε ποιήσει τῶν ἐμῶν πόνων μεταλαβεῖν.

106) 260, 30 *Gallicanae facundiae haustus requiro; non quod his septem montibus eloquentia Latiaris excessit; sed quia praecepta rhetoricae pectori meo senex olim Garumnae alumnus immulsit, est mihi cum scholis vestris per doctorem iusta cognatio. quidquid in me est, quod scio quam sit exiguum, caelo tuo debeo.* plerique crediderunt, Ausonium Symmachi praeceptorem fuisse, sed neque alter umquam Romae fuit, neque

quamquam plura etiam lectioni veterum debuit. Livii annales integri[107], Caesaris bellum Gallicum[108], Plinii historia naturalis[109] in bibliotheca eius erant, Ciceronis, Varronis, Valerii Maximi, Terentii, Plauti, Horatii, Vergilii lectionem quaevis pagina operum eius prodit, Plinium minorem vel praecipue imitandum suscepit, idque assecutus est, ut posteritati in pingui et florido dicendi genere summum post illum exemplum videretur[110].

Symmachi honores recensentur in titulo statuae a filio in domu paterna positae: *Eusebii. — Q. Aur(elio) Symmacho v(iro) c(larissimo), quaest(ori), praet(ori), pontifici maiori, correctori Lucaniae et Brittiorum, comiti ordinis tertii, procons(uli) Africae, praef(ecto) urb(i), co(n)s(uli) ordinario, oratori disertissimo, Q. Fab(ius) Memm(ius) Symmachus v(ir) c(larissimus) patri optimo*[111]. quaestura et praetura tum non honores erant, sed munera patrimonii, quae omnes senatores utrumque, si locupletiores erant, sin pauperiores, prius tantum[112], subire cogebantur. Symmachi autem familia ditissima fuit; possederunt enim pater et filius domum unam Capuae[113], urbanas non minus tres[114], quarum una trans Tiberim[115], una in monte Caelio sita[116] erat, villas quindecim, suburbanas tres, unam cui Arabianae nomen erat[117], alteram in via Ostiensi[118], tertiam Vaticanam[119], Ostiensem[120], Laurentem[121], Tiburtem[122], Prae-

alter ante a. 369 in Gallia, neque in ulla eorum epistula haec pietatis causa commemoratur, id quod vel solum ad illam opinionem refellendam sufficeret. Tiberium Victorem Minervium rhetorem Burdigalensem Romae docuisse et multos senatores instituisse Ausonius tradit: profess. Burdig. II 3 *inlustres quondam quo praeceptore fuerunt Constantinopolis, Roma, dehinc patria. — 9 mille foro dedit hic iuvenes, bis mille senatus adiecit numero purpureisque togis.*

107) 239, 5 *munus totius Liviani operis, quod spopondi, etiam nunc diligentia emendationis moratur.* optimis primae decadis codicibus subscriptum est: *Victorianus v. c. emendabam domnis Symmachis.*

108) 104, 7 *sume ephemeridem C. Caesaris decerptam bibliotheculae meae, ut tibi muneri mitteretur. haec te origines situs pugnas, et quidquid fuit in moribus aut legibus Galliarum, docebit.*

109) 14, 18 *si te amor habet naturalis historiae, quam Plinius elaboravit, en tibi libellos, quorum mihi praesentanea copia fuit.*

110) Macrob. sat. V 1, 7 *quattuor sunt, inquit Eusebius, genera dicendi: copiosum, in quo Cicero dominatur, breve, in quo Sallustius regnat, siccum, quod Frontoni adscribitur, pingue et floridum, in quo Plinius Secundus quondam et nunc nullo veterum minor noster Symmachus luxuriatur.* Apoll. Sid. ep. I 1, 1 *Q. Symmachi rotunditatem, C. Plinii disciplinam maturitatemque vestigiis praesumptuosis insecuturus.* cf. carm. 9, 299 *sed ne tu mihi conparare temptes, quos multo minor ipse plus adoro, Paulinum Ampeliumque Symmachumque.*

111) C. I. L. VI 1699 Romae in monte Caelio.

112) Huc referendum est, quod Symmachus in relatione, qua legi imperatorum de senatoriis muneribus latae respondet, scribit: 286, 25 *nullo enim dissentiente decretum est, quis modus censuum semel aut saepius fungendis muneribus obnoxius sit.* nam pauperrimi senatores *semel* tantum munere fungebantur, cum quaesturam gererent, ditiores *saepius* in quaestura et praetura, quibus fortasse consulatus suffectus accedere potuit, nisi ab ordinario praeveniretur.

113) 7, 27; 156, 6.

114) 75, 5 *has domus, quarum alteram postulasti, iamdudum a me hospitibus esse decretas.* in tertia igitur Symmachus ipse habitabat.

115) 22, 32; Amm. XXVII 3, 4 *domum eius in transtiberino tractu pulcherrimam incenderunt.*

116) 74, 19; 97, 5; 181, 27. ubi hodie *villa Casali* est, tituli a Q. Fabio Memmio Symmacho positi C. I. L. VI 1699. 1782 prodierunt.

117) 60, 20; 170, 19. haec fortasse eadem est, quam 61, 3 viae Appiae adiacere dicit.

118) 172, 7.

119) 169, 24; 183, 6.

120) 6, 15; 59, 8; 174, 9. cf. 88, 4; 95, 13.

121) 113, 25; 180, 26; 184, 14; 255, 25.

122) 176, 21.

nestinam[123], Coranam[124], Formianam[125], Cumanam[126], Baulanam[127], Lucrinam[128], Baianam[129], Puteolanam[130], Neapolitanam[131], praedia Samnitica[132], Apula[133], Sicula[134], Mauretana[135], quae quidem in scriptis filii commemorantur, et nonnulla certe praeterea, quae ignota manserunt. orator in praeturam filii duo milia pondo auri (1,750,000 Mk.) consumpsit[136], et id postquam intra eiusdem decennii spatium munera consularia et quaestoria exhibuit.

Post praeturam in inscriptione nominatur sacerdotium, quod filio cum patre commune erat, nisi forte, id quod veri similius est, illo mortuo in locum eius cooptatus est. certe ab ipso pontificatus ante patris obitum non commemoratur[137], sed cum ex prioribus eius annis paucissimae tantum epistulae supersint, ex silentio nihil certi concludi potest.

Cum Avianius Symmachus praefectus urbi erat, filius quoque et nepos Flavianus honorum cursum auspicati sunt, more qui saeculo quarto eo usque obtinuit, ut quo tempore aliquem in summis magistratibus positum invenias, paene certus esse possis, necessitudines eius aut in aula aut in provinciis versari[138]. itaque Symmachus corrector Lucaniae et Brittiorum factus est, quo in honore commemoratur d. 25 Mart. a. 365[139].

Hoc tempore primas epistulas scripsit, quae a filio in corpus operum eius receptae sunt, II 44 et 27. sed iam tribus annis post tantam eloquentiae gloriam adeptus erat, ut a senatu legatus eligeretur, qui Valentiniani quinquennalibus[140] d. 25 Febr. a. 369

123) 5, 29; 86, 27; 186, 13; 258, 30.
124) 170, 27; 6, 31.
125) 6, 31; 8, 12; 175, 1; 187, 3; 196, 20.
126) 43, 20.
127) 1, 11; 2, 16; 6, 31; 221, 26.
128) 1, 11; 6, 30.
129) 155, 15; 1, 21; 5, 2, 50, 18; 151, 7; 183, 27.
130) 172, 18. cf. 6, 30; 50, 18; 151, 6.
131) 61, 13.
132) 156, 7.
133) 156, 38.
134) 172, 13; 251, 23.
135) 195, 14.
136) Olymp. ap. Phot. bibl. cod. 80 p. 63 A 10 Bekk. Σύμμαχος δὲ ὁ λογογράφος, συγκλητικὸς ὢν τῶν μετρίων, πρὶν ἢ τὴν Ῥώμην ἁλῶναι τοῦ παιδὸς Συμμάχου πραιτοῦραν τελοῦντος κʹ κεντηνάρια ἐδαπάνησεν. quod Symmachus συγκλητικὸς τῶν μετρίων appellatur, monstrat, quantas divitias alii senatores accumulaverint.
137) Loquitur de eo 23, 30; 24, 11; 25, 10. 29; 30, 27; 54, 20; 274, 32; 275, 3.
138) Pauca exempla ex multis, quae suppetunt, affero: a. 311 alter Rufius Volusianus praefectus urbi, alter praefectus praetorio erat; a. 355 Volusianus praefectus praetorio et Volusianus vicarius urbis; a. 365 Volusianus praefectus urbi, Volusianus vicarius urbis, Albinus Volusiani filius consularis Numidiae; a. 369 Probus praefectus praetorio, Olybrius socer eius praefectus urbi; a. 376 Ausonius quaestor, Hesperius filius eius proconsul Africae, Thalassius gener vicarius Macedoniae; a. 378 Ausonius et Hesperius praefecti praetorio, Arborius Ausonii ex sorore nepos comes rerum privatarum, Thalassius Ausonii gener proconsul Africae. a. 380 Hesperius praefectus praetorio, Arborius praefectus urbi; a. 383 Flavianus praefectus praetorio, filii eius alter proconsul Asiae, alter rector provinciae ignotae; a. 394 Flavianus maior praefectus praetorio, minor praefectus urbi; a. 391 Flavianus praefectus praetorio, Symmachus consul; a. 396 Florentinus praefectus urbi, Minervius frater eius comes rerum privatarum. fontium testimonia in indice nominum invenies.
139) Cod. Theod. VIII 5, 25.
140) 322, 16 *lustrum imperialium iam condis annorum, ubi caelo et terris horror aequalis est.*

celebrandis[141]) aurum oblaticium ipsi filioque Gratiano traderet[142]) et utrique panegyricos sollemnes recitaret, quorum fragmenta tenemus. honore comitis tertii ordinis auctus in comitatu remansit eoque tempore illam cum Gratiani praeceptore amicitiam iniit[143]), cuius testes sunt epistulae invicem missae (I 13—13) et Ausonii gryphus ternarii numeri Symmacho dedicatus. uterque expeditioni a. 369 contra Alamannos susceptae interfuit, quam Ausonius in Mosella, Symmachus in oratione secunda celebraverunt[144]). nam cum Valentinianus consulatum tertium iniret (a. 370), iterum electus est, qui panegyricum pronuntiaret[145]); quo officio perfunctus statim in patriam rediit[146]).

Eodem anno ad consulatum Probi in Gallias revocatus excusavit[147]), neque tamen diu Romae mansit, nam anno iam 373 inter d. 20 Febr. et 30 Nov.[148]) in Africam cum imperio proconsulari missus est[149]). incidit Symmachi administratio in difficilli-

---

141) v. inscriptionem Cii (*Hissarlik*) repertam, de qua egit Mommsen in Herm. XVII p. 523. [*D(ominus) n(oster) invictissimus princeps Fl(avius) V]alens victor maximus triumfator [semper Aug(ustus) in fidem recepto rege Athan]arico, victis superatisque Gothis, [ingruente item in victorias illa]s tempore feliciter quinquennaliorum [. . . . . hunc burgum] ob defensionem rei publicae extruxit [labore . . . . . devotissi]morum militum suorum Primanorum [et . . . . commissor]um cure Marciani trib(uni) et Vrsicini p(rae)p(ositi) semp(er) vestri [disponente Fl(avio)] Stercorio viro clarissimo duce.* cum Athanarici deditio teste Ammiano XXVII 5, 9 in annum 369 incidat, eidem quinquennalia quoque adscribenda sunt. cf. quae dixi in Herm. XVIII p. 150.

142) 330, 17 *sed prima mihi devotionis causa peragenda est: libens aurea sume munuscula, qui talia tempora praestitisti.*

143) Ausonii ad Symmachum epistula: 18, 7 *et expertus es fidem meam mentis atque dictorum, dum in comitatu degimus ambo aevo dispari, ubi tu veteris militiae praemia tiro meruisti, ego tirocinium iam veteranus exercui. in comitatu tibi verus fui, nedum me peregre existimes composita fabulari: in comitatu, inquam, qui frontes hominum aperit, mentes tegit, me tibi et parentem et amicum et si quid utroque carius est, cariorem fuisse sensisti.* quod Ausonius dicit, Symmachum *veteris militiae praemia* meruisse, aliter intellegi nequit, quam honorem aliquem tunc in eum collatum esse, qui temporis ratione considerata sola comitiva, quam titulus Caelimontanus inter correcturam et proconsulatum recenset, fuisse potest. se ad Mosellam fluvium (i. e. Treviris) saepe in mensis Ausonii versatum esse, scribit Symmachus 10, 15.

144) 324, 11 *nihil ante gestis, Auguste, decerpimus, si recentia sola repetamus. stupeo non minus illa sane, quae conperi, sed haec magis diligo, quae probavi. — quae ipse non videram, venia maiore laudabam.* haec verba sequitur descriptio expeditionis illius. cf. 10, 8 *novi ego istum fluvium* (scil. Mosellam), *cum aeternorum principum iam pridem signa comitarer.*

145) 324, 9 *fuit evidens causa, qua fasces sumere tertio cogereris.*

146) Versus finem panegyrici dicit: 329, 31 *canant alii, quae supersunt: ego testis fungar officio. ibo per urbes, ibo per populos iactantior victore laudato; dicam senatui plebique Romanae: 'fasces in provincias novas mittite, trans Rhenum iudices praeparate'.* quibus verbis indicat, se brevi per multas urbes populosque iter facturum esse, cuius ultima statio Roma futura esset.

147) IX 112; cf. adn. 19.

148) Cod. Theod. XII 1, 73; cf. adn. 153. cave, ne cum Gothofredo propter locum subscriptionis Treviros hanc legem ad annum 370 referas; nullo enim certo argumento probatum est, Valentinianum a. 373 Mediolanii constitisse, et in provincia Africa anno 370 alius iam proconsul Claudius reperitur (v. adn. 153). nec Symmachus autumno 375 de proconsulatu gesto gloriaretur praedicaretque se curis publicis occupatum et fuisse et fore (2, 16), si annos iam quattuor privatus egisset. praeterea X 1 indicat, simul cum oratore nostro Theodosium magistrum militum in Africa munere functum esse, qui ante finem anni 372 provinciam non adiit. v. Tillemont, *Valentinien I note 47.* quibus rationibus si addideris, Symmachum privatum fuisse, quo tempore ad Probi consulatum (a. 371) evocatus est (IX 112), et cum Ausonii Mosella in publicum exiit (a. 370), in mediis litteratorum circulis versatum esse (I 14), quos in Africa certe non invenit, omnis credo dubitandi causa tolletur.

149) Symmachi proconsulatus praeter inscriptionem p. XLV propositam commemoratur 2, 17; 62, 10; 215, 24; 220, 13; 277, 13; 280, 9; 295, 24; C. I. L. VIII 5347 Calamae. *[proco]nsulat[u Au]reli Summa[chi], Basilius Cirrenianus fl(amen) p(er)p(etuus) [c]u[r(ator)] rei p(ublicae) cum splend[idissim]o ordine posuit.*

mum provinciae tempus; Firmus enim tum purpuram sumpserat[150]) et bello gravissimo a Theodosio magistro militum persecutus est. quem orator noster ita adiuvit, ut de provincia decedens amplissimas eius laudes mereretur[151]) et statuae quoque honore dignatus esset, nisi aemulorum (successoris?) invidia spem eius frustrasset[152]).

Ante d. 7 Sept. a. 375 Symmachus successorem iam acceperat, nam legi eo die datae Constantius proconsul Africae praescriptus est[153]). sed tempus magistratus eius

150) C. I. L. VIII 5338 Calamae. (versus duo erasi) *perpetui victoris semper Aug(usti) ordo Kalamensis splendidus cum Basil(io) Cirreniano Restituto sacerdotale p(rovinciae) A(fricae) cur(atore) rei p(ublicae) dedicavit.* cum ex Symmachi titulo in adnotatione praecedenti proposito constet, Basilium Cirrenianum circa a. 373 curatorem rei publicae Calamensis fuisse, de tyranno, cuius nomen in primis tituli versibus erasum est, dubitari nequit. fuit videlicet Firmus regis Nubelis filius, quem nomen Augustum assumpsisse, ex hac inscriptione primum innotuit, quamvis etiam ex scriptorum testimoniis concludi potuisset. cf. Amm. XXIX 5, 20 *cum tribunis, e quibus unus torquem pro diademate capiti inposuit Firmi.* Zos. IV 16 Λίβυες — Φίρμῳ τὴν ἁλουργίδα δόντες ἀνέδειξαν βασιλέα. diadema enim et purpura insignia imperii erant et Augustos a Graecis βασιλέας dictos esse, non est quod moneam.

151) 277, 8 ad Theodosium: *de qua ego plene et indulgentius loquerer, nisi — mihi oppido praecaverem, ne laudatus proxime ab excellentia tua feneratam gratiam viderer retulisse. — quid ego tibi debeam, cuius fama sub tali teste numquam succumbet invidiae.*

152) IX 115.

153) Cod. Theod. IV 12, 7. locus Moguntiacum legi subscriptus diem dubium reddit, sed fortasse pro eo Aquincum reponendum est, ubi tum Valentinianus morabatur. litterarum ductus non tam diversi sunt, et interpolatores facile urbem notissimam Germanicam pro minus nota Pannonica substituere potuerunt. Chilo, cui titulus proconsulis in lege Cod. Theod. XIII 6, 7 tribuitur, re vera vicarius Africae erat, ut docet Cod. Theod. XIII 4, 4. quod Amm. XXVIII 1, 8 eundem iam a. 369 ex vicario dicit, memoriae lapsu factum est. — series proconsulum Africae a Valentiniani initiis usque ad annum 380 integra esse videtur; nominantur enim hi:

P. Ampelius d. 13 Mai. a. 364 Cod. Theod. XIII 5, 10. C. I. L. VIII 5337.
Iulius Festus Hymettius C. I. L. VI 1736; VIII 5336. 10609.
d. 25 Mai. a. 366 Cod. Iust. III 16.
d. 9 Iun. a. 367 Cod. Theod. IX 19, 3.
Claudius Hermogenianus Caesarius C. I. L. VI 499. cf. Herm. XVIII p. 298.
d. 17 Febr. a. 368 Cod. Theod. XVI 2, 18.
kal. Dec. a. 368 Cod. Theod. XIV 3, 12.
d. 2 Febr. a. 369 Cod. Theod. XII 12, 6
d. 8 Iul. a. 369 Cod. Theod. XI 36, 20.
d. 26 Apr. a. 370 Cod. Theod. XIII 1, 8.
Iulianus Rusticus d. 6 Sept. a. 371 Cod. Theod. XV 7, 2.
d. 30 Mai. a. 372 Cod. Theod. VIII 7, 12.
d. 20 Febr. a. 373 Cod. Theod. XVI 6, 1.
Q. Aurelius Symmachus d. 30 Nov. a. 373 Cod. Theod. XII 1, 73.
hieme a. 374/5 Ambros. de obit. Satyri 32.
Constantius d. 7 Sept. a. 375 Cod. Theod. IV 12, 7.
Hesperius d. 10 Mart. a. 376 Cod. Theod. XV 7, 3.
d. 8 Iul. a. 376 Cod. Theod. I 32, 2.
Decimius Hilarianus Hilarius C. I. L. VIII 1219 sub Valente Gratiano et Valentiniano (a. 375—378) posita.
Thalassius d. 30 Ian. a. 378 Cod. Theod. XI 36, 23—25.
aestate a. 379 magistratum per menses duodeviginti gestum deposuit v. ad ep. I 25.
Flavius Syagrius d. 26 Aug. a. 379 Cod. Theod. I 15, 10.
Eucherius d. 28 Febr. a. 380 Cod. Theod. X 20, 9.

postremi duo, adfinis et patruus Theodosii Augusti, legibus sine dignitate praescribuntur, sed in Syagrio tam argumentum quam subscriptio constitutionis (*proposita Carthagine*) magistratum eius certissimum reddunt. lex ad Eucherium data eundem quidem locum subscriptum habet, at ex argumento dignosci nequit, utrum vicarius Africae an proconsul fuerit; quae dubitatio eo tollitur, quod Augusti propinquo magistratus splendidior multo magis convenit.

etiam artioribus finibus includi poterit, si prius de anno, quo Ambrosius orationem funebrem in Satyrum fratrem pronuntiavit, constiterit. is enim, cum paucis ante mortem mensibus ex Africa Italiam repeteret, Symmachum in provincia reliquit, si non proconsulem, certe proconsulatu vixdum deposito[154]. itineris eius causa fuerat, quod Prosper quidam Ambrosium episcopum creatum litem in se non moturum esse ratus, rem eius familiarem in Africa sitam invaserat[155]; Satyrus igitur profectionem non multo post fratris ordinationem (a. 374) suscepit. neque cum diem obiit, Ambrosius sedem episcopalem diu tenuerat, siquidem se Mediolanii peregrinum fuisse dicit, antequam fratris cineres solo urbis inlati essent[156]. certissimum autem anni indicium praebet irruptio illa barbarorum, cuius rumor ad Satyrum iam in Africam pervenerat[154] et quae exequiarum eius tempore Italiae ipsi tam prope imminebat, ut Alpium fauces concaedibus clauderentur[157]; nam anno 374 Sarmatae et Quadi dioecesin Pannoniarum, quae Italiae proxima est, invaserant et usque in autumnum anni sequentis vastabant[158]. cum ergo tempore brumali Ambrosii frater reditum ingressus sit[159], Symmachum usque ad hiemem a. 374/5 in Africa remansisse certum est, et quoniam proficiscenti suaserat, ne reversione properata periculis incursionis barbaricae se opponeret, patriam, si suum ipse consilium secutus est, non revisit, antequam Valentiniani adventu hostes repellerentur, i. e. aestate a. 375. congruit, quod in epistula ad Theodosium scripta X 1 ita de rebellione Firmi suppressa loquitur, ut finem eius non praesentem vidisse pateat, sed neque multo ante e provincia decessisse. nam *proxime* se a Theodosio laudatum esse dicit, quod nisi brevi tempore post magistratum depositum factum esse non potest.

Matrimonium Symmachi cum Rusticiana[160], Memmii Vitrasii Orfiti bis praefecti urbi filia altera[161], Suse et Morin ante annum 371 collocaverunt adducti his rationibus:

---

154) Ambros. de obit. Sat. 32 *qui cum a viro nobili revocareris, Symmacho tuo parente, quod ardere bello Italia diceretur, quod in periculum tenderes, quod in hostem incurreres, respondisti hanc ipsam tibi causam esse veniendi, ne nostro deesses periculo.*

155) Ambros. l. l. 24 *plaudebat sibi, ut audio, Prosper, quod sacerdotii mei occasione redditurum se, quae abstulerat, non putabat, sed vehementiorem tuam unius efficaciam expertus est quam duorum.*

156) Ambros. l. l. 6 *coepi enim iam hic non esse peregrinus, ubi melior mei portio est.*

157) Ambros. l. l. 31 *nam qua eras sanctae mentis misericordia in tuos, si nunc urgeri Italiam tam propinquo hoste cognosceres, quantum ingemisceres, quam doleres in Alpium vallo summam nostrae salutis consistere lignorumque concaedibus construi murum pudoris! qua afflictione maereres tam tenui discrimine tuos ab hoste distineri, ab hoste inpuro atque crudeli, qui nec pudicitiae parceret nec saluti!* cf. l. 30.

158) Richter, *Das weströmische Reich p. 403 sqq.* litterae igitur commendaticiae, quas Satyrus a Symmacho ad Titianum fratrem accepit (I 63), non ei traditae sunt, cum in Africam proficisceretur, sed fortasse cum ex ea reverteretur; siquidem Titianus vicariam per Africam praefecturam annis quinque post Satyri mortem iniit. cf. de Rossi, *Bull. di archeol. cristiana II p. 76.*

159) Praedicat Ambros. 50, quod frater *neglegens frigoris* iter susceperit; cf. quae de periculis maris dicit 17. 27. 43.

160) 308, 32; cf. Apoll. Sidon. epist. II 10 fin. *sisque oppido meminens, quod olim Marcia Hortensio, Terentia Tullio, Calpurnia Plinio, Pudentilla Apuleio, Rusticiana Symmacho legentibus meditantibusque candelas et candelabra tenuerunt.*

161) Cum heredes Orfiti de debitis areae vinariae a patre praefecto contractis convenirentur, duo tantum erant, quos ea res spectaret, Rusticiana et soror eius, v. 308, 31 *et haec quidem cursim, ne mandatum negotium conperendinatio differret, tantum pro coniugis meae Rusticianae clarissimae feminae parte quaesita sunt, cuius germana multo angustior facultatibus ex Etruriae longinquis adesse praecepta est.* cf. 275, 35. itaque alios heredes Orfitus aut non habuit, aut si habuerat, brevi post mortem eius ipsi quoque obierant nullis successoribus relictis.

Orfitus, qui a. 369 aut 370 mortuus est[162]), filiam ante emancipaverat[163]), quod Suse occasione nuptiarum factum esse putat. addit Morin. villam Baulanam, quae Orfiti fuerat, antequam in Symmachi possessionem veniret[164]), cum Rusticiana patris hereditatem teste marito non adierit[165]), dotis nomine a socero vivo in generum collatam videri. quae omnia satis probabilia sunt, sed quaestionem ideo non decidunt, quia ignoramus, virginemne uxorem Symmachus duxerit: nam si Rusticiana iam ante nupta fuerat. et emancipata esse et dotem accepisse potest, antequam oratorem nostrum umquam oculis viderit. quin immo ex prima commemoratione Baulorum. quem ego quoque Rusticianae fundum dotalem fuisse crediderim, nuptias post proconsulatum Africae aestate a. 375 celebratas esse concludo. scribit enim Symmachus autumno eiusdem anni: I. 11 *Baulos Lucrina sede mutavimus; non quod eius deversorii satias ceperimus, quod cum diutius visitur, plus amatur, sed quod metus fuit. ne si Baulorum mihi inolevisset adfectio, cetera, quae visenda sunt, displicerent.* quae tum demum intelleguntur, si in iis gaudium recens de possessione tam splendida accepta agnoscas: siquidem his verbis scriptor uti vix potuit. postquam ei adfectio Baulorum iam per aliquot annos inolevit et deversorium illud iam saepius et diutius visum erat. propter aetatem autem liberorum Symmachi matrimonium eius vel posteriori tempori adscriberemus. nisi in epistulis ad patrem missis, qui anno iam 376 mortuus est, non solum uxoris mentionem faceret[166]), sed etiam spem prolis se concepisse innueret[167]).

Filius oratoris unicus[168]) Q. Fabius Memmius Symmachus[169]) Olybrio et Probino, qui *in pueritia* a. 395 consules facti sunt[170]). aetate non nihil cessit[171]); quaesturam a. 393 *parvulus* gessit[172]); a. 395 Graecis litteris initiatur[173]), a. 398 pater institutione eius occupatus est[174]), ultimis a. 399 diebus primam ad eum epistulam scribit[175]), a. 401 rhetore eius mortuo novum filio praeceptorem quaerit[176]). itaque cum ante

162) 275, 23; 308, 2.

163) 275, 35.

164) 2, 15.

165) 275, 35; 308, 11. 23. 28.

166) 8, 6 ad patrem: *cum iam filiae vestrae dies natalis adpeteret, commodum aderant, quae muneri miseratis. ea nobis inmane quantum cara et gravia fuere.* si haec de vera Avianii Symmachi filia dicta esset, certe scripsisset *germanae meae* non *filiae vestrae*, neque pro munere sorori dato ea ratione gratias egisset, quasi ipsi delatum esset.

167) 6, 14 praedio Ostiensi a patre muneri accepto, deos precatur, *ut datis in commune omnes longum fruamur sintque ex nobis, quibus Ostiense praedium nostro iudicio, vestro tradatur exemplo.*

168) 105, 3; 125, 18; 144, 16; 154, 28; 183, 6.

169) Nomen integrum praebent tituli C. I. L. VI 1699; 1782 et inscriptiones codicum in adn. 42 relatae. utrum lex data d. 28 Aug. a. 415 Cod. Theod. XI 30, 65 *Symmacho proconsuli Africae* ad Memmium referenda sit an ad Aurelium Anicium Symmachum praefectum urbi a. 419—20, ignoratur. de posteris Memmii Symmachi v. Mai. l. l. p. XXVI et H. Usener, Anecdoton Holderi, Lipsiae 1877.

170) Hieron. epist. 130, 3; Claud. in cons. Olybr. et Prob. 62.

171) Symm. 144, 16 studium rei venaticae in Olybrio et Probino laudans addit: *ad haec etiam meum Symmachum, cum subcreverit, quamquam unicum cohortabor.*

172) 130, 6 *quaestorium parvuli nostri munus adcelerans.* cf. adnot. 11.

173) 104, 35 *dum filius meus Graecis litteris initiatur, ego me denuo studiis eius velut aequalis adiunxi.*

174) 125, 18; 170, 25.

175) 177, 5 *sume alacer paterni sermonis auspicium et deinceps officii parilis in nos esto munificus.*

176) 162, 28 *ab inlustri viro praefecto Hadriano Gallum rhetorem, quem proxime Eusebius noster ingesserat, postulemus, ne pignorum nostrorum indoles in profectu posita deseratur.*

a. 384 natus esse non possit, neque tamen ultra illius anni fines recedere licet. nam quo tempore Symmachus praefectura urbana deposita in Campaniam profectus est (m. Octobri a. 385) filium tussi periculosa laborantem, qualis infantes parvulos fere vexare solet, secum habebat[177]. filia fratre maior erat, sed de anno natali eius nihil certi notum est, pauca tantum ex mariti Flaviani minoris historia concludi possunt.

Virius Nicomachus Flavianus maior duos filios reliquit, qui hereditatem patre mortuo indivisam possederunt[178]. alterum, Nicomachum Flavianum, Symmachi generum fuisse constat, alterum nomine Venusto usum esse credo, cum propter avum cognominem, tum quia Symmachum cum Venusto aliquo arto quodam familiaritatis vel etiam cognationis vinculo coniunctum fuisse, ex litteris ad eum scriptis (IX 17) perspicitur. cum enim ad maiorem Flaviani filium epistulae plus octoginta supersint, minori ne unam quidem inscriptam esse parum probabile videtur; nullus autem alius inter eos, quibus litterae Symmachi directae sunt, reperitur, quem cum quadam veri similitudine Nicomachi fratrem credideris. itaque Appius Nicomachus Dexter praefectus urbi circa a. 430, quem Flaviani maioris nepotem fuisse constat[179], certe non Clementiani filius erat, id quod Borghesio visum est[180], sed aut Flaviani minoris aut Venusti. priorem autem patrem eius fuisse, vel praecipue codex primae decadis Livianae docet ex parte a Nicomacho Flaviano, ex parte a Dextro correctus[181]. multo enim probabilius est, patrem huiusmodi laborem cum filio communicasse, ad quem exemplar ipso mortuo perventurum erat, quam patruum cum nepote. et eandem inter eos coniunctionem monstrat statua Flaviani maioris precibus filii ab imperatoribus concessa, a nepote posita.

Nomina Appius et Dexter, quae alioqui neque in Symmachorum neque in Nicomachorum familia comparent, ut Borghesius observavit, Nicomachi Dextri matrem a Symmachi filia diversam fuisse produnt. idem vir doctus iam suspicatus est, Appium Claudium Tarronium Dextrum virum clarissimum, quem inscriptio Neapolitana[182] Mithrae sacrum condidisse tradit, Dextri nostri vel avum maternum vel proavum fuisse. et constat, Flavianum a. 383, quo soror Memmii Symmachi nati a. 384 vixdum nubilis esse potuit, non solum uxorem habuisse, sed etiam partum ab ea iam editum

177) 57, 25 *parvulum nostrum periculo exemptum spes optata respexit.* 58, 4 *humor, qui parvuli nostri pectus obsederat atque inportunam tussim ciebat, magna parte tenuatus est; itaque spiramenta faucium libera nihil iam stridulum sonant.*

178) 158, 32 ad Flavianum minorem: *mox cum germanus tuus de proximo, ut ais, speratus adfuerit, et felicem vobis et necessarium reditum dividendae inter vos communionis causa praestabit.* de duobus Flaviani filiis II 17 quoque sermo est; tertium non extitisse, ex illa hereditatis condicione sequi videtur.

179) C. I. L. VI 1783 *Nicomacho Flaviano — Appius Nicomachus Dexter v(ir) c(larissimus) ex praef(ectis) urb(i) avo optim(o) statuendam curavi.*

180) *Annali dell' Instituto XXI 1849 p. 359.*

181) Libris VI—VIII in optimis codicibus subscriptum est: *Nicomachus Flavianus v(ir) c(larissimus) III praefect(us) urbis emendavi apud Hennam. Victorianus v(ir) c(larissimus) emendabam domnis Symmachis*, libris III—V: *Nicomachus Dexter v(ir) c(larissimus) emendavi ad exemplum parentis mei Clementiani. Victorianus v(ir) c(larissimus) emendabam domnis Symmachis.* exemplar igitur, ex quo codices nostri fluxerunt, a Victoriano correctum ex Symmachi bibliotheca in generi manus pervenit et iterum ab ipso filioque eius recognitum est.

182) C. I. L. X 1479 *Omnipotenti deo Mithrae Appius Claudius Tarronius Dexter v. c. dicat.*

esse[183]. oratoris igitur filia Flaviani uxor secunda erat[184] et fortasse nepotes quoque et neptes, quos commemorat[185], non filiae nati erant sed privigni: nam qui omnes qualibet adfinitate aut cognatione secum coniunctos filios et parentes et fratres vocat, multo maiore iure generi prolem nepotes appellare potuit, et Fabium Memmium Symmachum, qui in titulo statuae Flaviano maiori positae prosocerum eum dicit[186]. Gallam, quam solam inter nepotes illos nominat orator, uxorem duxisse, inde veri simile fit, quod nomen eius saeculo quinto in Symmachorum familia repetitur: matrimonia autem inter avunculos et neptes tum iam legibus vetita erant, et quamquam rescriptis specialibus interdum permittebantur[187], legitima tamen et concessa semper probabiliora sunt. itaque si filia Symmachi, quae paene continuis morbis vexabatur[188], umquam prolem vitalem enixa est, nihil tamen de ea constat.

Flaviani minoris uxor altera primum commemoratur hieme a. 394/95[189]. cum autem nuptias statim post patris mortem († 394) a filio celebratas esse parum credibile videatur, inter annos 392 et 394, quibus Eugenius imperium Occidentis optinebat, eas collocaverim. quod altum de eis silentium in Symmachi scriptis confirmat, siquidem epistulae tempore tyrannico compositae maiore ex parte a Memmio Symmacho editore suppressae sunt. maior igitur ex oratoris liberis inter annos 375 et 380 nata esse debet, quod cum matrimonio anno 375 inito optime convenit.

Vltimis eiusdem anni mensibus, cum novus maritus modo fundo dotali delectaretur, modo Campaniae et Samnii oppida peragraret (I 3, 3), pater eius domu incensa ex urbe pulsus et mox senatus legatione revocatus est: qua occasione oblata filius ex itinere redux die 9 Ianuarii a. 376 orationem illam pro Trygetio habuit, quae tantum in senatu plausum excitavit (v. p. VI). neque enim tam laudes Gratiani vivi quam vituperationem Valentiniani mortui laudibus filii involutam expressit, quaeque maior pars senatus tacite sentiebat, verbis enuntiavit. quo successu elatus non solum hanc orationem edidit, sed etiam sub anni finem totum illud orationum corpus collegit et vulgavit, cuius reliquiae superstites sunt (v. p. X).

Valentiniano mortuo Ausonius summum in aula discipuli locum nactus est. cuius amicitiam Symmachorum familia sensit. nam pater ad consulatum evectus est, Flavianus vicarius Africae factus, Symmachus orationem Gratiani in senatu recitandam accepit (X 2), quo honore iterum post victorias Gratiani de Alamannis, Theodosii de Gothis a. 379 affectus est (I 95; III 18).

---

183) 49, 20 *nulla de uxoris utero causatio est, cuius expectationem maturus partus absolvit.*

184) Quae Borghesius contra disputavit, ea sola re nituntur, quod iam a. 382 tam arta inter Symmachum Flavianumque maiorem coniunctio extiterit, ut soli amicitiae tribui vix possit; quod verum quidem est, sed cognatione satis explicatur.

185) 162, 8 *sed non mediocriter nepticulae meae Gallae infirmitas conturbat otii nostri securitatem.* 164, 29 *domnam filiam meam salutatam cum dulcissimis nepotibus volo.* 176, 19 *quare et vobis et communi pignori, cuius sollemnem diem sedula religione celebrastis, uberes precamur annos.*

186) C. I. L. VI 1782.

187) Ambros. epist. I 60, 1 *Paterni quidem unanimi mei salutationem legi, sed consultationem haudquaquam paternam, ut velis filio neptem copulare ex filia.* cf. Symm. IX 133.

188) 165, 3 *filiam meam comperi consueto dolore vexari.* 166, 6 *te iactatam comperi dolore consueto.* de filiae valetudine paene in omnibus libri sexti epistulis loquitur 153, 28; 155, 9; 157, 23; 158, 27; 161, 11; 162, 8; 167, 3; 168, 24; 169, 20. 34; 171, 17; 172, 1.

189) 158, 27.

Annos post patris obitum orator valetudinis incommodis nonnumquam laborans[190] partim Romae partim in villis suis, praecipue in Campania, consumpsit[191], evocationibus, quibus ad consulatus Ausonii (a. 379) et Syagrii (a. 381) invitatus est, recusatis[192]. a. 380 frater eius Celsinus Titianus vicarius Africae mortuus est[193], ita ut unus tantum de Avianii Symmachi filiis superstes remaneret[194], quamvis non unus nominis bonorumque heres; nam a. 419—20 Aurelius Anicius Symmachus quidam praefectus urbi erat, qui neque oratoris filius neque nepos fuisse potest[195]: hunc igitur Celsini Titiani filium putaverim.

Sacra gentilia a Constantio pro parte suppressa, a Iuliano restituta, sub Valentiniano et primis Gratiani temporibus nulla re turbata sunt. utraque religio auctoritate publica utebatur, et quamquam imperatores ipsi christiani erant, sacrificia tamen Romana impensis publicis fiebant et in media curia Victoriae ara conspiciebatur. itaque in prioribus Symmachi epistulis religionis antiquae cultus saepius commemoratur: modo de deliberationibus et decretis collegii pontificum sermo est[196], modo de ostentis sacrificiis expiatis[197], modo de festis Deum Matris Romae celebratis[198], semel etiam de incesto virginis Vestalis capite puniendo[199]. sed paenultimo Gratiani anno 382[200] sacris gentilibus non quidem tolerantia sed auctoritas publica detracta est; sumptus caerimoniarum partim fisco, partim arcae praefectorum praetorio vindicati sunt[201], annonae virginibus Vestalibus apparitoribusque sacerdotum concessae in emo-

---

190) a. 378 p. 13, 6; 35, 17; 86, 3; hieme a. 382/3 p. 49, 12.

191) a. 378 autumno Romae I 49; a. 379 Romae I 15. 95; III 18. 50; Praeneste III 50; a. 380 in suburbano, cui Arabianae nomen est II 57; Romae II 57; I 46; Capuae I 31. 32; vere a. 382 Romae III 58; autumno Romae II 17; hieme a. 382/3 Romae II 18. 22; vere a. 383 Romae II 24; aestate in Campania II 4—6; autumno Romae II 7. 52; I 51. de legatione, quam a. 382 ad Gratianum suscepit, v. infra.

192) I 19. 20. 22. 101; III 21; IX 113.

193) v. quae in capite ultimo ad ep. I 62—74 dicturus sum.

194) Si Symmachus post a. 380 fratrem habuisset, epistulae aliquae ad eum extarent; nam quae in libro VII 72—80 inscribuntur: *Symmachus fratribus* non ad fratres germanos missae sunt, sed ad omnes cognatos affinesque, qui tum forte una erant, quod vel hoc solum docet. 197, 20 scribit Symmachus ad fratres de valetudine sua: *nunc status melior coepit a d v e r s a t e n u a r e*, at 175, 14 ad Flavianum minorem: *anteveni inquisitionem, cum vos sollicitos fore, quod essem morbo adtemptatus, adverterem, et quamvis ultro scripserim, doloris mei a d v e r s a t e n u a r i, abolendae tamen sollicitudinis vestrae causa — nunc quoque nuntio — in concordiam me cum sanitate redire.* dicit igitur, epistulam illam fratribus inscriptam ad Flavianum minorem missam esse, qui fratrum videlicet appellatione et ipse comprehenditur, quamvis Symmachi gener fuerit.

195) Rossi, Inscr. christ. urb. Rom. p. 263 = C. I. L. VI 1719. *Reparatori rei publicae [et] parenti invictissimo[rum] principum [Fl(avio)] Co[n]st[antio] v(iro) [c(larissimo)] et inlustri, comiti [et] magistro utriusque [militiae] patricio et tertio con[suli] ordinario Aur(elius) Anicius Symmachus v(ir) c(larissimus) pr(aefectus) urb(i) vice sacra iudicans dedicavit.* eiusdem Symmachi supersunt relationes de schismate Eulalii, quae in veteribus editionibus perperam inter scripta Q. Aurelii Symmachi collocatae sunt.

196) 23, 30; 24, 6. 15; 25, 30; 54, 18; 274, 32; 275, 3.

197) 25, 6.

198) 53, 18; 59, 15.

199) IX 147. 148.

200) Ambros. epist. I 17, 10 *ante biennium ferme;* l. l. 5 *Romae autem a fratre clementiae tuae augustae memoriae Gratiano fidei verae ratione sublata sunt.* cf. 16.

201) 281, 30 *accipiat aeternitas vestra alia eiusdem principis* (scil. Constantii) *facta, quae in usum dignius trahat. nihil ille decerpsit sacrarum virginum privilegiis, replevit nobilibus sacerdotia, Romanis caerimoniis non negavit inpensas.* Ambros. epist. I 17, 3 *quod debeas — ad usus sacrificiorum profanorum praebere sumptum; quod enim iam dudum vel fisco vel arcae est vindicatum, de tuo magis conferre videbere, quam de suo reddere.* cf. 18, 11; 57, 2.

lumentum cursus publici conversae[202], legata rerum immobilium, quae illis relinquerentur, caducis aequata[203], vacationes munerum, quibus ante utebantur, sublatae[204], ara denique Victoriae ut quoddam cultus gentilis insigne e curia summota est[205]. quod ubi factum est, senatus, cuius pars maior antiquae religioni favebat, Symmachum cum aliis nobilibus ad principem mittendos censuit, qui rescissionem rescripti recens dati ab eo peterent. at senatores christiani per episcopum Romanum Damasum Ambrosio libellum contrarium obtulerunt, quem Gratiano traderet; qua ratione effectum est, ut legatis ne videndi quidem imperatoris copia fieret[206]. sed dii contemptum sui ulti sunt: iam anno sequente 383 violator religionum Gratianus a rebellibus occisus est[207] et per omnes imperii provincias, quae ab Apennino et Pyrenaeo meridiem versus extendebantur[208], fruges tam anguste provenerunt, ut ne cultoribus quidem ipsis, nedum urbi Romae sufficerent[209]. quae cum potentiam deorum offensorum apertissime prodere viderentur, partes gentilium in aula pueri Augusti denuo corroboratae principibus suis Vettio Agorio Praetextato et Q. Aurelio Symmacho summos in Italia honores, praefecturas praetorio et urbi, comparaverunt. magistratu inito inter d. 19 Ian. et 21 Mai. a. 384[210] Praetextatus decretum imperiale impetravit, quo cum praefectus

---

202) 283, 3 *honoraverat lex parentum Vestales virgines ac ministros deorum victu modico iustisque privilegiis; stetit muneris huius integritas usque ad degeneres trapezitas, qui ad mercedem vilium baiulorum sacra castitatis alimenta verterunt.* Ambros. epist. I 18, 3. 12. 13.

203) 282, 27 *agros etiam virginibus et ministris deficientium voluntate legatos fiscus retentat.* Ambros. epist. I 18, 16 *nemo tamen donaria delubris et legata haruspicibus denegavit: sola sublata sunt praedia. — praedia igitur intercepta, non iura sunt.*

204) 282, 18 *ut vittae earum capiti decus faciunt, ita insigne ducitur sacerdotii vacare muneribus. nudum quoddam nomen inmunitatis requirunt, quoniam paupertate a dispendio tutae sunt.* Ambros. ep. I 17, 4. 14; 18, 11.

205) 281, 8 *quis ita familiaris est barbaris, ut aram Victoriae non requirat!* Ambros. l. l. 9. 14; I 18, 1. 7. 10. 31.

206) 280, 22 *senatus — iterum me querellarum suarum iussit esse legatum. cui ideo divi principis denegata est ab inprobis audientia, quia non erat iustitia defutura.* 283, 32 *praestate etiam divo fratri vestro alieni consilii correctionem; tegite factum, quod senatui displicuisse nescivit. siquidem constat ideo exclusam legationem, ne ad eum iudicium publicum perveniret.* Ambros. epist. I 17, 10 *nam et ante biennium ferme, cum hoc petere temptarent, misit ad me sanctus Damasus, Romanae ecclesiae sacerdos iudicio dei electus, libellum, quem christiani senatores dederunt et quidem innumeri, postulantes nihil se tale mandasse, non congruere gentilium istiusmodi petitionibus, non praebere consensum; questi etiam publice privatimque, se non conventuros ad curiam, si tale aliquid decerneretur. — hunc libellum ego fratri clementiae vestrae direxi.*

207) Gratianum ira deorum interiisse imperium non heredibus legitimis sed tyranno relinquentem, innuit Symmachus, cum dicat 283, 29 *cum religionum statum petimus, qui divo parenti numinis vestri servavit imperium, qui fortunato principi legitimos suffecit heredes.* Richter, *Das weströmische Reich p. 592.*

208) 124, 8 *quid enim spei reliquum est, cum provinciis Africanis nec ad victum tenuem frugum tritura responderit et adportata ex aliis terris semina vicinus annus expectet?* Ambros. epist. I 18, 19 *propterea nec adsueto cursu Nilus intumuit, ut urbicorum sacerdotum dispendia vindicaret, qui non vindicavit suorum?* haec de Africa et Aegypto; Gallias autem, Raetiam secundam, Pannonias, Liguriam, Venetiam uberem proventum dedisse, dicit Ambros. epist. I 18, 21.

209) 283, 6 *secuta est hoc factum fames publica et spem provinciarum omnium messis aegra decepit. non sunt haec vitia terrarum, nihil inputemus austris, nec rubigo segetibus obfuit, nec avena fruges necavit: sacrilegio annus exaruit. necesse enim fuit perire omnibus, quod religionibus negabatur. — quid tale provinciae pertulerunt, cum religionum ministros honor publicus pasceret? quando in usum hominum concussa quercus, quando vulsae sunt herbarum radices, quando alternos regionum defectus deseruit fecunditas mutua, cum populo et virginibus sacris communis esset annona?* 44, 6 *annus ubique ad famem proximus.* cf. 59, 7. Ambros. epist. I 18, 20 *esto tamen, si superiore anno deorum suorum iniurias vindicatas putant, cur praesenti anno contemptui fuere?*

210) Italia cum Africa et Illyrico illo tempore a duobus praefectis praetorio imperio collegiali rege-

urbi ornamenta operum publicorum Romae in usum privatum conversa conquirere et restituere iuberetur[211]), vel praecipue spoliatores templorum tenebantur. quo successu elati gentiles mox maiora temptarunt. nam aestate a. 384[212]) senatus consulto facto ab imperatore petierunt, ut lex illa Gratiani infirmaretur et religionibus urbis status antiquus redderetur. quam petitionem Symmachus praeclara illa relatione (3) prosecutus est, qua totum principis consistorium commovit (v. p. XVI). vicerunt quidem Ambrosii rationes et minae[213]) messe prospera adiutae, sed Symmachus et Praetextatus nihilominus favorem imperatoris retinuerunt, quin etiam alter eorum in annum sequentem consul designatus est, alter insidias, quas christiani in aula positi ei struxerant, summa cum gloria evitavit. nam inquisitione illa, quam de ornamentis operum publicorum instituere iussus erat, inimici eius abusi sunt, ut *christianae legis iniuriis vindicata fana* fingerent (295, 8) et ita invisum sibi magistratum perverterent. quod eis eo usque successit, ut Valentinianus edicto asperrimo publice in urbe proposito Symmachum increparet[214]) et omnes, qui fanorum spoliatorum causa in vinculis attinerentur, mitti

---

bantur, qui a. 383 ineunte Hypatius et Flavianus erant, a. 384 Probus et Atticus, quorum hic in una tantum lege commemoratur d. 13 Mart. a. 384 Cod. Theod. XIII 1, 12, ille in duabus, sed quarum subscriptiones corruptae sunt. altera enim Cod. Theod. VI 30, 6 *dat. VII kal. Nov. Mediolano post consulatum Merobaudis II et Saturnini* ideo admitti nequit, quia anni, qui suos consules habuerunt, nominibus praecedentium indicari non solebant, nisi primis mensibus, dum illi ignoti remanebant, (de Rossi, Inscr. christ. urb. Rom. p. XXVIII). itaque scribendum erit: *dat. VII kal. Nov. Mediolano Merobaude II et Saturnino coss.* (383 *accepta . . . . post consulatum Merobaudis II et Saturnini* 384). vitio contrario laborat subscriptio Cod. Theod. XI 13, 1 *dat. XIV kal. Febr. Mediolano Merobaude II et Saturnino cons.* (383), nam eo die, Flaviano et Hypatio praefecturam regentibus, Probo nullus locus relinquitur. scribemus igitur *post consulatum Merobaudis II et Saturnini*, cui emendationi id quoque opitulatur, quod hoc anno confusione rei publicae ex Maximi usurpatione orta consulum nomina in Italia usque ad mensem Aprilem vel etiam Maium ignota erant. v. de Rossi l. l. 338 *depositus . . . . . as Maias pos conss Me[robaude et S]aturnino vv cc.* Probus ergo post d. 19 Ian. 384, Atticus post d. 13 Mart. praefecturas deposuerunt. nomen Aventii, qui Symmachum in praefectura urbana praecessit (297, 12; 307, 29), in legum collectionibus non reperitur. Praetextati prima mentio fit d. 21 Mai. a. 384 Cod. Theod. VI 5, 2, Symmachi d. 29 Nov. a. 381 Cod. Theod. IV 17, 4 + XI 30, 41.

211) 295, 27 *suggestionibus viri excellentis et de re publica bene meriti Praetextati praefecti praetorio abusus existimor. quid, si ex illo decreto, quod probabiliter impetravit, necdum a me quaestio ulla temptata est?* — 295, 13 *sub occasione iustae inquisitionis, qua me cultum spoliatorum moenium investigare iussistis.*

212) Ambrosii epistula refutatoria secunda (I 18) paulo post messem anni 384 scripta est (20 *iam enim nec herbarum vulsis radicibus rusticana plebs pascitur* —, *sed operum laeta felicium, dum messes suas et ipsa miratur, explevit voti satietate ieiunium*), quod cum opusculum summa cum cura elaboratum certe non uno die confecerit praecesserintque illud ipsa relatio Symmachi atque refutatoria prima et omnes in consistorio deliberationes, senatus consultum, de quo praefectus urbi rettulit, aestatis initio factum esse debet.

213) Ambros. epist. I 57, 2 *dedi libellos imperatoribus duos, quibus significarem sumptus sacrificiorum christianum virum non posse reddere,* — *postremo si fecisset, aut non veniret ad ecclesiam, aut si veniret, futurum ut aut sacerdotem non inveniret aut inveniret sibi in ecclesia resistentem* (cf. ep. I 17, 13). *nec ad excusationem obtendi posse, quod esset catechumenus, cum non liceat etiam catechumenis sumptus idolis subministrare. lecti sunt libelli mei in consistorio. aderat amplissimus honore magisterii militum Bauto comes et Rumoridus, et ipse eiusdem dignitatis, gentilium nationum cultui inserviens a primis pueritiae suae annis. Valentinianus tunc temporis audivit suggestionem meam nec fecit aliud, nisi quod fidei nostrae ratio poscebat. adquieverunt etiam comites sui.* cf. p. XVI.

214) 295, 10 *neque enim serenum clementiae tuae animum sine his argutiis conpulisset sacro edicto populum convenire, ut asperioribus, quam pietati tuae mos est, litteris praefectum, quem sine ambitu legistis, argueres.* 295, 19 *credatur populo Romano, qui perennitatis vestrae admonitus edicto miratur in procinctu creditum, quod Roma nescit admissum.* 296, 5 *me munivit invidia, quae ad edicti necessitatem venerandi principis curam coegit.*

iuberet[215], simulque praeceptum, quod ante dederat, retractandum et mutandum reposceret[216]. vix iniuria inimici ardorem praefecti gentilis in suspicionem vocaverant. qua ansa fortasse in eum uti potuissent, nisi nimia festinatione causam perdidissent. nam cum edictum proponebatur, inquisitio nondum inchoata Symmachoque defensio facillima parata erat. quam cum officii sui adsertionibus ipsiusque episcopi Romani epistula confirmatam[217]) in comitatum misisset, plenam victoriam de adversariis rettulit. in relatione (295, 20) enim scripserat: *omitto iniuriam praefecturae et conscientiae meae, quando eo processit insimulatio, ut vos quoque ipsos auctores honoris mei quadam reprehensione praestringat. nam qui summi loci iudices decolorant, sacri testimonii facilitatem videntur incessere. — paternum sequere, tuum tuere iudicium.* quibus verbis respondet constitutio data d. 28 Dec. a. 384: *Imppp. Valentinianus Theodosius et Arcadius AAA. ad Symmachum praef. urbi: Disputari de principali iudicio non oportet; sacrilegii enim instar est dubitare, an is dignus sit, quem elegerit imperator. si quis igitur iudicum fuerit repertus, qui supercilium suum principali aestimet iudicio praeferendum, quinque libras auri eius officium, nisi formam nostrae sanctionis suggesserit, decem ipse fisci viribus inferre cogatur*[218]. sed in ipso triumphi momento inter relationem emissam et responsum datum[219] religio antiqua propugnatorem alterum morte subita amisit et Symmachus iam solus christianorum odiis expositus de resistendi viribus desperans ipse missionem ab imperatoribus petebat[220]. qua denegata usque ad mensem fere Septembrem anni sequentis (385) in magistratu remansit[221] inimicorumque vires paulatim crescere sentiebat. quod primum apparuit magistratibus minoribus in urbe contra praefecti voluntatem creatis (Rel. 17), mox quaestione de debitis areae vinariae ab Orfito praefecto urbi a. 357—59 contractis in heredes eius, id est in Symmachi uxorem, instituta (IX 150, Rel. 34), postremo vicario urbis et advocato fori urbani Ragonio Vincentio Celso aperte prae-

215) 295, 35 *sane laudabili viro episcopo denegante ullum e suis aut carcere aut vinculis adtineri et officio eadem suggerente ignoro, quos potissimum praeceperitis absolvi.*

216) 295, 33 *ut me perennitas vestra necessitate inquisitionis huius absolvat, cuius auctoritatem referri ad scrinia palatina iussistis. nam si tantum de me inprobis licuit extante praecepto, quid retractatis litteris non licebit?*

217) 295, 15 *respondeat litteris episcopi Damasi, quibus adsectatores eiusdem religionis negavit ullam contumeliam pertulisse. non magnopere officii mei praetendo responsa, a quo ideo quaesita est rerum fides, ne factum aliquod recordationem cognitoris effugeret: credatur eius legis antistiti, quae laesa simulatur.*

218) Cod. Theod. I 6, 9; de die et consulibus cf. Cod. Iust. IX 29, 2 ed. Krueger.

219) Praetextatus mortuus est in ipsa praefectura post consulatus designationem, quae anni parte posteriore celebrari solebat. cum igitur iam initio a. 385 alii praefecti praetorio per Italiam Neoterius et Principius in legibus codicis Theodosiani appareant, obitus eius anno praecedenti ascribendus est. in relatione autem, quam Symmachus de templorum spoliatorum inquisitione composuit, dicitur non *clarissimae et inlustris memoriae vir* sed 295, 27 *vir excellens et de re publica bene meritus*, quae formula in sollemni scribendi genere de homine mortuo usurpari non potuit.

220) 288, 28 *et ille quidem functus est lege naturae, nos vero socios animi sui vestrique iudicii tanto dolore confudit, ut otii remedium postulemus. sileo cetera, quae me non sinunt praefecturam ferre patienter: vel haec una consortis amissio iusta est ad impetrandam vacationem.* cf. p. 286, 3.

221) Nulla quidem lex post d. 28 Dec. a. 384 ad eum data superest, sed neque successor eius ante d. 11 Iun. a. 386 commemoratur. Cod. Theod. XIV 1, 2 + 3, 18. certum autem magistratus in annum 385 prorogati indicium praebet, quod senatus consultum de auro ad Valentiniani decennalia offerendo, quae d. 22 Nov. a. 385 celebrata sunt, eo referente factum est (rel. 13) et oblationes quoque pro parte ipse suscepit. 298, 20. cf. Herm. XVIII p. 152 et quae in capite ultimo ad ep. II 26 dicturus sum.

fecto refragantibus (Rel. 23). qui postquam annonae praefectum Symmacho amicum[222] vicarii iudicio persecutus est (297, 1), ipse in locum eius successit[223]; quod fortasse oratori quoque nostro causa fuit, ut in vitam privatam reverteretur. certe primis Octobris diebus in Campaniam profectus est, ibique mense Novembri remansit, dum Valentiniani decennalia in urbe celebrantur[224].

Magistratum igitur amiserat, sed dignationem conservabat. eloquentiae eius fama ita per totam Italiam celebrabatur, ut cum urbi Mediolanensi magister artis rhetoricae quaereretur, Symmacho electio inter candidatos committeretur[225]; senatus princeps indicabatur[226], et quo in honore apud imperatores fuerit, ostendit evocatio, qua ad tertium Valentiniani consulatum accitus est (387)[227]. sed ex loco, quem obtinebat, summum ei periculum natum est. nam postquam Magnus Maximus Italiam invasit, panegyricum ei recitavit, quod pro dignitate, qua in curia utebatur, fortasse legatus senatus ad consulatum eius alterum (388) missus fecit. Valentiniano igitur in imperium restituto maiestatis crimine tenebatur, et in ecclesiam christianam profugus Leontii Novatianorum episcopi precibus Theodosii iudicio vix ereptus est. qui cum poenae ei gratiam fecisset, apologeticum cum laudibus conservatoris sui Augusti coniunctum scripsit[228].

Non diu offensa permansit, praesertim cum Symmachi consobrinus Flavianus post Maximum devictum iterum summum in aula locum adeptus esset. itaque Theodosio

---

222) 309, 6 *vir clarissimus praefectus annonae partium suarum diligens executor.*

223) C. I. L. VI 1759 *Ragonio Vincentio Celso v(iro) c(larissimo), a primo aetatis introitu in actu publico fideli exercitatione versato, cuius primaevitas, officio sedis urbanae advocationis exercito, fidem iunxit ingenio, prudentiae miscuit libertatem, ita ut nemo de eius industria nisi ille, contra quem susceperat, formidaret; cuius accessus aetatis amplissimi honoris et qui solet seniorib(us) provenire, ornamenta promeruit. nam rexit annonariam potestatem urbis aeternae ea aequitate, ut inter omnes, qui ad eum animo litigantis intrassent, parentem se plerumq(ue) magis his quam iudicem praebuisset. hinc etiam factum est, ut mensores nos Portuenses, quib(us) vetus fuit cum caudicariis diuturnumq(ue) luctamen, voti conpotes abiremus, ut utrumq(ue) corpus et beneficio se et victoria gratuletur adfectum. nam ut hoc esset indicio, iam posito magistratu statuam patrono praestantissimo testimonium gratulationis exsolvimus, cum res non adulatione privato set iudicio posito in otio et quiete reddatur. — dedicata VIII kal. Sept. Fl(avio) Timasio et Fl(avio) Promoto v(iris) c(larissimis), cons(ulibus).* cum igitur Celsus a. 389 non solum magistratum deposuerit, sed etiam decreto mensorum Portuensium post magistratum depositum facto statuam acceperit, post annum 385 praefecturam annonae iniisse vix potest. cf. C. I. L. VI 1760; XIV 173—175.

224) II 47. 48. 26; cf. cap. ultimum.

225) August. confess. V 23 *itaque posteaquam missum est a Mediolanio Romam ad praefectum urbis, ut illi civitati rhetoricae magister provideretur inpertita etiam evectione publica, ego ipse ambivi —, ut dictione proposita me probatum praefectus tunc Symmachus mitteret.* electio rhetoris Mediolanensis ad officium praefecturae urbanae minime pertinebat neque Symmacho praefecto sed tantum Symmacho oratori delata esse potest.

226) Socrat. V 14 ad a. 388 οὗτος γὰρ ὁ Σύμμαχος πρῶτος μὲν ἦν τῆς ἐν Ῥώμῃ συγκλήτου. ἐθαυμάζετο δὲ ἐπὶ παιδεύσει λόγων Ῥωμαικῶν.

227) III 52. 63.

228) Socrat. l. l. βασιλικὸν οὖν λόγον εἰς Μάξιμον ἔτι περιόντα γεγραφὼς καὶ διεξελθὼν τῷ τῆς καθοσιώσεως ἐγκλήματι ἔνοχος ὕστερον γέγονεν· διὰ τοῦτο δὴ δεδιὼς τὸν θάνατον τῇ ἐκκλησίᾳ προσέφυγεν. ὁ δὲ βασιλεὺς οὕτως ἦν περὶ τὸν χριστιανισμὸν εὐλαβής, ὡς μὴ μόνον τοὺς τῆς αὐτοῦ πίστεως ἱερεῖς ὑπερτιμᾷν, ἀλλὰ γὰρ καὶ Ναυατιανοὺς τὸ ὁμοούσιον φρονοῦντας ἀσμένως προσεδέχετο. Λεοντίῳ γοῦν ἐπισκόπῳ τῆς ἐν Ῥώμῃ τῶν Ναυατιανῶν ἐκκλησίας παρακαλοῦντι χάριν διδοὺς τὸν Σύμμαχον ἀπέλυσε τοῦ ἐγκλήματος. συγγνώμης οὖν ἀξιωθεὶς ὁ Σύμμαχος τὸν ἀπολογητικὸν λόγον εἰς τὸν αὐτοκράτορα Θεοδόσιον ἔγραψεν. ex commemoratione episcopi Romani suspicari posses, haec gesta esse, cum Theodosius Romae morabatur aestate a. 389, nisi ex Symmacho ipso disceremus, apologeticum ante mensem Februarium a. 389 scriptum esse 46, 16. cf. p. VI. Theodosium conservatorem suum vocat 52, 11.

in urbe agente aestate a. 389 cum Ricomere et Rufino comitibus eius orator amica consuetudine usus est[229]) et iam ad festa consularia anni 390 eum ab consule designato Neoterio[230]) tum ab imperatore ipso[231]) evocationes accepit; quas illo tempore certe non recusasset, nisi casus profectionem eius inhibuisset[232]). eodem autem anno ex itinere aliquo Romam regressus ipse designationem consulatus accepit[233]) autumnumque in praeparatione ludorum consumpsit[234]).

Consulatu inito (a. 391) in comitatum profectus est, ut Theodosio Augusto gratias ageret. paulo ante nova senatus legatio denuo restitutionem arae Victoriae poposcerat, cui Ambrosius fervore solito resistebat eo usque, ut vultum imperatoris, cum nutare videretur, aliquot diebus declinaret[235]). hoc tempore advenit Symmachus in consistorio panegyricum sollemnem habiturus, eaque occasione usus coram Augusto gentilium petitiones commendavit. quo audito imperator, qui iam episcopi auctoritati concesserat, tanta ira exarsit, ut oratorem raedae non stratae impositum eodem die in centesimum a Mediolanio miliarium perferri iuberet (vere a. 391[236]). sed neque haec tam praesens vindicta gentilium animos fregit, qui iam anno sequente (392) ad Valentinianum intra Gallias constitutum legationem eadem de re miserunt neque tamen meliore cum effectu[237]).

Tota rerum condicio versa est, postquam Eugenius mense Maio a. 392 purpuram sumpsit. sed huius temporis memoria cautione editoris, qui Symmachi epistulas collegit, in corpore earum paene oblitterata est. una tantum res ex tenebris illis emergit. Q. Fabii Memmii Symmachi quaestura[238]), de cuius tempore nunc videamus.

Munus peractum est Flaviano superstite[239]), qui m. Septembri a. 394 diem obiit; itaque ultra Decembrem a. 393, quo mense ludi quaestorii celebrari solebant[240]), in

229) 88, 3 ad Ricomerem: *in suburbano praedio fovens otium sumpsi litteras tuas. cur enim Romae te discedente remanerem?* 95, 32 ad Rufinum: *sequor te litteris, quia mente et adfectione non desero; nec videor mihi cito haec arripere solacia, cum adhuc apud nos recens iucunditas tua vigeat.*

230) V 38.

231) III 85.

232) III 85; V 34. 38. ex his epistulis anxietas quaedam agnoscitur, ne iterum apud imperatorem offensionem incurrat.

233) II 62; V 15; cf. II 63.

234) II 64; V 15; IX 149. 153.

235) Ambros. epist. I 57, 4 *postea etiam clementissimo imperatori Theodosio coram intimavi atque in os dicere non dubitavi, cui intimata senatus legatione huiusmodi, licet non totus senatus poposcerit, insinuationi meae tandem adsensionem detulit et sic aliquibus ad ipsum non accessi diebus. nec moleste tulit, quia non pro meis commodis faciebam, sed quod et ipsi et animae meae proderat, in conspectu regis loqui non confundebar.* locus corruptus, sed cuius sententia satis intellegitur. quod Ambrosius dicit, non totum senatum poposcisse, eadem ratione accipiendum erit, quo I 17, 10, scilicet aliquot senatores christianos contradixisse.

236) Prosper, de promiss. dei III 38, 2 *cui* (scil. Theodosio) *Symmachus ille mirabili eloquio et scientia praeditus, tamen paganus, praeconio laudum in consistorio recitato, subtili arte, qua valuit, aram Victoriae in senatu restitui christiano, ut noverat, principi intimavit. quem statim a suis aspectibus pulsum in centesimo lapide raedae non stratae inpositum ea die manere praecepit.* haec propter partes, quas Ambrosius in gentilium petitione impugnanda agebat, Mediolanii facta esse praesumpsi, ubi Theodosius primis a. 391 mensibus consistebat. cf. p. VI.

237) Ambros. epist. I 57, 5 *iterum Valentiniano augustae memoriae principi legatio a senatu missa intra Gallias nihil extorquere potuit; et certe aberam nec aliquid tunc ad eum scripseram.*

238) Memmii quaestura commemoratur II 46. 76—78. 81; V 20—22. 46. 49. 59. 62; VII 76; IX 117. 119. 120.

239) 66, 23 ad Flavianum: *filius noster Symmachus peracto munere candidato offert tibi dona quaestoria.*

240) C. I. L. I p. 407. cf. Symm. IX 125.

tempore eius definiendo procedi nequit. at contra Symmachus in epistula scripta a. 396 aut 397 dicit, se p r o x i m e ludum gladiatorium instruxisse (141, 23): idem igitur annus 393 ultimus est, de quo vi vocis *proxime* non prorsus sublata cogitari possit. quocum conveniunt, quae praeterea de quaestura illa innotuerunt. nam Symmachus apparatum ludorum instruebat, cum Paternus et Magnillus iudices provinciarum erant[241]), quorum alter sine dignitate praescribitur legi Cod. Theod. X 19, 14 datae d. 16 Mart. a. 393, alter vicarius Africae legi Cod. Theod. X 17, 3 datae d. 19 Iun. a. 391, acceptae d. 13 Ian. a. 392.

Huic tempori filiae quoque nuptias, quibus Symmachus cum Flaviano consobrino artius adfinitatis vinculum constrinxit, cum aliqua probabilitate adscribi posse, supra iam vidimus[242]). Flavianus, acerrimus partium Eugenii dux et tum praefectus praetorio per Italiam, summa in aula tyranni potestate fruebatur, quare et filius eius ad praefecturam urbanam promotus est et Memmii Symmachi quaestura donis imperatoris adiuta et aucta[243]). sed postquam copiis Occidentalibus ad fluvium Frigidum victis Flavianus maior occubuit, minor praefecturae honorem amisit, potentia brevis in summum periculum conversa est; quod ut declinaret, Nicomachus minor exemplum soceri secutus (v. p. LVII) in ecclesiam christianam confugit plenamque Theodosii veniam impetravit quamvis ea condicione, ut fidem mutaret[244]). ita non solum capitis discrimen evasit, sed etiam bona paterna recuperavit[245]) soloque honore, quem a tyranno acceperat, privatus est[246]).

Symmachus primis post consocerum mortuum temporibus litteris scribendis abstinuit, cum maerore impeditus[247]), tum quia gratiae suae diffidebat[248]). sed postquam

---

241) 141, 2 ad Paternum: *quapropter quaeso te, ut venatorum potissimos a u c t o r i t a t e i u d i c i s et fratris amore concedas.* 130, 1 ad Magnillum: *et ipse salva i u d i c i a r i a e x i s t i m a t i o n e curam mihi religiosi, ut soles, fratris exhibeas.*

242) Inter sportulas, quae festis nuptialibus peractis amicis distributae sunt, diptychon quoque illud fuit, cuius pars altera inscripta: *Nicomachorum* Parisiis, altera inscripta: *Symmachorum* Londinii servatur, nisi forte ad matrimonium Memmii Symmachi cum Galla pertinet. *Meyer Spirensis, Zwei antike Elfenbeintafeln der Kgl. Staatsbibliothek in München. München 1879 p. 61 et 80.*

243) 57, 13; 66, 26; 137, 19.

244) August. de civ. dei V 26 de Theodosio loquens dicit: *inimicorum suorum filios, quos non ipsius iussus sed belli abstulerat impetus, etiam nondum christianos ad ecclesiam confugientes, christianos hac occasione fieri voluit et christiana caritate dilexit nec privavit rebus et auxit honoribus.* haec omnia Flaviano conveniunt, nisi quod non a Theodosio ipso, qui paucos tantum menses victoriae supervixit, sed a filio eius honoribus auctus est.

245) August. l. l. Symm. 104, 22 *integrata per indulgentiam bona.* 99, 4 *praemiserat alia exempla clementiae receptus caelo principum parens et Flaviano meo multa casibus detracta reddiderat.* cf. 100, 6; 115, 16.

246) 205, 23 *inciderat in tyranni beneficium iudicio bonorum temporum reservandus et praestitit illi a m i s s i o p r a e f e c t u r a e, quod mutavit auctorem.* 98, 30 *cum illo h o n o r a m i s s u s revertit in gratiam.* 99, 3 *maius quiddam est honorem r e s t i t u e r e quam dedisse.* 202, 18 *integratum honorem.* hac de causa in titulo fori Traiani C. I. L. VI 1783 dicitur *praefectus urbi saepius* formula ceteroquin inaudita, quia Flaviani filius, cum inscriptionem conciperet, numerum praefecturarum vero minorem ponere noluit, integrum non ausus est; at codici Liviano, qui intra domus parietes asservatus extraneorum oculis subtractus erat, *ter praefectus urbis* subscripsit (v. adn. 181) honore, quem tyrannus in eum contulit, inter reliquos computato. de Rossi, *Annali dell' Inst. XXI p. 314.*

247) 237, 29 *fortunae telo graviter sauciatus nunc primum epistulae maesta verba committo.* 257, 25 *credo miraris, quod adhuc crudo fortunae meae vulnere silentium ruperim.*

248) 255, 13 *soleo amicitias optimorum primus expetere: nunc fortunae meae inclinatio, ne praevenirem,*

genero absoluto Flaviani maioris memoria restituta, quin etiam oratione Theodosii ad senatum missa summis laudibus celebrata est[249]), ipse quoque fiduciam sui recepit et officiis familiaribus tanto diligentiorem operam impendit, quanto magis in ancipiti illo rerum statu amicorum opibus indigebat. et cum alioquin rerum natura sit, ut epistulis post auctoris obitum collectis et editis maxima ex ultimis temporibus copia supersit, bes fere totius corporis annis octo 395—402 scripta est. cuius chronologia ut firmis fundamentis insistat, primum de locis verba facturi sumus, in quibus Symmachus tum versatus est.

Arabiana. 170, 19 ad Flavianum: *ipsi in Arabiana domnae filiae meae expectamus adventum: licet te etiam, decus nostrum, dierum sollemnium ratio confestim spondeat adfuturum.* si dies sollemnes de festis aliquibus a Flaviano celebrandis interpretemur, de eo potissimum itinere cogitandum erit, quem a consule designato Theodoro evocatus hieme a. 398 suscepit (v. infra). nam Mediolanium e Campania petiturus Romam quoque adire debebat. de Arabiana cf. adn. 117.

Baiae. Bavli. aestate a. 396 v. Formiae 3.

Capva. m. Novembri a. 396 v. Formiae 3.

Cora. inter villas, quas Symmachus a. 398 incipiente frequentavit, Corana quoque nominatur. v. adn. 278.

Cvmae. aestate a. 396 v. Formiae 3.

Formiae. 1) 152, 5 *ipse Formiis adhuc residere constitui, ut mitigatis autumni aestibus ad suburbana concedam. neque enim temporis mei ratio patitur, ut communem patriam maestus ingrediar.* nullus his annis Symmachi maeror innotuit, quo urbis oculos declinare coactus sit[250]), praeter Flaviani mortem, cuius nuntius, cum Eugenius d. 6 Sept. a. 394 victus sit[251]), *autumni aestibus* ut cum maxime ferventibus Formias perlatus esse debet. et una cum Flaviano filio, qui annos 394—398 maiore ex parte in Campaniae villis consumpsit, Symmachum ruri fuisse constat, antequam patris hereditas inter illum fratremque eius divideretur[252]).

2) 141, 22 *commendastis mihi vetus iudicium meum, qui ea de litoris Formiani gratia et salubritate sentitis. — opto in illo sinu agere vobiscum, quod restat aestati, ut et locus mihi praestet valetudinem et vos animi voluptatem.* 171, 28 *fuit ani-*

---

effecit. tribuenda est igitur venia tarditatis non neglegentiae sed maestitudini meae et bono omine familiaritas copulanda, cui auspicium fortanatius praestitisti.

249) 153, 2 ad Flavianum minorem: *vivat modo et in patris celebri memoria solacium tuum et in tua salute paterna reparatio.* C. I. L. VI 1783 *bono nobiscum, p(atres) c(onscripti), [faustoque] omine intellegitis profecto, quidquid in restitutionem pr.m...inis inlustris et sanctissimae aput omnes recordationis Flaviani senio[ri]s adimus, divi avi nostri* (scil. Theodosii) *venerationem esse, si eum, quem 'vivere nobis servariq(ue) vobis' — quae verba eius aput vos fuisse pleriq(ue) meministis — optavit, sic in monumenta virtutum suarum titulosq(ue) revocemus, ut quidquid in istum caeca insimulatione conmissum est, procul ab eius principis voto fuisse iudicetis.* cf. Ambros. de obit. Theod. 4 *qui etiam iis, qui in se peccaverant, doluit, quam dederat, periisse indulgentiam.*

250) Cf. adn. 247. 248 et p. 103, 10; 152, 10; 255, 25.

251) Socrat. V 25.

252) 158, 30 ad Flavianum minorem: *in eo autem, quod vos discessus noster excruciat, habitum meae mentis agnosco; sed adhuc desideriis mutuis praestat suadere patientiam quam paenitendum aliquid per inbecillitatem adfectionis ordiri. mox cum germanus tuus de proximo, ut ais, speratus adfuerit, et felicem vobis et necessarium reditum dividendae inter vos communionis causa praestabit.*

mus Fundos praeterire, si vos Formias accessisse didicissem; postquam aliter evenit, partiri iter placuit ad minuendum laborem. erit igitur in arbitrio Fortunae ratum facere, ut a. d. V kal. Aug. Formiana sede recreemur[253]. Symmachus igitur valetudinem graviorem perpessus mense Iulio exeunte ad sinum Formianum proficiscitur, ut vires refoveat. morbi tempus duabus evocationibus consularibus definitur: de altera, quam ad Theodori consulatum acceperat, scribit orator sub finem anni 398: 155, 26 *mihi quiescere et domi manere sententia est post anni superioris laborem;* in altera causas excusationis hoc modo exponit: 154, 28 *nam fractam valetudinem meam nostis, et unici mei solitudinem contemplamini, et eruptiones fluminum usque ad metum diluvii comperistis, pontium quoque ruinas et montium labes apud vos, ut arbitror, fama non tacuit.* de consulatibus Olybrii et Probini a. 395[254] atque Attici a. 397[255], qui Romae fasces sumpserunt, sermo esse hic non potest, neque de Stilichonis a. 400, ad quem Symmachus profectus est: annus 401 eo excluditur. quod oratoris filius tum praeturam gessit, quae cum inter manendi causas vel primum locum obtinere debuerit, hic tacetur; epistula, qua evocationi Theodori consulis a. 399 respondit, adhuc superest (V 5), sed neque de Symmachi fracta valetudine neque de Tiberis inundatione verbum in ea reperies; initium anni 402 Mediolanii celebrari nequivit propter periculum incursionis Gothicae. restant Honorii consulatus tertius et quartus annorum 396 et 398, inter quos electio haud difficilis est, cum urbem paulo ante bellum Gildonicum (397) eluvione gravissima vexatam esse constet[256]. ergo iter Formianum utriusque epistulae testimonio anno 397 adsignandum est. reditum autem in urbem orator noster idibus Octobribus ingredi destinavit[257] neque quidquam obstat, quominus eum in proposito mansisse credamus.

3) Formiae. Cvmae. Pvteoli. Baiae. Bavli. Neapolis. Capva. 151, 6 *Formianum litus accessimus. hinc Puteolos mox petemus. grave est enim sub auribus iudicis Baiarum adpetentiam confiteri.* cf. 196, 20. 221, 20 *principium voluptatum de Formiano sinu nascitur. — adfuerunt pignora mea, quorum cupiens nostra urbe processeram. — illorum dehinc arbitratu legi oram, quae Formias et Cumanum litus interiacet. nunc mutuis invitationibus aut in Baulos aut in Nicomachi Gaurana migramus.* 183, 26 *ad Neapolitanam provectus oram litteras sumpsi, quibus nos in adventum tuum Bais residere iussisti.* cf. 186, 26. 269, 18 *a. d. VI kal. Nov. quaestoriae editionis exordiis interesse me praecipis. huius evocationis litteras ante biduum temporis praestituti circa Neapolim sumpsi.* 223, 16 *quamprimum Neapolim petitu civium suorum visere studeo. illic honori urbis religiosae intervallum bidui deputabo. dehinc,*

---

253) Cf. 175, 20; 181, 27; 182, 4; 185, 17; 244, 22.

254) Claud. de cons. Ol. et Prob. 226 sqq.

255) VII 30 *Symmachus Attico: Est quidem mihi ruris otium voluptati, sed antiquiorem tui iudico voluntatem; quare officiis consularibus, si fors dictum iuvet, spectator et conviva non deero. vale.* non otium profectioni, sed ruris otium urbi opponitur; non igitur itinere longiore, sed tantum reversione properata opus erat, ut Symmachus officiis consularibus interesse posset.

256) Claud. de bell. Gild. 39 *quid referam — fluvium per tecta vagum summisque minatum collibus? ingentes vexi submersa carinas remorumque sonos et Pyrrhae saecula sensi.*

257) 197, 22 *quod si etiam reditus nostri tempus inquiritis, ad idus Octobres legere iter, si dicto Fortuna adsit, optamus.*

si bene destinata dii iuverint, Capuano itinere venerabilem nobis Romam laremque petemus. cf. 265, 19; 232, 3. 215, 7 *diebus pauculis etiam nunc morari Capuae destinavi; dehinc mutationibus vicinorum locorum totum hunc mensem cupio producere, atque ita, si dii iuverint voluntatem, relegere Appiam constitui, antequam itineris crescant molestiae accessu hiemis.* tertium hoc iter Campanum Symmachus post magnam famem hiemis 395/6 vere aut aestate incipiente suscepit[258]: aestatem inter Puteolos et Baulos mansit, d. 25 Octobris Neapolim venit ibique biduum moratus Capuam petiit, unde post aliquot dies profectus mensem Novembrem integrum in itinere Romam versus consumere destinavit. in urbem paulo ante kalendas Ianuarias anni 397 pervenit, ut auspiciis consularibus Nonii Attici interesset. v. adn. 255.

Fvndi. mense Iulio a. 397 v. Formiae 2.

Gavranvm. aestate 396 v. Formiae 3.

Lavrentvm. 1) 255, 24 *haec interim de quarto Latinae viae mox agrum Laurentem petiturus emitto. est enim familiare maerentibus animi curas migratione discutere.* hunc Symmachi luctum si ad Flaviani mortem referamus, epistula ultimis a. 394 mensibus scripta erit. convenit, quod in litteris e rure Formiano missis se in suburbana iturum esse dicit, ne patriam maestus ingrediatur. v. Formiae 1.

2) 113, 24 *idem nunc de otio meo, quae velis nosse, narrabit, nam me in silvis Laurentibus continatus est rurali inhaerentem quieti. quid enim magis adsectandum est mihi, sarcienti nonnumquam valetudinem, declinanti saepe turbas, litterarum semper innocentiam diligenti?* cf. 180, 26; 184, 14. et valetudo Symmachi fracta et turbae urbanae autumnum anni 397 indicant, quo tempore bello Gildonico instante urbs fame laboravit et orator morbi reliquias rure suburbano sanabat[259].

Mediolanivm. 1) 220, 18 *mihi Flaminia emetienda est ad novos fasces generosi consulis evocato.* 109, 14 *Mediolanium te idem, qui me, consul acciverat. speravi, quod nos in unum votiva causa conduceret.* cf. 114, 32; 145, 30; 177, 25; 178, 19. 28; 197, 10; 237, 15. annis 395—402 in Occidente sex consules privati fuerunt. Olybrius et Probinus a. 395, Atticus a. 397, Theodorus a. 399, Stilicho a. 400, Vincentius a. 401. ex his Olybrius, Probinus, Atticus Romae fasces sumpserunt, Theodori evocationem Symmachus recusavit (v. adn. 254 sqq.): restant Stilicho et Vincentius. sed cum oratorem kalendis Ianuariis a. 401 in urbe praetoriis filii auspiciis interfuisse constet, haec quoque dubitatio tollitur[260]. mense Decembri a. 399 iter ingressus esse videtur, ut ante

258) 105, 9 *post urbis nostrae exitiabilem famem re frumentaria in tranquillum redacta oram Campanae regionis accesseram.*

259) Cf. 166, 20 *urbis negotia nec vacat scire nec libet scribere; animus enim morbo corporis occupatus rebus alienis curam nescit intendere. unum hoc scio, de seditionibus nuntios esse mentitos. — haec ad nos, si qua dolorum intercapedo admittit officia visentium, pari omnium sermone perveniunt.* quod Symmachus urbis negotia ex narrationibus tantum visitatorum cognovit, non Romae sed neque procul ab urbe eum tum positum fuisse monstrat. cf. 162, 6 *in suburbano dego secessu. nam et urbanarum taedet molestiarum et villae autumno commodae iucunda instauratione delector. praeterea frequentiam mihi, quae sola Romae honorabilis iudicatur, amicorum praestat adventus.*

260) Cf. 109, 16 *nunc peractis super omnium magnanimitatem consularibus festis Romam revertor, quo se amplissimus magistratus venturum protinus genero adstipulante promisit.* gener, cuius voluntati socer obsequitur, nullus alius esse potest, quam Honorius, qui a. 397 Stilichonis filiam duxerat; hunc autem processum consularem duplicem, alterum Mediolanii, alterum Romae, celebrasse, ex Claudiani carminibus in

kalendas Ianuarias Mediolanium perveniret, ibique ad medium fere mensem Februarium a. 400 permansit[261].

2) Occasionem, quae Symmachum iterum Mediolanium perduxit, enarrat VII 13: *iter meum famae varietas retardavit. nam dum exploro tuta et longitudinem viae dierum interpositione distinguo, tandem sextum kalendas Martias Mediolanium per Ticeni longinqua perveni. nunc laborem meum domini et principis nostri blandus sermo solatus est. spero etiam legationem brevi in notitiam divini principis perferendam; siquidem vir cuncta praecelsus, cui primas partes causae publicae noster ordo mandavit, mox cum praesidiis validissimis adfore nuntiatur.* cf. 101, 11; 102, 13; 151, 12. 22. 28; 180, 15. senatus legationes illo tempore plerumque ita instructae erant, ut pars legatorum ex urbe missa partem alteram ex aulae summatibus electam in comitatu de mandatis ordinis certiorem faceret sibique, si consentiret, adiungeret et primas partes causae orandae ei imponeret[262]. eodem modo Symmachus simul cum Stilichone legationem suscepit[263], cuius annus ex eo agnoscitur, quod *dum explorat tuta*, recto itinere Mediolanium ire ausus non est; quod enim periculum legato senatus ad Augustum misso imminere potuit, nisi hostes vias occupassent? primum autem bellum, quod Honorio imperium tenente intra Italiam exarsit, Gothorum irruptio erat, qui d. 18 Novembris a. 401 ex Alpibus Iuliis descenderunt, aestate vel autumno a. 402 in Illyricum repulsi sunt[264]. et hostem, quem Symmachus evitavit, ex oriente venisse, circuitus per Ticinum, i. e. occidentem versus, factus docet. Stilichonem apud Honorium non repperit, quia ut exercitum adduceret, in Raetias profectus erat[265], sed *cum praesidiis validissimis adfore* tum nuntiabatur. anni denique tempus huic bello convenit, nam cum Gothi hieme Mediolanio appropinquassent[266] et pugna Pollentina d. 6 April. commissa esset[267], circa d. 24 Febr. Stilichonis adventum ab imperatore expectatum esse, ratione assequeremur, nisi Symmacho teste uti liceret.

Neapolis. d. 25 et 26 Octobris a. 396 v. Formiae 3.

Ostia. 1) Symmachum eo morbo, in quem aestate a. 397 incidit, non in urbe afflictum esse, docet epistula autumno eiusdem anni ad Florentinum scripta: 116, 22 *purgas, quod hucusque siluisti. communis haec culpa est. nam me quoque ab tali commercio diu infirma valetudo revocavit. inhorruisse te puto, postquam de me cognitu amara*

---

consulatum Stilichonis agnoscitur, quorum libri priores in festis Mediolanensibus, tertius in urbanis recitatus est.

261) 177, 25 *circensium sollemnitati consularis magnificentia satisfecit; ludorum adhuc et muneris splendidissimae imminent functiones, quibus ante Februarias nonas, ut opinamur, inpletis iter ad nostra relegemus.* 178, 19 *accessit peregrinationi nostrae largior dies ex conperendinatione ludorum, quos pluviarum interventus retardat.*

262) 159, 22 *nam principio Postumianum et Pinianum duobus aulae summatibus iunxit electio.*

263) 101, 9 ad Stilichonem: *cum sublimi excellentia tua legationem mihi amplissimus ordo mandavit. — pervectus igitur ad comitatum domini et principis nostri Honorii in notitiam magnificentiae tuae deferre non distuli adventus mei causam.*

264) *Die Zeit der Schlachten bei Pollentia und Verona. Forschungen zur deutschen Geschichte XXIV, Heft 1.*

265) Claud. de bell. Pollent. 319—468; de VI cons. Hon. 459.

266) Claud. de VI cons. Hon. 443. *iam Ligurum trepidis admoverat agmina muris tutior auxilio brumae, quod gentibus illis frigore consueti favet inclementia caeli.*

267) Oros. VII 37, 2. cf. Chronogr. a. 354 ed. Mommsen p. 626.

legisti. redi in habitum animi laetiorem: diis quippe auctoribus sanitatem refovi. nam praefectus urbi de tanto summi senatoris periculo certe non litteris instruendus fuisset, si res paene sub oculis eius acta esset. ubi autem orator tum fuerit, ipse dicit in epistula ad Flavianum, quam paulo ante morbum illum scriptam esse, suo loco probabo: 155, 6 *redditae sunt nobis litterae vestrae cum in Ostiensis viae septimo degeremus.*

2) vere a. 398 v. Roma 7.

3) autumno a. 398 v. Roma 7.

Praeneste. vere a. 397 v. Tibur.

Pvteoli. aestate a. 396 v. Formiae 3.

Roma. 1) 108, 30 *mihi Romae iugis est statio et maior nunc causa residendi, ex quo me viri excelsi germani tui praesentis et cura retinet et iuvat gloria.* Florentinus, Protadii frater, de quo sermo est, praefectus urbi factus est inter d. 6 Iul. et 14 Sept. a. 395. his autem verbis indicari videtur, iam aliquot temporis antequam magistratum iniret, Symmachum in urbe fuisse, quod aliae litterae confirmant. nam paulo post Flaviani maioris memoriam restitutam (autumno 394 aut hieme 394/5) iam de minoris praefectura urbana hominum iudicia colligebat et ad generum mittebat, quod nisi Romae aut in suburbano positus non potuit (VI 1).

2) Autumno eiusdem anni rus secessit[268]), sed Florentini litteris revocatus ad idus Novembres reditum pollicitus est[269]) totamque hiemem 395/6 in urbe remansit[270]). notitiam legis de Rufini bonis publicandis, quae d. 13 Febr. a. 396 Constantinopoli data est, Romae accepit[271]); itaque non ante mensem Aprilem in Campaniam profectus esse potest.

3) Mense Decembri a. 396 reversus est, ut festa Attici consularia celebraret. quae cum usque ad Februarium fere extendi solerent, anni 397 initio secedere ei non licuit. v. adn. 255.

4) Primis Iunii a. 397 diebus ex urbe ad generum scribit[272]).

5) Circa idus Octobres a. 397 larem Caelium repetivit, sed paucos dies ibi remansit[273]). v. Formiae 2.

6) Hieme a. 397 incipiente[274]) senatus consulto de Gildonis criminibus interfuit[275]). eodem fere tempore valetudinis reficiendae causa Etruscos vapores aditurus erat, turbis autem urbanis, quae bellum Gildonicum comitabantur, retentus est[276]). sed post

268) 159, 25 *hinc orta certatio* (in senatu) *usque ad nefarias pugnas me absente processit. — sed dirimendas partium quaestiones meo dicuntur detulisse iudicio.*

269) 116, 3 *restat, ut tibi reditum meum sub quadam curiae invitatione poscenti pauca respondeam. ad idus Novembres, modo eventus adiuvet destinata, recurrere in conspectum vestrum paramus.*

270) VI 18. 21. 15. 12. 14. 26; IV 18. 21.

271) VI 14.

272) 168, 1 *hortor igitur, ut scripto eius evocatus digneris adcurrere ante senatum, qui idibus Iuniis erit.*

273) 181, 27 *proxime de Formiano sinu regressus in larem Caelium domo iamdiu abesse te conperi. datum mox negotium est Theophilo communi amico et nunc itineris mei socio* etc. itaque *proxime* reversus novum iter ingressus est.

274) Claud. de bell. Gild. 16 *quem veniens indixit hiems, ver proterit hostem.* 66 *hanc quoque nunc Gildo rapuit sub fine cadentis autumni.*

275) IV 5 *veniet in manus tuas, quid pronuntiaverim.*

276) 187, 23 *plerumque fors disposita conturbat: quod nunc mihi usu venit, qui Etruscos vapores salubritatis causa adire non potui rebus retentus urbanis.*

Africam receptam mense Martio in villam Vaticanam se contulit usque in kalendas Apriles a. 398 ibi moraturus, neque tamen munera senatoria in urbe neglexit[277]. ita *modo abscessu modo reditu variavit locorum distinctionem*[278], usque dum populi seditione Roma pulsus est.

7) Paucos dies in praedio Ostiensi moratus in urbem reversus est[279] totumque annum 398 ibi mansisse videtur, nisi quod autumno Ostiam ad nuptias amici[280] et hieme in Arabianam profectus est. certe et aestate, cum milites de Gildone victores ex Africa revertebantur[281], et autumno hiemeque, cum evocationes ad Theodori consulatum adferebantur[282], Romae erat. cum autem hoc anno praeparatio praeturae filii inciperet, quae nisi in urbe ipsa instrui non potuit[280], paene quadriennium continuum a. 398—401, quod ea in re consumptum est, Symmachus Romae permansit, quae assiduitas semel tantum evocatione Stilichonis interrupta est. itaque ne una quidem epistula ex innumeris illis, quae praeturam Memmii spectant, alius loci indicia prae se fert, ita ut ne in suburbanum quidem orator secessisse videatur.

8) Ex legatione vere a. 402 Romam reversus est[283] ibique diem obiisse videtur.

Tibvr. 182, 27 ad Attalum: *Villa Tiburs, quae p r o x i m e in ius tuum venit, maioris ingenii praedicatorem requirit: ego tamen linguae modicus, ut potero, verbis honorem loco faciam.* haec scripta sunt ante autumnum a. 397, nam Attali rus Tiburte, quod hoc loco p r o x i m e in ius eius venisse dicitur, iam commemoratur, cum Symmachus valetudine recuperata Formiis in urbem et paulo post in villam Laurentem profectus est, sed tum etiam ea ratione praedicatur, quae possessioni recenti maxime conveniat[284]. cum praeterea omnes ad Attalum epistulae, quorum tempus definiri potest, ultimis Symmachi annis scriptae sint, de hac quoque idem statuendum erit, et quando de unoquoque fere huius temporis mense constat, ubi tum Symmachus versatus sit, excepto vere a. 397, huic secessum Tiburtem assigno. quod si verum est, Praenestinum quoque oratoris otium, quo Flaviano socio usus est[285], haud multum ab illo removendum erit; nam Symmachi gener, cum plerumque in Campania resideret, tamen socero Tibure agenti proximus erat, utpote qui convivii natalicii copias ad eum tum mittere posset[286].

277) 169, 23 *ipsi post legatorum profectionem rus Vaticanum, quod vestro praedio cohaeret, accessimus, et si nihil disposita conturbet, in Apriles kalendas villae otio defruemur.* 183, 6 *urbanas turbas Vaticano, in quantum licet, rure declino, et tamen, si quando in coetum vocamur, ad obsequium consilii publici pedem refero.*

278) 170, 26 *quare ut possumus modo abscessu modo reditu variamus locorum distinctionem. testimonio est haec epistula suburbano agro tantisper emissa, quam de Corano nostro, si nihil disposita turbaverit, alia consequetur.*

279) 172, 6 *paucis a patria diebus afuimus, et theatralibus ludis reditum nostrum suffragia civium poposcerunt. nos tamen etiam nunc suburbanum viae Ostiensis incolimus recursum tantisper morantes, ne preces expectasse videamur.* tempus secessionis definitur epistulis ad praefectum urbis eius anni Lampadium datis, quae de eadem re loquuntur VIII 63. 65.

280) 163, 7 *ipsi haec de nuptiis Ostiensibus, ad quas nos viri inlustris Sallustii filius iunior evocavit, contulimus in paginam, sed continuo ob ludorum praeparationem Roma repetenda est.*

281) VII 38.

282) VI 10. 30. 35. 36.

283) IV 13; V 94. 96.

284) 180, 25 *si te superbum Tibur e x p l e v i t, Laurentibus silvis amoena commuta.* cf. 181, 29; 182, 9.

285) VII 35.

286) 176, 16 *omnes ad nos natalicii convivii copias transtulistis. — nobis Tiburnis aura blanditur.*

Ticinvm. mense Februario a. 402. v. Mediolanium 2. integrum igitur Symmachi itinerarium inde a Flaviani maioris morte hoc erit:

Formiis, autumno a. 394.
Laurenti, autumno a. 394.
Romae, a hieme a. 394 usque in autumnum a. 395.
In suburbano aliquo, autumno a. 395.
Romae, inde a d. 13 Nov. a. 395 minimum usque ad mensem Aprilem a. 396.
Formiis, vere a. 396.
Cumis, Puteolis, Bais, Baulis, aestate et autumno a. 396.
Neapoli, d. 25 et 26 Oct. a. 396.
Capuae, ultimos Octobris dies a. 396.
In itinere Capua Romam, mensem Novembrem a. 396.
Romae, inde a mense Decembri a. 396 minimum usque ad Februarium a. 397.
Praeneste, vere a. 397.
Tibure, vere a. 397.
Romae, mense Iunio a. 397.
In Ostiensis viae septimo, aestate a. 397.
Fundis, mense Iulio a. 397.
Formiis, inde a d. 28 Iulii usque ad d. 15 Octobris a. 397.
Romae, mense Octobri a. 397.
Laurenti, mense Octobri et Novembri a. 397.
Romae, inde a mense Novembri a. 397 usque ad mensem Martium a. 398.
In Vaticano, mense Martio a. 398.
Modo Romae modo in suburbanis, mense Aprili a. 398.
In Ostiensi, vere a. 398.
Romae, inde a vere usque in autumnum a. 398.
Ostiae, autumno a. 398.
Romae, autumno a. 398.
In Arabiana, hieme a. 398.
Romae, inde a hieme a. 398 usque ad hiemem a. 399.
Mediolanii, inde a mense Decembri a. 399 usque ad mensem Februarium a. 400.
Romae, inde a mense Martio a. 400 usque ad initium a. 402.
Ticini, mense Februario a. 402.
Mediolanii, inde a d. 24 Februarii a. 402.
Romae, vere a. 402.

His expositis rerum gestarum ordinem persequemur.

Capitis discrimen a Symmachi genero Theodosii clementia averterat, sed gravia nihilominus incommoda remanebant. quoniam enim omnis magistratus aut a tyranno collatus aut sub tyranno gestus pro usurpato in fraudem rei publicae habebatur, emolumenta eius nomine accepta a fisco ut indebita reposci solebant. ea autem, quae Flavianus praefectus praetorio per annos tres consecutus erat, ad tantam summam accreverant, ut ab heredibus filiis repetita rem familiarem eorum si non evertere, certe gravissimo damno afficere deberent. Symmachus igitur de ea re a. 395 ad Florenti-

num tum quaestorem et fratrem eius Protadium scripsit[287], sed usque ad initium anni 396 non impetravit[288]. paulo tamen post Felici, qui Florentino successerat, pro beneficio aliquo eo intercedente in proximos suos collato gratias agit, id quod ad remissionem debiti referendum esse videtur[289]. praeterea tempus illud, quo gratia Nicomachorum apud summos iudices minimum valitura esse videbatur, ab omnibus observatum est, qui litium privatarum ansas in eos habere se crederent, ita ut socero interveniendi occasiones non deessent[290]. quibus curis privatis publicae accesserunt.

Gildo comes et magister utriusque militiae per Africam, quamquam in magno inter Occidentem et Orientem bello neutri parti totum se addixerat, Eugenio tamen plus favit largasque copias Romam misit, ita ut sub Flaviani minoris praefectura nulla in urbe inopia sentiretur. sed post Theodosii victoriam classes annonarias retinere coepit, id quod urbs iam sensit, cum Symmachus hieme a. 394/5 in ea agebat. quarum difficultatum culpam et in urbe et in aula in praefectos collatam esse cum ex oratoris verbis[291] tum ex crebris eorum mutationibus perspicitur. nam Basilio, qui Eugenio mense Septembri a. 394 debellato magistratum ante Octobrem iniisse non potest, inter d. 5 Mart. et 21 Apr. a. 395 successit Andromachus[292], Andromacho inter d. 6 Iul. et 14 Sept. Florentinus[293], qui honorem quidem summa cum laude gessit et plus quam duos annos retinuit, sed fami obviare non potuit. quare autumno a. 395 Symmacho ruri morante senatus legatos, qui ab Honorio auxilium peterent, mittendos censuit, et postquam de electione eorum magnum in curia certamen exarsit, orator noster, cuius arbitrio utraque pars causam suam commiserat, a praefecto urbis Romam revocatus est. qui cum idibus Novembribus a. 395 reverteretur[294], eam in urbe fru-

287) 104, 18 *Flavianus vir inlustris — solvere salarium patris iussus est, taxatione pretiorum graviter aggerata, neque census exilis tanto oneri convenit. fac igitur, si quid in te opis est, ut adflictae domui pia temporum parcat humanitas; alioquin integrata per indulgentiam bona vel auctione vel gravitate fenoris distrahentur.* cf. 115, 16.

288) 156, 27 ad Flavianum: *in negotio autem sanctae unanimitatis vestrae, quod praeceptio iterata commovit, consilio trahendae solutionis utendum est et pars, quae ad germanum tuum pertinet, subicienda auctioni, ut huiusmodi iniuria factum iuvenis exaggeret aut expleat voluntatem.*

289) 136, 30 *nam illud etiam, quod te praesule processit ad commodum proximorum meorum, quamvis iustitiae datum sit, tibi tamen refertur acceptum.*

290) IV 71; V 52; VI 2. 6. 8. 22. 57; VII 64. 65.

291) 152, 21 ad Flavianum minorem: *in tenui patriae victu superioris providentiae laudem refotam non ex ore multitudinis sed ex ratione humani ingenii colligamus. necesse est enim seros aestimatores beneficiorum, cum succedant angustiae copiis, dissimulatam gratiam conlatione sentire. et plebes quidem nostra paucorum studiis antehac in odium tanti civis* (i. e. Flaviani minoris) *subacta testatur propalam paenitendi correctionem.*

292) Cod. Theod. VII 24, 1; XV 14, 9.

293) Cod. Theod. II 12, 6 + VII 12, 3 + VIII 8, 7; VI 2, 11.

294) 159, 20 *patriae vero nostrae inter cetera frumentariae penuriae mala legationis ambitus nequiorem facem subdidit. nam principio Postumianum et Pinianum duobus aulae summatibus iunxit electio sub ea expressione iudicii, ut in ipsis solis plena esse legatio diceretur. interiectis diebus, cum mandata ordinis tractatus expenderet, Paulinum illis studia privata iunxerunt. hinc orta certatio usque ad nefarias pugnas me absente processit. pudet dicere, quae in se optimates senatus crimina et maledicta proiecerint. sed dirimendas partium quaestiones meo dicuntur detulisse iudicio.* 116, 3 ad Florentinum praefectum urbi: *restat, ut tibi reditum meum sub quadam curiae invitatione poscenti pauca respondeam. ad idus Novembres, modo eventus adiuvet destinata, recurrere in conspectum vestrum paramus. si promissi dies serus videtur, legationem senatus per me nolo differri, quae dudum viris inlustribus credita et instructa mandatis neque personarum neque petitionum requirit adiectionem. decet igitur stare dispositis, nec fas est exemplo proximae dissensionis per novos tractatus*

menti inopiam invenit, ut seditiones plebis cottidie expectarentur[295]) multique nobilium rus profugerent[296]) et ipse de filio puero in Campaniam dimittendo cogitaret[297]). Symmachi auctoritas, quamquam non eo usque valebat, ut turbas in senatu motas sedaret — quae legationem usque ad Stilichonis ex Oriente reditum tardaverunt[298]) —, collegas tamen ad duas collationes faciendas compulit, quibus annona aliquot dies fulta et plebis ira repressa est[299]). his remediis hieme tracta legatio, quae vere incipiente in comitatum venit, auxilium efficacius impetrasse videtur[300]). nam cum Symmachus in otium ruris Campani secessit, inopiae urbis consultum erat[301]).

Iam hoc in itinere, postquam filius in morbum incidit, ipse quoque levioribus valetudinis incommodis afflictus est, qua de causa plurimis mansionibus institutis Romam lente repetivit[302]). aestate autem a. 397, cum in praedio Ostiensi morabatur, aegritudine a renum doloribus orta[303]) in tam grave periculum adductus est, ut rumor eius usque in Campaniam perferretur generque de celeri reditu cogitaret[304]). sed socero

---

confirmata subverti. cf. 160, 27. de anno famis illius, ut alia omittam, ex eo constat, quod simul cum Rufini caede commemoratur in epistula VI 14.

295) 158, 14 *horum pleraque ad statum pertinent patriae, quam defectu alimentorum graviter laborantem periculosum est inhabitare, impium et crudele deserere.*

296) 159, 3 *fratris mei Eutrechii spectabilis viri liberos inpatientia paterni amoris acciverat, quibus properandi causas inopia urbis adiecit.*

297) 157, 21 *in eas angustias communis patriae fortuna deducta est, ut extrema vitanda sint. itaque fratrem vestrum continuo ad vos opto dimittere, cui basternarios mox praebere dignamini, ut festinatio eius iumentorum adminiculis adiuvetur.* 156, 32 *fratrem vestrum Romae tantisper tenebo, quoniam subsidia annonae in dies viginti oblatio prorogavit. moleste igitur filia mea ferre non debet, si iumenta itineri eius deputata tardavero.* 160, 22 *diu mecum ipse contendi, ut ad vos pignus commune dimitterem, sed vicit adfectio maxime adsurgente specula sufficientium conditorum. — redire igitur ad vos iumenta praecepi agens gratias, quod necessitatem fratris vestri congruis adminiculis iuveritis.* quia Symmachus VI 15 iumenta poscit, VI 12 moram eorum excusat, VI 26 se animalia remisisse scribit, hae epistulae parvis temporis spatiis intermissis se hoc ordine, quem proposui, excipiebant. 12 *ludos imperiales* iam celebratos commemorat (156, 20), id est ludos ob consulatum Honorii Augusti initum kalendis Ianuariis a. 396 datos; scripta est igitur mense Ianuario a. 396, epist. 15 autem paulo ante, 26 paulo post.

298) VI 12, 5 *de legatione mittenda ob angustias frumentariae rei usque ad reditum viri excellentissimi comitis tractatus publicus differetur.* VI 26 *legatorum adhuc vacillat electio. nam Postumiano et Piniano, quos a principio mandatis suis senatus agnoverat, tertius Paulinus adseritur, et divisis in studia partibus adhuc differtur utilitas.* de tempore harum epistularum vide adnotationem praecedentem.

299) 156, 18 *mihi vir inlustris iudex praetorianus ob conlationem senatus et alia remedia urbis augustae denuntiavit offensas.* 156, 33 *subsidia annonae in dies viginti oblatio prorogavit.* 160, 23 *nam viginti dies urbis alimoniis parca interim promittit expensio. praeterea amplissimi ordinis s e c u n d a c o n l a t i o accessurum securitati aliquid pollicetur.* 157, 15 *solatur inter haec populum spes frumenti a patribus oblati, et religiosa optimatium voluntas tenet concordiam civitatis. nunc votis opus est, ut divina opitulatio invehat commeatus, dum salus civium privata conlatione producitur.*

300) 103, 27 *conperisti haud dudum frumentarias magnae urbis querellas; successit huic olei penuria, et adhuc manet de fruge causatio. hinc rerum fessi viros curiae oratum remedia legavimus, et spes est, clementissimum divinumque principem salutari ope consulturum petitis. interea laborantium murmure strepit civitas.*

301) 105, 9 *post urbis nostrae exitiabilem famem re frumentaria in tranquillum redacta oram Campanae regionis accesseram.*

302) 231, 11 *filius meus cum bona dei venia periculo caret, sed defectum virium patitur prope usque ad aegritudinem. redire consilium est paulatim mansionibus in spatia minora divisis* (mensem paene integrum in itinere erat v. p. LXII). *ego quoque meorum contagio socius accessi, credo ex vigiliis nocturnis, quarum in praesentia exiguus fuit sensus, noxa post cruduit.* cf. 132, 16; 228, 11. 24; 230, 9. 14.

303) 174, 13 *rienum dolore discrucior. sed ne maior ad aures vestras fama perveniat, praesentem statum valetudinis meae breviter indicavi.*

304) VI 28. 16. 19. 76.

paululum recreato consilium mutavit, praesertim cum Symmachus ipse in litore Formiano refectionem quaerere instituerat[305]. quo postquam d. 28 Iulii pervenit, statim pedis dolore correptus est[306] lentoque gradu ad sanitatem processit[307]. itaque mense Octobri viribus receptis Romam reversus est[308]; sed in rure Laurenti, quo se paulo post recepit[309], pedum aegritudine renovata diu laboravit[310] Etruscosque vapores adiisset, nisi turbae in urbe exortae viri in senatu principis operam sibi vindicassent. v. adn. 276.

Postquam Gildo Arcadii auctoritate innixus Occidentis imperatori obsequium denegavit, certamini inter fratres Augustos exorto senatus a Stilichone arbiter electus est, qua in causa Symmachum interpretem adhibuit. itaque sententiam oratoris nostri secutus ordo amplissimus Africae comitem hostem publicum iudicavit bellumque ei indicendum esse censuit[311].

Qui cum Mascezele in expeditionem missi sunt, parva tantum manus erat legionis unius et auxiliorum palatinorum sex, electa ex iis copiis, quae cum Eugenio contra Theodosium steterant et quarum spiritus rebelles efficiebant, ut earum iactura magis fortasse speraretur quam timeretur. sed post tergum eorum exercitus maximus parabatur, qui cum Stilichone ipso sequeretur[312]. itaque iam inde ab aestate per Gallias Italiasque dilectus agebatur[313], a quo ne patrimonium quidem Augustum[314] nedum senatorum praedia excusabantur. restitit senatus petitionibusque saepius repetitis legem datam d. 24 Sept. a. 397 impetravit, qua ei potestas facta est, ut quinis argenti libris aut, quod idem est, vicenis quinis solidis singulos tirones redimeret[315]. pecunia

305) 141, 26 *opto in illo sinu agere vobiscum, quod restat aestati, ut et locus mihi praestet valetudinem et vos animi voluptatem.*

306) VII 73; VI 77; VII 74.

307) V 67; IV 54.

308) 167, 24 *redisse non paenitet, nam — salutis compotes sumus.* cf. VII 18.

309) IV 44; VII 15. 26. 27.

310) 270, 6 *denuo me pedum vinxit dolor, dum quieti ruris indulgeo.* 270, 12 *otianti mihi in agro solitus unius pedis morbus obrepsit.* 188, 28 *dum ruri agerem libertate caeli gressum reformans, cuius me usus post dolorem moratur* etc. cf. p. 219, 14; 161, 13; 166, 20; 168, 18; 197, 5; 198, 16. 26.

311) 99, 29 ad Stilichonem: *lectis domini nostri Honorii Augusti litteris atque sententiis decursisque omnibus paginis, quae Gildonis crimina continebant, par bonorum motus erupit. consulti igitur in senatu more maiorum — neque enim sine legitimo ordine iudicii auctoritas stare potuisset —, ingenti causae devotis sententiis satisfecimus* (non igitur acclamatione promiscua, ut tum fieri solebat, sed sententiis more rei publicae liberae perrogatis Gildo damnatus est). — *veniet in manus tuas, quid pronuntiaverim. reperies et facti huius me adseruisse iustitiam et apud dominum nostrum Arcadium causam publicae egisse concordiae.* Claud. de cons. Stilich. I 326 *non ante fretis exercitus adstitit ultor, ordine quam prisco censeret bella senatus. neglectum Stilicho per tot iam saecula morem rettulit, ut ducibus mandarent proelia patres.*

312) *Ueber die Zeit der Schlachten bei Pollentia und Verona. Anhang. Forschungen zur deutschen Geschichte XXIV Heft 1.*

313) Claud. de cons. Stil. I 306 *veteres firmare cohortes, explorare novas.* 315 *unde rudis tanto tirone iuventus enituit senioque iterum vernante resumpsit Gallia bis fructas Alpino vulnere vires? non ego dilectu, Tyrii sed vomere Cadmi tam subitas acies conceptas dente draconis exiluisse reor.* prima lex, qua de dilectu illo agitur, data est d. 17 Iun. a. 397 Cod. Theod. VII 13, 12.

314) Cod. Theod. VII 13, 12.

315) Cod. Theod. VII 13, 13 *amplissimi ordinis petitionibus annuit nostra clementia, ut pro tironibus pretia inferantur. damus itaque optionem, ut, quod conducibile senatui videtur, eligendi habeat potestatem, id est aut tirones aptos officiis militaribus praestent aut pro singulis viginti quinque solidos numerent.* idem die 12 Nov. de fundis quoque patrimonialibus constitutum est. Cod. Theod. VII 13, 14.

numerata, quo tempore Symmachus aeger in praedio suburbano versabatur, Octobri aut Novembri a. 397[316], tirones eo usque contracti nondum ad bellum sufficere videbantur et nova indictio senatui imminebat; quam cum praefectus urbi Florentinus cogi posse negaret, Lampadium successorem accepit, post d. 21 Dec. a. 397[317]. senatus igitur denuo legationem ad comitatum misit. quam Priscus Attalus commendaticiis a Symmacho instructus ducebat[318], et cum Africa omni spe celerius iam victa esset, petitionibus eius cedebatur atque tam tirones quam oblatio senatoribus remissi sunt[319].

Symmachus omnibus his senatus consultationibus interfuit, et quamquam legatis profectis in rus Vaticanum secessit, ad ordinis tamen consilia Romam venire solebat[320]. urbs licet inde ab hieme a. 395/6 nullam famem graviorem perpessa esset, nihilominus semper frugum inopia laborabat[321], quam nec subsidia a Stilichone ex Galliis Hispaniisque allata[322] nec denique Africa victa totam sanavit[323]. quae cum plebs bello Gildoni indicto culpae daret, invidia in principes senatus et vel praecipue in Symmachum conversa est, quorum sententiis dominus Africae hostis publicus iudicatus erat. itaque Flavianus, cum iram plebis magis magisque a soceri inimicis stimulari comperisset, suadebat, ut Romam relinqueret. sed orator inter metum et pudorem metus confitendi haesitans, consilium neque accepit neque abiecit, sed modo in urbe versabatur, modo in proxima urbi praedia secessit, usque dum seditio erupit. quod ubi factum est, in villam Ostiensem perfugit, sed plebs post paucos dies in paenitentiam versa ludis theatralibus reditum eius poposcit. praefecti igitur litteris revocatus paululum

316) 168, 18 *mea valetudo caret interim doloribus sed indiget firmitate maxime accedentibus curis, quas proxime facta a senatu auxit oblatio.*

317) 171, 18 *nam mihi ob alia quoque aegre est turbas patriae cogitanti, quas praecipue movent in usum militarem petita servitia. et nos quidem crebris precibus obnitimur et diem ducimus supplicando, iamque ad pretium argenti quinque librarum misera oblatione perventum est; sed vereor, ne nos alterius rei fuga utroque despoliet. praefectus agendo negotio segnior visus Lampadio successore mutatus est, cuius moribus crediderunt inpossibilia promoveri.* Florentinus praefectus urbi ultimum praescribitur legi datae d. 21 Dec. a. 397 Cod. Theod. VI 2, 15 + 14, 2 + VIII 7, 19 + XII 1, 153—156 + Cod. Iust. III 23, 1.

318) Symmachus epistulae, quam ab Attalo iter faciente acceperat, respondens scribit: 183, 6 *urbanas turbas Vaticano, in quantum licet, rure declino, et tamen, si quando in coetum vocamur, ad obsequium consilii publici pedem refero.* eundem Attalum legatum Mediolanium missum esse, ex commendaticiis VII 54. 113. 114 discimus; quam autem legationem duxerit, ex epistula ad Flavianum agnoscitur 169, 23 *ipsi post legatorum profectionem rus Vaticanum, quod vestro praedio cohaeret, accessimus, et si nihil disposita conturbet, in Apriles kalendas villae otio defruemur. iuniorum dilectus urbanis familiis imperatus usque ad aeterni principis responsa pendebit.*

319) 170, 32 *legati ordinis nostri ex usu actis omnibus reverterunt. nam et tironum conquievit indictio et argenti nobis facta gratia est. super impetratis tamen adhuc speratur oratio.*

320) v. adnot. 318. cf. 171, 2 *saepe urbanam commorationem proximo rure distinguimus.*

321) Symmachus autumno a. 397 scribit: 116, 26 *sed quid mihi insusurras frugis Africanae tenues commeatus? absit, ut praesens annus imitetur fortunam superiorum.* hic pluralis *superiorum* monstrat, etiam hiemem a. 396/7 satis difficilem fuisse; quod autem ex Africa tum subsidia sperabantur, eo explicatur, quod Gildo usque ad hiemem a. 397 frumenta numquam negaverat, sed parce tantum misit. cf. Claud. de bell. Gild. 70 *pascimur arbitrio Mauri, nec debita reddi sed sua concedi iactat gaudetque diurnos ut famulae praebere cibos.*

322) Claud. in cons. Stil. I 307; II 392; III 91; in Eutrop. I 402.

323) 187, 14 *caret Appia tota militibus transvectis omnibus, qui pacato Africae statu in obsequium divini principis reverterunt. quid quod etiam patria in rebus angustis vel opem bonorum vel societatem requirit? — sed iam spes melior urbis nostrae vultum serenat et alimonia interim proviso fulta subsidio etiam frugis Libycae stipulatur adventum.* ergo cum exercitus victor in Italiam iam reversus erat, nondum ullus ex Africa commeatus annonarius venerat.

restitit, *ne preces expectasse videretur*, brevi autem tempore moratus in urbem reversus est[324] maioremque anni 398 partem ibi consumpsisse videtur.

Versus anni finem Nicomachus Flavianus primum redintegrati favoris Augusti signum accepit. nam cum, qui ad consulatum Theodori (a. 399) evocarentur, a Stilichone ipso electi essent et non solum epistulis consulis designati sed etiam sacris litteris invitarentur, huiusmodi honor simul cum Symmacho genero quoque eius delatus est[325]. et orator quidem excusavit[326], Flavianus autem cum magna commendaticiarum copia[327] in comitatum profectus est et praefectura urbis denuo accepta ad socerum rediit[328].

Paulo ante prima eius rei mentio fit, quae omnia Symmachi studia per triennium continuum paene sola occupavit et innumeris epistulis argumentum dedit[329]: de praetura filii loquor. nam quo tempore Ostiae agens cottidie evocationem Theodori expectabat, *ob ludorum praeparationem* sibi continuo Romam repetendam esse scribit, sed addit: 163, 9 *diu enim mihi ista curanda sunt*, ita ut pateat, non anno iam proximo,

---

324) 170, 24 ad Flavianum: *felix materia est suadere otium; sed haec adhortatio animum sui iuris requirit. nos neque residere patitur* *l i v e n t i u m f a c t i o* *nec filii iuvenis institutio longum peregrinari. quare ut possumus, modo abscessu modo reditu variamus locorum distinctionem.* 172, 6 *paucis a patria diebus afuimus, et theatralibus ludis reditum nostrum suffragia civium poposcerunt. nos tamen etiam nunc suburbanum viae Ostiensis incolimus recursum tantisper morantes, ne preces expectasse videamur. quo si facere ex sententia religionis tuae ante voluissem, et* *v i t a s s e m p e r i c u l o s a*, *quae post secuta sunt, et expectatio mei plus dignitatis habuisset. sed una fuit huius consilii ratio, ne quibusdam loco pulsus viderer et verecunda discessio verteretur in notam timiditatis.* 258, 21 *post ingentia pericula, quae solus in communis patriae perturbatione toleravi, in bonum me statum redisse significo.* 233, 3 ad Lampadium praefectum urbis a. 398: *indicio quietis urbanae tempus quodammodo usurpandi otii prorogasti. abesse enim longum placiditas me civium sinit consiliis tuis parta,* *q u i b u s p l e b s r e d u c t a e s t i n p a e n i t e n d i v e r e c u n d i a m.* ex hac epistula de tempore seditionis constat.

325) 155, 26 ad Flavianum: *rogatos esse nos audio ad officium consulare. mihi quiescere et domi manere sententia est post anni superioris laborem; ipse quid statuas, altius cogita et sapienter expende. praesumo autem eos, qui dicuntur acciti, auctoritate praecelsi viri* (scil. Stilichonis) *edecumatos esse et his unanimitatem tuam consulto esse sociatam, ut ad agendas gratias sub occasione officii consularis excurras.* 161, 26 *multus rumor increbruit, sanctitatem tuam* *s a c r i s l i t t e r i s* *evocandam.* 163, 6 *nulla ratione te posse evocationis honorificentiam deprecari.* 163, 11 *cum mihi* *s a c r a e l i t t e r a e* *redderentur, quibus ad officium praecelsi viri consulis evocamur, vidi alias aeque ad tuum nomen emissas, quibus te honorificentia imperialis accivit. consulis quoque scripta idem agens in rebus exhibuit. — nolo igitur ambigas, cum scias, auctoritate praecelsi viri* (scil. Stilichonis) *electas amicorum esse personas* *t i b i q u e h a e c p r i m a p o s t d u b i a f o r t u n a e d i v i n i p r i n c i p i s a d l o q u i a d e f e r r i.* ad Stilichonem: 100, 6 *reddideras inclinato* (scil. Flaviano) *pristinum statum et putaberis consumpsisse praestanda: nunc adiecta est ei honorabilis evocatio, quam testimonii tui iuvit auctoritas.* ad Theodorum: 125, 27 *filium meum Flavianum consulatus tuus revocat in lucem. nescio, an eum commendare tibi debeam, cui summi gaudii auctor fuisti.* hac epistula omnium reliquarum, quarum verba supra proposuimus, tempus definitur; cf. 203, 4; 250, 8.

326) V 5; cf. adn. praecedentem.

327) Commendaticiae Flaviano datae reperiuntur ad Theodorum consulem et praefectum praetorio V 6; ad Stilichonem IV 6; ad Minervium comitem sacrarum largitionem IV 39; ad Decium (?) VII 47; ad Longinianum VII 95; ad Petronium et Patruinum VII 102; ad ignotum aliquem IX 47.

328) Pro honore generi gratias agit Stilichoni IV 4; cf. ad Longinianum VII 93, ad Petronium et Patruinum VII 104, ad Salvium VIII 29 et adn. 246.

329) De equis curulibus in praeturam Memmii comparandis agitur IV 7. 58—60. 62. 63; V 56. 82. 83; VII 48. 82. 90. 97. 105. 106; IX 12. 18—25. de feris, leopardis, crocodilis, ursis, addacibus, pygargis IV 12; VI 43; VII 59. 121. 122; IX 15. 16. 27. 132. 135. 137. 141. 142. 144. 151. de reliquo ludorum apparatu et de praetura in universum IV 8; VI 33—35. 38. 40. 42; VII 1. 110; VIII 11. 21. 71. 72; IX 6. 13. 15. 26. 74. 152.

sed eo, qui proximum sequeretur (400), ludos celebrandos esse. itaque primo vere a. 399 familiares in Hispanias misit, qui equos curules coemerent[330]), omniumque amicorum operam editioni suae vindicavit. sed paene in periculum adductus est, ne rei tanta cum cura praeparatae ipse interesse prohiberetur. nam quamvis omnes evocationes consulum designatorum annis proximis recusasset, hunc honorem a potentissimo eius temporis homine Stilichone oblatum accipere coactus est[331]). itaque a. 399 exeunte Mediolanium profectus in itinere nuntium accepit, praeturam filii in annum sequentem (401) dilatam esse[332]). qua mora usus est, ut ludos apparatu largiore instrueret (IV 63), adiutus a Stilichone dono ferarum Libycarum[333]): sed nihilominus ipse in editionem 2000 pondo auri consumpsit[334]).

Eodem anno (401) nuptias quoque filii cum filia Nicomachi Flaviani celebrasse videtur[335]). mense Februario a. 402, cum Gothi Venetiam et Liguriam vastarent, legatus Mediolanium missus est, quo ex itinere aeger Romam revenit[336]) neque multo

330) IV 7. 58. 60; V 82. 83; VII 48. 82. 90. 97. 105. 106; IX 12. 18—25; tempus omnium harum epistularum ex tribus agnoscitur VII 82. 106; IX 25. scribit enim Symmachus ad Petronium, qui vicarius Hispaniarum fuerat: 206, 23 *familiares meos ad Hispanias missos — iuvari tuis litteris volo, ut illis merita tua Hispanorum mentibus inpressa suffragio sint.* Petronius igitur illum magistratum iam ante aliquot tempus deposuerat, in quo ultimum commemoratur d. 18 Dec. a. 397. ad Messalam autem haec scribuntur: 199, 26 *instruenda mihi atque adornanda praetura est, ad cuius nos editionem magnitudinis tuae processus animavit; inceptum enim meum viribus fratris utetur.* sequitur commendatio familiarium in Hispanias proficiscentium. — verba, quae proposuimus, docent, Messalam paulo ante honorem aliquem accepisse, per quem Symmachi editionem efficacissime adiuvare posset; praefectus autem praetorio Italiae factus est non multum ante d. 16 Febr. a. 399. cum equi ex Hispania iam expectarentur, a Vincentio praefecto praetorio Galliarum a. 395—400 petitur 243, 3 *ut equorum tractoriis, quas vir inlustris Theodorus emisit, confirmationem per epistulam praestes, ne mutato iudice beneficii lentescat auctoritas.* ergo Theodorus tum in magistratu aliquo successorem accepit, quem versus finem a. 399 praefecturam praetorio deposuisse, ex aliis testimoniis constat. et quod a praefecto Galliarum confirmatio tractoriarum poscitur, quas praefectus Italiae emisit, nullam difficultatem praebet, cum omnis iudex praetorianus per totum Occidentem eiusmodi diplomata et praestare et confirmare potuerit.

331) 220, 18 *mihi Flaminia emetienda est ad novos fasces generosi consulis evocato. — praefata numinum venia praetorem Symmachum meum mox urbanum tribunal accipiet. festa eius frequentari a potissimis amicorum, quibus adnumeraris, exopto. da istam gratiam procul afuturo iisdem diebus. gratius est, quod defertur absentibus.* cf. p. LXII.

332) 177, 6 ad filium: *simul accipe, quod voto tuo congruit, fasces praeturae tuae in eum annum feliciter proferendos, cui advocata numinum voluntate ego quoque laetus intersim. — utrique nostrum prospexisse fortunam, ut et tuus magistratus iuvetur praesentia patris et ego festorum tuorum coram defruar voluptate.* 120, 11 *incitat nos praeturae mora ad desiderium numeri largioris.* praeturam anno post Stilichonis consulatum (a. 400) celebratam esse, dicit 100, 31 ad Stilichonem: *fastigio consulari, quod proxime tui culminis felix et olim debitus magistratus ornavit.* 101, 31 *consulatum liberalitate continuas et ut publicus parens in futuros etiam magistratus imperialem provocas largitatem. quo ergo mihi ore celebrandus es, qui fastigio honorum* (id est consulatu) *iure conspicuus praetorios quoque instruis apparatus?* quocum congruit, quod ludorum tempore Flavianus iam privatus in Campania morabatur (VI 33. 34. 38. 40. 42. 43), qui praefectus urbi ultimum praescribitur legi datae d. 8 Nov. a. 400 Cod. Theod. XV 2, 9.

333) IV 12; VII 59. 122.

334) Olympiod. apud Phot. cod. 80. p. 63 A 40 Bekk. v. adn. 136.

335) 264, 17 *nuptiis quidem filii mei te quoque inter amicorum potissimos interesse voluissem.* Memmius igitur Symmachus patre superstite uxorem duxit, quod ne multum ante a. 402 factum esse credamus, vetat mariti aetas. cf. IV 14; IX 93. 104. 106.

336) 151, 28 *Romam redisse me nuntio. atque utinam sanitatis quoque meae index esse potuissem, quam labefactavit peregrinationis iniuria et hiemalis asperitas.* 102, 13 *ad patriam redisse me nuntio necdum conpotem sanitatis.* cf. 117, 14.

post obiit. nam nulla eius epistula temporis posterioris indicia praefert, quod argumentum eo certius est, quia huiusmodi corpus, quale ad nos pervenit, ex ultimis scriptoris annis maximam litterarum copiam continere solet[337].

V.

CHRONOLOGIA ET PROSOPOGRAPHIA SYMMACHIANA.

Cum Symmachi edendi munus susciperem, statim intellexi, historicorum usui, cui hoc monumentorum Germaniae corpus potissimum destinatum est, me tum optime prospecturum esse, si uni cuique epistulae vel quae alia opuscula hoc volumine continentur, annum, quo scripta erat, in contextu ipso adponerem. nam scriptorem ingenii tam pauperis pauci certe lecturi sunt, sed multi hic illic inspicient, ut singulas res excerpant. quod si temporum ratio primo obtutu patet neque longis ambagibus in praefatione quaerenda est, cum fructu multo maiore fieri potest. disquisitio igitur chronologica instituenda erat, antequam liber imprimeretur. cum autem typothetarum opera plus quam biennium consumeret et totum hoc tempus in iisdem studiis saeculum Symmachianum spectantibus occuparer, multa didici, quae ante nescieram, multaque inquisitione retractata corrigenda inveni. plerumque autem non errores retexi, sed tempora epistulis adscripta finibus artioribus includi posse perspexi, ita ut lecturi aut nihil aut non multum a vero aberrent, si illa sequantur. sed rationes exponere, quibus adductus aut erravi aut veri non nisi partem indagavi, non in animo est, cum melioribus rationibus usus certiora invenerim. sciat igitur lector, nonnumquam numeros annorum in praefatione propositos ab eis diversos futuros esse, quos in contextu reperiet, sed priores semper ut indicio firmiore innisos praeponendos esse.

In materia disponenda non tam elegantiae studui, quam commoditati eorum, qui hoc libro usuri sunt. ut igitur facile in una quaque epistula rationes inveniri possint, quibus temporis nota insistat, eundem ordinem in hac praefationis parte sequar, quo Symmachus filius epistulas collocavit.

I 1—12 AD SYMMACHVM PATREM.

1—4 Secunda a patre scripta respondet primae, tertia et quarta secundae: omnes ergo eodem temporis tractu emissae sunt. in 1 filius proconsulatum Africae ut iam depositum commemorat[338], quem usque ad a. 375 gessit (v. p. XLVIII); contra

337) Quod Prudentius Symmachum ut vivum adloquitur (v. adn. 4), nihil aliud demonstrat, quam nuntium mortis eius sero in Gallias pervectum esse. Symmachi vita codici florilegii Parisino 8559 inserta, cui Morin, *Études p. 77* tantam vim tribuit, semidocto alicui saeculi quinti decimi debetur, et cum omni genere errorum apertissimorum abundet, nullam plane fidem meretur.

338) 2, 16 *hos inter iuvenile decus, sed honore senili, bis seno celsus, Symmache, fasce cluis.*

mors Avianii Symmachi, qui a. 376 obiit (v. p. XLIII), terminum constituit, ante quem omnes ad eum epistulae scriptae esse debent. quod autem de mala fortuna, qua tum utebatur, loquitur[339], id tempus indicat, quo domo a plebe incensa ex urbe pulsus erat, i. e. autumnum a. 375. v. p. XLII. hoc commemoratione Beneventi terrae motu destructi confirmatur (4, 31); nam inter prodigia, quae Valentiniani mortem (d. 17 Nov. a. 375) praecesserant, multis imperii locis terram concussam esse, refert Zosimus IV 18.

5 Quo tempore 1—4 scriptae sunt, Symmachus Campaniam et Samnium peragrabat; ex praedio Baulano in Lucrinum se contulit (1, 11), tum Neapolim, Beneventum (4, 26) et rursus Baias profectus est (5, 2). hoc iter respicere videtur, si 5 initio dicit: *nequiquam taciturnitatis incessimur, quibus summa cautio est officii persequendi, fere ut nulla statio fuerit tot locorum, in qua huius muneris ferias egerimus.* nam haec quoque in Campania dictata sunt (5, 30), et quod de voluntate ad patrem revertendi loquitur, cum his epistulae quartae verbis coniungi potest: 5, 20 *plura de hoc coram loquemur, quando hanc epistulam sequi paramus aut consequi.* itaque has litteras paucis diebus post praecedentes emissas esse crediderim.

6 *Deos precor, ut datis in commune omnes longum fruamur sintque ex nobis, quibus Ostiense praedium nostro iudicio, vestro tradatur exemplo.* tum igitur liberos nondum habebat, sed iam sperabat, id quod prima matrimonii tempora indicat; ergo epistula scripta est inter Symmachi nuptias (aestate a. 375) et patris obitum (autumno a. 376). v. p. XLIX.

7—11 quodam inter se vinculo cohaerent, neque tamen, ut 1—5, ordine chronologico procedunt, qui hic potius fuisse videtur: 10 Symmachus in Campania agens reditum ad patrem praeparat, quem cum 11 scriberet, ipsum ad se venturum esse acceperat. 9 veritus est, ne imbribus intervenientibus profectio Avianii retardaretur, quam inchoatam esse 7 indicat. 8 patris tarditatem, qui iter ingressus aut in statione Corana aut in Formiana longius morabatur, blande castigat. haec omnia scripta sunt, postquam Symmachus uxorem iam duxit[340], i. e. post aestatem a. 375, autumnique iam in hiemem vergentis 11 mentionem facit[341]. quibus temporis indiciis accedit arta inter 5 et 10 coniunctio: utramque enim in Campania scripsit, in utraque de itinere pluribus stationibus distincto sermo est[342], in utraque de gravibus sumptibus in diversa praedia impensis queritur, in utraque denique proximum ad patrem reditum pollicetur. haec igitur epistularum series primam (1—5) proxime secuta est.

12 tempus huius epistulae nulla re praeter mortem patris definitur.

339) 3, 2 *nam quia nihil est, quod agam, et si nil agam, subit me malorum meorum misera recordatio, inveni, quod illis libellis, quos nuper dictaveram, possimus adicere.* haec litterarum studia filius respicere videtur, cum in oratione pro Trygetio de secessu patris agens dicat: 335, 32 *quo melior ad vos rediret, curarum vacuus animum litteris excolebat.*

340) 8, 6 *cum iam filiae vestrae dies natalis adpeteret, commodum aderant, quae muneri miseratis.* cf. adn. 166.

341) 6, 20 *ut dum anni tempus calet, autumni bona raptim fruamur.*

342) 5, 26 *ut nulla statio fuerit tot locorum, in qua huius muneris ferias egerimus.* 7, 26 *hanccine mihi esse fortunam, ut quoquo versum pedem gradumque contulero, exaedificandum aliquid offeratur?*

I 13—43 AD AVSONIVM.

De Ausonii vita nuper egit Carolus Schenkl in huius corporis tomo quinto: quare opera diligentiore absolutus pauca tantum partim repetam, partim addam, quae ad Symmachi epistulas illustrandas pertinere videbuntur.

Stemma Ausoniorum, quod adieci, a Schenkliano his rebus discrepat:

Ex eo, quod codices aliqui reliquis Ausonii nominibus modo Theonii modo Paeonii nomen addunt, Brandes probabiliter conclusit, a matre Aemilia Aeonia cognomen eum ultimum accepisse. nam quod quibusdam in mentem venit, Paeonii appellationem a librariis adiectam esse, quia poetam cum patre eius confundentes medicum fuisse praesumpserint, subtilius excogitatum est quam verius.

Arborius is praefectus urbi fuisse videtur, de quo Symmachus 60, 21 loquitur. cur ei nomen Magni addiderim, reperies in Hermae vol. XVIII p. 296.

Hesperio nomen Aquilium iam a Scaligero tributum est, sed ex quonam scriptore antiquo illud hauserit, ignorare me fateor.

Hesperium, quem Symmachus a. 385 comitem virumque clarissimum et inlustrem dicit (296, 20), plerique eundem cum Ausonii filio crediderunt; sed is, cum iam a. 377 praefectus praetorio fuerit, annis octo post comitivam dignitate multo minorem gessisse non potest. quia autem nomen Hesperii rarissimum est[343]), hunc quoque ad Ausonii familiam pertinere praefectique filium fuisse suspicor: nam poetam tres ex filio nepotes habuisse, ex parentalibus constat[344]).

Ausonii nepotem inscriptio protreptici in codice Harleiano servata Censorium Magnum Ausonium nominat. cui testimonio Schenkl nullam auctoritatem tribuit, nam, ut ipsius verbis utar, 'hunc librum ex Parisino descriptum esse scripturae in utroque consensu comprobatur'. si autem illum consensum diligentius consideraveris, invenies codices Harleianum et Parisinum praeter orthographica quaedam, ut *nepus* et *fatescit*, numquam in mendis consentire, sed tantum in scripturis veris, id quod ad cognationem eorum probandam plane nullius momenti est. praeterea Harleianus desinit in versu protreptici tertio decimo eique subscriptionem addit hanc: *explicit grypus;* librarius igitur carmen integrum se descripsisse putavit, quem in errorem adduci non potuisset, si Parisinum vel obiter inspexisset. quod autem maxime me movit, ut libro saeculo quinto decimo scripto fidem habendam esse quovis pignore contendam, nominis ipsius ratio est, quod ne a homine quidem doctissimo illius temporis excogitari potuit. nam Censorius Magnus Ausonius nomina duo accepit ab avo materno Magno Ausonio, tertium a paterno Censore, eodem modo quo Memmius Symmachus ab avis Memmio Vitrasio Orfito et Symmacho nuncupatus est. et derivationum quoque eiusmodi, ut Censorius a Censore, exempla simillima habes in Probino filio Probi, Constantino filio

343) C. I. L. VIII 5423 . . . . . *mius Hesperius* quidam nominatur, sed hic fortasse, cum inscriptio in provincia proconsulari inventa sit, ab Ausonii filio, qui proconsul Africae fuit, diversus non est. is autem Hesperius, de quo decretum proconsulis Achaiae C. I. L. III 568 loquitur, facile praefecti filius vel nepos fuisse potest. tertium, qui hoc nomine utatur, nusquam reperio.

344) XIII 4 *Hesperii patris tertia progenies.*

STEMMA AVSONIORVM.

Argicius
- Caecilius Argicius Arborius, m. Aemiliae Corinthiae Maurae
  - Aemilius Magnus Arborius, † circa a. 335
  - Aemilia Hilaria
  - Aemilia Dryadia
  - Aemilia Aeonia — Iulius Ausonius, † a. 378 (brothers and sisters of Iulius Ausonius: Claudius Contentus, Iulius Callippio, Iulia Cataphronia, Iulia Veneria)
    - Iulia Veneria: Iulia Idalia

Attusius Lucanus Talisius
- Attusia Lucana Talisia, n. Erminuscio Regulo
- Namia Pudentilla, n. Flavio Sancto
  - Lucanus Talisius (?)
    - filius aut filia
- Attusia Lucana Sabina

Children of Aemilia Aeonia and Iulius Ausonius:
- Aemilia Melania
- DECIMVS MAGNVS AVSONIVS AEONIVS, cos. a. 379 (m. Attusia Lucana Sabina)
  - Ausonius
  - HESPERIVS, praef. praet. a. 377—80
    - HESPERIVS (?), comes a. 385
    - filius aut filia
    - Pastor
  - filia, n. Valerio Latino Euromio et THALASSIO
    - (Valerius Latinus Euromius) praes. Dalmatiae: filius
    - (THALASSIO) procos. Afr. a. 378—79, filio Severi Censoris Iuliani et Pomponiae Vrbicae:
      - Censorius Magnus Ausonius
      - Paulinus, com. s. l. a. 414
- Iulia Dryadia, n. Pomponio Maximo
  - Pomponius Maximus Herculanus
- Avitianus

Children of Aemilius Magnus Arborius:
- MAGNVS ARBORIVS, praef. urb. a. 379—80, m. Veriae Liceriae
  - filia
- Megentira, n. Paulino
  - Paulinus
  - Dryadia

Nomina eorum, qui in Symmachi scriptis commemorantur, litteris maiusculis expressa sunt

Constantii, Constante filio Constantini. quis codicis librarium mores saeculi quarti tam bene cognovisse credat, ut haec fingeret, praesertim cum ne id quidem scire posset, Censorem Censorii avum fuisse, nisi Ausoniorum stemmate ex parentalibus diligentissime composito? fragmentum igitur Harleianum, quamvis manu recenti, ex libro tamen antiquissimo descriptum est, et ne unam quidem litteram in eo reperies, quae non vel ex ipso Ausonii autographo ducta esse possit.

Priorem poetae generum praefectum praetorio Illyrici fuisse, multi parentalium verba male interpretati crediderunt, sed Schenkl recte huic dignitati signum interrogationis apposuit. Euromius enim *in primae flore iuventae* obiit, Constantius autem numquam iuvenes ad potestates inlustres promovit[345] et sub Iuliano Valentinianoque Illyricum ne praefectum quidem suum habuit, sed cum Italia coniunctum erat[346]. quod igitur Ausonius dicit, praefecturae sedem generi virtutes expertam esse[347], ita intellegendum est, ut is praefectus praetorio, a quo Euromius Illyridis orae, i. e. Dalmatiae, praeses factus erat, administrationem eius probaverit.

Euromium filium reliquisse, certum est[348], sed quantum temporis lactans ille puer patri supervixerit, nusquam traditur et nulla plane ratio suadet, ut poetae nepotem Censorium Ausonium ex Euromio procreatum esse sumamus[349]. quin immo cum patrem eius proconsulem fuisse constet[350] et prior Ausonii gener in honorum cursu numquam ultra praesidatum progressus sit, Thalassii sine ullo dubio filius erat. quod si verum est, Severum Censorem Iulianum Ausonii consocerum patrem Thalassii fuisse sequitur, nam Censorius Magnus Ausonius nomen primum certe non a genitore vitrici antequam nasceretur mortui, sed ab avo accepit.

Paulinus, qui Eucharisticum scripsit, natus est Pellis, cum pater eius vicariam praefecturam per Macedoniam administraret. quo ad proconsulatum Africae promoto mense nono Carthaginem perlatus est, ubi menses duodeviginti permansit. quibus exactis cum patre primum Romam, tum Burdigalam pervenit, unde familia eius originem traxerat, ibique tertio aetatis anno avum, qui tunc consul erat, invenit[351]. et patria

---

345) Amm. XXI 16, 3 *examinator meritorum non numquam subscruposus, palatinas dignitates velut ex quodam tribuens perpendiculo, et sub eo nemo celsum aliquid acturus in regia repentinus adhibitus est vel incognitus, sed qui post decennium officiorum magisterium vel largitiones vel simile quidquam esset recturus, apertissime noscebatur.*

346) Mommsen, Polemii Silvii Laterculus, *Abhandl. der k. sächs. Ges. der Wissensch. III p. 261.* Ausonii pater honorariam tantum per Illyricum praefecturam accepit.

347) Parent. XVI 9 *hoc praefecturae sedes, hoc Illyris ora praeside te experta est fiscus et ipse cliens.*

348) Parent. XVI 3 *occidis in primae raptus mihi flore iuventae, lactantis nati vix bene note pater.*

349) Auson. protr. 36 (*qui nomen avi geris, indole prima, prime nepos*) non dicit, hunc nepotem primum fuisse, qui sibi natus sit, sed tantum primum, qui avi nomen gerat.

350) Protrept. ad nepotem 43 *hac gradiare via, qua nos praecessimus et cui proconsul genitor, praefectus avunculus instant.* ne genitorem de vitrico interpretemur (Brandes, *Zu Paullinus von Pella. Zeitschrift f. d. österr. Gymn. 1881. p. 326*), Ausonii silentium etiam plus vetat quam verba. quis enim ferat, Censorio tot locis exempla avi vitrici avunculi ante oculos collocari et patris mortui ne mentionem quidem fieri?

351) Eucharist. 24 *editus ut Pellis — patre gerente vices inlustris praefecturae, orbis ad alterius discretas aequore terras pervreherer, — moenia Sidoniae Carthaginis usque venirem, ante suum nono quam menstrua luna recursu luce novata orbem nostro conpleret ab ortu. illic, ut didici, ter senis mensibus actis sub genitore meo proconsule, rursus ad aequor expertasque vias revocor, visurus et urbis inclyta culminibus praeclarae moenia Romae. — tandem autem exacto longarum fine viarum, maiorum in patriam tectisque advectus avitis Burdigalam veni. — tunc et avus primum illic fit mihi cognitus, anni eiusdem consul.*

Burdigala et consulatus (a. 379) avum Ausonium produnt[352], pater autem, qui a. 377 vicarius Macedoniae[353], a. 378—379 proconsul Africae fuit, non Hesperius Ausonii filius fuisse potest — is a. 376 proconsulatum gessit, a. 377 iam praefectus praetorio factus est[354] —, sed tantum Thalassius gener poetae. hic enim legi datae d. 30 Ianuarii a. 378 proconsul Africae praescribitur[355] eumque magistratum non multum ante hunc diem acceperat: nam cum eo per menses duodeviginti gesto Burdigalam reversus est, socerum iam in patria repperit, quo ante praefecturam depositam (post mensem Septembrem a. 379) redire vix potuit. cf. adn. 153 et 371.

---

nostra trieteride prima. ne Paulini avum consulem suffectum fuisse credamus, vetant verba *anni eiusdem consul;* suffecti enim annum non habebant, cui nomen darent et qui hac ratione proprius eorum dici posset. Brandes p. 328 Paulinum hoc modo interpretatur: *Gieng also auch Hesperius bereits in den ersten Monaten des Jahres 376, vielleicht noch vor der Geburt seines Sohnes, persönlich nach Africa ab, so mag sich der Umzug der Familie recht wohl erst zu Ende des Jahres vollzogen haben. In Afrika blieb dieselbe nach Paullinus 1½ Jahre, also nach unserer Rechnung bis zur Mitte des Jahres 378, was obwohl Hesperius in diesem Jahre nicht mehr Proconsul war, schon deswegen nichts Auffallendes haben kann, weil als sein Nachfolger im Amte sein Schwager Thalassius nach Carthago gekommen war.* quae, ut de eo taceam, quod non Thalassius sed Hilarius Hesperii successor fuit (v. adn. 153), cum omnibus poetae verbis pugnant; natum enim se esse dicit patre gerente vicariam Macedoniae praefecturam, non post illam a patre depositam, et in Africa menses duodeviginti fuisse sub genitore proconsule, non cum genitore proconsulatu functo.

352) Leipziger (*Paullini carmen eucharisticum prolegomenis et adnotationibus illustratum. Vratislaviae 1858 p. 4*) ideo dubium se esse fatetur, quod Paul. 414 et 422 praedia materna et avita in Epiro et Achaia sita commemorat, cui argumento Brandes quoque magnam vim tribuit. sed Ausonii avunculus Aemilius Magnus Arborius, qui Constantinopoli praeceptor Caesaris versatus erat et hac occasione oblata facile in Graecia agros comparare potuerat, sine liberis mortuus est (Parent. V 20 *dixisti nato me satis esse tibi*) et fortasse poetam heredem reliquit. Ebert (*Geschichte der christlich lateinischen Litteratur I p. 389*) computasse sibi videtur, Paulini avum a. 385 consulem fuisse, sed ex iis, qui huic anno nomen dederunt, Arcadio Augusto et Bautone, neuter certe Burdigala oriundus erat. unica autem, qua innititur ratio est, quod Paul. 232 *transacta aevi post trina decennia nostri*, barbaros Gallias invasisse tradit, id quod ad Athaulfi irruptionem a. 412 refert, quamvis etiam de bello a. 407 gesto sermo esse possit (Brandes, p. 322). sed etiamsi illam interpretationem admittamus, nihilominus tamen poeta trina decennia se transegisse eodem iure anno aetatis trigesimo quinto et trigesimo primo dicere potuit, praesertim cum metri necessitate accuratior numeri indicatio impediretur.

353) Tillemont (*Notes sur l'empereur Gratien 6*) de Paulino dicit: *Il n'avait que trois ans presque accomplis, lorsque son ayeul Ausone était consul en 379. Il ne peut donc être né plustard qu'au commencement de l'an 376.* si autem numerum mensium a Paulino indicatum computaveris, invenies viginti septem; avo igitur consule annum aetatis tertium vixdum inchoaverat neque anno 376 ineunte natus esse potest, sed aut exeunte aut, quod veri multo similius est, anno 377.

354) Anno 377 non Hesperium sed Hilarium Africam rexisse, series proconsulum in adnot. 153 proposita demonstrat; ex eo autem, quod in lege data ad Hesperium d. 27 Febr. a. 377 (Cod. Theod. VIII 5, 34) proconsularis provincia commemoratur, concludi non potest inscriptionem, quae ei praefecti dignitatem tribuit, vitiosam esse. nam quamvis praefecturae iurisdictio in Africa proconsulari cessaret, res tamen vehicularis, de qua in illa lege agitur, per totum imperium ei subiecta erat. praeterea ipsa constitutionis verba docent, eum, cui data est, proconsulem non fuisse: § 3 *iam vero mancipum non ab ordine nec a magistratibus accipienda videntur obsequia, sed ab officio proconsulari;* Gratianus enim ad proconsulem scribens certe dixisset: *ab officio gravitatis tuae* vel simile quid, non *ab officio proconsulari.* sed etsi concedi posset, hanc legem dubiam esse, firmissimum tamen praefecturae documentum praeberet Cod. Theod. I 15, 8 data d. 21 Ian. a. 377; nam ea non solum Hesperio praefecto praetorio inscripta est, sed etiam de relationibus vicariorum verba facit, quae proconsulem nulla re spectabant, et eum, cui directa est, titulo *inlustris censura tua* ornat, qua in iudice spectabili uti non potuit. quod autem Ausonius (epiced. in patr. 45) patrem dicentem facit: *huius* (scil. Ausonii) *ego et natum et generum pro consule vidi* Hesperii praefectura non commemorata, brevitatis et metri causa factum est.

355) Cod. Theod. XI 36, 23—25.

Ausonius numquam Gallias reliquisse videtur, Symmachus semel tantum adiisse, cum m. Februario a. 369 legatus ad comitatum proficisceretur (v. p. XLVI); hoc igitur tempore consuetudo inter eos initium cepit. qua re perspecta etiam de anno, quo Ausonius Gratiani praeceptor factus est, certiora discimus. nam ne multum ante Symmachi adventum hoc munus eum suscepisse credamus, prohibemur ipsius verbis, quibus se tum tirocinium exercuisse dicit. praeterea constat, usque ad initium anni 370, quo tempore Symmachus in patriam rediit, nullum honorem in Ausonium collatum esse[356], quod sane mirum in praeceptore Augusti videretur, si tum iam diutius probatus fuisset. nec tamen multo post ad comitivam evectus est intraque quinquennium, quod sequebatur, quaesturam sacri palatii meruit[357].

Valentiniano superstite Maximini praefecti praetorio Galliarum gratia tantum praevaluit, ut Ausonio parum loci relinqueretur; quod ubi filius partes imperii Occidentales solus obtinuit, statim immutatum est. nam inde ab initio a. 376 cum ex legibus tum ex magistratuum nominationibus summa, qua praeceptor principis fruebatur, potentia agnoscitur. filius eius Hesperius proconsul Africae et mox praefectus praetorio Italiae, gener Thalassius vicarius Macedoniae et proconsul Africae creantur, pater Iulius Ausonius praefectura Illyrici honoraria, ut videtur, exornatus est, ex sorore nepos Arborius primo comitivam rerum privatarum, tum praefecturam urbis accepit. cum igitur poeta ipse quaestor et mox praefectus praetorio esset, per quadriennium integrum (376—380) omnes summi per Occidentem magistratus unius familiae quasi patrimonium erant. nec minus legum eodem tempore latarum argumenta Ausonii ingenium produnt. grammaticus et rhetor per omnes maiores Galliarum civitates utriusque artis professores creari iubet iisque numerum annonarum satis splendidum constituit[358]; admirator eloquentiae legem suadet duabus Libanii orationibus ante commendatam sed quae multo facilius detur quam observetur[359]; antiquitatis venerator destructionem monumentorum veterum defendit[360]; filius medici archiatrorum privilegia auget[361]. odium autem imperatoris defuncti totiusque rationis, qua rempublicam administravit, quod ne in oratione quidem coram filio recitata dissimulare potest[362], in legibus consilio

356) Ausonius ap. Symm. 18, 7 *dum in comitatu degimus aevo dispari, ubi tu veteris militiae praemia tiro meruisti, ego tirocinium iam veteranus exercui.* praemia illa militiae nihil aliud designare possunt, quam honorem aliquem ab imperatore acceptum, quem comitivam tertii ordinis fuisse iam supra (adn. 143) vidimus. elucet igitur ex his verbis Symmachum comitem infimi generis Ausonium tamen dignitate superasse, quem, cum ipse nullum honorem infra comitivam gesserit, privatum tum fuisse necesse est.

357) Auson. grat. act. 2, 11 *tot gradus nomine comitis propter tua incrementa congesti; ex tuo merito te ac patre principibus* (i. e. ante d. 17 Nov. 375, quo die Valentinianus mortuus est) *quaestura communis et tui tantum praefectura beneficii.* cf. Symm. 14, 7 et locos a Carolo Schenkl p. IX compositos.

358) Cod. Theod. XIII 3, 11.

359) Cod. Theod. I 16, 13 cum adnot. Gothofredi.

360) Cod. Theod. XV 1, 19.

361) Cod. Theod. XIII 3, 12.

362) Grat. act. 1, 3 *quis, inquam, locus est, qui non beneficiis tuis agitet et inflammet? nullus, inquam, imperator Auguste, quin admirandam speciem tuae venerationis incutiat: non palatium, quod tu, cum terribile acceperis, amabile praestitisti, non forum et basilicae olim negotiis plena, nunc votis pro tua salute susceptis — nam de sua cui non te imperante securitas? —, non curia honorificis modo laeta decretis, olim sollicitis maesta querimoniis.* 15, 71 *tu perpetuae bonitatis edictis occurristi omnibus, ne timerent.* 16, 72 *intellegis posse te esse lenissimum sine dispendio disciplinae.*

et fortasse etiam stilo eius conscriptis apertissime prodit. Valentiniani imperium viris militaribus potissimum innitebatur, in senatum suspicionem et despectum prae se ferebat: Gratianus ordinis privilegia diligenter custodiebat[363]) atque in causis inter iudices civiles et militares divisis civiles praeferri iussit[364]): praecipue autem nimia iudiciorum criminalium severitas multis legibus restricta est[365]).

Constitutiones illae maiore ex parte datae sunt, cum Ausonius quaestor esset legumque concipiendarum cura ei incumberet: sed inter d. 12 Ian.[366]) et 20 Apr. a. 378[367]) ad *culmen honorum* praefecturam praetorio evectus est Galliasque regendas accepit, cum filius eius Hesperius iam plus quam annum Italiae Illyrico Africae praepositus esset. sed poeta noster grammaticus quam administrator melior fuisse videtur. nec tamen sustinuit imperator praeceptorem honore privare. itaque nova ratio excogitata est, qua nomen quidem praefecti Ausonio remaneret, totum autem magistratus onus Hesperio incumberet. et Galliae cum Italia coniunctae sunt, ita ut praefecturam unam Occidentis efficerent imperio collegiali a patre filioque administrandam[368]). quod factum est inter mensem Augustum a. 378[369]) et d. 5 Iulii a. 379[370]). sed quamvis negotiis non magnopere oneratus — omnes enim leges, quarum inscriptiones praefectos Occidentales nominant, una sola excepta Hesperio missae sunt, utpote qui executioni earum magis idoneus esset — honorem tamen inter mensem Septembrem[371]) et d. 3 Decembr. a. 379[372]) deposuit, statimque vetus illa inter Gallias Italiasque divisio restituta est[373]), etiamsi Hesperius praefectus maneret.

Vixit Ausonius minimum ad annum 390, nam Drepanio Pacato proconsuli, qui tum Africam rexit[374]), ludum septem sapientum et technopaegnion dedicavit. sed quia

363) Cod. Theod. IX 1, 13; 35, 3.

364) Cod. Theod. I 15, 7.

365) Cod. Theod. IX 1, 13; 6, 1. 2; 19, 4; 35, 2. 3 cum adnot. Gothofredi.

366) Hoc die decessor eius ultimum in codice Theodosiano commemoratur; v. quae ad epist. I 89—93 dicturus sum.

367) Cod. Theod. VIII 5, 35.

368) Gothofredus ad Cod. Theod. XIII 1, 11. Ausonius, quia numquam se praefectum bis dicit, unam tantum praefecturam gessit, sed duplicem, id est per provincias praefecturarum duarum extensam. hoc Gothofredus iam dudum perspexit, sed scriptores recentiores neque refellerunt neque agnoverunt.

369) Ausonius Gallias solas administrabat, quo tempore ad consulatum designatus est (grat. act. 8, 40 *agant et pro me gratias voces omnium Galliarum, quarum praefecto hanc honorificentiam detulisti*); quem honorem Gratianus in praeceptorem contulit, cum Sirmii ageret (1. 1. 9, 42), hanc autem urbem initio mensis Augusti ingressus est. Amm. XXXI 11, 6.

370) Cod. Theod. XIII 1, 11.

371) Praefecturam retinebat, cum gratiarum actionem pronuntiavit (2, 11). quae habita est *in sacrario imperialis oraculi* (1, 2) sive in *auditorio sacro* (10, 45), i. e. in consistorio principis, et tum quidem, cum Gratianus Gallias iam ingressus erat (18, 82), sed Treviros nondum pervenit (7, 34 *celebrant equidem sollemnes istos dies — Treveri principis beneficio et mox cum ipso auctare beneficii*). imperator d. 19 Augusti Bauzani (*Botzen*) agebat in itinere ex Italia in Galliam (Cod. Theod. VI 30, 3 cum adnot. Gothofredi), d. 14 Sept. iam Treviris erat (Cod. Theod. XIII 3, 12). oratio igitur primis mensis Septembris diebus pronuntiata est. quo cum tempore congruit, quod designatio consulum in annum 380 nondum celebrata erat: neque enim aliter Ausonius, cum multos imperatoris consulatus se sperare diceret (6, 25; 18, 83), de eo, qui anno proximo futurus erat, tacuisset.

372) Hoc die successor eius commemoratur. v. ad ep. III 43—45.

373) Cod. Theod. XI 16, 12 dat. d. 18 Mart. a. 380. *Ad virum clarissimum et inlustrem praefectum praetorio Italiae scripta porreximus* et q. s.

374) Cod. Theod. IX 2, 4.

ex familia tam longaeva originem duxit, ut pater eius et avus maternus annum nonagesimum aut superassent aut saltem attigissent, de ipso quoque incertum est, mortuusne sit ante Symmachum aetate multo minorem.

---

13 Oratio Gratiani Augusti in senatu recitata est, quae *novi saeculi fata* continuit, per quam senatus lucem accepit (9, 13), Symmachus *bonae spei* impletus est (9, 6). ea igitur non lex aliqua publicata aut nuntius allatus est, sed promissa in posterum data, quibus novum saeculum senatui magis amicum, quam Valentiniani dominatio fuit[375]), auspicium caperet. quod nisi de Augusti prima post patris obitum oratione, qua principatus futuri rationes exposuit, apte interpretari nequeo. accedit quod Symmachus salutem imperatori precans dicit: 9, 20 *beneficium suum fortuna tuetur et has* s a l t e m *Romano nomini velit servare delicias*. nam *saltem* illud indicat, nomen Romanum gravem paulo ante iacturam fecisse, quod ad mortem Valentiniani refero. qua cum re illud quoque congruit, quod oratio kalendis Ianuariis lecta est (9, 9). nam Augustus senior diem obierat d. 17 Nov. a. 375 Bregetione in Pannonia, filio Treviris agente. si igitur tempus computemus, quod tabellariis dies noctesque iter continuantibus[376]) nuntium in Galliam missum et orationem Romam pervectam consumpsisse probabile est, ad kalendas fere Ianuarias a. 376 perveniemus.

14 laudes Mosellae a Symmacho vixdum lectae (10, 6) continet, quam editam esse a. 370 constat. eidem ergo anno aut, si carmen Romam tardius pervectum esse sumpseris, anno sequenti haec epistula adscribenda est.

15 scripta est, ut ingenium Palladii rhetoris aulae imperiali commendaretur[377]), neque frustra. nam circa a. 379 *in spem sui honoris* in comitatum accitus (86, 30; 38, 17) et paulo post comes sacrarum largitionum creatus est[378]). itaque hanc epistulam anno 378 aut 379 adsignaverim.

16 In Hesperium honor aliquis recens collatus est, quod aut ad proconsulatum Africae (a. 376) aut ad praefecturam praetorio (a. 377) referri debet, nam alias administrationes non gessit.

17 Legatio Siculorum Ausonio commendatur, qui magna tum in aula potentia fruebatur[379]); in magistratu igitur aliquo positus fuisse videtur. gessit autem honores tres: comitivam, quaesturam, praefecturam praetorio, quorum primus nudus tantum honor cum administratione nulla coniunctus erat. quaesturam ante annum 370 non accepit, praefecturam a. 379 deposuit, quo temporis spatio epistula includenda est.

18 Ausonius ad praefecturam recens promotus, initio a. 378.

---

375) Cf. Auson. grat. act. 1, 3 *curia, honorificis modo laeta decretis, olim sollicitis maesta querimoniis.*

376) 9, 12 *tabellarius vigiliarum fessus adstabat.*

377) 11, 5 *haec apud te silenda non credidi —, quod Palladio factum volo, ne lateant honesta prolatu.* Ausonio igitur munus iniungitur, ne Palladii artes honestas latere patiatur, aut quod idem est, ut publicam ei curam comparet.

378) v. ad epist. IX 1.

379) 11, 31 *huic si fautor accesseris, futurum reor, ut illi pro labore fructus adcommodet. — qui satis animi confirmatus est, suffragio tuo successuram facilitatem petitionibus promovendis.*

19. 20. 22 Symmachus excusat, quod ad consulatum Ausonii evocatus non veniat; itaque scriptae sunt, antequam consules anni 379 fasces sumerent sub finem anni praecedentis. hoc autem ordine se excipiunt: 22. 20. 19. nam in 22 primum se nuntium designationis accepisse innuit gratulationemque secundis litteris latius se executurum esse promittit, quod in epistula 20 facit. contra epistula 19 gratulationis munere iam absolutus amicum in Gallias proficiscentem prosecutus est.

21 Symmachus ab Ausonio evectiones accepit, quas nisi praefectus praetorio emittere non potuit. cum praeterea tam perfecta felicitas eius praedicetur, ut nihil ei iam adici possit, summum in re publica honorem, consulatum, iam iniisse videtur.

22 v. ad epist. 19.

23 Ausonius quaestor (14, 7), quem magistratum iniit post a. 369, deposuit initio a. 378.

24 scripta, postquam Symmachus amicitia cum Ausonio facta ex Galliis reversus est, i. e. post a. 369.

25 Thalassio Ausonii genero tradita est, cum magistratu aliquo bene gesto[380]) per urbem in Gallias reverteretur. Thalassius duos tantum honores accepit, vicariam per Macedoniam praefecturam a. 377 et proconsulatum Africae a. 378—379 (v. p. LXXVIII), quo deposito teste filio privatus in patria remansit. cum igitur Symmachus consulatum Ausonii ut iam gestum vel saltem initum commemoret[381]), magistratus, de quo loquitur, Africae administratio fuisse debet, qua perfunctum Thalassium per urbem iter fecisse et ibi oratoris nostri consuetudine uti potuisse, Paulinus tradit (v. adn. 351). itaque haec epistula aestate a. 379 scripta est, quo tempore Ausonii gener magistratum deposuerat.

26 Ausonius *in specula honorum locatus et ideo varia et magna curans* 15, 6. i. e. praefectus praetorio, a. 378—379.

27 *Opperior in dies litteras, quales nunc mihi facultas tua promittit, amor semper exhibuit.* maiorem scribendi facultatem, quam ante habuerat, nulla alia ratione nancisci potuit, quam negotiis praefecturae absolutus, autumno a. 379.

28 *Facis pro mutua diligentia et antiquitate amicitiae nostrae, quod honorem tuum vires meas esse confirmas.* Ausonius ergo honorem aliquem acceperat, qui magnam in aula potentiam tribueret. itaque scripta aut inter annos 370 et 375, cum quaestor factus erat, aut initio a. 378, cum praefectus praetorio.

29 Commendaticiae omnes ad illud tempus referendae sunt, quo Ausonius iam ad summos honores processerat. cf. ad ep. 17.

30 Pro officiali aliquo, qui sub Ausonio merebatur, venia petitur, quod commeatus tempora egressus sit. cf. ad ep. 17.

31. 32 altera alteri respondet. prior scripta est, postquam Ausonius praefecturam deposuit[382]). posterior ante III 6. ubi Symmachus aliqua verba ex illa mutuata re-

380) 15, 1 *quem fortuna honoris parti maiorem beneficiis suis repperit, emendatio animi et sanctitas potioribus iam paravit.* unam igitur administrationem deposuerat et alteram maiorem sperabat.

381) 14, 29 *habes virum dignum te et per te familia consulari.*

382) 17, 15 *ergo tali negotio expende o t i u m tuum.*

petit[383]. incidunt igitur in id tempus, quod autumno a. 379 et hieme a. 380 includitur. cf. ad ep. III 6.

33 *Facito, ut ceteris negotiis tuis respondendi cura praevortat* 18, 29. haec negotiorum commemoratio magistratum aliquem Ausonii indicare videtur. primum accepit post a. 369, ultimum deposuit autumno 379.

34. 35 cf. ad ep. 24.

36 *Interpello occupationes tuas adsiduitate colloquii.* cf. ad ep. 33 et 29.

37. 38 Ausonius ad magistratum aliquem recens promotus est. 20, 14 *merito processus tuos in meo aere duco.* 20, 23 *quis tibi honoris, inquies, nostri fecit indicium?* scriptae igitur sunt aut inter annos 370 et 375 aut a. 378. cf. ad ep. 28.

39. 40 cf. ad ep. 33.

41 cf. ad ep. 24.

42 Ex verbis ultimis: (*taedium*) *peregrinationis solare iusto amore provinciae* perspicitur, hanc epistulam ad magistratum aliquem missam esse, qui non toti praefecturae neque dioecesi sed uni tantum provinciae praefuerit. de Ausonio autem, cuius omnem honorum cursum ex scriptis ipsius novimus, certum est, numquam eum munere iudicis provincialis functum esse. cum igitur ne de eo quidem constet, ad quem hae litterae perperam inter Ausonianas collocatae (cf. p. XXIV) scriptae sint, multo minus de tempore iudicari potest.

43 cf. ad ep. 33.

I 44—55 AD AGORIVM PRAETEXTATVM.

Quia ea, quae de Praetextati vita et honoribus innotuerunt, maiore ex parte inscriptionibus eius nituntur, omnes h. l. compono:

1) Romae in epistylio porticus iuxta clivum Capitolinum. [*Deorum c*]*onsentium sacrosancta simulacra cum omni lo*[*ci totius adornatio*]*ne cultu in f*[*ormam antiquam restituto V*]*ettius Praetextatus v*(*ir*) *c*(*larissimus*) *pra*[*efectus u*]*rbi* [*reposuit*] *curante Longeio* [. . . . . . *v*(*iro*) *c*(*larissimo*) *c*]*onsul*[*ari*. C. I. L. VI 102. posita est a Praetextato praefecturam urbanam gerente a. 367 aut 368.

2) Gortyne Cretae. Ἀγόριον Πραιτεστᾶτον τὸν λαμπρότατον ἀπὸ ἐπάρχων τῆς βασιλευούσης [Ρ]ώ[μ]ης δόγματι τῆς λαμπρᾶς Γορτυνίων βουλῆς Οἰκουμένιος Δοσίθεος Ἀσκληπιόδοτος ὁ λαμπρότατος ὑπατικὸς ἀνέστησεν. C. I. G. II 2594. omnes tituli, qui Oecumenium Dositheum Asclepiodotum consularem Cretae nominant, inter a. 382 et 384 positi sunt. nam primus eorum statuae Valerii Severi praefecturam urbis gerentis subscriptus erat (C. I. G. II 2595), qui hoc magistratu a. 382 fungebatur, ultimus autem statuae Sex. Petronii Probi ex praefecto praetorio ter, quem honorem ante initium a. 384 non deposuit[384].

383) Ausonius p. 17, 21 *modo intellego, quam mellea res sit oratio, quam delenifica et quam suada facundia.* Symmachus p. 71, 31 *sed fortunae nostrae tantum vulnus est, ut ei ne tua quidem delenifica et suada facundia cicatricem possit obducere.*

384) v. ad epist. I 56—61 et VIII 6.

3) Titulus Praetextati sepulcralis in basi magna marmorea reperta Romae. in fronte baseos: *D(is) M(anibus). Vettius Agorius Praetextatus, augur, p[o]ntifex Vestae, pontifex Sol[is], quindecemvir, curialis Herc[u]lis, sacratus Libero et Eleusi[nii]s, hierophanta, neocorus, tauroboliatus, pater patrum. — in [r]e publica ver[o]: quaestor candidatus, pretor urbanus, corrector Tusciae et Vmbriae, consularis Lusitaniae, proconsule Achaiae, praefectus urbi, legatus a senatu missus V[II], praefectus praetorio II Italiae et Illyrici, consul ordinarius designatus. — et Aconia Fabia Paulina c(larissima) f(emina), sacrata Cereri et Eleusiniis, sacrata apud Eginam Hecatae, tauroboliata, hierophantria. hi coniuncti simul vixerunt ann(is) XL.*

In latere dextro: *Vettius Agorius Praetextatus Paulinae coniugi:*

Paulina, veri et castitatis conscia,
dicata templis atq(ue) amica numinum,
sibi maritum praeferens, Romam viro,
pudens, fidelis, pura mente et corpore,
benigna cunctis, utilis penatibus
. . . .

In latere sinistro: *Vettius Agorius Praetextatus Paulinae coniugi:*

Paulina, nostri pectoris consortio
fomes pudoris, castitatis vinculum
amorque purus et fides caelo sata,
arcana mentis cui reclusa credidi,
munus deorum, qui maritalem torum
nectunt amicis et pudicis nexibus
pietate matris, coniugali gratia,
nexu sororis, filiae modestia,
et quanta amicis iungimur fiducia,
aetatis usu consecrandi foedere,
iugi fideli simplici concordia
iuvans maritum, diligens, ornans, colens.

In parte postica:

Sple]ndor parentum nil mihi maius dedit,
quam] quod marito digna iam tum visa sum.
se]d lumen omne vel decus nomen viri,
Agori, superbo qui creatus germine
patriam senatum coniugemq(ue) inluminas
probitate mentis moribus studiis simul,
virtutis apicem quis supremum nanctus es.
tu namque, quidquid lingua utraq(ue) est proditum
cura soforum, porta quis caeli patet,
vel quae periti condidere carmina,
vel quae solutis vocibus sunt edita,
meliora reddis quam legendo sumpseras.
sed ista parva: tu pius m[y]stes sacris
teletis reperta mentis arcano premis
divumque numen multiplex doctus colis,
sociam benigne coniugem nectens sacris
hominum deumque consciam ac fidam tibi.

quid nunc honores aut potestates loquar
hominumque votis adpetita gaudia,
quae tu caduca ac parva semper autumans
divum sacerdos infulis celsus clues?
tu me, marite, disciplinarum bono
puram ac pudicam sorte mortis eximens
in templa ducis ac famulam divis dicas;
te teste cunctis imbuor mysteriis;
tu Dindymenes Atteosqu[e] antistitem
teletis honoras taureis consors pius;
Hecates ministram trina secreta edoces
Cererisque Graiae tu sacris dignam paras.
te propter omnis me beatam, me piam
celebrant, quod ipse me bonam disseminas
totum per orbem: ignota noscor omnibus:
nam te marito cur placere non queam?
exemplum de me Romulae matres petunt
subolemque pulchram, si tuae similis, putant:
optant probantque nunc viri, nunc feminae,
quae tu magister indidisti insignia.
his nunc ademptis maesta coniunx maceror
felix, maritum si superstitem mihi
divi dedissent, sed tamen felix, tua
quia sum fuique postque mortem mox ero.

C. I. L. VI 1779.

4) Romae in monte Aventino. *Vettio Agorio Praetextato v(iro) c(larissimo) et inl(ustri), correctori Tusciae et Vmbriae, consulari Lusitaniae, proconsuli Achaiae, praef(ecto) urb(i), praef(ecto) praetorii Illyrici Italiae et Africae, cons(uli) designato, legato amplissimi ordinis septies et ad impetrandum reb(us) arduis semper opposito, parenti publice privatimq(ue) reverendo, ut etiam statuae ipsius domus honoraret insignia constitui locarique curavit* . . . . C. I. L. VI 1777.

5) Romae in monte Caelio. *Agorii — Vettio Agorio Praetextato v(iro) c(larissimo).* In columna priore: *pontifici Vestae, pontifici Soli, quindecemviro, auguri, tauroboliato, curiali, neocoro, hierofantae, patri sacrorum.* In columna altera: *quaestori candidato, praetori urbano, correctori Tusciae et Vmbriae, consulari Lusitaniae, proconsuli Achaiae, praefecto urbi, praef(ecto) praet(orio) II Italiae et Illyrici, consuli designato. — dedicata kal. Febr. d(omino) n(ostro) Fl(avio) Valentiniano Aug(usto) III et Eutropio conss.* (387). C. I. L. VI 1778.

6) Fragmentum simile in foro Romano repertum. C. I. L. VI 1779[a].

7) Romae in Esquiliis. *Coeliae Concordiae, virgini Vestali maximae, Fabia Paulina c(larissima) f(emina) statuam faciendam conlocandamque curavit cum propter egregiam eius pudicitiam insignemque circa cultum divinum sanctitatem, tum quod haec prior eius viro Vettio Agorio Praetextato v(iro) c(larissimo), omnia singulari dignoque etiam ab huiusmodi virginibus et sacerdotibus coli, statuam conlocarat.* C. I. L. VI 2145.

8) Romae in campo. *Fabiae Aconiae Paulinae c(larissimae) f(eminae), filiae Aconi[i] Catullini v(iri) c(larissimi) ex praef(ecto) et consule ord(inario), uxori Vetti Praetextati*

v(iri) c(larissimi) praef(ecti) et consulis designati, sacratae apud Eleusinam deo Iaccho Cereri et Corae, sacratae apud Laernam deo Libero et Cereri et Corae, sacratae apud Aeginam deabus, tauroboliatae, Isiacae, Hierophantriae deae Hecatae, graecosacraneae deae Cereris. C. I. L. VI 1780.

9) Romae in Esquiliis duae fistulae aquariae repertae sunt, in quarum altera bis legitur *Vet(tius) Praetextat(us)*, in altera hinc *Fi . . . . aulina . . .*, illinc *IIIIXXXX Fi Paulinae.* eodem loco prodiit lapis cum epigrammate, cuius pauca tantum verba supersunt; sed alteri eius margini inscriptum erat: *Vettii Agorii.* C. I. L. VI 1781.

Vettius Agorius Praetextatus[385]) ex familia urbana nobilissima[386]) ortus est. patrem eius C. Vettium Cossinium Rufinum praefectum urbis a. 315 consulem a. 323 fuisse crediderim cum propter nomen Vettium, quod in summis eius temporis magistratibus alioquin non inveni, tum quia corrector Tusciae atque Vmbriae et proconsul Achaiae fuit[387]), Praetextatus autem iisdem administrationibus functus est et sacerdotia quoque duo, pontificatus Solis et auguratus, utrique communia sunt. vetus enim Romanorum mos erat, ut in sacerdotum collegiis patribus filii succederent, et ut in iisdem provinciis, quibus illi cum laude praefuerant, filii honorum cursum auspicarentur, pietatis esse videbatur[388]). natus est aliquantum ante a. 330, nam a. 344 iam uxorem duxit[389]) Aconiam Fabiam Paulinam[390]), filiam Aconii Catullini Philomatii praefecti urbis a. 342—344, consulis a. 349[391]), nec suboles matrimonio defuit[392]). inter doctos illos antiquitatis studiosos, qui cum artam coniunctionem inter religionem litterasque Romanas perspicerent, utrasque eodem ardore ab interitu vindicabant, vel primum

385) Nomine integro appellatur in titulis 3—5. 7. 9, *Agorius Praetextatus* in inscriptionibus epistularum Symmachi et in titulo Graeco 2, *Vettius Praetextatus* 289, 6. 14; Boethius, comment. in Arist. de interpr. edit. sec. I 1 p. 289; in inscriptionibus 1. 8. 9; apud Macrobium passim, *Praetextatus* passim, *Vettius* apud Macrobium passim, *Agorius* in carmine inscriptionis 3.

386) Inscr. 3 *Agori, superbo qui creatus germine, patriam senatum coniugemque inluminas probitate mentis moribus studiis simul.* Symm. 25, 32 *vos Etruria quousque retinebit? iam querimur esse aliquid, quod tamdiu civibus praeferatur. sit licet ruris status mitior, non potest bene defrui otio, qui suis absentibus timet.* 288, 25 *magnum civibus gratis reliquit dolorem.* 289, 6 *Vettium Praetextatum — fata rapuerunt summo patriae gemitu, cui decus insigne praestabat.* 289, 15 *felicior civium lacrimis, quam gaudiis suis.* Amm. XXVII 9, 8 de Praetextati praefectura urbana loquens: *adeptus est, id quod raro contingit, ut cum timeretur, amorem non perderet civium.* domus eius urbanas novimus duas, alteram Esquilinam, ubi inscriptiones 9 et 7 in lucem prodierunt, alteram Aventinam, ubi statua Praetextati a filio eius collocata erat. Inscr. 4 *ut etiam statuae ipsius domus honoraret insignia.*

387) C. I. L. X 5061 Atinae. *C. Vettio Cossinio Rufino v(iro) c(larissimo), praefecto urbi, comiti (duorum) Aug(ustorum) n(ostrorum), corr(ectori) Camp(aniae), corr(ectori) Tusciae et Vmbriae, corr(ectori) Ven(e)tiae et Histriae, cur(atori) alvei Tiberis et cloacarum sacrae urbis, cur(atori) viae Flaminiae, proconsuli provinciae Achaiae sortito, pontifici dei solis, auguri, salio Palatino, ordo populusque Atinas, quod in correctura eius, quae saevissimam tyrannidem incurrerat, nullam iniuriam sustinuerit, patrono dignissimo.*

388) Eadem ratione Venustus et filius eius Virius Nicomachus Flavianus Siciliae praeerant; v. ad epistulas libri II.

389) Inscr. 3 *hi coniuncti simul vixerunt annis XL.*

390) Ita nuncupatur in inscriptione sepulcri sui 3; *Fabia Aconia Paulina* inscr. 8; *Fabia Paulina* inscr. 7. *Fi* (Fabia?) *Paulina* in inscriptione fistulae aquariae 9. Paulina in carmine inscriptionis 3 et apud Symm. p. 24, 20. 26.

391) Inscr. 8; Chronogr. a. 354.

392) Inscr. 3 *subolemque pulchram, si tuae similis, putant.* statua Praetextati, cui titulus 4 subscriptus erat, a filio eius posita est, quod verba eius ultima indicant: *parenti publice privatimque reverendo, ut etiam statuae ipsius domus honoraret insignia constitui collocarique curavit.* nomen filii, quod sequebatur, periit.

locum obtinebat[393]. nam et libris veterum emendandis operam navavit[394] et Aristotelis analytica vel potius Themistii paraphrasin eorum latine vertit[395], praecipue autem omnia summa sacerdotia gerebat[396] et muneribus eorum magna cum cura fungebatur[397] omnibusque mysteriis ipse initiatus est atque uxorem initiari fecit[398]. quae cum non eiusmodi essent, ut Praetextatum imperatori christianae legis studiosissimo Constantio commendarent, usque ad annum fere aetatis trigesimum quintum corrector tantum Tusciae et Vmbriae et consularis Lusitaniae factus est, quos honores homines genere nobili orti in prima adulescentia gerere solebant. sed postquam Constantio mortuo Iulianus defensor religionis veteris summam rerum adeptus est, statim (a. 362) Praetextatus quoque dignitatem proconsularem et Achaiam regendam accepit[399]. qua in administratione positus, cum brevi gentilium gaudio Iuliani morte finito Valentinianus regimen orbis Romani acceperat (a. 364), constitutioni contra sacra nocturna d. 9 Sept. a. 364 datae[400] fortiter resistebat imperatoresque eo adduxit, ut lex effectu privaretur[401]. neque tamen Valentinianum hac loquendi libertate offendit, quin immo inter d. 5 Mai.[402] et 18 Aug. a. 367 Viventio successit in praefectura urbana, quam Olybrio tradidit inter d. 20 Sept. a. 368[403] et 28 Ian.

393) Hieron. contr. Iohann. Hierosol. 8 *miserabilis Praetextatus, qui designatus consul est mortuus, homo sacrilegus et idolorum cultor, solebat ludens beato papae Damaso dicere: 'facite me Romanae ecclesiae episcopum et ero protinus christianus'.* Macrob. I 11, 1 *quia princeps religiosorum putatur, nonnulla iam et superstitionis admiscet, quasi vero nobis fas non sit Praetextato aliquando non credere.* 17, 1 *quia sacrorum omnium praesulem esse te, Vetti Praetextate, divina voluerunt.* 7, 17 *sacrorum omnium Vettius unice conscius.* hac ratione adductus Macrobius in domo Praetextati Saturnalia sua celebrata esse fingit ipsumque principem totius disputationis facit.

394) Inscr. 3 *tu namque, quidquid lingua utraque est proditum cura soforum, porta quîs caeli patet, vel quae periti condidere carmina, vel quae solutis vocibus sunt edita, meliora reddis quam legendo sumpseras.* Symm. 26, 14 *nam remissa tempora et ab negotiis publicis feriata libris veterum ruminandis libenter expendis.* cf. O. Iahn, *Ueber die Subscriptionen in den Handschriften römischer Klassiker. Ber. der k. sächs. Gesellsch. der Wissensch. III 1851 p. 338.*

395) Boethius, comm. in Arist. de interpr. edit. sec. I 1 p. 289. *mihi maior persequendi operis causa est, quod non facile quisquam vel transferendi vel etiam commentandi continuam sumpserit seriem, nisi quod Vettius Praetextatus priores postremosque analyticos non vertendo Aristotelem Latino sermoni tradidit sed transferendo Themistium, quod qui utrosque legit, facile intellegit.*

396) Pontificatum commemorat Symm. 24, 15; cf. 25, 10; reliqua enumerant tituli 3 et 5.

397) Symmachi epistulae quattuor I 46. 47. 49. 51 ad Praetextatum missae de sacris loquuntur, quae in omni reliquo corpore rarissime tantum commemorantur. cf. Macrob. II. II.

398) Inscr. 3. 5. 8.

399) Amm. XXII 7, 6 *aderat his omnibus Praetextatus, praeclarae indolis gravitatisque priscae senator, ex negotio proprio forte repertus apud Constantinopolim, quem arbitrio suo Achaiae proconsulari praefecerat potestate.* Himerius orationem scripsit εἰς τὸν ἀνθύπατον τῆς Ἑλλάδος Πραιτεκστᾶτον Phot. bibl. cod. 165 p. 108 B 4.

400) Cod. Theod. IX 16, 7.

401) Zosim. IV 3 ἐπεὶ δὲ καὶ νόμων εἰσφορὰς ἐγνώκει ποιήσασθαι, ἀφ' ἑστίας ὥσπερ ἀρξάμενος τὰς νυκτερινὰς ἐκώλυε θυσίας ἐπιτελεῖσθαι, τοῖς μυσαρῶς μὲν οὖν πραττομένοις ἐμποδὼν διὰ τοῦ τοιοῦδε νόμου γενέσθαι βουλόμενος· ἐπεὶ δὲ Πραιτεξτᾶτος ὁ τῆς Ἑλλάδος τὴν ἀνθύπατον ἔχων ἀρχήν, ἀνὴρ ἐν πάσαις διαπρέπων ταῖς ἀρεταῖς, τοῦτον ἔφη τὸν νόμον ἀβίωτον τοῖς Ἕλλησι καταστήσειν τὸν βίον, εἰ μέλλοιεν κωλύεσθαι τὰ συνέχοντα τὸ ἀνθρώπειον γένος ἁγιώτατα μυστήρια κατὰ θεσμὸν ἐκτελεῖν, ἐπέτρεψεν ἀργοῦντος τοῦ νόμου πράττεσθαι πάντα κατὰ τὰ ἐξ ἀρχῆς πάτρια.

402) Cod. Theod. IX 38, 3.

403) Praefectus urbi praescribitur legibus his: d. 18 Aug. 367 Cod. Theod. VIII 14, 1. d. 27 Aug. 367 Cod. Theod. VIII 14, 1. d. 8 Oct. 367 Cod. Theod. XIV 4, 4. haec lex coniungenda est cum cod. Theod. IX 40, 10, quae eundem diem et locum sed consules praecedentes perperam subscriptos habet.

a. 369[404]). administrationem eius summis laudibus ornat Ammianus Marcellinus XXVII 9, 8: *haec inter Praetextatus praefecturam urbis sublimius curans per integritatis multiplices actus et probitatis, quibus ab adulescentiae rudimentis inclaruit, adeptus est, id quod raro contingit, ut cum timeretur, amorem non perderet civium minus firmari solitum erga iudices formidatos. cuius auctoritate iustisque veritatis suffragiis tumultu lenito, quem christianorum iurgia concitarunt, pulsoque Vrsino alta quies parta proposito civium Romanorum aptissima et adulescebat gloria praeclari rectoris plura et utilia disponentis*[405]). *namque et maeniana sustulit omnia fabricari Romae priscis quoque vetita legibus et discrevit ab aedibus sacris privatorum parietes iisdem inverecunde conexos ponderaque per regiones instituit universas, cum aviditati multorum ex libidine trutinas componentium occurri nequiret. in examinandis vero litibus ante alios id impetravit, quod laudando Brutum Tullius refert, ut cum nihil ad gratiam faceret, omnia tamen grata viderentur esse, quae factitabat.*

Praefectura igitur deposita ea auctoritate in senatu eaque gratia apud Augustos vigebat, ut si qua res difficilior impetranda erat, plerumque in legationibus ordinis ad comitatum missis locum principem obtinebat[406]). praeterea statuae ei et in provinciis (Inscr. 2) et in urbe erectae sunt[407]), qui honor saeculo quarto multo maior rariorque erat quam ante Diocletiani imperium. sed nihilo minus per annos quindecim privatus remansit, usque dum gentilium partes Gratiani morte novas in aula vires nactae sunt. tum enim Symmacho praefecto urbi creato Praetextatus praefecturam praetorio per Italiam accepit; quos magistratus inierunt inter dies 19 Ian. et 21 Mai. a. 384. v. adn. 210. paulo post etiam maius signum favoris Augusti accepit, consulatum in annum 385, sed ante quam fasces sumeret, mortuus est[408]). qua re cognita *recusavit populus sollemnes theatri voluptates memoriamque eius inlustrem multa adclamatione testatus graviter egit cum livore fortunae, quod sibi inclytorum principum beneficia sustulisset*[409]). senatus autem statuam ei ab imperatoribus impetravit[410]) fortasse eandem, cuius reliquiae nuper in foro Romano repertae sunt (Inscr. 6), aliamque virgines Vestales summo sacrorum defensori posuerunt[411]).

---

d. 18 Nov. 367 Cod. Theod. VI 35, 7. d. 30 Ian. 368 Cod. Theod. XIII 3, 8. d. 12 Iun. 368 Rescriptum codicis Vaticani apud Baronium ann. eccl. IV p. 221. d. 20 Sept. 368 Cod. Theod. I 6, 6.

404) Cod. Theod. XIV 8, 2.

405) Eandem rem spectant constitutiones codicis Vaticani a Baronio ann. eccl. IV p. 221 editae.

406) Inscr. 4 *legato amplissimi ordinis septies et ad impetrandum rebus arduis semper opposito.* cf. Inscr. 3. Amm. XXVIII 1, 24 de saevitia Maximini vicarii urbis locutus pergit: *et ne tot malis dissimulatis paulatimque serpentibus acervi crescerent aerumnarum, nobilitatis decreto legati mittuntur Praetextatus ex urbi praefecto et ex vicario Venustus et ex consulari Minervius oraturi, ne delictis supplicia sint grandiora neve senator quisquam inusitato et inlicito more tormentis exponeretur.*

407) 24, 1 *statuas etiam recepistis iisdem paene populi adclamationibus, quibus amiseratis.*

408) De praefectura Praetextati v. praeter locos in adn. 210 laudatos Cod. Iust. I 54, 5 dat. d. 9 Sept. a. 384; de morte eius v. adn. 219 et Symm. rel. 10—12. 21; Hieron. contra Iohann. Hieros. 8; epist. 23, 2—3; 39, 3.

409) 288, 25; cf. 289, 15. 18; 299, 14; Hieron. ep. 23, 3 *ad cuius interitum urbs universa commota est.*

410) Symm. relat. 12.

411) 54, 17; Inscr. 7.

44. 52 altera epistula orationem pro Trygetio habitam d. 9 Ian. a. 376 ad Praetextatum mittit, altera litteris de oratione accepta scriptis respondet. v. p. VI.

45. 47. 48. 53 cum Praetextatus anno 384 exeunte diem obierit, postea scriptae esse non possunt.

46 tabellarii munere fungitur Titianus Symmachi frater, qui a. 380 exeunte mortuus est; sed certius quoque temporis indicium ex ultimis epistulae verbis petendum esse videtur: *rides? et libet. ut rideas, afuisti. plura desino, ne qui strictim meliora detexui, amaris videar inmorari.* Praetextatus igitur, si in urbe fuisset, tam gravia incommoda aut perpessus esset aut saltem vidisset et audisset, ut omnem ridendi voluntatem perderet: quod, cum tota fere historia urbis Romae illo saeculo in rei annonariae ubertate et penuria versetur, ad famem aliquam retulerim. fuerunt, ut ex Ambrosii de offic. ministr. III 7 discimus, brevi intervallo duae, quarum posterior, quae in annum 383 incidit, propter Titiani commemorationem hoc loco intellegi nequit. de prioris tempore non constat nisi ex eo, quod ab Ammiano Marcellino enarrata non est; qui cum res in Occidente gestas usque ad a. 375 persecutus sit, spatio annorum 376 et 380 includitur, si quidem verba Symmachi, quae modo exscripsimus, ad illam urbis calamitatem referamus. praefectum autem, qui famis tempore urbi praefuit, Magnum cognominatum fuisse, indicat Ambrosius[412]), et in praefectorum serie reperitur hieme 379/80 Arborius, Ausonii ex sorore nepos, qui cum ὄνομα κύριον a matris avunculo Aemilio Magno Arborio duxerit (v. p. LXXVI), reliqua quoque nomina eius facile gessisse potest; quod si factum esse sumamus, scripta erit epistula vere a. 380, cum Titianus vicarius Africae factus (v. p. CVI) per Praetextati Baianum[413]) in provinciam profecturus erat.

47. 48 v. ad ep. 45.

49 *quaeris ut civis ad bonum commune genitus, quid super rebus anxiis vero proximum nuntietur. certis indicibus secunda cognovimus; dehinc multi silentii suspicio sollicitis rumoribus locum fecit. sed mihi opinionum talium, quae sine auctore prodeunt, nulla curatio est.* secunda illa, quae certis indicibus Romae cognita erant, ad Sebastiani victoriam de Gothis reportatam[414]) retulerim, rumores sollicitos ad cladem Hadrianopolitanam paulo post (d. 9 Aug. a. 378) secutam.

50 Symmachi pater 25, 18 commemoratur, qui anno 376 exeunte mortuus est.

51 *statueramus in externis adhuc morari: sed labantis patriae nuntius destinata mutavit, cum mihi in communibus malis decolor videretur securitas mea. — non potest bene defrui otio, qui suis absentibus timet.* cum anno 383 fames in urbe grassabatur, Symmachus e Campania Romam reversus est. cf. ad ep. II 4. eidem tempori convenit, quod dicit, *aris deesse Romanos genus esse ambiendi:* nam anno praecedente Gratianus aram Victoriae everterat et sumptus publicos saeris detraxerat. v. p. LIII.

52 v. ad ep. 14.

412) De off. ministr. III 7, 48 *hic Magnus vere probatus, qui vere potuit imperatori dicere demonstrans provinciae totius populos: 'hos tibi omnes reservari! hi vivunt beneficio tui senatus! hos tua curia morti abstulit!'* cf. Hermae v. XVIII p. 296.

413) 21, 7, 20.

414) Amm. XXXI 11, 4; cf. 12, 1 *Sebastianus subinde scribens facta dictis exaggerabat.*

53 v. ad ep. 45.

54 paulo post Celsini Titiani mortem scripta est, qui anno 380 exeunte diem obiit. v. p. CVI.

55 *tibi pro nostra amicitia satis gratulor, cuius labor saluti publicae commodabit.* haec gratulatio ad Praetextati praefecturam praetorio referenda est, quam initio a. 384 accepit. nam ne de praefectura urbana (a. 367) cogitemus, Symmachi aetas obstat. qui in hac epistula non ut iuvenis cum homine seniore summis iam honoribus functo loquitur, sed ut vir cum viro amico.

I 56 61 AD PROBVM.

Nullus umquam vir partium civilium sub imperatoribus Romanis tot et tam diutinos magistratus gessit, nullus tanta potentia usus est, quam Sex. Petronius Probus. id quod Marcellino teste vel praecipue nobilitati generis debebat. multae enim *familiae ingentes* eum ut dominum suum colebant, et ut necessitudine summi iudicis in litibus adiuvarentur, omni, qua in aula valebant, gratia ad praefecturas ei suffragabantur[415]. de Probo igitur acturis a familia eius principium sumendum est, quare stemma composuimus rationesque edemus, quibus cognationes in eo propositae nituntur.

I C. I. L. VIII 1437 Thibursici Bure. *Sex. Coccejo Anicio Fausto Paulino proco(nsuli) provinciae Afr[ic]ae res publica [co]loniae* (nomen erasum) *Augustae.* propter litterarum formam nomenque coloniae (Valerianae Gallienae Augustae?) erasum hunc lapidem Gallieni temporibus tribuit Wilmanns. Paulinum patrem sequentium fuisse, ex nominibus veri simile redditur, praecipue ex praenomine nepotis. Nicomachum Iulianum, quem socerum eius fuisse produnt nomina filii Nicomachus, nepotis Iulianus, novimus ex titulis duobus, altero Drepani, altero Blaundi in Phrygia reperto: [Γ. Ἀσίννι]ον Νεικόμαχο[ν] Ἰουλιανόν, λαμπρότατον ὕπατον, ἀνθύπατον Ἀσίας δικαιότατον, Ἀσίννιος Ἀμίαντος ἐπίτροπος τὸν δεσπότη[ν]. Borghesi, opera V p. 447. Βλαυνδέων Μακεδόνων ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος τὸν ἁγνότατον Γ. Ἀσίν(ιον) Ἰουλιανόν, τὸν κράτιστον ὑὸν Γ. Ἀσιν(ίου) Προτείμου Κουαδράτου υπατικοῦ, τὸν ἐν πᾶσιν εὐεργέτην καὶ κτίστην τῆς πόλεως· ἐπιμελησαμένου Αὐ[ρ(ηλίου)] Γλύκωνος β̄ τοῦ Νίπου. C. I. G. 5498[416].

II C. I. L. VI 315 Romae. *Deo Herculi inv(icto) M. Iun(ius) Caesonius Nicomachus Anicius Faustus Paulinus c(larissimus) v(ir) p(raefectus) u(rbi) d(ono) d(edit)*[417]. Anicius


---

415) Amm. XXVII 11, 1 *per haec tempora Vulcatio Rufino absoluto vita, dum administrarat, ad regendam praefecturam praetorianam ab urbe Probus accitus, claritudine generis et potentia et opum amplitudine cognitus orbi Romano, per quem universum paene patrimonia sparsa possedit, iuste an secus non iudicioli est nostri. — atque ut natantium genus elemento suo expulsum haut tam diu spirat in terris, ita ille marcebat absque praefecturis, quas ob iurgia familiarum ingentium capessere cogebatur, numquam innocentium per cupiditates inmensas, utque multa perpetrarent inpune, dominum suum mergentium in rem publicam.* XXX 5, 4 *non ut prosapiae suae claritudo monebat.* Auson. ep. XVI 2, 19 *senati praesulem.* p. XCIX titul. 4 *nobilitatis culmini.* 7 *dives opum clarusque genus.*

416) Vtrumque titulum ad eundem hominem pertinere, perspexit communicavitque mecum Kaibel.

417) Lateri eiusdem lapidis inscriptum fuisse: *d. d. XII kal. Octob. Crispo et Constantino Caess. II cons.*, neque auctoritate satis firma nititur et propter temporis rationem admitti non potest Borghesi, op. VIII p. 588.

STEMMA ANICIORVM.



Nomina eorum, quorum cognationes et affinitates expressis verbis traditae sunt, lineis crassioribus inter se coniunguntur.
Nomina eorum, qui in Symmachi scriptis commemorantur, litteris maiusculis expressa sunt.

Faustus appellatur a Chronogr. a. 354 et de Rossi, Inscr. christ. urb. Rom. 24. de consulatibus eius, quorum prior suffectus erat, alter ordinarius a. 298 gestus est, v. de Rossi l. l. praefectus urbi fuit a. 299; Chronogr. a. 354.

III C. I. L. VIII 7040 Cirtae. *M. Cocceio Anicio Fausto Flaviano, patricio, consulari, omnium virtutum* .... dignitates patricii et consularis monstrant. Flavianum ante Diocletiani tempora non vixisse: pater eius ex nomine agnoscitur. Borghesi. op. VIII p. 586.

IV C. I. L. VI 1680 in via Latina. *Sex. Anicio Paulino procons(uli) Africae, bis co(n)s(uli), praef(ecto) urb(i).* cf. VI 1651. 1681. consulatum alterum ordinarium gessit a. 325, praefecturam urbi inde a d. 12 Apr. a. 331 usque ad d. 7 Apr. a. 333: Chronogr. a. 354.

V De Sergio, qui a. 350 simul cum Nigriniano consul erat, praeter nomen nihil notum est, sed cum titulus C. I. L. VI 498 hanc anni indicationem gerat: *Fl(avio) Anicio et Nigriniano cons(ulibus)*, ad Aniciorum familiam eum pertinuisse constat. itaque alterius ex Aniciis, qui soli initio saeculi quarti floruerunt, filium eum fuisse credo.

VI Anicii Iuliani nomina duo reperiuntur C. I. L. VI 1686 *Petronio Probiano et Anicio Iuliano coss.* C. I. L. VI 1682; Chronogr. a. 354; Symm. 3, 24. Amnius dicitur apud Symmachum[118]. proconsul Africae erat inter a. 293 et 304, nam ad eum data est constitutio Diocletiani et Maximiani Caesarumque: Coll. leg. Mos. et Rom. XV 3. cf. C. I. L. VI 1682 *legato Kartaginis sub procons(ule) Africe Anicio Iuliano patre suo.* Iulianus igitur, qui a. 316 praeses provinciae Tarraconensis legi Cod. Theod. II 6, 1 praescribitur, ab Anicio diversus est, siquidem post proconsulatum nemo umquam praesidatum gessit. consul erat a. 322, praefectus urbi inde a d. 13 Nov. a. 326 usque ad d. 7 Sept. a. 329: Chronogr. a. 354. nonnulli scriptorum recentiorum avum eum maternum Iuliani Augusti faciunt, quod si verum esset, Symmachus pater, cum in epigrammate 3, 24 laudes eius celebraret, nepotem imperatorem certe non praeteriisset.

VII C. I. L. VI 1682 Romae. *Honorii. Ammio Manio Caesonio Nicomacho Anicio Paulino v(iro) c(larissimo), cons(uli) ordinario, pref(ecto) urbi iud(ici) sacrar(um) cognit(ionum), pr(o)consuli prov(inciae) Asiae et Hellesponti vice sacra iudicanti, legato Kartaginis sub procons(ule) Africe A n i c i o I u l i a n o p a t r e s u o, cuius providentia adque utilitas et integritas rei publicae corporis cor(i)ariorum insulas ad pristinum statum suum secundum leges principum priorum imp(eratorum) Val(erii) Septimi Severi et M. Aur(elii) Antonini Aug(ustorum) restaurari adque adornari pervigilantia sua providit. in mira memoria adque in omnia iustitia sua corpus coriariorum patrono digno statuerunt.* 1683 in foro Traiano. *Amnii iun(ioris). Anicio Paulino iun(iori) c(larissimo) v(iro), proco(n)s(uli) Asiae et Hellesponti, consuli ordinario, praef(ecto) urbi vice sacra iudicanti, ob meritum nobilitatis eloquii iustitiae atq(ue) censurae, quibus privatim ac publice clarus est, petitu populi R(omani) testimonio senatus iudicio d(ominorum) n(ostrorum) triumphatoris Aug(usti) Caesarumq(ue) florentium, statuam secundam auro superfusam locari sumptu publico placuit.* 1652 Romae. *Anicius Amnius Paulinus v(ir) c(larissimus) praefectus*

118) 3, 25 *cuius opes aut nobilitas aut tanta potestas, cedenti cui non praeluxerit Amnius unus?*

urbi reparavit. 1141 Romae in basi statuae equestris Constantini. *D(omino) n(ostro) Constantino maximo pio felici ac triumphatori semper Augusto ob amplificatam toto orbe rem publicam factis consultisq(ue) s(enatus) p(opulus)q(ue) R(omanus) dedicante Anicio Paulino iuniore v(iro) c(larissimo) cons(ule) ord(inario) praef(ecto) urbi.* consul erat a. 334, praefectus urbi eodem anno inde a d. 27 Apr. usque ad d. 30 Dec.

VIII Anicius Auchenius Bassus. 1) Orelli 105 Praeneste. *Bassi. Anicio Auchenio Basso v(iro) c(larissimo), procons(uli) Camp(aniae), provisori eiusdem provinciae, restitutori generis Aniciorum, ob merita eius inlustria ordo populusque civitatis Praenestinae pon(endam) cens(uit).* cf. C. I. L. IX 1568. 1569; X 5651; VI 1791; C. I. G. 2597.

2) C. I. L. X 6656. Antii. *Florente imperio d(ominorum) A(u)g(ustorum) q(ue) n(ostrorum) Gra[t]iani Valentiniani et Theodosi principum maximorum, thermarum speciem ruinae deformitat[e] sordentem et periculosis ponderibus inminentem, quae la[v]antem populum metu sollicitudinis deterrebat, exclusa totius [c]arie vetustatis ad firmam stabilitate[m] usumque tectorum Anicius Auchenius Bassus v(ir) c(larissimus) proconsule Campaniae vice sacra iudicans re[paravi in meliorem civitatis effigiem.*

3) C. I. L. VI 1679 in foro Traiano. *Auchenii. Anicio Auchenio Basso v(iro) c(larissimo), quaestori candidato, uno eodemque tempore praetori tutelari, proconsuli Campaniae, praefecto urbi, trini magistratus insignia facundiae et natalium speciosa luce virtutis ornanti, qui claritatem generis paternis avitisque fastorum paginis celebratam inimitabilium in rem publicam merito[um] prae propriae laudis industria reddidit auctiorem prosapiae, lumini aeque diserto ac nobili, provisione efficacia rigore eloquentia egregia moderatione praestanti, in ipso flore iuvenilis aetatis frugem maturae auctoritatis* . . . .

4) Borghesi, opera VIII p. 200 Ostiae. *Anicius Auchenius Bassus v(ir) c(larissimus) et Turrenia Honorata c(larissima) f(emina) eius cum filiis deo sanctisque devoti.* (monogramma Christi).

Laudem gentis Aniciae restitutae viri duo fere aequales sibi vindicant, Sex. Petronius Probus et Anicius Auchenius Bassus [119]). de altero enim scribit Ausonius epist. XVI 2, 31: *qui vincit aevi iniuriam, stirpis novator Amniae, paribusque comit infulis Aniciorum stemmata* [120]), alter in titulis honorariis quattuor, quorum unum supra repetivimus (1), *restitutor generis Aniciorum* dicitur, ita ut haec appellatio paene in cognomen sollemne abiisse videatur. quae aliam interpretationem vix admittunt, quam stirpe gentis virili circa saeculum medium extincta ex feminis Aniciis Bassum et Pro-

119) Giorgi et Garrucci, *Bull. dell' Inst. 1859 p. 42. 58.*

120) Gens Anicia cum Amnia et Auchenia sanguinem miscuerat omnesque tres ita in unam coierant, ut saeculo quarto semper aut coniunctae nominentur, aut idem homo modo uni modo alteri aut tertiae adscribatur. ita Iulianus filiusque eius Paulinus Amnii Anicii appellantur, Bassi gentilicia Anicius Auchenius gesserunt, Proba Amnios Pincios Anicios decorasse dicitur (C. I. L. VI 1754), Probus filiique eius ad omnes tres gentes referuntur. C. I. L. VI 1753 *Anicianae domus culmini.* Claud. de cons. Ol. et Prob. 8 *scis genus Auchenium nec te tatuere potentes Amniadae.* cf. 21. Hieron. ep. 130, 3. August. epist. 150. Prudent. contr. Symm. I 548 *iamque ruit — ad apostolicos Euandria curia fontes, Amniadum suboles et pignera clara Proborum; fertur* e n i m *ante alios generosus Anicius urbis inlustrasse caput.* Aschbach (*Die Anicier und die römische Dichterin Proba. Sitzungsber. der phil. hist. Cl. d. kais. Akad. d. Wissensch. LXIV 1870 p. 369*) et Reinesius (Syntagma inscriptionum antiquarum, Lipsiae et Francofurti 1682 p. 66) plus tenebrarum quam lucis rei offuderunt.

bum progenitos esse[421]. quod si recte perspeximus, Bassus noster primus familiae suae erit, qui nomen Anicium gesserit; cum autem cognomen ex genere paterno accepisse putandus sit[122] patremque eius consulem fuisse titulus 3 dicat, Annium Bassum[423] cos. a. 331 adfinitatem illam inter Bassos Aniciosque iniisse, paene certum est. in uxore Olybrii (v. XII tit. 5) gentilicia Anicium et Tyrrenium coniuncta invenimus; procreata igitur erat ex Anicio Basso et Tyrrenia Honorata, quos maritos inscriptio 4 nominat. tertium autem filiae nomen Iuliana avum Bassi maternum non Paulinum sed Iulianum fuisse indicat.

Honores Bassus tarde capessivit, nam cum neptis eius Anicia Faltonia Proba iam circa a. 381 filium natu maximum enixa sit, post a. 335 natus esse non potest: proconsulatum autem Campaniae inter annos 379 et 382 gessit[424], in praefectura urbis Symmachi prodecessor fuit commemoraturque d. 22 Nov. a. 382[425]. Anicius Auchenius Bassus[126] consul a. 408 non ipse, sed filius eius erat, nam inscriptio 3, quam post mortem eius positam esse. tempus perfectum in hac propositione: *claritatem generis reddidit auctiorem prosapiae* indicare videtur, nullam consulatus mentionem facit.

Ad hunc, teste titulo 4 christianum, verba Prudentii contr. Symm. I 558 referenda sunt: *non Paulinorum, non Bassorum dubitavit prompta fides dare se Christo.*

IX Petronii Probiani nomen integrum servatum est apud Symmachum 3. 31; C. I. L. VI 1686; Chronogr. ad a. 329; Cod. Theod. IX 42, 1; XI 30, 5. 6. patrem Probum consulem a. 310 nomen prodit, quod in nepote repetitum invenimus; uxorem eius Demetriadem fuisse, Hieron. ep. 130. 3 indicare videtur, ubi de Olybrio consule a. 395 dicit: *qui Demetriadis proaviae nobilitatem insigniorem reddidit Demetriadis filiae perpetua castitate.* filium et nepotem eius nominat titulus Sexti Petronii Probi Veronensis C. I. L. V 3344, qui his verbis finitur: *nepoti Probiani, filio Probini v(irorum) c(larissimorum) praef(ectorum) urbis et cons(ulum).* proconsul Africae commemoratur a kal. April. a. 314 usque ad d. 13 Aug. a. 316[427]. magistratu aliquo, qui fortasse praefectura praetorio erat, d. 27 Febr. a. 321 fungebatur, quo die lex Cod.

---

421) Cf. Auson. epist. XVI 2, 27 *generi hic superstes aureo satorque prolis aureae.* 31 *qui vincit aevi iniuriam.*

422) Reumont, *Geschichte der Stadt Rom I p. 689.*

423) De nominibus eius v. de Rossi, inscr. christ. urb. Rom. p. 38.

424) Theodosius, qui titulo 2 praescribitur, a. 379 imperium accepit. ex verbis tituli 3 *quaestori uno eodemque tempore praetori tutelari, proconsuli Campaniae, praefecto urbi, trini magistratus insignia facundiae et natalium speciosa luce virtutis ornanti* Garrucci (*Bullett. dell' Inst. 1859 p. 91*) perperam conclusit, Bassum omnes magistratus simul gessisse; quod si factum esset, in reliquis titulis, qui proconsulatum commemorant, praefectura non omitteretur. et cum honores quattuor nominentur, id quod est: *trini magistratus*, aliam interpretationem non admittit, quam duos pro uno numeratos esse, eos videlicet qui *uno eodemque tempore* gesti sunt, praetura et quaestura. errat in eo quoque Garrucci, quod verba *in ipso flore iuvenilis aetatis* ad enuntiatum nunc deperditum pertinentia honorum tempus indicare putat, quos Bassum si non in senectute, attamen in annis maturioribus adeptum esse, aetas neptis Probae monstrat.

425) 294, 30; 297, 9 sqq.; 300, 16; 307, 29; Cod. Theod. I 6, 8.

426) Gentilicium Anicium reperitur de Rossi, inscr. christ. urb. Rom. 583. 586. 587, Auchenium C. I. L. IX 1364.

427) Kal. Apr. a. 314. Cod. Theod. IX 42, 1 cum adnot. Gothofr. + Cod. Iust. VI 1, 3. eidem anno ea quoque constitutio adsignanda esse videtur, quam descripsit August. epist. 88, 4 = contr. Crescon. 3, 81 = brevic. collat. d. 3. d. 25 Aug. a. 315 Cod. Theod. XI 30, 3. d. 13 Aug. a. 316 Cod. Theod. XI 30, 5 + 6.

Theod. IX 42, 1 inscripta Petronio Probiano sine dignitate, data est. consul a. 322. praefectus urbi inde a d. 8 Oct. a. 329 usque ad d. 12 Apr. a. 331; Chronogr. a. 354 et C. I. L. V 3344. — litterarum studiis ipse deditus erat totamque familiam initiavit. siquidem filia eius Proba epos de bello Constantii cum Magnentio et centonem Vergilianum de laudibus Christi composuit (v. XI), et nepos carmina avi patrisque suaque in unum corpus collecta Theodosio dedicavit[128]).

X Petronii Probini nomen gentilicium legitur C. I. L. IX 10. testibus Chronographo a. 354 et titulo Veronensi consul fuit a. 341, praefectus urbi inde a d. 5 Iul. a. 345 usque ad d. 25 Dec. a. 346. avus consulum a. 395 commemoratur a Claud. de cons. Olybr. et Prob. 29. aut filiam eum aut sororem Anicii Paulini duxisse, docet praeter ea, quae sub VIII exposui, Auson. ep. XVI 2, 83, ubi de Probi filio natu maximo, quem non ex Anicia Faltonia Proba, sed ex uxore altera suscepit, haec scribit: *mixto resurgens sanguine Probianoque atque Anicio.*

XI Clodii Celsini Adelphii nomen integrum reperitur in inscriptione Beneventana C. I. L. IX 1576. *Adelfi. — Clodio Celsino insigni et c(larissimo) v(iro), praestanti benivolentia auctoritate iustitia, corr(ectori) regionum duarum memorabili et praeteritorum iudicum exempla virtutibus omnibus supergresso, ordo splendidissimus Beneventane civitatis patrono dignissimo.* Clodius Adelphius nuncupatur a Chronographo a. 354 et C. I. L. VI 1712 Romae. *Clodius Adelfius v(ir) c(larissimus), ex praefectis urbis, uxori inconparabili et sibi fecit.* uxorem et filios eius nominat subscriptio centonis Vergiliani de laudibus Christi, quam e codice Mutinensi descripsit Montfaucon. diar. ital. p. 36: *Proba, uxor Adelphi, mater Olibrii et Aliepii, cum Constantini* (immo Constantii) *imperatoris bellum adversus Magnentium conscripsisset, conscripsit et hunc librum.* cf. inscriptionem codicis Palatini 1753 saec. IX—X apud Reifferscheid, *die römischen Bibliotheken, Ber. der kais. Akad. 1867 p. 552: incipiunt indicula centonis Probae, inlustris Romanae: Aniciorum mater* (immo proavia) *de Maronis, qui et Virgilii, Mantuani vatis libris praedicta Proba uxor Adelphii ex praefecto urbis hunc centon(em) religiosa mente amore Christi spiritu ferventi prudenter enucliate deflorarit.* Isid. Hisp. orig. I 39 (38), 26. *Proba, uxor Adelphi, centonem ex Vergilio de fabrica mundi et evangeliis plenissime expressit.* — in aliquot centonis codicibus haec dedicatio carmini praescripta legitur:

Romulidum ductor, clari lux altera solis,
Eoa qui regna tenes moderamine iusto,
spes orbis fratrisque decus, dignare Maronem
mutatum in melius divino agnoscere sensu.
scribendum famulo quem iusseras. —
hunc relegas servesque diu tradasque minori
Arcadio, haec ille suo generi.

128) Optimis Cornelii Nepotis codicibus epigramma subiectum est, quod his versibus finitur: *ornentur steriles fragili tectura libelli: Theodosio et doctis carmina nuda placent. si rogat auctorem, paulatim detege nostrum tunc domino nomen: me sciat esse Probum. corpore in hoc manus est genitoris avique meaque: felices, dominum quae meruere, manus!* haec ad Sex. Petronium Probum referenda esse, Kiessling perspexit; neque enim Theodosii temporibus alius eius nominis vir extabat, qui tam familiariter ad imperatorem scribere posset, et calligraphi opellam intellegendam esse, quae fuerat Lachmanni (opusc. II 188) opinio, vetant verba: *doctis carmina nuda placent.* de nomine Aemilio perperam ei a librariis tributo, v. Bergk, Philol. XII p. 580: *Aus der Subscription:* EM(endavi) PROBVS *ist irrthümlich* Aemilius Probus *entstanden.*

traditus igitur est liber Augusto, qui simul cum fratre orbem Romanum regens (*fratrisque decus*) Orienti praeerat (*Eoa qui regna tenes*) et heredem imperii sperabat. cui nomen Arcadio futurum esse poeta praesumpsit. itaque hi versus ad Arcadium scripti sunt et eo quidem tempore, quo filius eius Theodosius minor nondum natus erat (a. 395—401). sed is, qui eos centoni praemisit, non Proba erat, sed librarius aliquis, cui imperator carmen describendum tradiderat, ut vel sola verba: *scribendum famulo quem iusseras* docent; cui argumento accedit, quod praefatio illa in nonnullis codicibus optimae notae omittitur[429]. ex his igitur versibus de Probae aetate nihil concludi potest.

Probam Probini sororem fuisse, propter nominis similitudinem suspicatus sum. maritus eius corrector fuit Apuliae et Calabriae: C. I. L. l. l. proconsul: Isid. Hisp. de viris ill. 22 (18) *Proba, uxor Adelphii proconsulis.* praefectus urbi inde a d. 7 Iun. usque ad d. 18 Dec. a. 351: Chronogr. a. 354.

XII Q. Clodius Hermogenianus Olybrius. 1) C. I. L. VI 1713 Romae in Capitolio. *Q. Clodio Hermogeniano Olybrio v(iro) c(larissimo) fratri admirandae pietatis Faltonius Probus Alypius v(ir) c(larissimus).*

2) C. I. L. X 6083 Formiis. *Quinto Clodio Hermogeni(ano) v(iro) c(larissimo), cons(ulari) Cam[p(aniae)] ordo et popul[us] Formianus patrono praest(an)tissimo.*

3) C. I. L. VIII 1860 Theveste in arcu triumphali. [*Pro salut*]*e d(ominorum) n(ostrorum) Con[s]tanti ma[xi]mi vi[c]toris semper Aug(usti) et Iuliani nobilissimi ac floren[tissimi Caesaris Quintus Clodius Herm[og]en[ianus Olybrius v(ir) c(larissimus) proc[onsule p(rovinciae) A(fricae) v(ice) s(acra) c(ognoscens) patronu[s rei publicae frontes duas a solo const[ruendas curavit, quae] infinitis ruderibus obplet[ae erant].*

4) C. I. L. VIII 5334 Calamae. [*Inv*]*ictissimo princi[p]i n(ostro) Claudio Iuli[an]o toto orbe tri[u]mfanti ampli[atori] [p(opuli)] Ro[mani] proconsu[latu] Clodi Hermo[gen]i[a]n[i] O[ly]b[ri] . . . .*

5) C. I. L. VI 1714 Romae in Esquiliis. *Tyrraniae Aniciae Iulianae c(larissimae) f(eminae) coniugi Q. Clodi Hermogeniani Olybri v(iri) c(larissimi), consularis Campaniae, proconsulis Africae, praefecti urbis, praef(ecti) praet(orio) Illyrici, praef(ecti) praet(orio) Orientis, consulis ordinarii, Fl(avius) Clodius Rufus v(ir) p(erfectissimus) patronae perpetuae.* cf. C. I. L. VI 1657.

De Olybrii genere v. XI. fratrem eius Alypium praeter subscriptionem codicis Mutinensis nominat titulus 1, uxorem Tyrreniam Aniciam Iulianam, de qua v. VIII, titulus 5. Olybrium, consularem Tusciae, ad quem d. 5 Mai. a. 370 lex Cod. Theod. XII 1, 72 data est, nominis temporisque ratione adductus filium eius putaverim, sed ex uxore alia ignota susceptum: neque enim aetas Bassi patris Iulianae admittit, ut eum iam a. 370 nepotem in magistratibus versatum habuisse credamus. v. VIII. Anicium Hermogenianum Olybrium nepotem Clodii Hermogeniani Olybrii fuisse non solum nomen prodit, sed etiam Claudianus paene expressis verbis dicit, ubi avos consulum anni 395 paternum et maternum hoc modo componit: de cons. Ol. et Prob. 29

429) Baehr. *Gesch. der römischen Litteratur IV² p. 72.*

veteris quis facta Probini nesciat aut nimias laudes ignoret Olybri? [430]) accedit, quod mater eorum Anicia Faltonia Proba in titulis p. CI propositis consulis filia dicitur nomenque primum ab uxore, secundum a fratre, tertium a matre Clodii Olybrii accepit.

Tempora, quibus Olybrius honores gessit, ea re facile definiuntur, quia enumeratio eorum in titulo 5 ordine chronologico procedit. consularis igitur Campaniae fuisse videtur, cum lex Cod. Theod. II 19, 4 + 20, 1, quae nomen eius sine dignitate praefert, data est, d. 19 Mai. a. 361; proconsulatum Africae iniit Constantio superstite (tit. 3) sed post d. 3 Aug. a. 361, quo die decessor eius Flavianus ultimum in magistratu commemoratur [431]), Octaviano successori tradidit Iuliano solo imperium tenente (tit. 4) non multum post kal. Ianuarias a. 363 [432]). in praefectura urbis successit Praetextato inter dies 20 Sept. a. 368 et 28 Ian. a. 369, locum dedit Ampelio inter d. 21 Aug. a. 370 et 1 Ian. a. 371 [433]). administrationem eius describit Ammianus hoc modo: *Olybrii praefectura tranquilla nimis et lenis, qui numquam ab humanitatis statu deiectus sollicitus erat et anxius, nequid usquam factum eius asperum inveniretur aut dictum, calumniarum acerrimus insectator, fisci lucra, unde poterat, circumcidens, iustorum iniustorumque distinctor et arbiter plenus, in subiectis admodum temperatus. sed obnubilabat haec omnia vitium parum quidem nocens rei communi, sed in alto iudice maculosum, quod citeriorem vitam paene omnem vergentem in luxum per argumenta scaenica amoresque peregerat nec vetitos nec incestos.*

De Olybrii praefecturis praetorianis nullum praeter titulum 5 testem habemus. sed ex ordine honorum sequitur, utramque inter praefecturam urbi et consulatum (a. 371—379) aut gestam aut saltem inchoatam esse. cum igitur Illyricum annis 368—375 a Probo, 377—380 ab Hesperio administratum sit, Olybrio solus annus 376 relinquitur. Orientis autem praefecturam circa autumnum a. 378 accepisse videtur, quo tempore Gratianum in expeditionem Gothicam comitabatur [434]). consul in annum 379 iam

430) Cf. Hieron. ep. 130, 3 qui de genere Olybrii consulis a. 395 loquens dicit: *scilicet nunc mihi Proborum et Olybriorum clara repetenda sunt nomina et inlustre Anicii sanguinis genus, in quo aut nullus aut rarus est, qui non meruerit consulatum.* Prudent. in Symm. I 554 *Olybriaci generisque et nominis heres adiectus fastis.*

431) Cod. Theod. XI 36, 14. lex Cod. Theod. VIII 5, 7 inscripta: *Imp. Constantius A. Olybrio proconsuli Africae*, subscripta: *dat. III non. Aug. Antiochiae Constantio A. VII et Constantio C. coss.* (a. 354) neque cum titulis Olybrii Africanis conciliari potest neque propter locum cum die non congruentem fidem meretur. si autem cum Gothofredo ad consulatum Constantii tertium et Constantis secundum (342) referatur, ad nostrum certe Olybrium data non est, sed fortasse ad alium ignotum.

432) Amm. XXIII 1, 4.

433) *Die Reihe der Stadtpräfecten bei Ammianus Marcellinus.* Herm. XVIII p. 300. 303. praefecturae testes sunt C. I. L. VI 1714. 1657; Amm. XXVIII 4, 1; 1, 8. 32. in legibus commemoratur: d. 28 Ian. 369 Cod. Theod. XIV 8, 2; d. 23 Febr. 369 Cod. Theod. IV 18, 1; d. 14 Mart. 369 Cod. Theod. XI 39, 6; d. 5 Mai. 369 Cod. Iust. III 12, 4; d. 19 Iun. 369 Cod. Theod. XI 31, 4; d. 8 Iul. 369 Cod. Theod. IX 35, 1; d. 2 Dec. 369 Cod. Theod. XIII 5, 13; d. 19 Ian. 370 Cod. Theod. VI 4, 17; d. 10 aut 12 Mart. 370 Cod. Theod. XIII 3, 9 + XIV 9, 1 + Cod. Iust. II 6, 7; d. 19 Mart. 370 Cod. Theod. XI 31, 3; d. 30 Mart. aut 3 aut 11 Apr. 370 Cod. Theod. IX 40, 9 + XIV 3, 9 + 5, 1; d. 2 Apr. 370 Cod. Theod. I 31, 2; d. 6 Iun. 370 Cod. Theod. IX 38, 4; d. 7 Iul. 370 Cod. Theod. XIV 3, 10; d. 15 Aug. 370 Cod. Theod. XI 31, 5; d. 18 Aug. 370 Cod. Theod. XI 36, 19; d. 21 Aug. 370 Cod. Theod. II 10, 5. subscriptio falsa propter locum cum die non convenientem Cod. Theod. XIV 3, 13; Olybrius perperam pro Orfito positus est Cod. Theod. II 19, 4; XIII 5, 9.

434) Auson. grat. act. 12, 55. *interrogatus, quem priorem decerneres consulem, nec dubitandum esse dixisti tu, et qui tecum boni sunt, dubitare non poterant. sed tamen ad hoc dictum erexerant animos, qui libenter clarissimum virum collegam meum* (i. e. Olybrium), *quem praesentem habebat occasio, praelatum cre-*

ante designatus erat honoremque aut Constantinopoli aut certe in Oriente iniit. mortuus est post a. 384, sed ante a. 395 [435].

XIII De genere Faltonii Probi Alypii, ad quem Symmachi epistulae VII 66—71 et Ambrosii epist. 89 scriptae sunt, v. XI et XII; nomen eius praeter titulum sub XII 1 relatum docet C. I. L. VI 1185 Romae in Colosseo. *Domino nostro Fl(avio) Theodosio Augusto Faltonius Probus Alypius v(ir) c(larissimus) praef(ectus) urb(i).* de praetura filii eius Probi loquitur Olympiodorus [436]. — ex Symmachi epist. VII 66 discimus, Alypium munere aliquo functum esse, in quo praesidem Mauretaniae Caesariensis imperio suo subiectum haberet [437]. cum praefectus praetorio numquam fuisse videatur, de nullo alio magistratu cogitari potest quam de vicaria per Africam praefectura. cui coniecturae opitulatur lex Cod. Theod. I 15, 9 data kal. Iun. Treviris, accepta non. Iul. a. 378, cui Alypii nomen sine dignitate praescriptum est: nam argumentum eius vicario optime convenit et tempus dierum triginta septem inter legem datam et acceptam dioecesin a Galliis satis remotam indicat. praefectus urbi Caeionio Rufio Albino successit inter dies 24 Febr. et d. 11 Iul. a. 391 [438].

XIV Clodius Hermogenianus Caesarius nominatur C. I. L. VI 499 Romae in Vaticano. *Matri Deum magnae Idaee summae, parenti Hermae et Attidi menotyranno invicto Clodius Hermogenianus Caesarius v(ir) c(larissimus), procons(ul) Africae, praefec(tus) urbis Romae, XV vir s(acris) f(aciundis). taurobolio criobolioque perfecto XIIII kal. Aug., diis animae suae mentisque custodibus aram dicavit. d(omino) n(ostro) Gratiano Aug(usto) ter et . . Aequitio conss.* (a. 374). hunc eundem esse, qui a scriptoribus et in legibus codicum Theod. et Iust. Claudius nuncupatur, probavi Hermae vol. XVIII p. 298. Claudium ad Olybrii cognationem pertinuisse, docet nominum similitudo, sed subscriptio codicis Mutinensis (v. XI), quae duos tantum filios Probae tribuit, obstare videtur, quominus fratres eos germanos putemus. — proconsulatum Africae gessit annis 368—370 [439], in praefectura urbis commemoratur diebus 21 Mai. et 19 Iulii a. 374 [440]. cum autem ultimus praefectus sit, de quo Ammianus Marcellinus loquatur, administrationem eius usque ad mortem Valentiniani d. 17 Nov. a. 375 extensam esse suspicor [441]. *prae-*

---

didissent. — *ilico subdidisti: 'quid de duobus consulibus designatis quaeritis, quis ordo sit nuncupationis? anne alius quam quem praefectura constituit?'* haec designatio celebrata est aestate a. 378 Sirmii (v. adn. 369); ibi tum ergo Olybrius cum Gratiano erat. cum autem verba ultima nullam aliam sententiam praebere possint, quam praefectum praetorio in actu positum, id quod Ausonius tum erat, privato quamvis praefecturis iam functo in consulatus nuncupatione praeferendum esse, Olybrius tum administrationem Orientis nondum accepisse potest. honor igitur in eum collatus esse videtur, postquam Gratianus Thracias, i. e. Orientis praefecturam, ingressus est, autumno a. 378. v. Gothofred. in Cod. Theod. ed. Ritter I p. CIII.

435) Symmachus in relatione 28 de eo ut de vivo loquitur, Claud. de cons. Ol. et Prob. 30 ut de mortuo.

436) Ap. Phot. cod. 80 p. 63 A. 37. καὶ ὅτι Πρόβος ὁ παῖς Ἀλυπίου τελέσας τὴν οἰκείαν πραιτοῦραν κατὰ τὸν καιρὸν τῆς Ἰωάννου τυραννίδος δώδεκα κεντηνάρια χρυσοῦ ἀνήλωσεν. lectio codicis Veneti Ὀλυμπίου pro Ἀλυπίου, quam libri recentiores corrigunt, inde nata esse videtur, quod in eodem Olympiodori fragmento multus ante sermo de Olympio Stilichonis inimico fuerat.

437) *Agris meis, quos in Caesariensi Mauretania possidemus — nihil reliqui facit officii praesidalis improbitas. saepe ad rectorem provinciae delata querimonia parvi habita est per ignaviam iudicantis. ergo quoniam remedia minora non prosunt, ad maiora confugimus. feras opem, quaeso te etc.*

438) Cod. Theod. XVI 10, 10; XIV 2, 2.

439) v. adn. 153 et Cod. Iust. XI 75, 2.

440) Cod. Theod. XI 36, 22; C. I. L. VI 499.

441) Amm. XXIX 6, 17; XXVII 3, 2. cf. Herm. XVIII p. 290.

fectus egit admodum quiete nullam seditionem super querella iusta perpessus et instauravit vetera plurima; inter quae porticum excitavit ingentem lavacro Agrippae contiguam Eventus Boni cognominatam ea re, quod huius numinis prope visitur templum.

XV Sex. Petronius Probus et Anicia Faltonia Proba.

1) Exagium aheneum scriptum habens ab una parte: *Petroni Probi v(iri) c(larissimi) et Anicie Probe c(larissimae) f(eminae)*, ab altera: *Aniciis Olybi* (sic) *et Probini v(irorum) c(larissimorum)*. C. I. L. V 1083[+].

2) Laribus in Africa. . . . . . . *Petronio P[ro]bo v(iro) c(larissimo) pro[consule]* . . . . . . *e vi[g]entibus decoratu* . . . . *publices insigni conspectu* . . . . . . C. I. L. VIII 1783. positus est circa a. 358.

3) Athenis.

Εἰκόνι χαλκείῃ σε Πρόβον τὸν ὕπαρχον Ἀθήναις
Ἀντόλιος [στῆ]σεν Ἑλλάδος ἀνθύπατος.

C. I. Att. III 1, 639 = Kaibel, Epigr. Graec. 902. positus esse videtur in prima Probi praefectura inter a. 368 et 375.

4) Romae in monte Pincio. *Nobilitatis culmini, litterarum et eloquentiae lumini, auctoritatis exemplo, provisionum ac dispositionum magistro, humanitatis auctori, moderationis patrono, devotionis antistiti, Petronio Probo v(iro) c(larissimo), proconsuli Africae, praefecto praetorio per Illyricum Italiam et Africam, consuli ordinario, ob insignia erga se remediorum genera Veneti adque Histri peculiares eius patrono praestantissimo. dedicata VI idus Aug. d(ominis) n(ostris) Valente VI et Valentiniano II Aug(ustis) cons(ulibus)*. C. I. L. VI 1751. anno 378.

5) Veronae. *Petronio Probo v(iro) c(larissimo), totius admirationis viro, procons(uli) Africae, praef(ecto) praetorio Illyrici, praef(ecto) praet(orio) Galliar(um) (iterum), praef(ecto) praet(orio) Italiae atque Africae (tertium)* [error lapicidae; scribe: *praef(ecto) praetorio Illyrici Italiae atque Africae, praef(ecto) praet(orio) Galliar(um) (iterum), praef(ecto) praet(orio) Illyrici Italiae atque Africae (tertium)*], *cons(uli) ordinario, civi eximiae bonitatis, disertissimo atque omnibus rebus eruditissimo patrono, nepoti Probiani, filio Probini v(irorum) c(larissimorum) praef(ectorum) urbis et cons(ulum)*. C. I. L. V 3344. positus esse videtur in tertia Probi praefectura a. 383 aut 384.

6) Gortyne in Creta insula. Πετρώνιον Πρόβον τὸν λαμπρότατον ἀ[πὸ] ὑπάτ[ω]ν καὶ ἀπὸ ἐπάρχων πραιτωρίων γ̄, δόγματι τῆς λαμπρᾶς Γορτυνίων βουλῆς Οἰκουμένιος Δοσίθεος Ἀσκληπιόδοτος ὁ λαμπρότατος ὑπατικὸς ἀνέστησεν. C. I. G. II 2593. Asclepiodotus inde ab anno 382 consulari iure Cretam regebat (v. p. LXXXIII); titulus igitur vix post a. 384 positus esse potest.

7) Romae ad S. Petri in mausoleo Probi.

Ex[uv]iis resolutus in aetheris aequore tutum
curris iter cunctis integer a vitiis,
nomine quod resonas imitatus moribus aeque.
Iordane ablutus nunc Probus es melior.
dives opum clarusque genus praecelsus honore
fascibus inlustris consule dignus avo,
bis gemina populos praefectus sede gubernans,
has mundi phaleras, hos procerum titulos

transcendis senior donatus munere Christi:
hic est verus honos, haec tua nobilitas.
laetabare prius mensae regalis honore,
principis alloquio, regis amicitia:
nunc propior Christo sanctorum sede potitus
luce nova frueris, lux tibi Christus adest.
o numquam deflende tuis! cum vita maneret
corporis atque artus spiritus hos regeret,
primus eras nullique patrum virtute secundus:
nunc renovatus habes perpetuam requiem
candida fuscatus nulla velamina culpa
et novus insuetis incola liminibus.
his solare tuos, quamquam solacia maesta
gratia non quaerat, gratia, Christe, tua.
vivit in aeterna paradisi sede beatus,
qui nova decedens muneris aetherii
vestimenta tulit, quo demigrante Belial
cessit et ingemuit, hic nihil esse suum.
hunc tu, Christe, choris iungas caelestibus oro,
te canat et placidum iugiter aspiciat,
eque tuo semper dilectus pendeat ore,
auxilium suboli coniugioque fer[en]s.

C. I. L. VI 1756 positus ante a. 395.

8) Romae in eodem mausoleo.

Sublimes quisquis tumuli miraberis arces,
dices: quantus erat, qui Probus hic situs est!
consulibus proavis socerisque et consule maior,
quod geminas consul reddidit ipse domos.
praefectus quarto totum dilectus per orbem,
sed fama emensus, quidquid in orbe hominum est.
aeternos heu, Roma, tibi qui posceret annos,
cur non vota tui vixit ad usque boni!
nam cum sex denos mensis suspenderet annos,
dilectae gremio raptus in aethra Probae.
sed periisse Probum meritis pro talibus absit
credas, Roma, tuum: vivit et astra tenet,
virtutis fidei pietatis honoris amicus,
parcus opum nulli, largus et ipse sui.
solamen tanti coniux tamen optima luctus
hoc Proba sortita est, iungat ut urna pares,
felix, heu nimium felix, dum vita maneret
digno iuncta viro, digna simul tumulo.

C. I. L. VI 1756 titulus praecedenti adiectus, postquam Olybrius et Probinus Probi filii consules facti sunt a. 395. nam v. 3 *consule maior, quod geminas consul reddidit ipse domos* vitio quidem aut lapicidae aut Maphaei Vegii, qui solus hunc titulum vidit, inquinatus esse videtur neque facile sanari potest, sed geminae domus, quae eum consulatu coniunctae nominantur, vix ad aliam rem referri possunt, quam ad geminum familiae honorem, quem filiorum consulatu acceperat.

9) Romae. *Sexto Petronio Probo, Anicianae domus culmini, proconsuli Africae, praefecto praetorio quater Italiae Illyrici Africae Galliarum, consuli ordinario, consulum patri, Anicius Hermogenianus Olybrius v(ir) c(larissimus), consul ordinarius, et Anicia Iuliana c(larissima) f(emina) eius, devotissimi filii dedicarunt.* C. I. L. VI 1753.

10) Romae. inscriptio simillima nisi quod pro Olybrio et Iuliana positi sunt *Anicius Probinus v(ir) c(larissimus), consul ordinarius, et Anicius Probus v(ir) c(larissimus), quaestor candidatus, filii, munus singulari religioni debitum dedicarunt.* C. I. L. VI 1752.

11) Romae. *Aniciae Faltoniae Probae, fidei nobilitatis antiquae, ornamento Anicianae familiae, servandae ac docendae castitatis exemplo, consulum proli, consulum matri, Anicius Hermogenianus Olybrius v(ir) c(larissimus), consul ordinarius, et Anicia Iuliana c(larissima) f(emina) eius, devotissimi filii dedicarunt.* C. I. L. VI 1755.

12) Romae, titulus simillimus sed paulo brevior. C. I. L. VI 1756.

13) Romae. *Aniciae Faltoniae Probae, Amnios Pincios Aniciosque decoranti, consulis uxori, consulis filiae, consulum matri, Anicius Probinus v(ir) c(larissimus), consul ordinarius, et Anicius Probus v(ir) c(larissimus), quaestor candidatus, filii devincti maternis meritis dedicarunt.* titulo post adiectum est:

Consimiles fratrum trabeis gestamina honorum
tertia, quae derant, addidimus titulis.
dilectae Probus haec persolvo munera matri
restituens statuis praemia, quae dederat.

C. I. L. VI 1754.

Probi patrem avumque indicat titulus 5, uxorem tit. 1. 8. 11—13; Claud. de cons. Ol. et Prob. 192, filios tit. 1. 9—13; Claud. I. I. 31; Hieron. epist. 130, 7. ex his Olybrium natu maximum fuisse, ex eo sequitur, quod ubicumque consulatus, quem simul cum fratre gessit, commemoratur, semper nomen eius primo loco collocatum legitur. fasces a. 395 accepit, pueritiam nondum egressus (v. adn. 170); natus igitur erat circa a. 381 et Proba quoque mater, id quod ex aetate avi eius (v. VIII) perspicitur, ante a. 380 nubilis esse vix potuit. itaque filius ille, quem Probus iam ante consulatum suum (a. 371) sustulerat[442], ex alia uxore procreatus est; quem, cum praeterea nusquam eius mentio fiat et in electione consulum anni 395, quae non honori puerorum sed patris eorum mortui delata filios natu maximos potissimum respicere debuit, praeteritus sit, iam ante designationem eorum obiisse suspicor. accedit, quod Furia, Decimii Hilariani Hilarii filia[443], quam Probi nurum fuisse constat[444], anno 394, quo tempore reliqui eius filii nondum ad adultam aetatem pervenerant, iam vidua erat[445], et quod in titulo 8 v. 3 de Probi soceris numero plurali sermo est.

Stemma Probi partem tantum consulum praefectorumque recenset, quorum neces-

---

442) De hoc puero loquitur Auson. ep. XVI 1, 4; 2, 28. 88. 98, quae epistula ipso consulatus anno scripta est. cf. v. 69 *ut quem curulis* ***proxima*** *collegio nati dedit, hunc rursus Augustus prior suis perennet fascibus.*

443) v. quae ad ep. III 38—42 dicturus sum.

444) Hieron. epist. 123, 18 *ad Furiam atque Salvinam, quarum altera Probi quondam consulis nurus, altera Gildonis, qui Africam tenuit, filia.*

445) Hieron. epist. 54.

situdine usus est. nam Nicomachos Flavianos et Symmachos quoque Aniciorum domum contigisse, docent nomina; inter Anicios enim Nicomachi (I, II, VII) et Flaviani (III) reperiuntur et inter Symmachos unus saltem Anicius (v. p. LIII). praeterea Probi nurus Furia a Furio Maecio Graccho et Decimio Hilariano Hilario praefectis altero urbi a. 376—377, altero praetorio a. 396 originem duxit, et Symmachi vinculum quoddam iunxerunt inter Aniciorum familiam et Memmium Vitrasium Orfitum praefectum urbi bis Ambrosiumque episcopum Mediolanensem, quem Probus ipse ad Liguriae administrationem promoverat[446]. itaque paene omnia senatus culmina aliqua necessitudine contingebat. neque quisquam affinitates tam remotas parvi momenti aestimabit, qui consideraverit, quantam vim nobilitas omnium saeculorum huiusmodi coniunctionibus tribuere soleat.

Probus natus est circa a. 334; siquidem sexaginta eum annos paene explesse, dicit inscriptio eius sepulcralis[447]. honores spretis dignitatibus minoribus a proconsulatu Africae auspicatus est, quem accepit post d. 19 Ian. a. 356[448], deposuit inter d. 23 Iun. et 27 Oct. a. 358[449]. quo gesto annos decem quievit, donec praefecturam praetorio semel adeptus usque ad mortem raro tantum deposuit[450]. successit Vulcatio Rufino praefecto Italiae Illyrici et Africae inter d. 25 Ian. et 12 Mart. a. 368[451], remansitque in magistratu, id quod raro contigit, annos continuos octo, et quia ab Augustis remotus Sirmii plerumque residebat[452], potestate paene imperatoria fruebatur[453]. Valentiniani favorem eo retinebat, quod tributa summa cum severitate exigens reditus largos ex provinciis sibi creditis in comitatum mittebat[454], quae autem ipse lucra captabat[455], imperatori ignota manserunt. itaque a. 371 ad consulatum evectus est, qui honor Valentiniani tempore plerumque Augustis ipsis summisque bellorum ducibus reservatus, in hominem partium civilium rarissime conferebatur, at in Probo eo maior

446) Paulin. vit. Ambr. 8. cf. ad epist. III 30—37.

447) Tit. 8 v. 9 *nam cum sex denos mensis suspenderet annos, dilectae gremio raptus in aethra Probae.*

448) Hoc die Proclianus proconsul praescribitur legi Cod. Theod. IV 12, 4.

449) Ipse praescribitur legi Cod. Theod. XI 36, 13, successor eius Flavianus legibus Cod. Theod. VIII 5, 10 et XI 36, 14.

450) Claudian. de cons. Ol. et Prob. 55 *non, mihi centenis pateant si vocibus ora —, acta Probi narrare queam, quot in ordine gentes rexerit, ad summi quotiens fastigia iuris venerit, Italiae late cum frena teneret Illyricosque sinus et quos arat Africa campos.* cf. adnot. 445.

451) Cod. Theod. VIII 6, 1 cum adn. Gothofr.; X 24, 1. leges paene quinquaginta ad eum datae sunt, quas quaeras licet in indice corporis legum ed. Haenel p. 127. in tanta copia mirandum non est, quod nonnullae dies et consules falsos subscriptos habent, sed de tempore, quo primam praefecturam accepit, nihilominus dubitari non potest, cum et Ammiano Marcellino (XXX 5, 4 ad a. 375 *praefecturam praetorio tunc primitus nanctus*) et inscriptionibus testibus locupletissimis utamur. id certe constat, omnes leges, qui Augustos consules subscriptos habent, non ad annum 365, sed aut ad 368 aut ad 370 aut ad 373 referendas esse. Krueger, *Ueber die Zeitbestimmung der Constitutionen aus den Jahren 364—373*, Commentationes Mommsenianae p. 75. cf. Amm. XXVII 11, 1; XXVIII 1, 31; Paulin. vit. Ambros. 5; Hieron. ep. 123, 18; Auson. ep. XVI 2, 18.

452) Amm. XXIX 6, 9; Auson. epist. XVI 2, 1. Cod. Theod. VII 4, 16; 23, 1; VIII 5, 28; 15, 5; XIII 3, 7; XV 1, 18, ubi semper pro *datum Sirmio* scribendum est *acceptum Sirmio*, nam neuter Augustus illis annis Sirmii erat.

453) Auson. ep. XVI 2, 16 *qui solus exceptis tribus eris* (Valentiniano Valente Gratiano) *erorum primus est praetorioque maximus.* cf. Amm. XXVII 11, 2 *potuit, quoad vixit, ingentia.*

454) Amm. XXX 5, 5.

455) Amm. XXVII 11, 1 *cognitus orbi Romano, per quem universum paene patrimonia sparsa possedit iuste an secus non iudicioli est nostri.*

splendidiorque visus est, quia collegam imperatorem habuit[456] et in Gallias accitus una cum eo fasces sumpsit (v. adn. 49). sed postquam Valentinianus ipse aestate a. 375 in Pannonias venit et ab legato quodam Epirota de praefecti saevitia edoctus est[457], maximum in eum odium concepit[458] poenasque fortasse exegisset, nisi morte subita praeventus esset. in magistratu igitur positus Valentiniani minoris primitiis Probus interfuit[459], sed paulo post Olybrio locum dedit (v. p. XCVII) et saltem usque ad d. 8 Aug. a. 378 privatus remansit. titulus enim statuae eo die a provincialibus Venetis et Histris ei positae (4), primam tantum praefecturam eius recenset. inter d. 3 Dec. a. 379[460] et d. 12 Mart. a. 380[461] demum in Gallias accitus est, ut administrationem earum susciperet[462], quae tamen brevi tempore finita esse videtur[463]. tertium praefectus praetorio creatus est aestate a. 383 in locum aut Flaviani aut Hypatii, qui imperio collegiali Italiae cum Africa et Illyrico praefuerant[464], eumque honorem Theodosio auctore accepit, ut in Valentinianum puerum tutelam quandam exerceret[465]. summam hanc potentiam cito amisit citoque resumpsit, nam mense Februario a. 385 et fortasse iam antea privatus erat[466], cum autem Maximus in Ita-

456) Auson. ep. XVI 2, 21 *nam consul aeternum cluet collega Augusti consulis, columen curulis Romulae primum in secundis fascibus; nam primus e cunctis erit consul secundus principi.* 69 *ut quem curulis proxima collegio nati dedit, hunc rursus Augustus prior suis perennet fascibus.* is consul honoratior videbatur, quem fasti primum nominarent (Auson. grat. act. 12 sqq.), sed qui simul cum Augusto processit, primus inter privatos erat, quamvis in collegio secundus. cf. Amm. XXIII 1, 1 *et videbatur novum adiunctum esse Augusto privatum, quod post Diocletianum et Aristobulum* (a. 285) *nullus meminerat gestum.* saeculo quarto ante Gratianum et Probum consules unum tantum huiusmodi coniunctionis exemplum reperitur, Iulianus et Sallustius a. 363. nam Gratianus et Valentinianus minor, quo tempore cum Dagalaifo (366) et Victore (369) fasces sumpserunt, nondum Augusti erant.

457) Amm. XXX 5, 8.

458) Amm. XXX 5, 4 *solum tamen incitato petebat odio Probum numquam, ex quo eum viderat, minari desinens vel mitescens.*

459) Rufin. hist. eccl. II 15 *quem* (i. e. Valentinianum minorem) *tamen necessitas eorum, qui tamquam vacuum imperii locum conabantur invadere, conpulit etiam absente fratre purpuram indui, P r o b o t u n c p r a e f e c t o fideliter rem regente.*

460) Hoc die Siburius praefectus Galliarum erat Cod. Theod. XI 31, 7 cum adn. Gothofr.

461) Cod. Theod. VI 28, 2. commemoratur praeterea d. 28 Mai. a. 380 Cod. Theod. VI 35, 10.

462) Inscr. 5 *praefectus praetorio Galliarum iterum.* Cod. Iust. VII 38. 1 *ad Probum pp. Galliarum* sine die. cf. Inscr. 9. 10.

463) Claud. de cons. Ol. et Prob. 55 *non, mihi centenis pateant si vocibus ora multifidusque ruat centum per pectora Phoebus, acta Probi narrare queam, quot in ordine gentes rexerit, ad summi quotiens fastigia iuris venerit, Italiae late cum frena teneret Illyricosque sinus et quos arat Africa campos.* praefecturam igitur Galliarum ne verbo quidem tangit poeta, quod certe fecisset, si tempore et rebus gestis memorabilis fuisset.

464) Flavianus magistratum deposuit post d. 10 Mai. a. 383 (v. quae ad epistulas libri secundi dicturus sum), Hypatius post d. 28 Mai. a. 383 Cod. Theod. II 19, 5.

465) Socrat. V 11 Μάξιμος ἐκ τῶν περὶ τὰς Βρεττανίας μερῶν ἐπανέστη τῇ Ῥωμαίων ἀρχῇ καὶ κάμνοντι Γρατιανῷ εἰς τὸν κατὰ Ἀλαμαννῶν πόλεμον ἐπιτίθεται. ἐν δὲ τῇ Ἰταλίᾳ κομιδῇ νέου τυγχάνοντος Οὐαλεντινιανοῦ τὴν τῶν πραγμάτων εἶχε φροντίδα Πρόβος ἀπὸ ὑπάτων τὴν ὕπαρχον τότε χειρίζων ἀρχήν. cf. Sozom. VII 13.

466) Commemoratur in ea d. 25 Oct. a. 383 et d. 19 Ian. a. 384 (v. adn. 210), sed cum aestate a. 384 de uno tantum praefecto Italiae Praetextato acceperimus, simul cum eo Probus quoque potestatem retinuisse potest. mense autem Februario a. 385 duo iam alii praefecti erant Neoterius et Principius. v. Cod. Theod. VIII 5, 43; Cod. Iust. I 48, 2, in quarum legum subscriptionibus pro: *Ricomere et Clearcho coss.* (a. 384) scribendum est: *post consulatum Ricomeris et Clearchi* (a. 385); omnes enim reliquae constitutiones, quae hos praefectos nominant, annis 385 et 386 datae sunt, et mense Februario a. 384 aut Probo et Attico aut Attico et Praetextato Italiae provincias administrantibus, illis nullus locus relinquitur.

liam irrupit, autumno a. 387, praefecturam quartam gerebat et simul cum imperatore Thessalonicam profugit[467]. post Theodosii victoriam (a. 388) ultimos vitae annos in Aniciorum domo marmorea[468] otio fruebatur, gloria per continuos magistratus acquisita contentus; quae etiam ultra terminos dicionis Romanae progressa duos Persas nobiles circa a. 390 compulit, ut ad tantum virum visendum in urbem proficiscerentur[469]. non multo post obiisse videtur, certe cum Marcellinus ultimam rerum gestarum partem[470] et Claudianus carmen in consulatum Olybrii et Probini componebant[471], mortuus iam erat. in supremis baptisma accepit[472], sed iam ante religioni christianae addictus fuerat et uxor eius[473] filiique inter omnes Romanos fidei ardore eminebant[474] atque ex Olybrio neptis perpetuae virginitati vota est[475].

Proba reliquias viri in Vaticano post apsidem Sancti Petri condidit, ubi tumulus, cum a Nicolao quinto e. n. pontifice maximo fundamenta ecclesiae novae iacerentur, inventus sed paulo post destructus est[476]. ipsa non solum viro sed etiam filio Olybrio supervixit patriamque a. 410 a Gothis captam et vastatam vidit[477].

XVI Anicii Hermogeniani Olybrii parentes uxoremque nominant tituli sub XV 9. 11. 12 propositi. matris patrisque mentionem faciunt Claud. de cons. Olybr. et Prob. passim; tit. 1; Hieron. ep. 130. Iulianam uxorem, cui Augustinus librum de bono viduitatis inscripsit, praeterea commemorant Hieron. epist. 130, 6; August. epist. 150. hanc nominis causa, quod ei cum filia Anicii Auchenii Bassi praefecti urbis a. 382 commune est, nepotem eius filiamque Bassi consulis a. 408, sororem consulis a. 431 feci. de Demetriade Olybrii filia v. Baron. ann. eccles. V p. 395; Reumont, *Geschichte der Stadt Rom I p. 815.*

---

467) Sozom. VII 13 δείσας δὲ μή τι πάθοι, φεύγων ἐξ Ἰταλίας εἰς Θεσσαλονίκην ἧκε, σὺν αὐτῷ δὲ καὶ ἡ μήτηρ καὶ Πρόβος ὁ ὕπαρχος. cf. Socr. V 11.

468) Secundini epist. 3 in August. op. 8 p. 521 A ed. Bened. *ego namque fateor non tali diligentia nec tanta industria Anicianae domus micare marmora, quanta tua scripta perlucent eloquentia.*

469) Paulin. vit. Ambros. 25 *per idem tempus* (scil. cladis Thessalonicensis a. 389) *duo potentissimi et sapientissimi viri Persarum ad famam sacerdotis venere Mediolanium, — et ut se probarent non ob aliam causam venisse, — alia die valefacientes imperatori profecti sunt ad urbem Romam illic volentes cognoscere potentiam illustris viri Probi, qua cognita ad propria remearunt.*

470) Amm. XXVII 11, 2 *potuit, quoad vixit, ingentia.*

471) Claud. in cons. Olybr. et Prob. 31 *vivit adhuc conpletque vagis sermonibus aures gloria fusa Probi, quam nec ventura silebunt lustra* etc. 167 *ut pigeat meminisse Probi.* ea de causa in priore eius epitaphio (inscr. 7) de consulibus filiis siletur, quae laus neque in altero (8, 4) neque in reliquis titulis post mortem ei positis omittitur.

472) Tit. 7 v. 4 *Iordane ablutus nunc Probus es melior.* v. 9 *senior donatus munere Christi.* v. 23 *vivit in aeterna paradisi sede beatus, qui nova decedens muneris aetherii vestimenta tulit.*

473) Tit. 4 *devotionis antistiti.* Hieron. ep. 130, 7. *Proba illa —, cuius sanctitas et in universos effusa bonitas etiam apud barbaros venerabilis fuit, — cum incensis direptisque omnibus in urbe captivitas sit, nunc avitas venumdare dicitur possessiones et facere sibi amicos de iniquo mammone, qui se recipiant in aeterna tabernacula.* scriptae sunt ad eam Augustini epistulae 130. 131. 150.

474) Prudent. in Symm. I 548 *Iamque ruit paucis Tarpeia rupe relictis ad sincera virum penetralia Nazareorum atque ad apostolicos Euandria curia fontes, Amniadum suboles et pignera clara Proborum. fertur enim ante alios generosus Anicius urbis inlustrasse caput: sic se Roma incluta iactat. quin et Olybriaci generisque et nominis heres, adiectus fastis, palmata insignis abolla, martyris ante fores Bruti submittere fasces ambit et Ausoniam Christo inclinare securem.*

475) Hieron. epist. 130, 3; Augustin. de bono viduitatis 6. 18. 19. 24.

476) Baron. ann. eccles. IV p. 775.

477) Procop. bell. Vandal. I 2 p. 180 C; Hieron. epist. 130, 7; August. de bono viduit. 24.

Olybrius maximus ex Probi filiis, qui quidem patri superstites fuerunt (v. p. CI), a. 395 puer erat[478]. itaque ante a. 381 natus esse non potest. nihilominus post Theodosii de Eugenio victoriam senatus in honorem patris Olybrio fratrique eius Probino legatione missa consulatum in a. 395 impetravit[479], quem Claudianus celebravit carmine illo notissimo, primo quod lingua latina composuit[480]. et postea quoque poeta Olybrii fratrisque cliens mansit epistulasque ad utrumque composuit.

De reliquis Olybrii honoribus non constat, neque multos splendidioresque gessisse videtur, cum iam ante urbem a Gothis direptam (a. 410) sorte functus sit[481].

XVII Anicium Probinum Probi Probaeque filium faciunt tit. XV 1. 10. 13. de consulatu eius v. XVI. inter d. 22 Dec. a. 396[482] et 17 Mart. a. 397[483] proconsul in Africam missus est, quam tamen propter bellum Gildonis, quod tum in limine erat, paucos tantum menses rexit; siquidem aestate eiusdem anni iam Formiis otium fovebat[484]. anno 416 fortasse praefectus urbi erat; in lege enim data d. 12 Dec. Cod. Theod. XIV 10, 4 pro *Probiano p. u.* scribendum videtur *Probino p. u.*

XVIII Probus consul a. 406[485] modo Anicius[486] modo Petronius[487] dicitur, in una tantum inscriptione gentilicium utrumque fuisse videtur, sed alterum temporis iniuria nunc periit[488]. patrem matremque eius nominant tituli XV 10 et 13; Hieron. ep. 130, 7. comes sacrarum largitionum commemoratur inde a d. 29 Febr. a. 412 usque ad d. 11 Iun. a. 414[489].

---

56 amicitiam inter Symmachum et Probum evocatio, quam ille ad consulatum a. 371 accepit, auspicata est (v. adn. 49); nulla igitur ex his epistulis ante eum annum scripta esse potest. haec autem cum de publicis Probi negotiis loquatur, data est, quo tempore praefecturam aliquam gerebat, i. e. aut a. 371—375 aut a. 380—381 aut a. 383—384 aut a. 387—388.

478) Hieron. epist. 130, 3 *consul quidem in pueritia.* cf. Claud. de cons. Ol. et Prob. 62 *non contigit illi talis honor, prima cum parte viresceret aevi.*

479) Claud. de cons. Ol. et Probin. 75 *Roma Probo cupiens dignas persolvere grates sedula pro natis dominum flexura rogando ire parat.* ubicumque Claudianus de dea Roma cum petitione aliqua ad Augustum proficiscente verba facit, legatio senatus intellegenda est.

480) Claud. epist. ad Probinum 13 *Romanos bibimus primum te consule fontes et Latiae cessit Graia Thalia togae, incipiensque tuis a fascibus omina cepi, fataque debebo posteriora tibi.*

481) Hieron. epist. 130, 3 *felix morte sua, qui non vidit patriam corruentem.*

482) Hoc die Theodorus proconsul erat, Augustin. contra Crescon. III 62.

483) Cod. Theod. XII 5, 3.

484) V 69 *opto in illo sinu agere vobiscum, quod restat aestati.* cf. 67. successor eius Seranus, de quo v. ad epist. V 78—98, magistratum ab Augusto Orientali accepisse videtur, in cuius dicionem Gildo provinciam dederat.

485) Diptychum eburneum, quod consulatus occasione imperatori muneri dedit, adhuc superest. inscriptionem eius refert Meyer Spirensis, *Zwei antike Elfenbeintafeln p. 56: d(omino) n(ostro) Honorio semp(er) Aug(usto) Probus famulus v(ir) c(larissimus) cons(ul) ord(inarius). in nomine (Christi) vincas semper.*

486) Tit. 10. 13; de Rossi, inscr. christ. 560.

487) De Rossi l. l. 554. 557.

488) De Rossi l. l. 559.

489) D. 29 Febr. a. 412 Cod. Theod. VIII 4, 24. d. 13 Apr. a. 412 Cod. Iust. XI 62, 11. d. 10 Ian. a. 414 Cod. Theod. VII 8, 11. d. 11 Iun. a. 414 Cod. Iust. VIII 16, 8 + XI 48, 15 + 59, 13.

57 de occupationibus Probi sermo est, qua re idem tempus indicatur, quod in epistula superiore. certius autem indicium praebent verba: *dii modo optata fortunent, salutem rei publicae in solido locent!* magna enim rei publicae infortunia, quae nos quidem novimus, in Probi praefecturas tria incidunt, fames annorum 380 et 383 tyrannisque Maximi.

58 scripta, cum Probus secundam praefecturam accepit, quod inter mensem Decembrem a. 379 et Martium a. 380 factum est.

59 *sed quod ais, me potius, qui sim vacuus publicae rei, istiusmodi vigiliam debere sortiri, aequum esse dissentio.* v. ad ep. 56.

60. 61 v. ad epist. 56.

I 62—74 AD CELSINVM TITIANVM.

Celsinus Titianus Symmachi frater[490]) sectam familiae secutus utrumque pontificatum Solis et Vestae gessit[491]). suffragio Flavii Afranii Syagrii praefecti praetorio, qui a. 380 potestatem acceperat[492]), vicarius Africae factus est[493]), qua in administratione positus legi Cod. Theod. XIV 3, 17 datae d. 12 Iul. a. 380 praescribitur. sed constitutio Cod. Theod. XII 1, 84, quae d. 15 Febr. a. 381 Karthagine proposita est neque igitur post mensem Decembrem a. 380 data esse potest, iam successorem eius Camenium nominat, ita ut magistratum eius brevissimum fuisse appareat. cuius rei causa inde agnoscitur, quod Symmachus ad Syagrii consulatum evocatus mortem fratris recentem excusat[494]). fuerunt videlicet consules Syagrii duo annis 381 et 382, et ambigebatur, ad quemnam eorum oratoris nostri epistulae scriptae essent; nunc autem propter celerem illam vicariorum mutationem dubitari nequit. quin Titianus iam autumno aut hieme a. 380 in magistratu obierit et consulatus a. 381 intellegendus sit. ergo epistulae, quae fratris nomen praeferunt, omnes ante ultimos a. 380 menses datae sunt, maiorque pars earum in ipsum vicariatus tempus incidit. quod certum est de 64. 66. 68. 69. utpote quae Africae mentionem faciant[495]), probabile de 65, ubi Symmachus fratrem trans mare morari innuit[496]). sed commendaticiae

490) Epistulae ad eum in codice Parisino subscribuntur: *explicit ad Titianum germanum suum;* praeterea 23, 25 et 76, 32 germanus Symmachi dicitur; nam ex fratris appellatione, qua in inscriptionibus epistularum nuncupatur, nihil concludi potest, cum quivis cognatus aut adfinis eo tempore frater dictus sit.

491) Symm. p. 30, 29 arcarium pontificalem commendans, fratrem obtestatur, ut *utriusque sacerdotii antistitem* se esse recordetur.

492) v. quae ad ep. I 94—107 dicturus sum.

493) 76, 32 *germani mei vicaria potestate gaudeo, tamquam mihi decus honoris accesserit. — cum quo inlustrem virum Syagrium fides certa est operam bonae frugis adnisum.*

494) I 101; III 21; IX 113.

495) In ep. 66 Gelasius commendatur, qui *imperialis domus curam recepit;* quod ad rationalem rei privatae fundorum domus divinae per Africam (Not. Dign. Occ. XII 16) refero, nam in nulla alia provincia munus, quod expressis verbis ad domum imperialem referatur, reperire potui. in reliquis epistulis aut urbes aut provinciae dioeceseos Africanae expressis verbis commemorantur, ut 64 Caesarea Mauretaniae, 68 Vaga, 69 Numidia.

496) *Quid hiems faciet, quae terra et* m a r i *morabitur commeatus?*

quoque 67. 70—74 scriptae sunt, cum Titianus administratione aliqua fungeretur, nihilque impedit, quominus eas ad eundem annum referamus. duae tantum epistulae ante vicariam praefecturam collocandae sunt, 62, quae de Titiano in Italia non procul a fratre agente loquitur, et 63, qua Satyrus, Ambrosii frater, mortuus hieme a. 374/5 commendatur. cf. adn. 158.

I 75—88 AD HESPERIVM.

Hesperius, Decimi Magni Ausonii Aeonii filius secundus[497] — nam natu maximus patris nomine nuncupatus in prima pueritia mortuus est[498] — sub Valentiniano Augusto privatus latuit[499]; sed postquam patris discipulus imperium Occidentis solus adeptus est, statim Africam proconsulari imperio regendam accepit[500]. successit enim Constantio inter d. 7 Sept. a. 375 et 10 Mart. a. 376 (v. adn. 153), quod tempus cum morte Valentiniani (d. 17 Nov. a. 375) fere congruit. iam inter d. 8 Iul. a. 376[501] et 21 Ian. a. 377[502] ex Africa revocatus est, ut praefecturam praetorio Italiae susciperet[503]. anno 378 exeunte aut 379 ineunte patrem collegam accepit, quocum non solum Italiam sed Occidentem integrum una administraret. Ausonioque in vitam privatam reverso Gallias quidem Siburio regendas tradidit, sed provincias Italicas cum Illyricis et Africanis usque ad d. 14 Mart. a. 380 retinuit[504]. — ex tribus filiis eius minimus Pastor puer mortuus est[505], unus e maioribus is Hesperius fuisse videtur, quem Symmachus (296, 20) a. 385 virum inlustrem et comitem commemorat. ipse sub Maximi tyrannide a. 383—388 simul cum patre Treviris erat[506], sed postea nulla eius memoria apud scriptores antiquos reperitur.

75. 77 Hesperius in magistratu aliquo erat, cum hae ad eum epistulae scriptae sunt. cursum autem honorum incepit a. 376, finivit a. 380.

76. 80—82. 84. 86—88 amicitiam cum Hesperio Symmachus non iniisse videtur,

497) 11, 18; cf. p. LXXV et Schenkl, Ausonius p. XIV.

498) Auson. parent. 12.

499) Quod Carolus Schenkl in editione Ausonii (praef. p. XIV) Hesperium a. 375 vicarium Macedoniae fuisse tradit, errore factum est. nam testimonium Paulini Pellaei, quo solo innititur, non ad Hesperium sed ad Thalassium referri debet. v. p. LXXVIII.

500) Auson. epiced. in patr. 45; Amm. XXVIII 6, 28.

501) Cod. Theod. I 32, 2, proconsul Africae sine die praescribitur Cod. Iust. XI 66, 3.

502) Cod. Theod. I 15, 8. cf. adn. 354.

503) Africam proconsularem praefecturae eius partem fuisse, ex lege Cod. Theod. VIII 5, 34 perspicitur.

504) v. p. LXXX. praescribitur legibus datis d. 21 Ian. a. 377 Cod. Theod. I 15, 8. d. 27 Febr. a. 377 Cod. Theod. VIII 5, 34. d. 22 Apr. a. 378 Cod. Theod. XVI 5, 4 cum adn. Gothofredi. d. 2 Iul. a. 379 Cod. Theod. VII 18, 2 + XIII 1, 11. d. 21 Iul. a. 379 Cod. Theod. XIII 5, 15. d. 31 Iul. a. 379 Cod. Theod. VIII 18, 6 + Cod. Iust. VI 32, 4. d. 3 Aug. a. 379 Cod. Theod. XVI 5, 5. d. 6 Dec. a. 379 Cod. Theod. VI 30, 4. d. 14 Mart. a. 380 Cod. Theod. X 20, 10. de successore eius Syagrio v. p. CXI.

505) Auson. parent. 13.

506) Auson. epist. 2.

antequam a. 369 in Gallias proficisceretur. itaque omnes ad illum epistulas post hunc annum scriptas esse existimo. v. p. LXXIX.

77 v. ad epist. 75.

78 ad orationem pro Trygetio habitam d. 9 Ian. a. 376 pertinet. v. p. VI.

79 Hesperius praefectus praetorio a. 377—380.

80—82 v. ad epist. 76.

83 scripta paulo post mortem Celsini Titiani anno 380 exeunte. v. p. CVI.

84 v. ad epist. 76.

85 gravem Symmachi morbum commemorat, quod a. 378 indicare videtur. v. 13, 6.

86—88 v. ad epist. 76.

I 89—93 AD ANTONIVM.

De Claudii Antonii[507]) familia nihil comperi, nisi quod fratrem Marium habuit, qui provinciam aliquam suburbanam gubernavit[508]). primus magistratus, quem ab ipso gestum esse scimus, magisterium scrinii alicuius erat, de quo more eo saeculo sollemni ad quaesturam sacri palatii processit[509]). de tempore honoris nisi ex Symmachi epistula I 89 non constat; quae cum de oratione principis ab Antonio scripta ea ratione iudicet, quae iuveni nullius auctoritatis parum conveniat, hominem aliquantam eloquentiae gloriam iam consecutum prodit. incidit igitur in ultima Valentiniani tempora, nam ne ulterius procedamus, Antonii praefectura inde ab a. 376 gesta prohibet. quaestores autem, qui praeter illum in Valentiniani aula fuerunt, novimus hos: Viventium anno 365 aut 366 ad praefecturam urbi promotum[510]), Eupraxium, qui mense Augusto a. 367 ex magistro memoriae quaestor factus est[511]) magistratumque usque ad a. 370 et fortasse longius retinuit[512]), Ausonium circa Valentiniani mortem (a. 375)

---

507) Rossi, Inscr. christ. urb. Rom. 312 *Cl. Antonio et Fl. Syagrio conss.* 318 *Cl. Antonio et* . . . .

508) Symm. I 90. Themistii testimonium (χαριστ. p. 203[d]), Saturninum in consulatu (a. 383) praecessisse Theodosii Augusti patruum et adfinem (τὸν πατράδελφον λέγω καὶ τὸν κηδεστήν), plerumque de Eucherio (cos. 381) et Antonio nostro (cos. 382) accipi solet, et de illo quidem recte, sed pro Antonio Flavius Syagrius collega eius intellegi debet (cf. Rossi l. l.). nam qui consulatum accipiebant, homines aut rebus gestis clari aut summa nobilitate conspicui esse solebant, atque Antonius iam amplissimos magistratus duos, quaesturam et praefecturam praetorio, gesserat, cum fasces sumeret, at contra Syagrius ultra proconsulatum Africae adulescentulis nonnumquam commissum progressus non erat. nullo igitur alio titulo quam aut natalium aut adfinitatis splendore tanto honore dignus videri potuit, quod quam bene patri aut fratri Flaccillae Augustae conveniat, nemo profecto non videt. accedit, quod cum Theodosius et Gratianus singuli singulos consules quotannis nominarent, adfinem ab adfini promotum esse et in partibus imperii huic creditis, Orientalibus videlicet, trabeam sumpsisse, et per se veri simillimum est et a Themistio confirmatur; at Antonius totum honorum cursum in aula Gallicana peregit neque ab alio imperatore, quam cuius praetorio praefuerat, summum laborum praemium accepisse credendus est. cf. quae mox de duobus Syagriis dicturi sumus.

509) 36, 19 *non incognito quidem nobis eloquii splendore nituisti, sed magnis rebus adcommodam et maiestatis scriptis aptatam gloriam, quam magisterio ante quaesisti, recens auxit oratio.* nullae aliae orationes auctoribus absentibus in senatu recitari potuerunt quam a principibus ipsis profectae, quae componi solebant aut a magistris scriniorum aut a quaestoribus sacri palatii. cum igitur Antonius magisterium iam ante gessisset, tum quaestor erat.

510) Amm. XXVI 4, 4; XXVII 3, 11; de praefectura eius urbana v. Herm. XVIII p. 299.

511) Amm. XXVII 6, 14.

512) Amm. XXVIII 1, 25.

honore functum. Antonii ergo quaesturam inter Eupraxii et Ausonii tempora collocabimus. in praefectura praetorio Galliarum[513]) successit Maximino inter d. 16 Apr.[514]) et 23 Mai. a. 376[515]) locumque dedit Ausonio inter d. 12 Ian. et 20 Apr. a. 378[516]). post consulatum anno 382 gestum nulla eius mentio reperitur. tragoedias eum scripsisse, Symmachus indicare videtur[517]).

---

89 de oratione in senatu recitata Symmachus iudicia hominum collegit, quod nisi in urbe ipsa facere nequivit. dimidium autem eius temporis, quo Antonium quaesturam gerere potuisse, supra vidimus (a. 370—375), orator noster in Africa proconsulis munere fungebatur (a. 373—375). scripta igitur est epistula inter annos 370 et 373.
92 *ut te curis publicis occupatum ad rependenda conloquia adsiduitate sollicitem.* ultimum munus publicum, quod Antonius gessit, deposuit primis anni 378 mensibus.

I 94—107 AD SYAGRIVM.

Flavii Syagrii saeculo quarto exeunte fuerunt duo, qui eo difficilius discernuntur, quia deinceps annis 381 et 382 trabeas consulares sumpserunt[518]). alterum eorum Afranio quoque gentilicio usum, quem avum maternum Tonantii Ferreoli amici sui Apollinaris Sidonius praedicat[519]), eundem esse cum Symmachiano, ex praefecturis ab utroque scriptore commemoratis efficitur[520]), nam cognominis eius, quod scimus, numquam praefectus praetorio fuit. quo tempore autem ille Symmachi amicus consul prodiit,

---

513) Cod. Theod. IX 35, 2; XIII 3, 11.

514) Cod. Theod. IX 19, 4.

515) Cod. Theod. XIII 3, 11. praeterea nomen eius praescribitur constitutionibus his: d. 17 Sept. a. 376 Cod. Theod. IX 35, 2. d. 6 Ian. a. 377 Cod. Theod. I 15, 7. d. 28 Iul. a. 377 Cod. Theod. I 16, 13. d. 12 Ian. a. 378 Cod. Theod. IX 20, 1 + XI 39, 7. vitiosae sunt Cod. Iust. II 7, 2 et Cod. Theod. IX 40, 12; nam altera data esse fertur d. 18 Aug. a. 378 Ravennae, altera d. 30 Nov. a. 378 Treviris, quibus temporibus Gratianus in Illyrico (Amm. XXXI 11, 6) vel etiam in Thraciis (Auson. grat. act. 18, 82) agebat neque Antonius potestatem retinebat; ut de eo taceam, quod Cod. Theod. IX 40, 12 de Campania loquitur, quae ad praefectum praetorio Galliarum nulla ratione pertinebat.

516) Cod. Theod. VIII 5, 35.

517) 36, 23 *facundiam tuam curiae magis quam caveae convenire.*

518) De Rossi, Inscript. christ. urb. Rom. 303 *Fl. Syagrio et Eucerio*, cf. 304. 306. — l. l. 312 *Cl. Antonio et Fl. Syagrio conss.* Memmius Symmachus putasse videtur, eum Syagrium, ad quem pater scripserat, consulem cum Antonio fuisse; nam quomodo in libro tertio epistulae ad Timasium et Promotum consules a. 389 iuxta collocantur, ita in primo ad Antonium et Syagrium scriptae. sed opinio hominis, qui huius consulatus tempore nondum natus erat, non magni momenti est.

519) Epist. I 7 *Tonantius Ferreolus praefectorius Afranii Syagrii consulis e filia nepos.* VII 12 ad Ferreolum scripta: *isset per avitas tibi stilus noster curules, patricias nihilo minus infulas enumeraturus; non tacuisset triplices praefecturas et Syagrio tuo pro totiens mutatis praeconibus praeconia non negasset.*

520) Titianus per Syagrium vicarius Africae factus est 77, 1; ab eodem sperat Alexander, ut sibi provinciam praesidalem cum consulari aut correctoria permutare permittat (42, 12 *Alexander vir ornatissimus sortitus provinciam praesidalem putat honori suo incrementa praestari, si tuo amore potiatur*). liberum igitur de omnibus provinciarum iudicibus arbitrium habuit, quod nisi praefectis praetorio non competebat. de Sidonio v. adnotationem praecedentem.

Celsinus Titianus paulo ante decesserat; qui cum aestate a. 380 vicarius Africae factus esset et iam ante mensem Februarium a. 381 successorem accepisset, ita ut totus eius magistratus spatio paucorum mensium includeretur (v. p. CVI), certe non more sollemni administrationem deposuit, sed in magistratu ipso mortuus est. quod non mense Ianuario a. 381 sed sub finem anni 380 accidisse, ex eo intellegitur, quod Symmachus ad consulatum kalendis Ianuariis ineundum evocatus, dolore amissi fratris utpote recenti excusatur. Syagrius igitur, ad quem orator noster scripsit, fasces sumpsit a. 381 et consules annorum duorum, quibus de quaeritur, hoc modo inter Occidentem et Orientem dividuntur:

a. 381.

In Occidente:	In Oriente:
Flavius Afranius Syagrius, praefectus praetorio Italiae.	Eucherius, patruus Theodosii Augusti[521], proconsul Africae a. 380. v. adn. 153.

a. 382.

Claudius Antonius, qui a. 375—378 praefectus praetorio Galliarum fuerat. v. p. CIX.	Flavius Syagrius, adfinis Theodosii Augusti. proconsul Africae a. 379[522].

Flavius Afranius Syagrius Gallus fuisse videtur, nam conditorium eius Sidonii tempore Lugduni ostendebatur[523] posteritasque per provincias Gallicanas florebat[524]. in militia nobilissima notariorum honorum cursum auspicatus est[525]; sed cum ad ducem Germaniae primae Aratorem missus, ut eum ad munitionem montis Piri accelerandam hortaretur, ex strage militum, quae mox secuta est, solus evasisset (a. 370), a Valentiniano cingulo privatus est[526]. ab Ausonio amico, qui postea ei librum carminum dedicavit[527], summam potentiam in aula Gratiani post principis patris mortem (a. 375) nacto, revocatus esse videtur. nam eodem anno, quo poeta ipse praefectus praetorio et consul erat, filius eius Hesperius praefectus praetorio, Arborius ex sorore nepos primum comes rerum privatarum, mox praefectus urbi (a. 379). Syagrius quoque magister officiorum reperitur[528], et quoniam non statim honorem tam splendidum accepisse putandus est, certe iam ante dignitate aliqua exornatus erat. et fortasse ipsa Theodosii ad imperium electio consiliis Syagrii debetur, quem cum affini eius aliquo cognationis vinculo cohaesisse, nomina utrique communia Flavius et Syagrius demon-

521) Zosim. V 2; Themist. orat. XVI p. 203d; cf. Vict. epit. 48, 18. eius nomine Stilichonis filius appellatus est.

522) v. adn. 153 et 508. nomen eius praescriptum est legi propositae Karthagine d. 26 Aug. a. 379 Cod. Theod. I 15, 10. dignitas in libris codicis Theodosiani manuscriptis desideratur, sed cum locus tum argumentum proconsulem Africae demonstrant. quo tempore haec constitutio proposita dicitur, Flavius Afranius Syagrius magister officiorum erat, ita ut de persona proconsulis nullum dubium admittatur.

523) Sid. Apoll. ep. V 17.

524) Sid. Apoll. I 7; V 5; VII 12.

525) Amm. XXVIII 2, 5 *per Syagrium tunc notarium postea praefectum et consulem.*

526) Amm. XXVIII 2, 9.

527) Auson. III 42 *pectoris ut nostri sedem colis, alme Syagri, communemque habitas alter ego Ausonium, sic etiam nostro praefatus habebere libro, differat ut nihilo, sit tuus anne meus.*

528) D. 1 Oct. a. 379 Cod. Theod. VII 12, 2.

strant. inter d. 14 Mart.[529] et 18 Iun. a. 380[530] Hesperio in praefectura praetorio Italiae[531] successit, quem magistratum usque ad initium anni 382 et fortasse ulterius retinuit. honore deposito privatus remansit saltem usque ad a. 392, nam Ammianus Marcellinus, qui paulo post scripsit, de una tantum praefectura eius loquitur[525]. de reliquis duabus nisi ex Apollinare Sidonio[519] non constat, qui solus quoque opera Syagrii poetica statuasque ei erectas commemorat[532].

---

94 Palladius professor artis rhetoricae *in spem sui honoris* (86, 30) in comitatum accitus, commendaticias a Symmacho ad Syagrium et Eutropium accepit. qui una igitur in aula imperiali agebant magnis honoribus praediti. aestate a. 381 Palladius iam comes sacrarum largitionum erat[533]; vere a. 380 Syagrius imperatorem in Galliis reliquit, ut regimen Italiae susciperet, neque ante a. 378 ea potestate praeditus fuisse videtur, ut commendato magnum adiumentum praestare posset; a. 378 Eutropius otio privato fruebatur[534]: solus igitur relinquitur annus 379, quo Syagrius magister officiorum, Eutropius comes rerum privatarum erat. cf. ad epist. I 15.

95 Symmacho oratio principum, quam in senatu recitaret, de magna aliqua victoria missa est, quo tempore Syagrius in aula degebat[535] et amicus eius Gregorius quaestor sacri palatii erat[536]. is quaesturam non ante a. 378 accepit[537], Syagrius autem e comitatu discessit vere a. 380. orationem igitur illam ad eam de Gothis Alanisque et Hunnis victoriam refero, quam nuntiatam esse d. 17 Nov. a. 379 fasti Idatiani tradunt[538].

96 et 105 ad orationem pro Trygetio referendae sunt habitam d. 9 Ian. a. 376. v. p. VI.

---

529) Cod. Theod. X 20, 10.

530) Cod. Theod. XI 30, 38. praescribitur legibus datis d. 15 Iul. a. 380 Cod. Theod. VII 18, 4. d. 27 Febr. a. 381 Cod. Theod. VIII 5, 36. d. 5 Iul. a. 381 Cod. Theod. I 10, 1. d. 9 Oct. a. 381 Cod. Theod. VIII 7, 15. proposita d. 3 Ian. a. 382 Cod. Theod. XII 1, 89, qua in lege traditur quidem *dat. III non. Iul.*, sed indicatio anni *post consulatum* nisi primis mensibus admitti non potest. v. De Rossi, Inscr. christ. urb. Rom. p. XXVIII. subscriptionem autem de lege proposita, non de data accipiendam esse, docet locus Viminacium, ubi tunc nullus imperator morabatur. proposita d. 9 Apr. a. 382 Cod. Theod. XII 1, 88. lecta Capuae d. 30 Aug. a. 382 Cod. Theod. XI 16, 14. ex ultimis tribus legibus de magistratu etiam tum a Syagrio gesto nihil concludere licet, nam propositae et lectae esse possunt, postquam is, ad quem datae erant, iam privatus factus est.

531) Italiae eum praefuisse, docent leges propositae Romae Cod. Theod. VII 18, 4, Carthagine Cod. Theod. XII 1, 88, Capuae Cod. Theod. XI 16, 14, Viminacii Cod. Theod. XII 1, 89.

532) Ep. V 5. *Sidonius Syagrio suo salutem. cum sis consulis pronepos idque per virilem successionem —, cum sis igitur ex semine poetae, cui procul dubio statuas dederant litterae, si trabeae non dedissent, quod etiamnunc auctoris culta versibus verba testantur* et q. s. cf. Symm. p. 39, 12 *non enim mihi ex ore ieiuno tributa laudatio est, sed de facundiae penu boni iudicii fructus adrisit.*

533) Cod. Theod. VI 12, 8; X 24, 2.

534) 85, 33 *noxae vacuus otiare et liberis remissus invigila.*

535) 38, 27 *contestare apud invictos principes gaudium meum.* 39, 3 *haec pro me copiosius et ornatius, quantum es linguae melior, apud auctorem beneficii* (scil. principem) *prosequeris.*

536) 76, 25 *cum mihi de scriniis tuis profecta delegaretur oratio.* cf. 76, 4 *pontificio litterati honoris auctus.*

537) v. ad epist. III 17—22.

538) Cf. Tillemont, *Theodose I art. 4.*

98 Syagrii occupationes publicae commemorantur. scripta igitur est, cum magistratum aliquem gerebat, sed quia tempus secundae et tertiae praefecturae eius ignotum remansit, anni nota epistulae adposita delenda est.

100 epistula hieme scripta est[539]. dolor, quem se perpessum esse Symmachus queritur, fortasse fratris mors erat. v. p. CVI.

101 Symmachus ad consulatum Syagrii kalendis Ianuariis a. 381 ineundum evocatus, luctum de fratris obitu excusat, ultimis anni 380 mensibus.

102 *Mediolani te agere ante litteras tuas fama pertulerat, quae nihil ignorari de conspicuis viris patitur.* et locus et fama de Syagrii ex Galliis adventu[540] per totam Italiam diffusa, praefecturam praetorio Italiae recens acceptam indicare videntur, vere a. 380.

103 Symmachus munera consularia a Syagrio accepit, quae primis consulatus (a. 381) mensibus amicis mitti solebant.

104 *Tuae equidem virtutis est omnes, qui palatinis stipendiis enitescunt, iuvare praesidio.* militiae palatinae magistro officiorum subditi erant; scripta igitur circa a. 379.

105 v. ad ep. 96.

106 scripta, cum Syagrius aliquem magistratum gerebat.

107 scripta, cum Syagrius praefectus praetorio erat. v. adn. 520.

II AD FLAVIANVM.

Historia Flaviani[541] duobus monumentis clarissimis illustratur, quorum alterum in monte Caelio, ubi domus Symmachorum fuit, alterum in foro Traiano effossum est.

Virio Nicomacho Flaviano v(iro) c(larissimo), quaest(ori), praet(ori), pontif(ici) maiori, consulari Siciliae, vicario Africae, quaestori intra palatium, praef(ecto) praet(orio) iterum, co(n)s(uli) ord(inario), historico disertissimo, Q. Fab(ius) Memmius Symmachus v(ir) c(larissimus) prosocero optimo. C. I. L. VI 1782.

Nicomacho Flaviano, cons(ulari) Sicil(iae), vicar(io) Afric(ae), quaest(ori) aulae divi Theodosi, praef(ecto) praet(orio) Ital(iae) Illyr(ici) et Afric(ae) iterum, virtutis auctoritatisq(ue) senatoriae et iudiciariae ergo reddita in honorem filii Nicomachi Flaviani cons(ularis) Camp(aniae), procons(ulis) Asiae, praef(ecti) urbi saepius, nunc praef(ecti) praet(orio) Italiae Illyrici et Africae. — Imperatores Caes(ares) Fl(avius) Theodosius et Fl(avius) Placidus Valentinianus semper Aug(usti) senatui suo salutem. clarorum adq(ue) inlustrium in rep(ublica) virorum adversum casus condicionis humanae interpolatum aliquatenus adserere honorem et memoriam defuncti in lucem a[eternam] revocare emendatio quaedam

539) 40, 9 *omnis quippe internus corporis dolor hiemali crescit iniuria.*

540) 41, 7 *nec te excusare collegis interventus Alpium potest.*

541) De Flaviani vita praeclare egerunt de Rossi, *Iscrizione onoraria di Nicomaco Flaviano, Annali dell' Inst. XXI 1849 p. 283; Il culto idolatrico in Roma nel 394, Bullett. di archeol. crist. 1868 p. 49;* Mommsen, Herm. IV p. 350; quos magna ex parte secutus sum.

eius sortis videtur, quae praeiudic[iu]m [sum]mumq(ue) [detri]mentum virtutum exsistimatur. bono nobiscum, p(atres) c(onscripti), fau[stoq(ue)] omine intellegitis profecto, quidquid in restitutionem pr[istini honor]is inlustris et sanctissimae aput omnes recordationis Flaviani senio[ri]s adimus, divi avi nostri venerationem esse. si eum, quem vivere nobis servariq(ue) vobis — quae verba eius aput vos fuisse pleriq(ue) meministis — optavit, sic in monumenta virtutum suarum titulosq(ue) revocemus, ut quidquid in istum caeca insimulatione conmissum est, procul ab eius principis voto fuisse iudicetis. cuius in eum effusa benivolentia et usq(ue) ad annalium, quos consecrari sibi a quaestore et praefecto suo voluit, provecta excitavit livorem inproborum. nunc si aput vos abunde causas piaetatis adstruximus, accipite aliud, quod de vestris in illum sensib(us) et provinciar(um) omnium iudiciis muniamur, quib(us) per illum locupletioris adhuc rei p(ublicae) bona vel adservata vel etiam aucta tantum et aput nos reverentiae contulerunt, ut quod hodie facimus, in pectorib(us) et sensib(us) vestris absq(ue) interpellatione ulla mediae oblivionis fuisse noverimus. ex quo quidem ipso non min[us] memoriae illius quam nobis, p(atres) c(onscripti), supra omnia praestitistis, ut non immerit[o] patientiae vestrae gratias agamus, ne quid erga restitutionem honoris eius admoniti potius quam sponte fecisse videamur, cum alioqui ipse etiam de institutione illius probatus saepe nobis parentibusq(ue) nostris Flaviani fili[us sit, cui] honor semiplenus etiam sub praefecturae praetorianae apice, quem provide[ntia] et industria sua cottidie auget, delatus exsistimetur, nisi integer tandem et abs[q(ue)] ullo re[l]igiosi muneris debito totius domus eius familiaeq(ue) sit. gaudete ergo nob[iscum], p(atres) c(onscripti), optimo imperii nostri opere, ut nobiscum recognoscitis, et redditam vobis e[sse et] patriae senatoris eius memoriam, et dignitatem probate, cuius consorti[o] clariores fuistis et in posteris eius eadem aput nos reverentia vigetis. — Appius Nicomachus Dexter v(ir) c(larissimus), expraef(ecto) urb(i) avo optim(o) statuendam curavi . . . . . . Septb. [Basso et Antioc]ho v(iris) c(larissimis) cons(ulibus). a. 431. C. I. L. VI 1783.

Virius Nicomachus Flavianus[542] nomine teste originem ab Aniciis ducebat (v. p. CII); filius erat Venusti[543], quem eumdem fuisse crediderim cum Volusio Venusto correctore Apuliae et Calabriae. hunc enim Canusinum fuisse, titulus ab ipso positus indicat[544]; Flaviani autem res familiaris magna ex parte possessionibus Apulis constabat[545], a patre videlicet Apulo hereditate quaesitis. Venustus, quamvis ex familia nobilissima ortus[546], in honorum tamen via lente progressus est. nam Apuliae et

542) Nomen integrum praebet titulus a progenero positus, *Nicomachus Flavianus* dicitur in inscriptione fori Traiani et de Rossi, Inscr. christ. urb. Rom. 419 *consulatu Nicomaci Flabiani*; 420 *N[i]comaco [Fla]via[no v(iro) c(larissimo) c]onsule*; 421 *Nicomaco Flav[iano v(iro) c(larissimo) cons.]* 1145 [con]s. *Nico. Flaviano. Flavianus* passim, *Nicomachus senior* apud Apoll. Sidon. epist. VIII 3; Macrob. I 24, 24.

543) Macrob. I 5, 13. *Flavianus, qui quantum sit mirando viro Venusto patre praestantior, non minus ornatu morum gravitateque vitae quam copia profundae eruditionis adseruit.*

544) C. I. L. IX 329 Canusii. *Salvis ddd. nnn. Constantino Aug(usto) et filiis eius Caes(aribus) Volusius Venustus v(ir) c(larissimus) corrector Apul(iae) et Calab(riae) ob amorem patriae statuas ornatui porticus posuit.*

545) Flavianus, ut curam rei familiaris gerat, in Apuliam proficiscitur, Symm. II 34. quod nullum e Venusti nominibus gerit, non obstat; nam plerumque homines eius temporis a matribus matrumque necessitudinibus nomina accipiebant, ut filius Sexti Petronii Probi Anicius Hermogenianus Olybrius ab avo materno nuncupatus est. v. p. XCI.

546) Amm. XXIII 1, 4 *iisdem diebus legatos ad se missos ab urbe aeterna clare natos meritisque probabilis vitae conpertos imperator* (scil. Iulianus) *honoribus diversis adfecit. et Apronianum Romae decrevit*

Calabriae Constantini magni temporibus praefuit[546], tum Siciliam consularis rexit[547], quibus curis absolutus per annos fere viginti in otio delituit, fortasse quia vir superstitioni gentilium addictus imperatori christiano Constantio parum probabatur. inter homines autem suarum partium magna auctoritate fruebatur[548], qui cum Iuliano summae rerum potito novas vires nacti essent, legatus ad imperatorem missus et a. 363 vicarius Hispaniarum factus est[549]. alia quoque legatio eius a 370 aut 371 simul cum Vettio Agorio Praetextato suscepta commemoratur[550], post quam nullam eius mentionem inveni. sorore eius Aviano Symmacho nupta nomen Anicium in gentem Aureliam translatum esse videtur (v. p. LIII); Symmachus enim orator Venusti filium Flavianum semper fratrem nuncupat et ipse quoque rem Apulam possidebat[551] ex matris fortasse dote profectam.

Flavianus natus est circa a. 334[552]. in honorum cursu iisdem obstaculis, quibus pater, tardatus esse videtur; nullum enim magistratum ante annum aetatis trigesimum gessit. sed postquam Venustus vicarius factus est, avunculus et consobrinus Symmachi alter praefectus urbis alter corrector Lucaniae et Brittiorum, et Praetextato proconsulatum adepto omnes fere partium gentilium principes rei publicae gubernaculis admoti sunt[553], ipse quoque Siciliam consulari iure regendam accepit (a. 364)[554]. fascibus depositis denuo annos duodecim quievit, donec Valentiniano mortuo Ausonius Symmachi amicus summam in aula potestatem nactus est. Hesperio Ausonii filio pro consule Africae[555] in eadem dioecesi vicariam praefecturam gessit (a. 376—377), quo in magistratu odio religionis christianae haereticos ita fovit, ut constitutionem Gratiani, quae leges contra Donatistas latas denuo inculcaret, necessariam redderet[556], et publi-

---

esse praefectum, Octavianum proconsulem Africae, Venusto vicariam conmisit Hispaniae, Rufinum Aradium comitem Orientis — provexit.

547) 123, 11 *fuit matri eius* (scil. Flaviani minoris) *cum procuratore tuo finalis in Sicilia quaestio, quam disceptatio non, ut scribis, Venusti, sed alterius rectoris absolvit.* Eusignius, ad quem haec epistula scripta est, ideo de praedio Siciliensi litem movisse videtur, quod rem antea a feminae possessoris socero studio affinitatis prave iudicatam esse diceret; id quod Symmachus verbis supra laudatis refellit.

548) Macrob. l. l. *mirandus vir Venustus.* Amm. l. l. *clare natus et meritis probabilis vitae conpertus.*

549) Amm. l. l. cf. XXVIII 1, 24 *ex vicario Venustus.*

550) Amm. XXVIII 1, 24.

551) 156, 38 *statim iussi ex re nostra Apula ad Campaniam frumenta deferri.* apud vicarium urbis Symmachus a. 397 patronum Apulorum egit IX 29, genere scilicet et re ad eos pertinens.

552) Carmen codicis Parisini 8084 ed. Mommsen in Herm. IV p. 350; Riese, anthol. lat. I p. 13; Baehrens poetae latini minores III p. 286 v. 67 *sexaginta senex annis duravit ephebus.* mortuus est a. 394, v. infra.

553) v. p. XLII. XLVI. LXXXVII.

554) Flavianum honorem aliquem gessisse, quo tempore Symmachus maior praefectus urbi, minor corrector Lucaniae et Brittiorum erant, ex epistula II 44 efficitur. qui honor temporis ratione considerata nullus alius esse potuit quam consularitas Siciliae in duabus, quas supra proposuimus, inscriptionibus commemorata. celsitudinis titulus consulari a Symmacho tributus non tam magistratum, quam claros Flaviani natales spectare videtur; nam cum dignitatum ordo anno demum 372 a Valentiniano constitutus esset, vocabula *inlustris, spectabilis, celsitudo, magnificentia* antea nondum in usum certum et sollemnem abierant.

555) Amm. XXVIII 6, 28 *doctoque super nefanda fraude Gratiano imperatore fidentius — Valentinianus enim obierat — ad Hesperium proconsulem et Flavianum vicarium audiendi sunt missi.* Hesperius a. 376 proconsul Africae erat. v. p. CVII. cf. 62, 10 *quod eum patria Africa non minus tibi quam mihi cara commendat.*

556) August. epist. 87, 8 *vos* (scil. Donatistae) *Flaviano quondam vicario partis vestrae homini, quia legibus serviens nocentes, quos invenerat, occidebat, non communicastis?* De Rossi, *Iscrizione di Nicomaco Fla-*

cam imperatoris notam incurreret[557]. sicut Symmachus et Praetextatus totaque illa gentilium factio, ita Flavianus quoque litterarum gloriam appetebat, et quamvis annales Theodosio Augusto inscripti, quo opere apud posteros fama ingenii eius maxime stabilita est, ante praefecturam (a. 383) in publicum non prodierint[558], nonnulla tamen in longo illo otio, quod vicarii munus praecedebat, scripsisse et edidisse videtur. nam philosophiae eum operam impendisse, ex Symmachi testimonio constat[559], et medio aevo excerpta ex libro eius *de dogmatibus philosophorum* circumferebantur[560]. praeterea Philostrati Apollonius Tyanensis latine versus[561] et quaedam grammatica[562] commemorantur. his similibusve scriptis meruit, ut a Theodosio Augusto ad *pontificium litterati honoris*, quaesturam sacri palatii, promoveretur[563].

---

viano, Annali dell' Inst. 1849 p. 294. Neanche S. Agostino è testimonio certissimo di questa dignità del nostro Flaviano. Imperocchè è impossibile non inferire dalle parole di lui, ch'egli volle accennare ad un Flaviano vicario sì dell' Africa, ma cristiano della setta dei Donatisti. Ed infatti il Tillemont vuole che si distinguano due Flaviani vicarii d' Africa, l' uno Donatista, l' altro pagano ostinatissimo, del quale noi ragioniamo. — Del resto non dissimulerò un mio sospetto, che cioè a S. Agostino possa forse aver fallito la memoria, quando scrisse quelle parole. Imperocchè non sarebbe a meravigliare, che il nostro Flaviano, come tutti i più scaltri nemici del cristianesimo in quella età, avesse stimato interesse del suo partito proteggere e favorire ogni maniera di settarii, e massime in Africa i Donatisti, e che S. Agostino scrivendo dopo moltissimi anni (cioè fra il 405 ed il 411) di cose ch' erangli note soltanto per fama, poichè egli nel 377 e molti anni appresso visse in Italia, avesse errato nel credere della setta de' Donatisti, chi ne era stato soltanto spacciato fautore. E questo sospetto mi nasce nell' animo, non dal difetto di ogni memoria di un altro vicario Flaviano, che sarebbe argomento di poco valore (minime, nam summi provinciae Africae iudices tot in codice Theodosiano nominantur, ut etiam argumentum ex fontium silentio non omnino contemnendum sit), *ma dal vedere che a niuno di coloro i quali portarono questo nome in quella epoca, sembrano poter convenire la carica di vicario dell' Africa e la qualità di Donatista. Ma dall' altro lato, considerando la celebrità del nome e dei fatti di Nicomaco Flaviano, non so persuadermi, che potesse così grossamente errare circa la persona di lui, un tal contemporaneo qual era Agostino, perchè al mio sospetto non posso io medesimo dare gran peso.* lex data d. 17 Oct. a. 377 ad Flavianum vicarium Africae (Cod. Theod. XVI 6, 2), quae non nova est, sed veteres tantum contra Donatistas leges confirmat (*nihil enim aliud praecipi volumus, quam quod evangeliorum et apostolorum fides et traditio incorrupta servavit, sicut lege divali parentum nostrorum Constantini Constantii Valentiniani decreta sunt. — nihil ut ab eo tenore sanctio nostra diminuat, qui dato dudum ad Nitentium praecepto fuerat constitutus*) neque igitur sine occasione aliqua lata esse potest, Flavianum, cui inscribitur, illum Augustini Donatistarum fautorem fuisse, clare indicat. quem eundem esse cum eo, quem Ammianus commemorat, temporis ratio docet; quis enim credat, duos homines cognomines deinceps annis 376 et 377 vicarios Africae factos esse? Flavianus autem noster inscriptionibus testibus vicariam Africae praefecturam inter Siciliae fasces et quaesturam sacri palatii, id est inter annos 365 et 382, gessit, neque ullum tempus honori eius melius convenit, quam quo Ausonius omnes Occidentis magistratus nominabat Symmachique commendatio, ut Palladii exemplum demonstrat (v. ad ep. I 15), efficacissima erat. itaque non dubito, quin Rossii suspicio vera sit. cf. adnotationem sequentem.

557) Cod. Theod. XVI 5, 4 *quod sive dissimulatione iudicum seu profanorum inprobitate contigerit, eadem erit ex utroque pernicies.* haec lex dat. d. 22 April. a. 378, aut in ipsa Flaviani vicaria praefectura aut brevi tempore post magistratum depositum, administrationem eius aperte vituperat. nam iudicibus profanis, id est paganis, quorum improbitate leges contra haereticos latae neglectae erant, sine dubio adnumerandus est et fortasse numero plurali unus hic index indicatur.

558) Titulus Caelimontanus: *historico disertissimo*, titulus fori Traiani: *cuius* (scil. Theodosii) *in eum effusa benivolentia et usque ad annalium, quos consecrari sibi a quaestore et praefecto suo voluit, provecta.*

559) 61, 25 *et habitus et crinis indicio Serapammon litterarum peritiam pollicetur, cuius si se meminisset exortem, numquam philosophis congruentem sumpsisset ornatum. sed de hoc vestra aestimatio sit, qui talium rerum profitemini notionem.*

560) A. Reifferscheid, *Zwei litterarhistorische Phantasmata. Rhein. Mus. N. F. XVI p. 22.*

561) Apoll. Sid. ep. VIII 3 *Apollonii Pythagorici vitam, non ut Nicomachus senior e Philostrati, sed ut Tascius Victorianus e Nicomachi schedio exscripsit, quia iusseras, misi.*

562) *Lib. I Flaviani de consensu nominum et verborum* Reifferscheid l. l. p. 23.

563) *Quaestori intra palatium. — quaestori aulae divi Theodosi*, Inscript. cf. Symm. 45, 3; 97, 24.

Annus, quo in aulam Theodosii accitus est, duabus rebus definitur, tempore praefecturae praetorio, quam quaestura deposita primis a. 383 mensibus gessit et honoribus Rufini, quem cum Flavianus quaestor factus est, ipsum quoque aliquod dignitatis augmentum accepisse, Symmachus indicat[564]. quod cuius generis fuerit, ex eo perspicitur, quod Rufinus Flaviano quaestori potestate par vel etiam maior erat[565]. magisterio igitur officiorum exornatus est[566]. nam omnis alius honor aulicus, quem ante praefecturam praetorio (a. 392) gessit aut gessisse potest, quaesturae dignitate cessit. ante Rufinum Palladius magister officiorum erat, qui commemoratur d. 21 Mart. 382[567]; ergo post eum diem tam Flavianus quam Rufinus promoti sunt.

In aula igitur Theodosii positus brevi tempore tantum imperatoris favorem assecutus est[568], ut paucis mensibus peractis ipse praefectus praetorio per Italiam fieret[569], filii minor provinciam aliquam Italicam acciperet, maior, qui consularis Campaniae iam fuerat[570], in spem honoris amplioris in comitatum acciretur[571]. quo profectus est a Symmacho commendaticiis ad Rufinum (III 89) et Stilichonem (IV 2)

564) III 81 *suscensebam silentio tuo; sed postquam mihi indicium de fratris honore fecisti, vicit offensionem voluptas. — sed quod ais exclusis inprobis spem bonis redditam, non ut insolitum vel inchoatum recens gratulor. sollemne est domino nostro Theodosio in suos exercere censuram morumque agere dilectum et singulos ut novos semper expendere nec consuetudini condonare iudicium. inde est, quod sincerissimos mores tuos benignius respicit, quos severe et diligenter inspexit.* comparativus ille *benignius* monstrat, Rufinum in honorum cursu tum altius evectum esse, et verba ex epistula eius relata *exclusis inprobis spem bonis redditam* aliquos ex summis magistratibus mutatos esse innuunt.

565) 96, 20 *Flavianum, pectoris mei dominum, tui socium, haerere animo tuo usque ad inproborum dolorem* (scil. qui Flaviano amicitias hominis tam potentis inviderent) *nimis gratulor, nam saepe apud me de tali amicitia gloriatur. hoc ego futurum ante prospexeram virtutes utriusque considerans, quarum similitudo concordiam fecit, et ideo plus gaudii quam miraculi capto teque oro, ne quid in tales amicos fascino liceat. ille enim mihi non est rogandus, cui aliud velle non expedit.*

566) De Rufino magistro officiorum v. Ambros. epist. 52; Zosim. IV 51; Theodor. V 18 p. 216; Cod. Theod. X 22, 3 data d. 8 Mart. a. 390.

567) Cod. Theod. VI 27, 4. quod idem Palladius legi datae a. 381 Cod. Theod. VII 8, 3 magister officiorum praescribitur, errore compilatorum codicis Theodosiani factum est, nam ante a. 383 Rufinum eum magistratum accepisse, ex supradictis certum fit.

568) 49, 29 *praecipue cum ipse fatearis, in amore domini nostri Theodosii venerabilis principis omnium te carissimorum pignerum gratiam repperisse.* 48, 4 *cum patriae bona et pignerum gaudia in optimi principis dignatione possideas. — amplectamur moneo sub amante militiam.*

569) Praefectus praetorio praescriptus est legi datae d. 27 Febr. a. 383 Cod. Theod. VII 18, 8 + IX 29, 2. praefecturam brevi tempore quaesturam secutam esse dicit Symmachus 97, 24 *ad Rufinum: saepe mihi auctor laetitiae aut primus aut solus es: quaestorem antehac fratrem, nunc rectorem praetorianum litteris nuntiasti.* Flaviani filiorumque eius dignitatem auctam respicere videtur, cum scribat 49, 14: *tuis tamen litteris proficere sanitatem meam sentio, quibus beneficia domini nostri Theodosii frequenter enumeras et urgueri merita tua magnis praemiis adseveras.*

570) v. inscriptionem fori Traiani.

571) 17, 31 *filii nostri in sinu aviae etiam nunc morantur. — nos tamen alteri eorum viae instrumenta, alteri in societatem consilii comitem praeparamus.* hoc loco non de Symmachi filio unico, qui nondum natus erat, sed de duobus Flaviani filiis sermo est. eum, qui iter instruxit, Nicomachum Flavianum fuisse, ex locis mox laudandis patet; alter — is fortasse Venustus, ad quem Symmachus epistulam IX 17 scripsit — quia consilii comitem, id est assessorem, accepit, ad regimen provinciae alicuius provectus esse debet; quae, cum eam petiturus viae instrumentis non indigeret, in vicinia certe posita fuit. de Campania igitur cogitaverim, ubi Symmachus et Flavianus multa praedia possederunt et avia cum nepotibus eo tempore morata esse videtur. de Flaviano Constantinopolim accito v. 97, 17 *ad Rufinum: commendarem tibi Flavianum filium meum, nisi te volente esset accitus.* quam epistulam respicit 49, 17 *ego pro mediocritate ingenii mei viro excellentissimo nostrique in Flavianum voti socio vicem laudis exsolvi.* quod autem tum, cum accitus est, nondum honorem aliquem acceperat sed tantum expectabat, ex ultimis epistulae ad Rufinum verbis perspicitur: *ex quo fiet, ut plura in eum congeras studii tui munera, pro quo tibi non unus obnoxius est.*

instructus neque tamen Constantinopolim pervenit[572]. nam a patre, qui praefecti munere cogente iam in limite Illyriciano sedem fixerat, retentus est, usque dum in provinciam Asiam, quam proconsulari iure regendam acceperat, proficisceretur[573]. itaque d. 14 Mart. a. 383 Romam reversus est dieque 10 Mai. provinciae administrationem iam susceperat[574]. quam ne diu teneret, ipsius fervor iuvenilis effecit; nam ira commotus decurionem contra Theodosii constitutionem verberari iussit, magistratuque exutus poenam legis fuga celeri vix evasit[575]. filii autem casus patrem quoque traxisse videtur; nam cum hieme a. 382/3 praefecturam inisset, iam aestate[576] eiusdem anni in Campaniae secessibus privatus otiabatur[577] omnemque auctoritatem eo usque perdiderat, ut ne in senatu quidem verba eius ullius ponderis futura esse a Symmacho existimarentur[578].

Flaviani potentia cito creverat, cum in aula positus cotidiana cum imperatore conversatione uteretur, cito amissa erat, cum ab eo discessisset; vires resumpsit, postquam Maximo devicto Theodosioque victore Italiae invecto novam colloquendi cum eo occasionem invenit. itaque iam anno 389 ineunte denuo praefecturam praetorio per Italiam gerebat[579], quam usque ad mortem retinuit[580], et consulatum propediem expectabat[581]. neque tamen ei contigit, ut ab imperatore legitimo summum hunc honorem acciperet, cum beneficium irruptio Eugenii praeveniret. qui consulem quidem

572) 50, 4 *filius noster Flavianus Romam pridie kalendas Martias venit et brevi iter in Asiam secundis auspiciis ordietur.* si in litore Bospori fuisset, non Romam repetisset, ut in Asiam proficisceretur.

573) 48, 22 *en tibi filium nostrum, quem solacio decerpsimus nostro, dum desiderio tuo cedimus. tandem fultus caro levamine redi in gratiam cum priore laetitia. sed si accedis sententiae meae, ubi primum animum paternum visu pignoris foveris, utilia antepone iucundis iuvenemque nostrum ad civiles fasces contende dimittere. quo tibi in castris cor anxium de duobus?* 49, 18 *sed iam tempus est, ut ipsum illum redire patiaris, pro quo obligati sumus. quousque magistratum longinquae provinciae solacio tuo vindicas?* cf. 133, 18.

574) Cod. Theod. XII 6, 18.

575) Liban. in Icar. II p. 136 ubi de lege Theodosii loquitur, qua decuriones a verberum ignominia vindicati erant, addit haec: τὸν τῆς Ἀσίας ἄρχοντα Φλαβιανὸν τοιοῦτόν τι πλημμελήσαντα κάκιστόν τε ἡγήσω καὶ τῆς ἀρχῆς ἔπαυσας. ὁ δὲ βουλευομένου σοῦ περὶ τῆς τιμωρίας ἐμβὰς εἰς πλοῖον ἀποδρὰς ᾤχετο.

576) 44, 7 *aestas prope decessit autumno.*

577) II 4—7.

578) 44, 18 *quid enim iuvares curam publicam, quamquam omnium prudentissimus, si redires? iam primum consilio locus nullus est, dum in deliberando persona censentium pondus sententiis facit. quando resistitur potiori, quando ceditur pari?*

579) Flavianum eo tempore summo honore praeditum in aula Theodosii fuisse, docet Symmachus 52, 9: *domino nostro invictissimo principi Theodosio semper Augusto dignare suggerere, non pluris apud me divitias valere quam famam.* cf. 25 *te multiplex actuum publicorum cura circumsonat.* aures imperatoris Flaviano tum patuisse, ex eo quoque perspicitur, quod laudes legis Theodosianae datae d. 23 Ian. a. 389 ei inscribuntur (II 13), videlicet ut epistulam Augusto recitaret. praescribitur legi datae mense Decembri a. 389 aut Ianuario a. 390 Cod. Theod. IX 40, 13. nam hanc constitutionem emissam esse post cladem Thessalonicensem a. 389 (Rufin. hist. eccl. II 18; Theodor. V 18 p. 217; Sozom. VII 25) octo mensibus, circa natalem Domini, cum imperator Mediolani consisteret (Theodor. p. 216), demonstrant historicorum testimonia, quae subscriptione falsa codicis Theodosiani minime refelluntur, praesertim cum eo die, quem illa nominat 18 Aug. a. 382, Flavianus nondum praefectus praetorio fuerit. praeterea nominatur in legibus datis d. 11 Mai. a. 391 Cod. Theod. XI 39, 11 = XVI 7, 4 + 5. d. 27 Mai. a. 391 Cod. Theod. I 1, 2 + III 1, 6. d. 8 Apr. a. 392 Cod. Theod. X 10, 20.

580) Paulin. vit. Ambr. 31; Rufin. hist. eccl. II 33; Sozom. VII 22; Carm. Paris. 25.

581) Symmachus de designatione sua ad Flavianum scribens haec addit: 62, 2 *quid igitur eximio animo tuo laetitiae plenus exoptem, nisi ut simili mox fruamur etiam de te gaudio. quod spero dominum nostrum Theodosium — solita in amicos dignatione facturum.*

cum in annum 394 fecit[582], sed Theodosio in Occidentis imperium restituto honor ut a tyranno datus abolitus est, quare in maiore Flaviani inscriptione omissus, in monumento tantum inter parietes progeneri posito commemoratur[583].

Eugenius ipse quidem christianus erat, sed consiliis Arbogastis, cui imperium debuit, obsecutus omnibus gentilium desideriis satisfecit. nam Flaviano petente aram Victoriae in senatu urbis Romae a Gratiano sublatam restituendam curavit et sacra publica sumptibus publicis denuo instruxit[584] omnibusque sacrificandi potestatem fecit neque ullum vaticinandi genus prohibuit[585]. ut omnis igitur gentilium factio, ita vel praecipue Flavianus totum se partibus eius addixit brevique illo potentiae tempore ad celebrandam dilatandamque religionem antiquam, quantum potuit, usus est. aedificia, quae templorum solum in urbe occupaverant, diruenda curavit[586], et cum summum magistratuum creandorum arbitrium penes eum esset, christianos non solum conviviis[587] et muneribus sed etiam spe honorum et administrationum ad mutandam fidem pellexit[588]. cum bellum contra Theodosium pararetur, variis vaticinandi artibus, quarum scientia prae ceteris instructus existimabatur[589], certam victoriae spem sese assecutum esse putabat et interitum religionis christianae praevidens, quem carmen aliquod propheticum in hoc annum praedixisse ferebatur[590], ministris eius superbissime insulta-

---

582) 67, 15. 21; de Rossi, Inscr. christ. urb. Rom. 419—21. 1145. 1166. Carm. Paris. 26. 112.

583) De Rossi, *Annal. dell' Inst. 1849 p. 300.*

584) Paulin. vit. Ambr. 26 *ubi imperare coepit, non multo post petentibus Flaviano tunc praefecto et Arbogaste comite aram Victoriae et sumptus caerimoniarum, quod Valentinianus augustae memoriae adhuc in iunioribus annis constitutus petentibus denegaverat, oblitus fidei suae concessit.* cf. Ambros. ep. 57, 6.

585) Rufin. hist. eccl. II 33 *at pagani, qui errores suos novis semper erroribus animant, innovare sacrificia et Romam funestis victimis cruentare, inspicere exta pecudum et ex fibrarum praescientia securam Eugenio victoriam nuntiare, superstitiosius haec agente et cum omni animositate Flaviano tunc praefecto, cuius adsertionibus — magna enim erat eius in sapientia praerogativa — Eugenium victorem fore pro certo praesumpserant.*

586) Carm. Paris. 38 *non ipse est, cultum patriae qui prodidit olim antiquasque domus, turres ac tecta priorum subvertens, urbi vellet cum inferre ruinam.*

587) Carm. Paris. 41.

588) Carm. Paris. 78 *christicolas multos voluit sic perdere demens, qui vellent sine lege mori, donaret honores oblitosque sui caperet quos daemonis arte, muneribus cupiens quorundam frangere mentes aut alios facere parva mercede profanos mittereque inferias miseros sub Tartara secum: solvere qui voluit pia foedera leges, Leucadium fecit fundos curaret Afrorum, perdere Marcianum, sibi proconsul ut esset.*

589) Rufin. l. l. Sozom. VII 22 ᾤετο δὲ τοῦ ἐπιχειρήματος ἀσφαλῶς κρατήσειν, ὑπαγόμενος λόγοις ἀνθρώπων εἰδέναι τὸ μέλλον ὑπισχνουμένων σφαγίοις τισὶ καὶ ἡπατοσκοπίαις καὶ καταλήψει ἀστέρων· ἐσπούδαζον δὲ περὶ ταῦτα ἄλλοι τε πολλοὶ τῶν ἐν τέλει Ῥωμαίων καὶ Φλαβιανὸς ὁ τότε ὕπαρχος, ἀνὴρ ἐλλόγιμος καὶ περὶ τὰ πολιτικὰ ἐχέφρων εἶναι δοκῶν, προσέτι δὲ καὶ τὰ μέλλοντα ἀκριβοῦν λογιζόμενος ἐπιστήμῃ παντοδαπῆς μαντείας. ταύτῃ γὰρ μάλιστα τὸν Εὐγένιον ἔπεισε εἰς πόλεμον παρασκευάσασθαι, μοιρίδιον εἶναι αὐτῷ τὴν βασιλείαν ἰσχυριζόμενος καὶ νίκην ἐπὶ τῇ μάχῃ συμβήσεσθαι καὶ μεταβολὴν τῆς χριστιανῶν θρησκείας. in Macrobii saturnalibus partes theologiae Vergilianae explicandae ei incumbunt, nam qui III 1—9 loquens inducitur, nullus alius est, quam Flavianus noster. praedicat enim I 24, 17 scientiam poetae de iure augurali, cui rei amicus eius Eustathius (cf. I 6, 4 *Flavianus et Eustathius, par insigne amicitiae*) laudes Vergilii philosophi subicit; Praetextatus autem, qui totam disputationem moderatur, eum loquendi ordinem inducit, ut Eustathius primum de philosophia, tum Flavianus de theologia dicat (I 24, 21 et 24). cum igitur illius oratio magna lacuna, quae finem libri secundi initiumque tertii hausit, concluditur, hunc in tertio libro disputare patet. cf. II 2, 4.

590) Augustin. de civ. dei XVIII 53 *excogitaverunt nescio quos versus Graecos tamquam consulenti cuidam divino oraculo effusos, ubi Christum quidem ab huius tamquam sacrilegii crimine faciunt innocentem, Petrum autem maleficiis rescisse subiungunt, ut coleretur Christi nomen per trecentos sexaginta quinque annos, deinde completo memorato numero annorum sine mora sumeret finem.* si a consulatu duorum Geminorum (a. 29), quo Christus passus est, annos 365 numeraverimus, perveniemus ad bellum inter Eugenium et Theodosium ge-

bat[591]. in expeditionem profectus cum ea exercitus parte fuisse videtur. quae in summa Alpe in insidiis collocata hostium tergo imminebat[592]. quae cum ad Theodosium transisset, propria manu periit, antequam proelium ultimum committeretur (m. Sept. a. 394)[593]. itaque rebellis hostisque religionis victricis mortuus est, sed nihilo minus tanta viri etiam apud christianos dignatio erat[594], ut memoria eius restitueretur[595] bonaque proscripta filiis redderentur[596] et Theodosius ipse in oratione ad senatum missa Flavianum vivere sibi servarique senatui se optavisse scriberet[597]. reliquit uxorem superstitem[598] duosque filios, alterum Nicomachum Flavianum alterum fortasse avi nomine Venustum nuncupatum[599]. Symmachum — patrem, non filium, qui tum puer erat — aut legatarium aut pro certa parte heredem fecit ea condicione, ut templum Florae aut restitueret aut ornaret[600].

1—3 Omnes ad Flavianum epistulae ante mensem Septembrem 394, quo mortuus est, scriptae esse debent.

4—7. 52 Quinque hae epistulae tempore inter se cohaerent. 4 scripta est, postquam Symmachus Flavianum in Campania relinquens iter in urbem ingressus est et Formias pervenit. 5 epistulae Flaviani in eadem statione acceptae respondet. 6 die insequenti Tarracinae data est, quo Symmachus Formiis relictis pervenit. 52 et 7 Romae, altera primis post reditum diebus, altera cum longius iam tempus effluxisset. legationem senatus in Africam mittendam commemorant 4 et 52, de defectu annonae loquuntur ultimae tres 6. 52. 7. hanc famem eandem esse, qua de Ambrosius de officiis ministrorum III 7. 49 verba facit, vel ea re docemur, quod scriptor uterque

---

stum a. 394, quamquam Augustinus fastis videlicet corruptis usus (cf. Mommsen, *Chronologie p. 130*) annum 398 invenisse sibi visus est.

591) Rufin. l. l. Sozom. l. l. Carm. Paris. 110. 8. 89. Paulin. vit. Ambr. 31 *promiserant enim Arbogastes tunc comes et Flavianus praefectus Mediolano egredientes, cum victores reversi fuissent, stabulum se esse facturos in basilica ecclesiae Mediolanensis atque clericos sub armis probaturos.*

592) Sozom. VII 24.

593) Mommsen, Herm. IV p. 362. cf. August. de civ. dei V 26, 1 *inimicorum suorum filios, quos non ipsius* (scil. Theodosii) *iussus sed belli abstulerat impetus, etiam nondum christianos ad ecclesiam confugientes, christianos hac occasione fieri voluit et christiana caritate dilexit nec privavit rebus et auxit honoribus.* Ambr. de obit. Theodos. 4 *quin etiam iis, qui in se peccaverant, doluit quum dederat periisse indulgentiam et veniam denegatam.*

594) Rufin. l. l. Sozom. l. l.

595) 153, 2 *vivat modo et in patris celebri memoria solacium tuum et in tua salute paterna reparatio.*

596) 104, 22 *integrata per indulgentiam bona.* cf. Augustin. l. l.

597) Inscriptio fori Traiani: *divi avi nostri venerationem esse, si eum, quem vivere nobis servarique vobis — quae verba eius aput vos fuisse plerique meministis — optavit* et q. s.

598) Carm. Paris. 116.

599) Duo Flaviani filii commemorantur 47, 31, germanus Flaviani minoris 156, 29. ex verbis 158, 32 *mox cum germanus tuus de proximo, ut ais, speratus adfuerit, et felicem vobis et necessarium reditum dividendae inter vos communionis causa praestabit* concludendum esse videtur, hereditatem exceptis legatariis in duas tantum partes divisam fuisse. ad Venustum scribit Symmachus epistulam IX 17, qui cum rei familiaris oratoris curam gerat, aliqua cum eo necessitudine coniunctus esse videtur.

600) Carm. Paris. 112 *sola tamen gaudet meretrix te consule Flora, ludorum turpis genetrix Venerisque magistra, conposuit templum nuper cui Symmachus heres.*

peregrinos ex urbe pulsos esse conqueritur[601], quamvis in reliquis non prorsus consentiant. scribit enim Ambrosius l. l. *et certe adriserat anni fecunditas, invecticio urbs sola egebat frumento: potuisset iuvari, si peteretur ab Italis frumentum, quorum filii expellebantur.* at contra Symmachus 44, 6 *annus ubique ad famem proximus* et 59, 6 *spes ipsa, quae in adversis alere animos solet, recusat effugium polliceri, cum sterilis annus ne semina quidem terris commissa reddiderit.* sed eadem discrepantia reperitur etiam in relatione Symmachi de ara Victoriae et Ambrosii refutatione. cf. 283, 6 *secuta est hoc factum fames publica et spem provinciarum omnium messis aegra decepit. — sacrilegio annus exaruit. — quando alternos regionum defectus deseruit fecunditas mutua, cum populo et virginibus sacris communis esset annona?* et Ambros. epist. I 18, 21 *et tamen etiam superiore anno plerasque novimus provincias redundasse fructibus: de Galliis quid loquar solito ditioribus? frumentum Pannoniae, quod non severant, vendiderunt, et secunda Raetia fertilitatis suae movit invidiam; nam quae solebat tutior esse ieiunio, fecunditate hostem in se excitavit: Liguriam Venetiasque autumni frumenta paverunt. ergo nec ille sacrilegio annus exaruit et iste fidei fructibus annus effloruit.* videmus iam, cur Ambrosius dicat, anni fecunditatem adrisisse, nempe ea provincia in qua ipse sedem collocaverat, Liguria, fame non laborabat. et cum exemplum de proximis sumeret, reliqua quoque meliora ei videbantur, quam re vera erant. tempus igitur famis illius, de qua Symmachus in epistulis II 4—7. 52 loquitur. hac ipsa testimoniorum diversitate definitur: eadem videlicet est, quae oratoris praefecturam praecessit, anno 383. qua cum re id quoque congruit, quod omnia rei publicae incommoda ad sacra neglecta referat[602]; anno enim praecedente 382 Gratianus Augustus aram Victoriae sustulerat et sacrificiis gentilium sumptus publicos denegaverat. v. p. LIII. scriptae igitur sunt epistulae, quibus de agitur, a. 383 circa mensem Septembrem; v. 44, 7 *aestas prope decessit autumno.*

8 respondet ei Flaviani epistulae, quam quaestura Constantinopoli inita primam miserat; vere aut aestate a. 382.

9—12 vide ad ep. 1—3.

13 continet laudes constitutionis datae d. 23 Ian. a. 389.

14—16 v. ad ep. 1—3.

17—19. 22—24 omnes id tempus spectant, quo Flavianus primum quaestor in aula Theodosii, mox praefectus praetorio in limite Illyriciano moratus est. 17 de filio accito loquitur; praeterea desiderium patriae commemorat, quod Flavianum in locis

601) Symm. 44, 22 *defectum timemus annonae pulsis omnibus, quos exerto et pleno ubere Roma susceperat. fac, ut his remediis convalescamus: quanto nobis odio provinciarum constat ista securitas?* Ambros. l. l. *quanto hoc utilius quam illud, quod proxime Romae factum est, eiectos esse urbe amplissima, qui iam plurimam illic aetatem transegerant, flentes cum filiis abiisse, quibus velut civibus amoliendum exilium deplorarent.* cf. 45 *sed et illi, qui peregrinos urbe prohibent, nequaquam probandi: expellere eo tempore, quo debent iuvare, — cum quibus fuerint communia iura, cum iis nolle in tempore necessitatis subsidia partiri.* de eadem re loquuntur Amm. XIV 6, 19 *postremo ad id indignitatis est ventum, ut cum peregrini ob formidatam haud ita dudum alimentorum inopiam pellerentur ab urbe praecipites* et q. s. Themist. or. XVIII p. 222ᵃ. οὔκουν δεῖ ἡμῖν ξενηλασίας συνεχοῦς, καθάπερ τῇ μητροπόλει. Liban. Antioch. I p. 329 καίτοι τὸ παράδειγμα τῆς Ῥώμης ἔχοντες, ἣ τὴν τῶν ἀναγκαίων σπάνιν, ἡνίκα ἂν τοῦτο συμπέσῃ, τῇ τῶν ξένων ἐλάσει πρὸς ἀφθονίαν μεθίστησιν.

602) 44, 24 *dii patrii, facite gratiam neglectorum sacrorum! miseram famem pellite!*

tam distantibus angebat. 23 Flavianum exhortatur, ne taedio peregrinationis magistratum deponat. 19 filio proficiscenti tradita est, ut per eum patri redderetur. 18 simul cum V 36 scripta est, ut offensiones inter Flavianum et Hephaestionem ortae his Symmachi adhortationibus componerentur. Flaviani peregrinatio (48, 15; 133, 17) et filii cum patre conversatio (133, 18) commemorantur. 22 a Flaviano poscit, ut filio revertendi copiam faciat. 24 filius d. 14 Martii Romam reversus est iterque in Asiam praeparat. haec Asiae commemoratio, ubi Flavianus minor a. 383 proconsulatum gessit, totius epistularum seriei tempus definit; nam cum ultima mense Martio a. 383 scripta sit, prima, quae ab ea longo iuvenis itinere dividitur, in ultimos anni 382 menses cadit, quae autem inter utramque intercedunt, hiemi a. 382/3 adsignandae sunt.

20 *mentiar, si mihi ad praestandum deesse tempus allegem, quia potentia mea de tui honoris viribus aestimatur.* Flavianus in summis honoribus versabatur ab aestate a. 382 usque ad aestatem a. 383 et rursus a. 389—394. commendantur autem ei Romanus et Magnillus, quos a. 391 simul in administrationibus reperimus, alterum comitem Aegypti[603], alterum vicarium Africae[604]. quod si Symmachi commendatione effectum esse sumamus, Flaviano videlicet apud Theodosium pro illis intercedente, epistula anno fere 390 adscribenda erit.

21 v. ad ep. 1—3.

22—24 v. ad ep. 17.

25 v. ad ep. 1—3.

26. 47. 48. — 47 *cura, ut valeas, et patriam tui amantem quam primum revisas bona parentis, ut spero, venia, cui mox peracta lustrali sollemnitate redderis.* Flavianus igitur rure tunc agebat sed reditum Romam parabat, ut quinquennalia vel decennalia imperatoris celebraret. scripta est epistula, ut 48 dicit, die 5 Octobris eo tempore, quo Symmachus filium parvulum habebat, id est inter annos fere 384 et 394. v. p. L. ex iis autem imperatoribus, qui tum orbi Romano praeerant, Theodosius et Arcadius mense Februario purpuram sumpserunt, Gratianus Augusto, Maximus aestate; itaque solus restat Valentinianus, cuius decennalia d. 22 Nov. a. 385[605], quindecennalia d. 22 Nov. a. 390 celebrata sunt. a. 390 Flavianus non rure otium fovebat, sed in comitatu praefectus praetorio erat: itaque epistulam 47 anno 385 adsignabimus. 48 paulo post eam scripta est, nam in utraque tussis periculosa Symmachi parvuli commemoratur. eo tempore, quo haec a Symmacho dictata sunt, tam parvo itinere a Flaviano divisus erat, ut epistula primo lucis scripta iam ante meridiem in manus eius pervenire posset. rure uterque morabatur et in vicinia quidem maris, nam Flavianus Symmacho pisces a se captos in epulum misit; quae Campaniam indicare videntur. at in epist. 26 Symmachus mense Novembri Puteolis scribit ad Flavianum tum in patria (50, 27), id est Romae, commorantem, reditumque eius in Campaniam expectat. cum autem ex ep. 47 didicerimus, Flavianum ad decennalia Valentiniani d. 22 Novembri celebranda in urbem profectum esse et sollemnitate peracta statim

603) D. 16 Iun. a. 391 Cod. Theod. XVI 10, 11.

604) D. 19 Iun. a. 391 Cod. Theod. X 17, 3.

605) Herm. XVIII p. 152.

in otium ruris reversurum fuisse, hanc epistulam cum quadam probabilitate eidem anno, quo 47 et 48 adscribemus.

27 Flavianus magistratum aliquem depositurus erat, in quo diligentia eius ea re maxime agnosci potuit, quomodo cursum publicum instruxisset et titulos fiscales exegisset; quae munera infra dignitatem praefecturae sunt neque quaesturam omnino contingunt. cum igitur vicariatus a Symmacho expressis verbis excludatur[606], restat ex omnibus Flaviani honoribus sola Siciliae consularitas, quam gessit eodem tempore, quo Symmachus corrector Lucaniae et Bruttiorum erat. a. 365, ergo deposuit aut eodem anno aut insequenti.

28. 30—32 duabus epistulis 28 et 30/31 Symmachus litem aliquam perditam lamentatur, quae non solum rem familiarem sed etiam existimationem eius gravi vulnere adfecerat[607], in tertia 32 de mala fortuna conqueritur eamque condicionem suam esse dicit, ut patria *excludi per inprobos* possit. itaque illas coniungendas esse, paene certum, hanc in idem tempus incidisse, veri simillimum est. annus autem 389 ex ea re agnoscitur, quod de tyrannide Maximi paulo ante finita sermo est[608].

29 v. ad ep. 1—3.

30—32 v. ad ep. 28.

33 relationem vicarii in Flaviani manus venturam esse dicit, quod fieri non potuit, nisi cum quaestor esset aestate a. 382 usque ad hiemem a. 382/3).

33 a. senatores aliquos apud Flavianum accusatos forum competens observare iussit. senatorum autem forum aut apud praefectum urbi erat aut apud principem, id est quaestorem, qui cum aliis consistorii comitibus nomine Augusti iudicare solebat. haec igitur epistula non ad Flaviani quaesturam referenda est neque ad aliquem magistratum minorem, cui ea iubendi potestas non competeret, sed ad unam ex praefecturis eius a. 383 aut 389—394.

34 ad Flavianum privatum scripta, qui inde ab a. 389 praefecturam non deposuit.

35 v. ad ep. 1—3.

36 Symmachus rescripta ad collegium pontificum mittit (54, 24), quod nisi summi in urbe magistratus iure facere non potuit; epistula igitur in praefecturam eius urbanam a. 384—85 cadit. loquitur autem de statua, quam virgines Vestales Praetextato erigere voluerunt: qui cum ultimis a. 384 mensibus diem obierit honorque ille magis mortuo quam vivo conveniat, epistulam anno 385 incipiente scriptam puto.

37 v. ad ep. 1—3.

606) 50, 32 *volo te adversum incerta muniri; videlicet ut sub actorum confectione vel tuorum, si adhuc retines potestatem, vel vicariae praefecturae, quae tibi poscenti aequa non deerit, diligentiae tuae ratio digeratur, quae possit ostendere, quot numero animalia conlocaris, et quo apparatu instruxeris mansiones, et quantum in titulis fiscalibus exigendis tua cura promoverit.*

607) 52, 9 *domino nostro invictissimo principi Theodosio semper Augusto dignare suggerere, non pluris apud me divitias valere quam famam: bonum de me iudicium parentis publici conservatoris mei cuivis antepono patrimonio.* 52, 15 *vereor, ne suscipias ullum pro absentis existimatione certamen atque in te aliqua odia detorqueas.* 51, 12 *at etiam scribis, causis similibus abstinendum. vides, quantum liceat eventui. oblitus es morum meorum.*

608) 52, 7 *quibus tyrannicorum temporum gesta sociata sunt.* 52, 18 *non puto eam causae meae bonis temporibus condicionem futuram, quae sub tyranno fuit, cuius litteris ad Marcellini suggestionem datis homines meos scis esse multatos. quod in panegyrici* (quem Maximo dixerat) *defensione non tacui.*

38 *ex ipso Romae gesta noscetis, licet scriptum fama praevenerit. neque enim res magnae et insperatae in secreto se esse patiuntur. in bonam partem plebs nostra mutata est, adeo ut iugiter seditiosorum poena poscatur et iam terga dederint insolentes.* haec quamvis dubitans ad eam plebis seditionem rettuli, qua Symmachus pater domo incensa ex urbe pulsus est, autumno a. 375. v. p. XLII.

39. 40 v. ad ep. 1—3.

41 Flavianus Nicagoran Siciliae consularitate functum sub custodia ad se adduci iussit; summum igitur in Italiae rectores provinciales iudicium exercebat. quod alteram ex praefecturis eius indicat a. 383 aut 389—394.

42 Flavianus foro alicui praeest, in quo vir claris natalibus ortus advocationis munere fungitur; cum autem homines nobiles apud summos iudices togam forensem sumere soliti sint, ad praefecturam eius praetorio haec rettulerim (a. 383 aut 389—391).

43 commendatur Sexio, *qui ante hac Calabriam rexit.* eundem correctorem Calabriae et Apuliae sub Theodosio imperatore commemorat inscriptio Canusina[609]. scripta igitur epistula est, postquam Theodosius Augusti nomen assumpsit a. 379 et ante mortem Flaviani a. 394.

44 commemorantur Symmachus pater praefectus urbi, filius corrector Apuliae et Brittiorum, quos magistratus gesserunt a. 364—365.

45 Paeonius Flaviani suffragio ad honorem aliquem promotus est, quod summum aliquem magistratum in beneficii auctore indicat, aut quaesturam a. 382 aut praefecturam praetorio a. 383 et 389—394.

46 Symmachus in quaestura filii instruenda occupatus. a. 393. v. p. LVIII.

47. 48 v. ad ep. 26.

49 Symmachus morbum aliquem paulo ante perpessus est. autumno a. 378 aut hieme a. 382/3. v. adn. 190.

50. 51 v. ad ep. 1—3.

52 v. ad ep. 4.

53. 54 v. ad ep. 1—3.

55 Symmachus praefectura urbana perfunctus successoris errores in re annonaria administranda castigat seque ex comparatione illius plus laudis habiturum esse sperat[610]. scripta ergo est brevi tempore post praefecturam depositam hieme a. 385 aut vere a. 386.

56 otium Symmachi Flaviani occupationibus opponit; qui ergo magistratum aliquem gerebat a. 376—77. 382—83. 389—91.

57 Symmachus litteris praefecti urbis Romam vocatus, ut senatui interesset, cum de magna aliqua oblatione facienda consuleretur. Magno Arborio praefecto urbis hieme 379/80 suadente eiusmodi munere a viris honoratis et locupletioribus oblato urbem

609) C. I. L. IX 333 *Inclytae venerandeque memoriae viro, Flavio Theodosio, genitori domini nostri invictissimi perennisque principis Theodosii perpetui Aug(usti), cuius virtute felicitate iustitia et propagatus terrarum orbis et retentus, statuam equestrem subauratam Apuli et Calabri pro voto et devotione posuerunt, curante ac perficiente Flavio Sexione viro perfectissimo correctore Apuliae et Calabriae.*

610) 60, 1 *sed nos publico dudum opere perfuncti, aliena sileamus. dii meliora procurent! neque enim gaudere dignum est, si* q u a m i h i l a u s e x a l t e r i u s e r r o r e p r o v e n i a t.

a fame vindicatam esse scribit Ambrosius[611]. huic igitur tempori hanc epistulam adsignaverim.

58 v. ad ep. 1—3.

59 designatio Symmachi filii ad quaesturam brevi tempore in senatu futura erat. scripta igitur est ante m. Decembrem a. 393, quo munere quaestorio functus est. v. p. LVIII.

60. 61 v. ad ep. 1—3.

62—64 Symmachus consul designatus, ultimis anni 391 mensibus.

65 Flaviano magistratum aliquem gerenti, Licinius ex provincia decedens commendatur: qui quoniam a. 387 iam ad summos in aula honores processerat (v. ad ep. V 72—77), haec administratio provincialis primae Flaviani praefecturae a. 383 adsignanda erit.

66 Flavianus relationem iudicis spectabilis accepturus est. cuiusmodi relationes nisi ad imperatorem ipsum eumque, qui eius nomine ius reddebat, quaestorem, mitti non solebant. ergo scripta est a. 382 aut 383 ineunte.

67—73 v. ad ep. 1—3.

74. 75 Flavianus praefectus praetorio a. 383 aut 389—391.

76 munus quaestorium Symmachi filii praeparatur. v. ad ep. 46.

77 post praelusionem quaestoriam scripta m. Decembri a. 393. v. ad ep. 16.

78 ludis quaestoriis peractis Symmachus de aliis in populum Romanum largitionibus Flaviani curam convenit; ergo scripta est primis a. 394 mensibus. v. ad ep. 46.

79. 80 v. ad ep. 1—3.

81 munera quaestoria ad Flavianum mittuntur. v. ad ep. 46.

82 v. ad ep. 1—3.

83—85 commendaticiae hominibus ad consulatum Flaviani evocatis traditae; parvo igitur tempore ante kalendas Ianuarias a. 394 scriptae sunt.

86 v. ad ep. 1—3.

87 Flavianus de praedio Hispaniensi iudicaturus est; quod neque in praefecturis praetorio Italiae neque in ullo alio, quem gessit, magistratu facere potuit excepta sola quaestura: a. 382 aut primis a. 383 mensibus.

88 Flavianus honorem aliquem eo tempore accepit, quo filii eius cura Symmachi etiam tum indigerent. qui cum 383 iam annos pueriles egressi essent, honor ille certe neque consulatus neque altera Flaviani praefectura erat neque prior. quam cum accepit, filius alter non Romae cum Symmacho sed cum ipso patre in castris versabatur, sed aut vicariatus a. 377 aut quaestura a. 382.

---

611) De offic. ministr. III 7, 46 *quanto ille rectius, qui cum iam provecta processisset aetate et famem toleraret civitas atque, ut in talibus solet, peterent vulgo, ut peregrini urbe prohiberentur. praefecturae urbanae curam ceteris maiorem sustinens convocavit honoratos et locupletiores viros, poposcit, ut in medium consulerent, dicens, tam inmane esse peregrinos eici, quam hominem ab homine exui, qui cibum morienti negaret. — 'subsidia annonae, quae his inpertienda sunt, collatione redimamus, reparemus auro!' — quid plura? collato auro coacta frumenta sunt. ita nec abundantiam urbis minuit et peregrinis alimoniam subministravit. quantae hoc commendationis apud deum fuit sanctissimo seni, quantae apud homines gloriae! hic Magnus vere probatus, qui vere potuit imperatori dicere demonstrans provinciae totius populos: 'hos tibi omnes reservavi, hi vivunt beneficio tui senatus, hos tua curia morti abstulit!'* de tempore huius famis v. ad ep. I 46.

89. 90 v. ad ep. 1—3.

91 Flavianus iudicio aliquo praesidet, a. 364—65 aut 376—77 aut a. 382—83 aut a. 389—94.

III 1—9 AD IVLIANVM RVSTICVM.

Iulianus Rusticus, cuius ὄνομα κύριον non more sollemni ultimum, sed prius Iulianus erat[612], ortus est genere non senatorio neque eo, quo gloriari posset. Symmachus enim, ubi filium eius senatui commendans de maioribus Iuliani loqui debuit, tam breviter mentionem eorum praeterit potius quam facit, ut silentium illud omnibus verbis eloquentius sit[613]. filios duos habuit Synesium, pro quo Symmachus orationem septimam corporis nostri pronuntiavit, et alterum, qui patri morte immatura ereptus est[614]. praeterea paene omnia, quae de eo scimus, uno Ammiani Marcellini loco nituntur: XXVII 6, 1 *inter haec Valentiniano magnitudine quassato morborum agitanteque extrema* (a. 367) *convivio occultiore Gallorum, qui aderant in commilitio principis, ad imperium Rusticus Iulianus tunc magister memoriae poscebatur, quasi adflatu quodam furoris bestiarum more humani sanguinis avidus, ut discendum erat, cum proconsulari potestate regeret Africam. in praefectura enim urbana, quam adhuc administrans extinctus est, tempus anceps metuens tyrannidis* (a. 387—388), *cuius arbitrio tamquam inter dignorum inopiam ad id escenderat culmen, lenis videri cogebatur et mollior.* cum igitur ii, qui de imperio eius agitarent, Galli essent, ipsum quoque eiusdem nationis fuisse putaverim. magisterium autem memoriae Valentiniano e morbis recreato statim amisit, nam locum eius, cum Gratianus purpuram sumpsit d. 24 Aug. a. 367, Eupraxius iam obtinebat[615]. in proconsulatu Africano successit Clodio Hermogeniano Caesario inter d. 26 Apr. a. 370 et 6 Sept. a. 371 locumque dedit Symmacho inter d. 20 Febr. et 30 Nov. a. 373 (v. adn. 153). praefecturae urbanae, utpote quae sub Maximo tyranno gesta sit, nullum monumentum extat.

1. 3—5. 8. 9 quoniam Iulianus tempore Maximi tyranni, id est aut a. 387 aut a. 388, mortuus est, nulla ad eum epistula post illos annos scripta esse potest.

2 publicas Iuliani occupationes commemorat; magistratum igitur aliquem tum gerebat.

612) Apud Symmachum in inscriptione totius epistularum subdivisionis Iulianus Rusticus dicitur, cum subscriptio et inscriptiones singularum epistularum prius tantum nomen agnoscant. *Rusticus Iulianus* Amm. XXVII 6, 1. *Iulianus* Symm. 337, 16; 338, 7 et inscriptiones legum codicis Theodosiani.

613) 337, 34 *pater huic iuveni est iamdiu adscitus senator, quae res de meritis venit; siquidem dignitas innata felicitatis est, delata virtutum. ceteri retro maiores illius tunc a vobis probati sunt, cum ipse legeretur.*

614) 338, 10 *atque utinam fortuna germanum quoque eius incolumem senatui tradidisset! quod nunc alteri superest, satis esset ambobus. Synesius quidem meus omnes sibi opes cum fratre credit ablatas, sed res naturae est, ut divisa, cum in unum redeunt, augeantur.*

615) Amm. XXVII 6, 14.

3—5 v. ad epist. 1.
6 scripta paulo post mortem Celsini Titiani ultimis a. 380 mensibus. v. p. CVI.
7 orationem pro Trygetio spectare videtur habitam m. Ianuario a. 376. v. p. VI.
8. 9 v. ad epist. 1.

III 10—16 AD NAVCELLIVM.

Nihil in iis reperitur, ex quo tempus agnosci possit, nisi quod 75, 14 *se procedere in annos graves* Symmachus dicit et 74, 5 de aegritudine aliqua loquitur. cum autem annum aetatis sexagesimum vix excesserit, epistulas ad Naucellium in ultimum eius tempus circa a. 400 collocaverim et de gravi illo morbo cogitaverim, quo a. 397 temptatus est. nam omnes non multum inter se distare ex eo perspicitur, quod de Naucellio semper ut de sene paene exactae aetatis sermo est. v. 73, 19; 74, 25; 75, 8. 20. 29.

III 17—22 AD GREGORIVM.

Proculus Gregorius[616] vestigia amici Flavii Afranii Syagrii consulis a. 381[617] in honorum cursu secutus est. cum hic post Valentiniani mortem in aulam revocatus potestatis futurae fundamenta iaceret, ille praefectus annonae factus est, quo in honore commemoratur d. 16 Febr. a. 377[618]. quaestor sacri palatii erat, quo tempore Syagrius magisterium officiorum gerebat a. 379[619], cumque magistratum accepisse videtur, postquam ab Ausonio praefecto praetorio creato depositus est, inter 12 Ian. et 20 Apr. a. 378 (v. p. LXXX). post amici consulatum praefectus praetorio Gallias regebat; nam hoc munere fungebatur, cum Maximus in Brittannia purpuram sumeret a. 383[620]. postea nulla eius memoria superest, nisi quod Symmachus in epistula circa a. 400 scripta *optimi quondam viri Gregorii filium* (201, 12) ut hominem *non obscurum ortu* commemorat. quod si ad nostrum Gregorium referre licet, a. 400 mortuus iam erat.

17 *habeo expostulandi tecum probabiles causas. quandoquidem pontificio litterati honoris auctus nullum mihi indicium communis gaudii praestitisti.* hoc scriptum esse de-

616) Orell. 3327 Ostiae. *Thermas maritimas intresecus refectione cellarum, foris soli adiectione, d(omini) n(ostri) Valens Gratianus et Valentinianus victor(es) ac triumf(atores) semper Au[g(usti)], Proculo Gregorio v(iro) c(larissimo) praefecto annon(ae) urbis Romae curante, decorarunt.*

617) Symm. III 19. 21. cum Syagrius, tum etiam Gregorius Ausonii amicitia utebatur, qui ei inscripsit Cupidinem cruciatum (carm. XXIV) et fastos in eius usum composuit. cf. inscriptionem carminis XXII: *consulari libro subiciendi, quem ego ex cunctis consulibus in unum coegi Gregorio ex praefectis.*

618) Cod. Theod. XIV 3, 15. cf. adn. 616.

619) v. quae ad I 95 diximus.

620) Sulpic. Sever. chron. II 49, 2; cf. adn. 617 *Gregorio ex praefectis.*

bet, paulo postquam Gregorius quaestor factus est, quem honorem, si re vera Ausonii successor fuit, primis a. 378 mensibus accepit.

18 scripta simul cum I 95 mense Novembri aut Decembri a. 379.

19 Symmachus pro vicariatu Africano in fratrem suum Celsinum Titianum collato gratias agit, vere aut aestate a. 380. v. p. CVI.

20. 22 Gregorio ante a. 400 mortuo, omnes ad eum epistulas saeculo quarto adsignandas esse patet.

21 Symmachus ad Syagrii consulatum evocatus, a Gregorio petit, ut excusationi suae adsit, ultimis a. 380 mensibus. cf. ad ep. I 101.

22 v. ad epist. 20.

III 23—29 AD MARINIANVM.

Mariniani patriam Galatiam aut, si editor Venetus coniectura recta usus est, Gallaeciam nominat Symmachus 79, 9. filiam eum suscepisse idem testis est 78, 20. Zosimus de filio Maximiliano loquitur[621], ad quem quattuor oratoris nostri epistulae extant[622]. rem eius amplissimam fuisse ex eo sequitur, quod filium a. 409 ab Alaricho captum triginta milibus solidorum redemit[621]. deos Romanos coluisse videtur; siquidem cum a. 383 vicariam per Hispanias praefecturam regeret[623], exemplum Iuliani Augusti et Nicomachi Flaviani omniumque religionis christianae adversariorum secutus haereticis favit. temporis enim ratione considerata is vicarius erat, de quo Sulpicius Severus chron. II 49, 3 ad a. 383 haec narrat: *igitur haeretici suis artibus grandi pecunia Macedonio data optinent, ut imperiali auctoritate praefecto erepta cognitio Hispaniarum vicario deferretur;* et Priscillianistae pro foro mutato pecuniam profecto non dedissent, nisi Marinianum iudicem sibi aequiorem praefecto Gregorio fore praesumpsissent. si addideris, quod Romae ius docuit[624], omnia fere, quae testimoniis scriptorum veterum de eo traduntur, absoluta erunt.

23 scripta est, dum Marinianus *forenses rabulas pervigil doctor instituit.* quae professio, cum dignitati viri vicariatu functi parum conveniat, epistulam ei tempori adsignat, quod magistratum (a. 383) praecessit.

24 Symmachus et Marinianus *intervallo maris atque terrarum distinentur*, id quod cum tempore vicariae praefecturae (a. 383) congruit.

25. 29 Mariniano, itinere aliquo confecto, *primus congressus amicitiam bonorum aperuit:* profectionem aliam maiorem praeparans, quam hiberno tempore initurus erat,

621) Zosim. V 45 Μαξιμιλλιανὸς δὲ τοῖς πολεμίοις περιπεσὼν ἀπεδόθη Μαρινιανῷ τῷ πατρὶ τρισμυρίων ὑπὲρ αὐτοῦ δοθέντων χρυσῶν.

622) VIII 48. 51. 55; IX 52.

623) Cod. Theod. IX 1, 14 data d. 27 Mai. a. 383.

624) 78, 10 *tenet te eruditio Scaevolarum, dum forenses rabulas pervigil doctor instituis.*

a Symmacho vestimenta mutuatur. iter primum fortasse in comitatum accitus fecit ibique illis bonorum amicitiis usus vicariam praefecturam accepit, quam ut iniret, in Hispaniam ei proficiscendum erat. in litteris enim ad Symmachum scriptis promiserat de Gallaecia se vestes remissurum esse, siquidem re vera pro Galatia haec scriptura recipienda est. itaque has epistulas, quamvis dubitans, hieme a. 382/3 scriptas esse putaverim.

27 *atque utinam facilitas commeatus copiam daret frequentioris officii.* quae in transmarinis provinciis Marinianum tum versatum esse produnt.

28 Symmachus occupationes suas commemorat, quo verbo haud facile utitur, nisi cum de negotiis publicis cum magistratu aliquo coniunctis loquatur. quoniam autem praefectura eius urbana et Mariniani vicariatus, qui eum ab urbe abduxerat, in idem fere tempus cadunt, has epistulas anno 384 adsignaverim.

29 v. ad ep. 25.

III 30—37 AD AMBROSIVM.

Quamvis nomen Ambrosii saeculo quarto saepius reperiretur, hunc tamen Symmachi amicum eundem esse cum adversario in causa arae Victoriae, episcopo Mediolanensi, iam Sievers[625] et de Rossi[626] intellexerunt. nam propugnatores utriusque religionis cognatos fuisse, docent et Ambrosius, cum Symmachum fratris sui Satyri parentem dicat (adn. 154), et Symmachus, cum eidem Satyro fratris nomen tribuat[627]. et episcopum Victoriae defensori non inimicum fuisse produnt verba, quibus de inlustri illa relatione usus est: epist. 1 57, 2 *rettulerat vir amplissimus Symmachus, cum esset praefectus urbis, ad Valentinianum augustae memoriae imperatorem iuniorem, ut templis, quae sublata fuerant, reddi iuberet. functus est ille partibus suis pro studio et cultu suo.* quae caecitatem viri pagani quodammodo defendunt, non accusant. quod autem Symmachus 82, 5 negat, Ambrosium *solere recipere in suam curam pecuniarias actiones*, in homine illius temporis vitae saeculari dedito non rarum sed plane inauditum esset, et eum, ad quem scripsit, Mediolani habitasse, ex eo concluditur, quod Magnillum, *cum Liguriam gubernaret*, amorem Ambrosii adtraxisse dicit 81, 19. cum igitur de eo, cuius nomen haec epistularum series praefert, nullum dubium superesse possit, terminum quoque, ante quem omnes scriptae esse debent, habemus diem 4 Aprilis a. 397, quo episcopus mortuus est. et quoniam omnes commendaticiae sunt, ei potissimum tempori adsignari debent, quo Augustis Mediolani morantibus Ambrosii favor in aula valebat, id est aut annis 376—392 aut 395—397.

625) Libanius p. 291.

626) *Bullettino di archeologia cristiana II p. 76; III p. 15.*

627) 29, 16 ad Titianum fratrem: *longum loquantur pro incognitis aut alienis verba facturi; mihi haec opera desinenda est, cum litteras nostras Saturus frater communis accipiat.*

30—32 annis 376—392 aut 395—397. v. p. CXXVIII.

33 pro Marciano intervenit, ne salarium, quod tempore tyrannico in magistratu aliquo acceperat, fisco reddere cogatur (v. p. LXVI). qui cum sub Eugenio proconsul Africae fuerit[628], haec epistula post hunc devictum circa a. 395 collocanda esse videtur. et Ambrosius re vera eos defendit, a quibus annonae reposcebantur, ut verba eius in oratione funebri Theodosii Augusti (5) pronuntiata monstrant: *nihil, inquam, speciosius ei in morte servatum est, quam quod in aliquantis promissa annonarum exigendarum relaxatio dum moratur, facta est successio eius indulgentiarum hereditas; ut ille, qui voluit impedire* (comes sacrarum largitionum?), *sibi odium fecerit, Theodosio tamen tantae cumulus gratiae non sit ademptus. — praecepit dari legem indulgentiae, quam scriptam reliquit: quid dignius, quam ut testamentum imperatoris lex sit? — quomodo potest tanti principis esse irritum testamentum?*

34 *Magnillus vicaria potestate per Africam functus — variis in ea provincia retardatur obstaculis.* Magnilli ex Africa reditus iam eo tempore expectabatur, quo Symmachus in filii quaestura praeparanda occupatus erat a. 393 (129, 21), sed haec epistula tum scripta esse non potest; Eugenio enim, qui illo anno Occidentis imperium tenebat, Ambrosius inimicitias apertissime denuntiaverat neque in aula eius pro commendato intervenire potuit. hae igitur litterae in idem fere tempus cum praecedentibus cadunt, i. e. aut sub finem a. 394 aut in initium anni sequentis.

35 v. ad ep. 30.

36 *Caecilianus vir clarissimus, qui nunc communis patriae gubernat annonam.* hanc annonae praefecturam paulo ante mortem Ambrosii a. 396 aut 397 gestam esse, probabo ad epist. IX 58.

37 v. ad ep. 30.

III 38—42 AD HILARIVM.

Hilarii nomen integrum servavit titulus Vagensis, qui proconsulatum quoque eius solus commemorat: C. I. L. VIII 1219 (*D(ominis)* | *n(ostris) Valente Grat[iano et Valenti]niano s[emper Augustis] Decimius Hilarianus Hi[lar]ius v(ir) c(larissimus) proc(onsul) [prov(inciae) Afr(icae) iud(ex) sacr(arum) cogni]tionum basilicam cuius s....... desiderabat orn[a]tu a fundа[mentis ..... dedicante .....icio Rufino [viro clariss]imo legato suo.* de adfinitatibus eius Hieronymus certiores nos facit, si hunc epistulae ad Furiam locum (54, 6) recte interpretor: *pater tuus, quem ego honoris causa nomino, non quia consularis et patricius, sed quia christianus est, impleat nomen suum: laetetur filiam genuisse Christo non saeculo.* his verbis indicari puto, Furiae patrem nomen gessisse, quod a laetandi vocabulo similive deductum esset, cum autem nullus Laetus inter homines nobiles illius temporis reperiretur, de Hilario cogitavi. obstat, quod consul ordinarius non fuit et suffecti non ea dignitas erat, quae cum patriciatu compone-

628) Carmen codicis Parisini 8084 (v. adn. 552) v. 86 *perdere Marcianum, sibi proconsul ut esset.*

retur (v. p. XLIII), sed nullum quoque alium in fastis illius temporis invenies, qui nomen cum laetitia quodammodo coniunctum habuerit. pro *consularis* igitur scribendum esse credo *proconsularis*, qua ratione omnis dubitatio tollitur.

Quodsi Hilarius noster Furiae pater erat, uxorem eius Titianam[629]) aut filiam aut sororem Furii Maecii Gracchi[630]) fuisse necesse est, qui praefectus urbi a. 376—377 specum Mithrae destruxit[631]). Furia enim et nomen eius primum gessit et a Cornelia Gracchorum matre originem deduxit[632]). frater eius, qui in iuventute mortuus est, Blaesillam Iulii Toxotii et Paulae filiam in matrimonium duxerat[633]), ipsa a filio Probi ante a. 394 vidua relicta est (v. p. CI). Hilarius igitur cum omnibus nobilitatis christianae ductoribus adfinitates iunxerat.

Proconsulatum Africae gessit sub imperatoribus Valente Gratiano et Valentiniano, id est inter annos 375 et 378. quo tempore praeterea proconsules innotuerunt Constantius a. 375, Hesperius a. 376, Thalassius a. 378, ita ut Hilario solus annus 377 relinquatur (v. adn. 153). in praefectura praetorio legibus praescribitur inde a d. 19 Mart. usque ad d. 16 Iun. a. 396[634]), in urbana d. 15 Ian. a. 408[635]). epistulae ad eum missae omni temporis nota carent, nisi quod 38 et 39, quae de gravi Symmachi morbo loquuntur, fortasse ad a. 397 referendae sunt. v. p. LXI.

III 43—45 AD SIBVRIVM.

Siburius teste Marcello in praefatione libri de medicamentis Gallus erat et de medicina scripsit. fratrem eius commemorat Libanius epist. 882; filius nomen patris gessisse et circa a. 390 consularis Palaestinae fuisse videtur[636]). ipse praefectus praetorio praescribitur legi datae Treviris d. 3 Dec. a. 379[637]), qui magistratus, cum eo tempore Hesperius Italiae praefuerit, ad Gallias referendus erit.

629) Hieron. epist. 54, 1 *sanctae memoriae mater tua Titiana multo tempore fuit sub marito.*

630) C. I. L. VI 1709 Romae. *Cethego v(iro) c(larissimo) patri F(urius) Maechius Gracchus v(ir) c(larissimus).* Orelli 3172 Tibure. *Furius Maecius Gracchus v(ir) c(larissimus) corrector Flaminiae et Piceni ornatui thermarum dedicavit.*

631) Hieron. epist. 107, 2 *ante paucos annos propinquus vester Gracchus nobilitatem patriciam nomine sonans, cum praefecturam gereret urbanam, nonne specum Mithrae et omnia portentuosa simulacra, quibus corax cryphius miles leo Perses heliodromos pater initiantur, subvertit fregit excussit et his quasi obsidibus ante praemissis impetrarit baptismum Christi?* ex hoc loco hausisse videtur Prudent. contra Symm. I 562. praefectus urbi Gracchus praescribitur legibus Cod. Theod. II 2, 1 et IX 35, 3 datis kal. Dec. a. 376 et d. 4 Ian. a. 377.

632) Hieron. epist. 54, 4 *Cornelia vestra — Gracchos suos se genuisse laetata est?*

633) Hieron. epist. 54, 2 *Blaesillam praetereo, quae maritum suum, tuum secuta germanum in brevi vitae spatio tempora virtutum multa complevit.* de genere Blaesillae v. Hieron. epist. 108, 4.

634) d. 19 Mart. Cod. Theod. XIII 11, 7. d. 30 Mai. Cod. Theod. VII 4, 22 + XI 21, 2. d. 16 Iun. Cod. Theod. VII 4, 23. in lege Cod. Theod. V 1, 3 pro Hilario Hypatium reponendum esse, Gothofredus vidit.

635) Cod. Theod. XIV 4, 8.

636) Sievers, Libanius p. 269.

637) Cod. Theod. XI 31, 7.

43 *debebatur hoc teneris temporum bonis, ut consilio publico vir laudatus accederes.* verba *consilium publicum* per se tam ad senatum quam ad consistorium principis referri possunt, sed quae sequuntur ostendunt, de simplici adlectione sermonem non esse. nam promotio Siburii maximam hominum expectationem movisse dicitur[638] et tam magna ei potestas tribuitur, ut nisi principem optimum haberet, contra eum niti et deberet et posset[639]. itaque non solum in consistorium receptus est, sed etiam principem in eo locum obtinuit, videlicet inter quattuor illos comites consistorianos, qui et dignitate et potentia praefectis praetorio haud multum cedebant, quaestorem sacri palatii, magistrum officiorum, comites sacrarum largitionum et rerum privatarum[640]. ergo scripta est epistula ante a. 379, quo Siburius praefectus praetorio factus est, sed brevi temporis spatio illum annum praecessisse videtur, cum ex hac comitum quadriga proximus ad praefecturam aditus patuerit. dicit autem Symmachus, hanc Siburii promotionem *teneris temporum bonis* convenire, quod aliter interpretari non possum nisi de temporum bonis nondum adultis, vel potius vixdum natis, id est de primis novi principatus temporibus. epistula igitur incidit in primum imperatoris Gratiani annum 376, et cum eodem fere tempore, quo Siburius praefectus praetorio factus est, Syagrius magisterium officiorum acceperit (v. p. CX), vix errabimus, si alterum alteri successisse credamus. quod si verum est, Siburius magister officiorum erat ab a. 376 usque ad annum 379. quae coniectura ea re confirmatur, quod Leo, qui hunc honorem ultimis Valentiniani mensibus gessit, iisdem criminibus quibus Maximinus implicatus erat[641] et eodem tempore magistratu privatus esse videtur, quo ille praefecturam amisit et Siburius inter comites consistorianos receptus est.

45 Siburius accusatus et absolutus est. quo tempore in hoc periculum venerit, certo definiri nequit, sed suspicionem, quae mihi orta est, non tacebo. Siburius in praefectura praetoriana successit Ausonio, qui saltem usque ad mensem Septembrem a. 379 magistratum retinuerat; ipse Decembri eiusdem anni praefectus commemoratur, sed Martio a. 380 iam successorem Probum acceperat (v. adn. 371 et 461). itaque ne sex quidem menses integros in honore remansit, quod sane mirum videretur, si eum more sollemni gessisset et deposuisset. quare in vitam privatam eum revertisse crediderim accusatione aliqua criminali coactum, ea ipsa qua de Symmachus loquitur. quod si recte conieci, epistulam III 45 anno 380 adsignabimus.

638) 84, 13 *perage operam iudicio tanti principis congruentem. urguet te expectatio bonis semper onerosa. nam etsi dignos respicit, periculo tamen proxima est, dum sibi amplius pollicetur.*

639) 84, 15 *habes saeculum virtuti amicum, quo nisi optimus quisque gloriam parat, hominis est culpa non temporis. vides certe: ut ille ipse, qui Romanis rebus antistat, ad bonum publicum natus est, non tibi adverso nunc amne nitendum est; secundo, ut ita dicam, cursu probae artes et virtutes feruntur.*

640) Hi in lege Cod. Theod. VII 8, 3 *comites consistoriani participantes augusti pectoris curas* dicuntur; cf. Gothofredum ad hanc legem.

641) Amm. XXX 5, 10 ad a. 375: *urente irarum nutrimenta tunc officiorum magistro Leone — pro nefas! — ipso quoque praefecturam, ut e celsiore scopulo caderet, adfectante.* quaestiones simul cum Maximino contra senatores exercuerat, Amm. XXVIII 1, 12.

III 46—53 AD EVTROPIVM.

Eutropii temporibus Symmachianis tot fuerunt, ut eos haud facile discernas[642], nostrum autem eundem atque historicum fuisse, iamdudum intellectum est hisque Symmachi verbis nititur: 85, 33 *noxae vacuus otiare et liberis remissus invigila, quando ita volvenda attulit dies, ut domini nostri Gratiani fortissima simul ac felicissima manu nutantia rei publicae pondera fulciantur. videorne tibi πανηγυρικώτερον locutus, quam mos epistulae sinit? sic se habet ratio, ut res maximae magnos hiatus oris requirant. sed haec stilo exequenda tibi ante alios, cui pollet Minerva, concedimus; nos ad familiaria revertamur.* adludunt enim ad ultima breviarii verba, quibus Eutropius promittit, se res post Iovianum Augustum gestas *stilo maiore* dicturum esse[643]. hunc religionem antiquam coluisse, si testimonia Byzantinorum recentiorum, quae nulla sunt, mittamus, ex eo concludi solet, quod Iulianum laudat, Constantinum non quidem vituperat sed neque in caelum effert; quae eiusmodi christiano, qualis Ambrosius Augustinus Orosius fuerunt, certe non conveniunt, sed ab homine, qui nulli religioni toto animo addictus eam coluerit, quam principes veram putabant, minime abhorrent. huic sectae, quae nullo tempore rara fuit[644], Eutropium quoque adnumeraverim; nam quod Iulianus contra christianos stetit, in breviario cum vitiis imperatoris componit[645] et Symmachus in nulla ad eum epistula deorum mentionem inicit, quamvis occasiones non defuerint. itaque Gregorii Nazianzeni ad Eutropium litterae ad nostrum referri possunt, nec facile, ut posthac videbimus, ulli alii conveniunt.

Quamvis latine scripserit, originem tamen ex partibus imperii Orientalibus traxisse videtur, nam possessiones eius magna ex parte in Asia sitae erant[646]. itaque Acacii rhetoris Palaestinensis ex sorore nepos et discipulus fuisse potest, quem non uno loco commemorat Libanius[647]. a quo id quoque discimus, Eutropium a. 355 Antiochiam venisse ibique usque ad a. 362 commoratum esse, quo anno Iuliano Augusto in Orientis metropolim venienti orationem avunculi tradidit. propter eloquentiae gloriam, quam advocationis munere iam tum consecutus erat[648], et Libanii commendationem[649]

642) Pirogoff, de Eutropii breviarii ab u. c. indole et fontibus. Berol. 1873.

643) *Quia autem ad inclitos principes venerandosque perventum est, interim operi modum dabimus. nam reliqua stilo maiore dicenda sunt, quae nunc non tam praetermittimus quam ad maiorem scribendi diligentiam reservamus.*

644) cf. Prudent. contra Symm. I 611 *qua vocat egregii sententia principis, illuc libera cum pedibus tum corde frequentia transit.*

645) X 16, 3 *gloriae avidus ac per eam animi plerumque inmodici; nimius religionis christianae insectator, perinde tamen ut cruore abstineret, Marco Antonino non absimilis, quem etiam aemulari studebat.*

646) 87, 17 *Ausonianus v. c. admirator tuus scripto a suis ex Asia nuper adlato, mutilari agros suos, qui tibi coniunguntur, accepit.*

647) Diversus erat ab Eutropio Hesychii filio, Celsi fratre, qui Libanii discipulus erat (ep. 812. 865. 1010), id quod de Acacii nepote expressis verbis negat epist. 666 οὕτω δὲ ὢν ῥήτωρ ἀγαθός, οὕτως ἐστὶ χρηστός, ὥστ᾽ αἰσθόμενος, ὅτι με βούλοιο τιμᾶσθαι, πᾶσιν οἷς εἴς σε, καὶ πρός ἐμε κέχρηται, καθάπερ ἐμὸς ἂν ἀδελφιδοῦς τε καὶ μαθητής. cf. Pirogoff, l. l. p. 6.

648) Liban. ep. 1202 οὐδὲ δουλεύει διδάσκων, ἀλλ᾽ ἔστιν ἐλεύθερος δίκας λέγων. εἰ μὲν οὖν μὴ γάμος αὐτὸν οἴκαδε ἐκεκλήκει τοῦ λέγειν ἀφελκύσας, τῶν ἀρχόντων ἂν ἦν. laudes eloquentiae eius Liban. l. l. et 666. 985.

649) In epist. 1202 aliquis ex summis magistratibus oratur, ut Eutropio honorum cursum aperiat.

in comitatum imperatoris receptus est expeditionique Persicae a. 363 interfuit[650]. cum breviarium scripsit circa a. 369, in aula Valentis magister memoriae erat[651], ex quo honore paulo post iusto promotionis ordine[652] proconsul Asiae factus est[653]. successorem Festum accepit a. 371: qui antequam in provinciam proficisceretur, Eutropium apud imperatorem calumniis aggressus effecit, ut magnae illi de maiestate et maleficiis quaestioni, quae eo anno agitata est, implicaretur[654]. et absolutus quidem est, sed dum Valens vivebat, nullum alium honorem gessisse videtur[655]. anno autem post mortem eius (379) in comitatum Gratiani accitus comitivam rerum privatarum accepit[656] nec multo post praefectus praetorio Orientis regimini praepositus est[657].

650) Eutrop. brev. X 16, 1.

651) Epistula dedicatoria in codicibus Leydensi et Bertiniano inscribitur: *Domino Valenti Gothico maximo perpetuo Augusto*, in Bambergensi: *Valenti maximo perpetuo Augusto Eutropius v. c. magister memoriae.* cognomen *Gothicus maximus* in una tantum Valentis inscriptione inveni C. I. L. VI 1175, cf. Ephem. epigr. IV p. 280. *Domini nostri Imperatores Caesares Fl(avius) Valentinianus pius felix maximus victor ac triumf(ator) semper Aug(ustus), pontif(ex) maximus, Germanic(us) max(imus), Alamann(icus) max(imus), Franc(icus) max(imus), Gothic(us) max(imus), trib(unicia) pot(estate) VII, imp(erator) VI, cons(ul) II, p(roconsul), p(ater) p(atriae), et Fl(avius) Valens pius felix max(imus) victor ac triumf(ator) semper Aug(ustus), pontif(ex) maximus, Germanic(us) max(imus), Alamann(icus) max(imus), Franc(icus) max(imus), Gothic(us) max(imus), trib(unicia) pot(estate) VII, imp(erator) VI, cons(ul) II, p(roconsul), p(ater) p(atriae), et Fl(avius) Gratianus pius felix max(imus) victor ac triumf(ator) semper Aug(ustus), pontif(ex) maximus, Germanic(us) max(imus), Alamann(icus) max(imus), Franc(icus) max(imus), Gothic(us) max(imus), trib(unicia) pot(estate) III, imp(erator) II, cons(ul) primum, p(roconsul), p(ater) p(atriae), pontem felicis nominis Gratiani in usum senatus ac populi Rom(ani) constitui dedicarique iusserunt.* seniorum Augustorum tribunicia potestas septima annum 370 indicat, consulatus alter et Gratiani tribunicia potestas tertia a. 369. sed quoniam saeculo quarto anni tribunicii iam paene in oblivionem venerant et in monumentis publicis nisi rarissime commemorari non solebant, errores in eorum numeris facilius admittendi sunt, quam in consulatibus per totum orbem quotannis divulgatis. itaque annum 369 verum puto, praesertim cum ei numeri duo conveniant, unus tantum contradicat. titulus igitur Gothicus post deditionem Athanarici a. 369 (Herm. XVII p. 524; XVIII p. 150) ab imperatoribus assumptus est, sed numquam adhibitus, nisi dum victoriae memoria recentissima erat.

652) Eadem ratione successor eius Festus ex consulari Syriae magister memoriae, ex magistro memoriae proconsul Asiae fuit Amm. XXIX 2, 22.

653) Amm. XXIX 1, 36 *Eutropius Asiam proconsulari tunc obtinens potestate, ut factionis conscius arcessitus in crimen, abscessit innocuus, Pasiphilo eximente philosopho, qui ut eum mendacio iniusto perverteret, crudeliter tortus de statu robustae mentis non potuit deturbari.*

654) Liban. de vit. sua I p. 105 καί τοι τοῦτό γε ῥάπτων διὰ Μαρτυρίου Πισίδου τινὸς ἀνθρώπου χαίροντος μὲν ἀθληταῖς, ἀμέμπτου δὲ ἄλλως, δοκοῦντος δὲ τῷ Φήστῳ γόητος διὰ τὸ προσκεῖσθαι παλαισταῖς, περὶ τούτου μόνος πρὸς μόνον τὸν Βάλεντα εἰπών, ὡς ἐμέ τε ἂν ἐν αὐτῷ ῥᾳδίως καὶ τὸν Εὐτρόπιον ἕλοι, σπεύδων ᾤχετο εἰς Ἰωνίαν ἐπὶ τὴν ἀρχήν. cf. Amm. 1. 1.

655) Anno 378 privatus erat, Symm. 85, 33 *noxae vacuus otiare et liberis remissus invigila.*

656) Palladius, cum *in spem sui honoris accitus* (86, 30) in comitatum proficisceretur, a Symmacho commendaticiis ad Syagrium (I 94) et Eutropium instructus est; uterque igitur in aula eiusdem imperatoris magistratibus fungebatur. cum autem constet, Syagrium tum in Gratiani consistorio fuisse, idem de Eutropio dicendum erit; quocum convenit, quod in honore illo positus Romae aliquantum commoratus est (86, 21). nullum magistratum eo tempore gerere potuit, nisi qui dignitate supra proconsulatum et infra praefecturam praetorio erat, quam paulo post administravit; itaque summis quattuor comitibus consistorianis adnumerandus erit. ex quibus anno 379, quode agitur, noti sunt magister officiorum Syagrius (v. p. CX), quaestor sacri palatii Gregorius (v. p. CXXVI), comites sacrarum largitionum usque ad mensem Augustum Catervius (Cod. Theod. VI 30, 3), versus anni finem Basilius (Cod. Theod. IV 20, 1); ergo solus restat comes rerum privatarum. nam Arborius, qui mense Maio eiusdem anni hac administratione functus erat (Cod. Theod. I 32, 4), iam inter Februarium et Aprilem a. 380 (Cod. Theod. VI 35, 9; XV 7, 4 + 5) praefecturam urbis deposuit; hunc igitur magistratum medio fere anno 379 ex comite rerum privatarum inierat.

657) Orienti eum praefuisse, ex Gregorii Nazianzeni epist. 138 agnoscitur: ἐμὲ γοῦν πρὸς πᾶσιν οἷς τε τετίμηκας οὕτω τοσούτοις, ἡνίκα τὸν ὑψηλότατον εἶχες θρόνον — κατὰ τὴν Ἀσίαν περιτυχών.

quo in magistratu commemoratur a d. 17 Iun. a. 380 usque ad d. 28 Sept. a. 381[658]. vitae privatae redditus in patriam revertit[659], sed spem amicorum, iterum eum in summi iudicis sede collocatum iri[660], non frustratus est. nam a. 385 praefecturam secundam gessit[661] annoque 387 consul simul cum Valentiniano Augusto factus est.

---

17 *noxae vacuus otiare et liberis remissus invigila, quando ita volvenda attulit dies, ut domini nostri Gratiani fortissima simul ac felicissima manu nutantia rei publicae pondera fulciantur. videorne tibi πανηγυρικώτερον locutus, quam mos epistulae sinit? sic se habet ratio, ut res maximae magnos hiatus oris requirant.* res Romana igitur ex summo discrimine emersit (*nutantia rei publicae pondera*) et id Gratiani solius ope, nam si imperatorem alterum adiutorem habuisset, is a Symmacho omitti non potuisset. hanc igitur epistulam inter cladem Hadrianopolitanam (d. 9 Aug. a. 378) et Theodosii electionem (d. 16 Ian. a. 379) colloco: cui coniecturae opitulatur, quod Symmachus de gravi morbo, quem modo perpessus sit, loquitur, quo anno ante Ausonii consulatum (379) vexatum esse ex 13, 6 constat.

50 scripta simul cum I 94, ubi vide.

52 *Mediolani interim dego ad obsequia auspicii consularis domini nostri Valentiniani evocatus.* eandem Symmachi profectionem spectant III 63: IV 69. Valentinianus minor, postquam nomen Augustum sumpsit, quater consul processit a. 376. 378. 387. 390. in primo eius consulatu Symmachus mense Ianuario Romae erat (23, 5); ad ultimum evocatus quidem est, sed excusavit. v. p. LVIII. restant igitur a. 378 et 387; inter quos electio ideo certa est, quod Symmachus 122, 19 dicit, Eusignium *recursum suum misso apparitore iuvisse.* is enim a. 378 magistratum aut nullum aut minimum gessit. a. 387 praefectus praetorio per Italiam erat. obstare videtur, quod in epistula ad Eutropium missa, qui simul cum Augusto fasces sumpsit, ipsius consulatus non commemoratur; sed eum procul dubio Constantinopoli cum iuisset, nuntius de honore accepto fortasse primis anni diebus Mediolanium nondum pervectus erat.

---

658) D. 17 Iun. a. 380 Cod. Theod. III 5, 10 + 11 + 6, 1 + IV 19, 1 + VI 10, 1 + IX 27, 2 + 12, 8 + 9 + Cod. Iust. VI 23, 16. d. 27 Iul. a. 380 Cod. Theod. XII 12, 7. d. 17 Aug. a. 380 Cod. Theod. XV 1, 21. d. 16 Nov. a. 380 Cod. Theod. X 10, 15. d. 18 Dec. a. 380 Cod. Iust. V 9, 1 = VI 56, 4. d. 30 Dec. a. 380 Cod. Theod. IX 2, 3 + 3, 6. cum hac lege coniungenda videtur Cod. Iust. I 51, 1, ubi scribendum erit *d. III kal. Ian.* pro *d. VIII id. Ian.* d. 10 Ian. a. 381 Cod. Theod. XVI 5, 6. d. 3 Febr. a. 381 Cod. Theod. VI 35, 11. d. 2 Mai. a. 381 Cod. Theod. XVI 7, 1. d. 8 Mai. a. 381 Cod. Theod. XVI 5, 7. d. 30 Mai. a. 381 Cod. Theod. III 8, 1. d. 4 Iun. a. 381 Cod. Theod. II 9, 2 + XIII 11, 1. d. 21 Iul. a. 381 Cod. Theod. XII 1, 85 + 86. d. 5 Sept. a. 381 Cod. Theod. VII 13, 10. d. 28 Sept. a. 381 Cod. Iust. V 34, 12.

659) Magistratu deposito cum provincias Orientales peragrasse, ex Gregorii Nazianzeni epistulis 137. 138 perspicitur.

660) Greg. Naz. ep. 138 κἄν σε ὑψηλὸν αὖθις οἱ θρόνοι φέρουσιν κ. τ. λ.

661) Cod. Iust. IX 29, 3 data d. 17 Aug. a. 385. cf. Const. Sirmond. 7.

III 54—69 AD RICOMEREM.

Ricomeres[662], ut nomen eius Germanicum testatur, barbarus erat, sed stirpe inter suos nobili ortus[663]. gentilium superstitioni addictus[664] potissimos eius defensores Symmachum et Libanium[665] semper in summo honore habuit. comes domesticorum Gratiani a. 377 e Galliis in Thracias missus proelium ad Salices commisit[666]; victor milites Marcianopolim perduxit, sed ipse in Gallias reversus est copias maiores adducturus[667]. Gratianum in Orientem profectum comitatus est et ad Valentem praemissus[668] proelio apud Hadrianopolim interfuit[669]. cum Theodosio partibus imperii Orientalibus praeposito remansisse videtur; certe a. 382 Constantinopoli erat[670], a. 383 Antiochiam venit[671]. consul a. 384 Libanium epistulis cum ipsius tum imperatoris evocavit et ab eo panegyricum accepit[672]. in bello contra Maximum a. 388 gesto primas partes egisse videtur[673]; quo confecto cum Theodosio Romam venit[674], et cum ille in Orientem reverteretur, Valentiniano custos imperii relictus est[675]. sed Eugenio ab Arbogaste ad imperium evecto, quamvis utriusque amicus esset[676], in Orientem rediit et a Theodosio copiis equestribus contra eos ducendis praefectus esset, nisi ante quam bellum iniretur a. 394 diem obiisset[677].

54. 56. 57. 64. 67. 68 nullum alium temporis indicium praeferunt, nisi quod Ricomere a. 394 mortuo antea scriptae esse debent.

55 et 82 ad Rufinum simul scriptae sunt. Symmachus in praedio Ostiensi agens classem Macedonicam, quae cessante Africa frumentum Orientale urbi invehebat, in portum venientem vidit. Rufinus eo tempore summum in aula locum obtinebat, nam Symmachus certum se esse dicit, quod ea, quae scripserit, Theodosio Augusto narra-

662) De vita eius cf. Gothofred. ad Cod. Theod. VII 1, 13.

663) Amm. XXXI 12, 15 *iamque pergebat indicia dignitatis et natalium.* origo eius Francica nullis veterum testimoniis confirmatur solaque scriptorum recentium coniectura nititur. nam quod Gregor. Turon. II 9 scribit: *in consularibus legimus, Theodomerem regem Francorum filium Richimeris quondam et Ascilam matrem eius gladio interfectos*, nulla plane ratione ad eum refertur.

664) Liban. de vit. sua I p. 136 ἱεροῖς τε καὶ θεοῖς προσκείμενος ἄνθρωπος. cf. epist. 926.

665) Liban. ll. ll. et epist. 785. 891. 926. 944

666) Amm. XXXI 7, 4 sqq.

667) Amm. XXXI 8, 2.

668) Amm. XXXI 12, 4.

669) Amm. XXXI 12, 15—17; 13, 9.

670) Flavianus Constantinopolim profectus, ut quaesturam sacri palatii iniret, ad Ricomerem venturus erat, Symm. III 58.

671) Liban. ll. ll.

672) Liban. de vit. sua I p. 137. 142.

673) Liban. ep. 891. 785; Philost. X 8.

674) 88, 3; Liban. ep. 891.

675) Lex Cod. Theod. VII 1, 13 inscripta *Richomeri comiti et magistro utriusque militiae* data est Vincentiae d. 27 Mai. a. 391.

676) Zosim. IV 54.

677) Zosim. IV 55.

turus sit[678]; magister igitur officiorum iam factus erat (a. 382. v. p. CXVI). postquam autem Eugenius Occidentis imperio potitus est (m. Maio 392), nullus certe commeatus annonarius ex Oriente Romam venit. annorum igitur decem finibus tempus huius epistulae includitur (382—391). paulo ante quam scriberetur, Ricomeres Romae fuerat[679], quem annis 382—384 in Oriente egisse constat. ergo restant, si tempora tyrannidis Maximi exemeris, a. 385—387 et a. 389—391. cum autem Libanius testis sit, simul cum Theodosio Augusto aestate a. 389 Richomerem in urbem venisse[680]. autumno eiusdem anni magna cum probabilitate has epistulas adsignabimus.

56. 57 v. ad ep. 54.

58 scripta esse videtur, cum Flavianus quaestor factus Constantinopolim profectus est, vere aut aestate a. 382. v. p. CXVI.

59 *alius fortassis existimet serum esse munus, quod anni superioris consul exsolvat.* Ricomeres a. 384 consul fuerat.

60 si Eugenius, quo de loquitur, idem est, qui a. 392 tyrannidem invasit (v. adn. 43), ante hunc annum scripta erit.

61 paulo post 59 scripta, ad quam adludit.

62 Symmachus ab apparitore Richomeris adiutus iter aliquod absolvit, ex quo mox in patriam reversurus est; id quod fortasse profectionem ad consulatum Valentiniani tertium (a. 387) spectat. v. ad ep. 52.

63 Symmachus a Valentiniano Augusto consule tertium evocatus Mediolani versatur, a. 387. v. ad ep. 52.

64 v. ad ep. 54.

65 Symmachus ex itinere aliquo Romam revertit humanitatique Ricomeris, quam paulo ante expertus est, gratias agit; hoc ad eandem profectionem referendum esse videtur, quam Ricomeres apparitore misso adiuvit. v. ad ep. 62.

66 commendaticia Flaviano data, cum a. 382 in comitatum profectus est. v. p. CXVI.

67. 68 v. ad ep. 54.

69 Flavianus praefectus praetorio (91, 20), filius eius proconsul (91, 26), quos honores a. 383 gesserunt. v. p. CXVII.

678) 95, 19 *scio haec in aures eius esse ventura devotione, qua soles non occulere bonum publicum.*

679) 88, 3 *cur enim Romae te d i s c e d e n t e remanerem?*

680) Epist. 891 ad Ricomerem. τὰ σὰ δὲ λαμπρά τε καὶ σεμνὰ καὶ μεγάλα, στρατηγίαι δὲ καὶ μάχαι καὶ νῖκαι καὶ τὸ μὴ εἶναι τύραννον μηδὲ δοῦλον τὸν ἐλεύθερον (haec ad victoriam de Maximo tyranno referenda sunt) θεόντων ἐφ' ἅπαν τῶν καλῶν βασιλέως τε καί σου, καὶ τὰ μὲν σοφίᾳ τὰ δὲ χερσὶν αἱρούντων. — αἰτοῦμεν δὲ παρὰ τῶν θεῶν τε καὶ ὑμῶν ἐλθεῖν τε ὑμᾶς ὡς ἡμᾶς καὶ τὴν ἐπιθυμίαν ἡμῖν ἐμπλῆσαι καὶ καλλίω ποιῆσαι τὴν Δάφνην τῷ τοῦ βασιλέως κάλλει. καὶ γὰρ εἰ μὴ Ῥώμη γε ἡμεῖς μηθ' ἡ μήτηρ μηθ' ἡ παῖς, ἀλλ' οὐκ ἀνάξιοί γε τῆς τοιαύτης δωρεᾶς. Theodosius Romam venit d. 13 Iun. a. 389 (Idat. fast.) et ibi remansit usque ad kalendas Septembres (Marcell. chron.).

III 70—73 AD TIMASIVM.

Flavius Timasius[681], qui inter duces Romanos iam inde a Valentis temporibus enituit[682], Theodosio Orientis imperium obtinente etiam adfinitate regia claruisse videtur. nam filius eius Syagrii nomen gessit[683], quod familiae Flaccillae Augustae proprium fuisse supra vidimus (p. CX). comes et magister equitum Theodosii primum commemoratur d. 23 Mart. a. 386[684]. pedestribus copiis praefuit in bello contra Maximum a. 388, Promoto equitibus praeposito[685], et quantopere victoriam adiuverint, ex eo perspicitur, quod in annum sequentem uterque consul factus est, Timasius autem loco priore. anno 388 exeunte eum Theodosio magister utriusque militiae Mediolani fuit[686], et cum eodem in Thracias reversus bellis contra barbaros gestis interfuit[687]. quamvis graves cum Rufino inimicitias gereret[688], favorem tamen imperatoris non amisit et in bello contra Eugenium gesto denuo primas in exercitu Romano partes egit[689]. sub Arcadio quoque, dum Rufinus summae rerum praeerat, locum suum obtinuit, sed Eutropio eunucho Orientis regimina tenente, ex Pamphylia, ubi tunc morabatur, sub praetextu honorifico accitus[690] et maiestatis accusatus est, a. 396[691]. iudicio extraordinario damnatus, quod fusius describit Zosimus V 8—10, in Oasin deportatus est[692], uxorque eius Pentadia ex ecclesia, ad quam confugerat, ad poenam rapta[693]. paulo post disparuit aut in regione deserta siti consumptus[694] aut filii auxilio fuga elapsus[695].

681) C. I. L. VI 1759 *Fl. Timasio et Fl. Promoto vv. cc. conss.*

682) Zosim. V 8 Τιμασίῳ στρατιωτικῶν ἡγησαμένῳ ταγμάτων ἀπὸ τῶν Οὐάλεντος. cf. Philost. X 8.

683) Zosim. V 9.

684) Cod. Theod. IV 17, 5.

685) Zosim. IV 45 τοῖς δὲ στρατιώταις ἱππεῦσι μὲν Πρόμωτον, πεζοῖς δὲ Τιμάσιον ἐπέστησεν.

686) Ambros. epist. I 41, 27 *tunc Timasius magister equitum et peditum coepit adversum monachos esse vehementior. respondi ei: 'ego cum imperatore ago, ut oportet, quia novi, quod habeat domini timorem: tecum autem aliter agendum, qui tam dura loqueris'.* ex eo, quod Ambrosius negat, Timasium domini timorem habere, et Zosimus eundem summis laudibus effert, religionis gentilis sectatorem eum fuisse colligi potest.

687) Zosim. IV 49.

688) Zosim. IV 51.

689) Zosim. IV 57.

690) Suid. s. v. Τιμάσιος. οὗτος ἐπὶ Θεοδοσίου τοῦ βασιλέως ἦν· ὃν ὁ Εὐτρόπιος ἐπιστῆσαι τοῖς πράγμασι βουλόμενος, ἐκ τῆς Ἀσίας μετεκαλεῖτο πρὸς τὰ βασίλεια. ὁ δὲ γαῦρός τε ἀνὴρ ὢν καὶ ἀγέρωχος καὶ στρατείαις ὡμιληκώς, καὶ τοῦτο πρῶτον ἀγαθὸν ἡγούμενος τῶν ἐν ἀνθρώποις, τιμὴν καὶ δόξαν καὶ πλοῦτον ἐπικλύζοντα, καὶ τὸ ἔχειν ἑαυτῷ ὅ τι βούλοιτο κεχρῆσθαι καὶ ἀδεῶς, διά τε μέθην νύκτα καὶ ἡμέραν οὐκ εἰδέναι οὔτε ἀνατέλλοντα καὶ δυόμενον καθορᾶν ἥλιον, ἴσα καὶ οὐρανοῦ εἶναι νομίσας τὴν μετάκλησιν, ἐκ τῶν ἀλύπων καὶ διακεχυμένων πρὸς ὀλιγωρίαν διατριβῶν ἀπορρήξας ἑαυτὸν καὶ κατατείνας τὴν ψυχὴν εἰς φιλοδοξίαν, βαρὺς ἀναστὰς ἐκ Παμφυλίας ἐπὶ Λυδίαν ἀνέστρεφεν, ὡς ἂν δή τις βασιλεύων, ἢ τόν γε βασιλέα καὶ τὸν εὐνοῦχον κατὰ πάρεργόν τι παιδιὰν θησόμενος, εἰ βούλοιτο. haec repetuntur s. vv. παιδιά et γαῦρος.

691) Annus definitur Hieronymi epistula hoc tempore scripta, ubi dicit: 60, 16 *Timasius praecipitatus repente de altissimo dignitatis gradu evasisse se putat, quod Oase* (*Assae* editiones) *vivit inglorius.*

692) Hieron. l. l.; Sozom. VIII 7; Aster. Amas. homel. in fest. kalend. fin.

693) Sozom. l. l.

694) Sozom. l. l.; Aster

695) Zosim. V 9.

70. 71 scriptae esse debent ante condemnationem Timasii a. 396.

72. 73 Felix et Stemmatius Timasio et Eusignio (IV 67 et 73) commendantur, quos in aula imperatoris alicuius simul egisse, consentaneum est. at Eusignius a. 383 proconsul Africae fuit, a. 386—387 praefectus praetorio Italiae, postea nullum honorem gessisse videtur. annis igitur, qui inter reversionem Eusignii ex partibus Africanis et Maximi tyrannidem, qua praefectura eius terminata est, intersunt, has epistulas adscripsi.

III 74—80 AD PROMOTVM.

Flavius Promotus simul cum Timasio a. 389 consulatum gessit, et ut in corpore epistularum Symmachi, ita apud reliquos quoque scriptores plerumque componuntur. quo tempore Timasius magister equitum primum commemoratur, circa a. 386, magister peditum per Thracias rem gerit et Greuthungos magno proelio vincit[696]. vice versa in bello contra Maximum Promotus equitibus, Timasius peditibus praepositus est[697]. uterque Rufini inimicus, et Promotus eo usque irae processit, ut ei alapam infligeret[698]; quae res ei exitii causa fuisse dicitur. nam ex aula Theodosii in provinciam missus a Bastarnis, qui fraude Rufini in insidiis collocati esse feruntur, occisus est, paulo ante inimici consulatum (a. 392)[699]. quonam honore apud Theodosium fuerit, ex eo agnoscitur, quod filii eius simul cum imperatoris filiis educati sunt[700].

74. 75. 77. 80 post a. 391, quo Promotus mortuus est, scriptae esse non possunt.

76 commendaticia Paregorio in Africam proficiscenti tradita. itaque eo tempore Promotus nondum in Oriente erat, sed in Africa munere aliquo, comitis fortasse rei militaris, fungebatur. quoniam autem a. 386 iam in Thraciis magnam de Greuthungis victoriam rettulit neque postea Orientem reliquisse videtur nisi in expeditionibus a Theodosio susceptis, ante illum annum epistula scripta esse debet.

78. 79 primae, quas Symmachus ad Promotum scripsit, litterae; itaque ep. 76 tempore praecedunt.

III 81—91 AD RVFINVM.

81 Symmachus primum nuntium de quaestura in Flavianum collata accepit, a. 382. v. p. CXVI.

82 autumno 389 scripta esse videtur. v. ad ep. 55.

696) Zosim. IV 35. 38. 39.
697) Zosim. IV 45. 49. 50; Philost. X 8.
698) Zosim. IV 51.
699) Zosim. IV 51; Claud. in Rufin. I 317; de cons. Stil. I 95; laus Serenae 233.
700) Zosim. V 3.

83. 88. 91 ante d. 27 Nov. a. 395 scriptae esse debent, quo die Rufinus occisus est.

84 Rufinus paulo ante Romae fuerat, quam post imperium ab Eugenio invasum (a. 392) non revisit. cum totus Theodosii comitatus aestate a. 389 in urbem venerit, magistrum officiorum quoque secutum esse, plus quam veri simile est. hanc igitur epistulam paulo ante 82 scriptam putaverim. v. ad ep. 55.

85 *mos et ratio flagitavit, ut mansurus domi veniam de augustissimo principe imperati mihi itineris postularem. excusationis causam litteris indicavi, quas favor tuus molli aditu et blanda recitatione commendet.* iter ab Augusto imperatum, quod Symmacho recusare licuit, aliud fuisse non potest quam ad festa aliqua in comitatu celebranda: de imperatoris processu consulari potissimum cogitandum est, cum omnes fere evocationes, quibusde accepimus, ex huiusmodi occasionibus natae sint. Augustum, qui Symmachum acciverat, in Occidentis partibus tum fuisse necesse est, nam nullum exemplum reperitur, quo homo Romanus Constantinopolim evocatus sit. at contra Rufinus, quem in aula eiusdem Augusti fuisse ex eo patet, quod epistulam Symmachi imperatori recitare potuit, omnem honorum cursum sub principibus Orientalibus peregit. itaque hae litterae eo tempore scriptae sunt, quo comitatus Constantinopolitanus in Occidentem migraverat, id est inter annos 388 et 391, quibus annis unus tantum consulatus ab Augusto gestus est a. 390. et ab altero quoque eiusdem anni consule Neoterio Symmachum evocatum esse sed casu aliquo impeditum, quominus proficisceretur, ex V 38 et 34 patet, ubi de epistula quoque de eadem re ad imperatorem missa sermo est[701]. ergo hae litterae simul cum V 34 et 38 mense Decembri a. 389 scriptae sunt. cf. p. LVIII.

86 Flavianus simul cum Rufino, qui tum potestate maior[702], dignitate certe non minor erat, in comitatu munere aliquo fungitur. quod nulli alii tempori congruit, quam quo Rufinus magister officiorum, Flavianus quaestor aulae Theodosii erat a. 382 et fortasse etiam 383 ineunte. v. p. CXVI.

87 a Rufino petit, ut Severianus, qui princeps officii praefecti urbi fuerat, suffragio eius ad provinciae alicuius regimen promoveatur. quia homo in officio Romano munere functus haud facile provinciam Orientalem expectare potuit, haec quoque epistula ei tempori adscribenda videtur, quo Theodosius partes Occidentales ipse rexit, i. e. a. 388—391. cf. ad epist. 85.

88 v. ad ep. 83.

89 commendaticia Flaviano minori tradita, cum hieme 382/3 in Orientem proficisceretur. v. p. CXVI.

90 Symmachus nuntium de Flaviano maiore ad praefecturam praetorio promoto accepit, a. 383 ineunte. v. p. CXVI.

91 v. ad ep. 83.

701) 132, 26 *super hoc plenissimas et ad dominum nostrum clementissimum principem dudum litteras dedi et ad ceteros, qui me adesse voluerunt* (scil. ad Rufinum III 85, qua de epistula agimus, et ad Neoterium V 38), *quas etiam nunc Festus agens in rebus proficiscendi cunctatione remoratur.*

702) 96, 23 *teque oro, ne quid in tales amicos fascino liceat. ille* (scil. Flavianus) *enim mihi non est rogandus, cui aliud velle non expedit.*

IV 1–14 AD STILICHONEM.

1 hac epistula Symmachus amicitiam cum Stilichone auspicatus est: non igitur ordine solum sed etiam tempore omnium, quae sequuntur, prima est.

2 epistulae, quibus Flavianus minor in comitatum proficiscens Stilichoni commendatur, duae supersunt, haec et 6, ex quibus posteriorem a. 398 scriptam esse indiciis certissimis constat. priorem hiemi 382/3 adsignaverim (v. ad ep. III 89), cum de tertia huiusmodi occasione nihil acceperimus.

4 gratias agit pro praefectura urbana Flaviano minori restituta, a. 399 ineunte. v. adn. 328.

5 Gildo a senatu hostis publicus indicatus, hieme a. 397 incipiente. Claud. bell. Gild. 16 *quem veniens indixit hiems, ver proterit hostem.*

6 Flavianus ad consulatum Theodori evocatus, a. 398 exeunte. v. adn. 325.

7 familiares Symmachi in Hispanias missi, ut equos curules in praeturam filii compararent, vere a. 399. v. adn. 330.

8 anno post Stilichonis consulatum scripta[703]) paucis post Honorii natales (d. 15 Ian. Polem. Silv.) diebus[704]), cum ludi praetorii Symmachi filii instabant (a. 401). cf. p. LXXII.

9 scripta ultimis mensis Februarii a. 402 diebus, cum Symmachus legatione senatus simul cum Stilichone suscepta Mediolanii adventum eius expectabat. cf. p. LXIII.

12 scripta post Stilichonis ludos consulares et antequam Symmachus filius praeturam iniret[705]), a. 400.

13 Symmachus aeger ex itinere aliquo revertit et Stilichonis adventus Romae expectatur. illum a. 402 Mediolanium profectum et non multo post mortuum esse, supra (p. LXXII) iam vidimus; Stilichonem post Gothos apud Pollentiam d. 7 April. a. 402 devictos Romam venisse, panegyricus Claudiani testis est in urbe coram victore recitatus.

14 de nuptiis inter Symmachi filium et Gallam Flaviani filiam celebratis (a. 401) sermo est. v. p. LXXII.

IV 15. 16 AD BAVTONEM.

Bauto, cuius filia Eudoxia Augusta futura erat[706]), Transrhenanus[707]) ex genere Francorum[708]) natus est, sed nihilominus fidem christianam coluit[709]). iam sub Gra-

703) 100, 31 *fastigio consulari, quod proxime tui culminis felix et olim debitus magistratus ornavit.*

704) 100, 24 *de equis ob natalem domini nostri Honorii — largiendis, licet hoc anno obsequii istius tempus effluxerit, opinor votum meum non potuisse reprehendi.*

705) 101, 34 *consulatum liberalitate continuas et ut publicus parens in futuros etiam magistratus imperialem provocas largitatem. quo ergo mihi ore celebrandus es, qui fastigio honorum iure conspicuus praetorios quoque instruis apparatus?*

706) Philost. XI 6 Ἀρκάδιος ὁ βασιλεὺς μετὰ τὸν θάνατον τοῦ πατρὸς θυγατέρα Βαύδωνος ἄγεται γυναῖκα· ὅδε βάρβαρος μὲν ἦν τὸ γένος, στρατηγίᾳ δὲ κατὰ τὴν ἑσπερίαν διαπρέψας.

707) Ambros. epist. I 24, 8 *Bauto, Transrhenanus genere.*

708) Zosim. IV 33 Βαύδωνι τῷ στρατηγῷ ταύτην παραδούς, ᾧ καὶ Ἀρβογάστην συνέπεμψεν· ἄμφω δὲ ἦσαν Φράγκοι τὸ γένος, εὖνοί τε σφόδρα Ῥωμαίοις καὶ χρημάτων ὡς μάλιστα ἀδωρότατοι καὶ περὶ τὰ πολέμια φρονήσει καὶ ἀλκῇ διαφέροντες.

709) Ambros. epist. I 57, 3 *aderat amplissimus honore magisterii militaris Bauto comes et Rumoridus,*

tiano ad summam militiae dignitatem, magisterium militum, ascenderat[710]. sub Valentiniano minore autem tantam potentiam obtinuit, ut totum imperium regere videretur[711]. a. 385 simul cum Arcadio Augusto consulatum gessit, quam sollemnitatem Mediolanii celebratam Augustinus panegyrico in Bautonem recitato illustravit[712]. obiit non multum ante Valentiniani mortem[713]) circa annum 391.

15 Symmachus a Bautone munus consulare accepit, a. 385.
16 scriptam esse necesse est ante Bautonis mortem, id est ante a. 392.

IV 17—34 AD PROTADIVM. 35—49 AD MINERVIVM. 50—55 AD FLORENTINVM. 56. 57 IN COMMVNE FRATRIBVS MINERVIO PROTADIO ET FLORENTINO.

Fratres, quorum epistulas Symmachus filius in libro quarto coniunxit, ex urbe Treviris[714]) natalibus claris[715]) oriundi fuerunt. nihilominus patrem eorum inter summos imperii Romani iudices frustra quaeremus, quia usque ad a. 370 nullus Trevir ultra vicariam praefecturam in honorum cursu processit[716], sed de Minervio ex consularibus, qui anno 370 aut 371 legatus a senatu in Gallias missus est[717], cum idem nomen cum maximo ex tribus fratribus gesserit, non sine aliqua probabilitate cogitari potest. nam Minervium re vera natu maximum et a patre cognominatum fuisse, ex duobus argumentis concludi licet, quod in inscriptionibus epistularum 56 et 57 primus collocatur et quod filius Florentini eius nomine nuncupatus erat (117, 6). quamquam

et ipse eiusdem dignitatis, gentilium nationum cultui inserviens a primis pueritiae suae annis. singularis *inserviens* docet, Bautonem christianum fuisse.

710) Zosim. IV 33. 53.

711) Ambros. epist. I 24, 4 *ad postremum erupit dicens* (scil. Maximus tyrannus): *quoniam me lusistis tu et ille Bauto, qui sibi regnum sub specie pueri vindicare voluit, qui etiam barbaros mihi inmisit* etc.

712) August. confess. VI 6; contra litter. Petil. III 30.

713) Zosim. IV 53.

714) 108, 29 *dum aut Treviros civica religione aut Quinque Provincias otii voluntate commutas.*

715) 106, 8 *secundum mores ac natales tuos honorum culmen indeptus es.*

716) Auson. Mosell. 405 sqq. ubi laudes urbis Trevirorum cantat, summos quoque magistratus, qui ex ea originem duxerunt, enumerat: *quique suas rexere urbes* (i. e. consulares Germaniae primae) *purumque tribunal sanguine et innocuas illustravere secures, aut Italum populos aquilonigenasve Britannos praefecturarum titulo tenuere secundo* (vicarii praefectorum per Britannias et per Italiam), *quique caput rerum Romam populumque patresque tantum non primo rexit sub nomine, quamvis par fuerit primis* (vicarius urbis). *festinat solvere tandem errorem Fortuna suum libataque supplens praemia iam veri fastigia reddet honoris nobilibus repetenda nepotibus.* si Trevir dignitatis maioris tum iam fuisset, ab Ausonio praeteritus non esset. — is, qui vicarius urbis fuerat, et certam iam spem habebat, se ad *veri fastigia honoris*, id est praefecturam, promotum iri, nullus alius fuisse potest quam Bappo praefectus urbi a. 372 (Cod. Theod. VI 1, 21), quem Gallum, vel potius Germanum fuisse, nomen docet. nam ex iis, qui hoc tempore summi iudices fuerunt, nullus ignotus est, et qui a. 370 vel paulo post praefecturas adepti sunt, Maximinus et Ampelius, alter Pannonius, alter Antiochenus erant.

717) Amm. XXVIII 1, 24.

rationes simillimae Protadio quoque suffragantur, qui in corpore epistularum fratrum agmen ducit et Minervii filio nomen dedit (114, 12). sed quia epistularum ordo Symmacho minori debetur, inscriptiones singularum saltem pro parte oratori ipsi, his maiorem auctoritatem tribuendam esse puto. — fratres inter homines sui saeculi eruditione enituisse videntur. Protadius historiae Galliarum operam navavit[718]. Florentino Claudianus librum alterum de raptu Proserpinae dedicavit[719]. omnes tres Symmachi orationes et epistulas summo cum studio expetebant et laudibus extollebant.

Minervius in scrinio epistularum honorum cursum auspicatus est, ubi hieme a. 394/5 usque ad summos corporis locos processerat[720]. paulo post cingulo privatus esse videtur, nam cum scriniariorum locus in comitatu, id est Mediolanii erat, a. 396 ex Galliis in hanc urbem venit et reditus eius in patriam expectabatur[721]. inter d. 17 Iun. et 12 Nov. a. 397[722] in comitiva rerum privatarum Sperchio successit et ultra d. 23 Dec. hac administratione functus est[723]. ante d. 24 Mai. a. 398 Firminum successorem accepit[724] nec tamen in vitam privatam revertit, sed comes sacrarum largitionum factus in aula remansit[725]. quo in honore successit ei Longinianus ante d. 23 Dec. a. 399[726].

Florentinus iam circa annum 379 in comitatu Theodosii militabat et in collegio, cuius matriculae adscriptus erat, temporis ordine ad summos gradus processerat[727]. quoniam in hoc officio positus etiam Romae negotia publica gessit[728], inter notarios eum militasse crediderim, quos ad mandata Augustorum exequenda totum orbem peragrari solitos esse, ex innumeris Ammiani locis constat. anno 395 ineunte quaestor

718) 104, 5; 111, 22.

719) Claud. de raptu Proserp. II praef. 50.

720) 111, 11 *praeterea cum palatinae eloquentiae militares, porrexi amicitiae tuae dexteram.* vox *militare* illo tempore semper significat aut armatam militiam exercere aut in corpore aliquo officio publico fungi; palatina autem eloquentia, id est cura rescriptorum imperialium componendorum, proprium scriniorum sacrorum munus erat. ea epistula, qua Symmachus se Minervii amicitiae dexteram porrexisse dicit, IV 46 fuisse videtur (v. infra); quae cum curae eius petitiones legationis Campanae commendet, in scrinio epistularum aliquanta eum potentia usum esse indicat. cf. Not. Dign. Or. 19, 8; Oc. 17, 12 *magister epistularum legationes civitatum et consultationes et preces tractat.*

721) IV 36. 18, 6.

722) Cod. Theod. VII 13, 12. 14.

723) Cod. Theod. I 11, 1. commemoratur praeterea sine die Cod. Theod. XI 1, 25; Cod. Iust. XI 75, 3.

724) Cod. Theod. I 11, 2 + XI 19, 4. Firminum non comitem sacrarum largitionum fuisse, qui titulus ei in inscriptione legis additus est, sed comitem rerum privatarum, non solum inscriptiones constitutionum reliquarum, quae eius mentionem faciunt (Cod. Theod. X 10, 22; XII 6, 25), sed etiam huius ipsius argumentum docet.

725) Sub finem anni 398 eum in aula fuisse, docent IV 38—40. palatinus sacrarum largitionum ei commendatur IV 37. cf. Cod. Iust. XI 71, 4 sine die: *Minervio com. sacr. larg.*

726) Cod. Theod. VI 30, 17.

727) 116, 13 *in eum militiae gradum labore venisti, ut Benedicti amici mei fortunam debeas adiuvare.* de eadem re epistula IX 1 ad Palladium scripta est, quam anno 779 adsignandam esse, suo loco probabo.

728) 106, 15 *extant in monumentis Sallustianis Africani litterae, quas Iugurtha post excidium Numantinum testes ad Micipsam decoris sui pertulit. has ego in praesentia fratris nostri Florentini nomine ad verbum mandandas paginis puto, quia ut ambo in negotiis suis pari gloria splenduerunt, ita utriusque virtuti idem testimonii honor congruit.* haec ad Florentini praefecturam urbanam referri nequeunt, quia laudes Iugurthae a Scipione tributae iuveni conveniunt, qui prima egregiae indolis documenta dedit, non viro summis honoribus perfuncto.

in aula Honorii erat[729], sed iam inter d. 6 Iul.[730] et 14 Sept. eiusdem anni Andromacho in praefectura urbana successit[731]. magistratus in difficillima tempora incidit, quibus urbs, Africa a Gildone possessa, per triennium fame paene continua laborabat, sed Florentinus, licet inopiae mederi non posset, tamen tanta prudentia in re publica versatus est, ut nulla populi seditio oreretur et administratio eius omnium ore celebraretur[732]. cum autem a senatoribus tirones ad bellum Gildonicum exigendi essent, iussa Augusti non statim exsecutus est, sed ordinis petitionibus et legationibus Stilichoni satis molestis tempus dedit: quare hieme a. 397/8 non multum post d. 21 Dec. honorem deponere coactus est[733].

Quae de Protadio scimus, quem aetate medium inter fratres locum obtinuisse puto, Symmachi testimoniis solius innituntur. quamvis honoribus publicis fratribus non cesserit. a. 395, cum Florentinus quaestor erat, Mediolanium venit, tum quidem privatus, sed qui summum aliquem magistratum expectaret[734]. quae spes eum frustrata esse videtur, nam a. 396 ineunte otium in patria fovebat[735]. at paulo post ad praefecturam praetorio evectus est[736], sed neque qua in Occidentis parte neque quo anno eam gesserit, testimoniis disertis traditur. cum autem illo saeculo homines eiusdem familiae fere semper eodem tempore in summis administrationibus versari soleant (v. adn. 138), Protadii honorem anno potissimum 397 adscripserim, quo frater eius alter praefectus urbi, alter comes rerum privatarum erat.

Protadius Symmachi litteras collegit et conservavit (v. adn. 41): nullam igitur epistulam periisse, quae ad illum fratresque eius data sit, sperari potest.

17 cum paene omnes ad Protadium epistulae ultimis Symmachi annis scriptae sint, idem de hac quoque praesumendum dolorque, de quo loquitur. ad mortem Flaviani autumno a. 394 referendus est. cf. p. LIX.

729) 115, 8 *quid quod te magis quaesturae honor et condendarum sanctionum usus excoluit?* cf. 105, 6 ad Protadium: *cum tabellariis in aula positi fratris utaris.*

730) Cod. Theod. II 12, 6 + VII 12, 3 + VIII 8, 7.

731) Praefectura eius commemoratur 105, 16; 108, 31; 116, 3. 26; 156, 20; 166, 23; 167, 34; 169, 3; 170, 8; 171, 21; 269, 12. d. 14 Sept. a. 395 Cod. Theod. VI 2, 11. d. 15 Oct. a. 395 Cod. Theod. VIII 18, 7. d. 18 Febr. a. 396 Cod. Theod. VIII 5, 55. d. 18 Apr. a. 396 Cod. Theod. VII 21, 3. d. 27 Dec. a. 396 Cod. Theod. XI 14, 2. d. 15 Febr. a. 397 Cod. Theod. XIV 4, 7. d. 18 Mart. a. 397 Cod. Theod. XIV 2, 3. d. 21 Dec. a. 397 Cod. Theod. VI 2, 15 + 14, 2 + VIII 7, 19 + XII 1, 153—156 + Cod. Iust. III 23, 1. sine die Cod. Iust. XI 48, 12.

732) 166, 21 *unum hoc scio, de seditionibus nuntios esse mentitos atque adeo a vero dissentire rumores, ut numquam maiore plausu praefectura celebrata sit. itaque studia plebis in iudicem favor quoque ordinis aemulatur.* 108, 30 *mihi Romae iugis est statio et maior nunc causa residendi, ex quo me viri excelsi germani tui praesentis et cura retinet et iuvat gloria.*

733) 171, 21 *praefectus agendo negotio segnior visus Lampadio successore mutatus est, cuius moribus crediderunt inpossibilia promoveri.* cf. p. LXIX.

734) 115, 8 *quid quod te* (Florentinum) *magis quaesturae honor et condendarum sanctionum usus excoluit? cum illo* (Protadio) *autem mihi privatae vitae condicio communis est. atque utinam boni principis circumspectio ipsius quoque operam sibi vindicet! ferendum! ambo devotione placeatis, si circa me litteris ambo cessetis.* cf. IV 20.

735) 103, 18; 108, 29; 109, 28.

736) 106, 8 *nam etsi secundum mores ac natales tuos honorum culmen indeptus es, necdum tamen perfectum praemium debitamque mercedem tibi fortuna restituit.* praefecturam (*honorum culmen*) igitur adeptus erat et consulatum (*perfectum praemium*) sperabat.

18 et 36 simul scriptae sunt. nam in utraque epistula de Caesaris bello Gallico Protadio muneri dato sermo est. tempus autem earum his verbis definitur: 103, 27 *comperisti haud dudum frumentarias magnae urbis querellas: successit huic olei penuria, et adhuc manet de fruge causatio. hinc rerum fessi viros curiae oratum remedia legavimus, et spes est, clementissimum divinumque principem salutari ope consulturum petitis. interea laborantium murmure strepit civitas.* haec ad ver a. 396 pertinere supra p. LXVIII iam vidimus.

19 et 51 pro Flaviano minore interveniunt, ne salarium patris solvere cogatur. cf. p. LXVI. scriptae sunt, cum Florentinus magistratum aliquem (quaesturam) in aula gerebat et simul cum Protadio Mediolanii erat, i. e. anno 395 ante d. 14 Septembris. v. adn. 731.

20 et 50 Protadius paulo ante Mediolanium venerat: Florentinus quaestor. epistulas 19 et 51 parvo temporis spatio praecedunt.

21 *post urbis nostrae exitiabilem famem re frumentaria in tranquillum redacta oram Campanae regionis accesseram. — quid quod proxime teste fratre communi, quem magistratus urbis amplectitur, geminam tibi salutem per epistulas dixi?* Florentini praefectura urbana et Symmachi post famem consopitam in Campaniam profectio hanc epistulam paulo post 18 et 36 scriptam esse demonstrant, vere a. 396.

22 *geminus pariter in manus meas a te sermo pervenit. — quo exemplo, licet omnis adfectio modo non numero censeatur, reddo tibi binas litteras.* 32 *geminis litteris tuis non simul mihi redditis pari numero, sed coniuncta emissione respondeo.* hae igitur epistulae simul emissae sunt. 32 in urbe scriptam esse, docent verba 109, 27 *raro nobis ager visitur;* at in ep. 21 praefectum urbi, quem officii necessitates Romae manere cogebant, testem citat, se paulo ante geminas epistulas ad Protadium dedisse. quod si ad 22 et 32 referas, ut res ipsa monet, temporis ordine inter 18 et 21 collocandae erunt, vere a. 396.

23 Protadius praefectus praetorio, quem magistratum cum quadam probabilitate anno 397 adsignavimus. v. p. CXLIII.

24 Hanc epistulam circa a. 379 scriptam videri, postquam Florentinus iuvenis Romae fuit, supra iam exposuimus. v. adn. 728. hanc temporis definitionem confirmat summa rerum verborumque similitudo cum I 25, quam aestate a. 379 datam esse certissimum est.

27 *castigasti item, quod te fratribus tuis dicenda salute consociem.* haec igitur epistula paulo post alteram ex iis data est, quae tribus fratribus simul inscribuntur, 56 et 57, id est post a. 398.

28 *ad viciniam Rheni, a qua nunc et optimus princeps et magistratus potissimus abest, nullum nostrarum partium commeare.* u n u m magistratum potissimum imperium Romanum numquam agnovit, antequam Stilicho Honorii curam gereret. itaque haec ante Theodosii mortem (a. 395) scripta esse non possunt.

29 et 45 orationes de censura non restituenda et contra Polybii filium ad Protadium et Minervium mittuntur. quas editas esse aut ultimis a. 397 aut primis a. 398 mensibus p. VII probavi.

30 ad aestatem anni 395 pertinere p. LXIV dixi.

31 Symmachus paulo ante festis consularibus Stilichonis Mediolanii interfuerat, initio anni 400. v. p. LXII.

32 cf. ad ep. 22.

34. 35. 52 Symmacho ruri agenti per Florentinum tum praefectum urbi trium fratrum litterae missae erant, quibus omnibus non multum ante idus Novembres a. 395 respondet: 116, 4. cf. adn. 294. hac occasione 34 et 52 datas esse, ipsae produnt: de 35 dubitari potest, sed cum epistulas ad Minervium quoque missas aut omnes aut paene omnes superstites esse, veri simillimum sit (v. p. CXLIII), una ex iis illa esse debet, quam Symmachus simul cum 34 et 52 se dictasse ipse dicit, neque ulla ex reliquis tempori supra indicato melius convenit. scribit enim orator, se unam tantum epistulam ad Minervium ante misisse ab hac satis magno temporis spatio divisam[737], id quod ad IV 46 refero (v. infra). et re vera nulla ex reliquis, quae aliquas inquisitioni chronologicae ansas praebent — et tres tantum 41. 47. 48 iis omnino carent —, ante annum 396 scripta est, ita ut mensis November a. 395 initio continuae epistularum seriei optime conveniat.

36 v. ad epist. 18.

37 commendaticiae palatino sacrarum largitionum traditae ei tempori adscribendae sunt, quo is, qui hanc epistulam ad Minervium perferendas accepit, ei appareret, a. 398—399. v. adn. 725.

38 simul cum VII 45 scripta, ubi vide.

39 commendaticia Flaviano tradita, cum a. 398 exeunte ad Theodori consulatum in comitatum proficisceretur. v. adn. 327.

40 simul cum VII 46 scripta, ubi vide.

41 omnes ad Minervium epistulae praeter 35 et 46 post a. 395 scriptae sunt.

42 *iuvet alios titulo sublimitatis adtolli, ego magnificentiae appellationem recuso. nisi forte me inprobum putas, quod honori tuo eadem delenimenta non defero.* hoc scriptum esse non potest, antequam Minervius honore, cui magnificentiae appellatio conveniret, exornatus esset. cuius generis primus, quem gessit, comitiva rerum privatarum erat, a. 397.

43 Minervius comes rerum privatarum a. 397—398. cf. ad epist. 37.

44 omnes ad Minervium epistulae exceptis 35 et 46 post annum 395 scriptae sunt; idem ergo de hac quoque praesumendum erit. commemoratur Symmachi valetudo fracta, quam in silvis Laurentibus restitutum iri sperat: quae mensem Octobrem aut Novembrem a. 397 indicare videntur. v. p. LXII.

45 v. ad ep. 29.

46 hanc epistulam scriptam esse, cum Minervius in scrinio epistularum militaret, iam in adn. 720 dixi. commendantur ei legati provinciae Campaniae, petitiones aliquas, quas Symmachus iustas esse censet, ad Augustum perlaturi. cuiusmodi legatio-

737) *Obrepsisti verecundiae meae, ut prior scriberes. vadatum me tibi hoc munere velim credas: sed non fero, ut aedes quodammodo amicitiae nostrae* n o v u s s a l u t a t o r *adisse videaris. — cum palatinae eloquentiae militares,* p o r r e x i a m i c i t i a e t u a e d e x t e r a m. *quare tot tantisque pignoribus adnexi, non aestimemus de* e p i s t u l a r u m t i r o c i n i o *caritatis aetatem.* in sermone Symmachiano *alicuius amicitiae dexteram porrigere* nihil aliud significat, quam invitatione non expectata litteras ad eum mittere. cf. p. 236, 2. 14.

nem hieme a. 394/5 in comitatum venisse, ex lege data d. 24 Mart. a. 395 veri simillimum fit, qua agri Campaniae deserti et cultoribus vacui tributo liberantur[738]: nam indulgentiae sine provincialium precibus haud facile concedi solebant. hanc autem legationem eandem esse, quade Symmachus verba fecit, non sine summa probabilitate coniecisse mihi videor.

47. 48 v. ad ep. 41.

49 Symmachus paulo ante Mediolanii fuerat, ubi a. 400 auspiciis consularibus Stilichonis interfuit. v. p. LXII.

50 v. ad ep. 20.

51 v. ad ep. 19.

52 v. ad ep. 34.

53 de eadem re scripta, de qua IX 1 agit, ubi vide.

54 *sed quid mihi insusurras frugis Africanae tenues commeatus? absit, ut praesens annus imitetur fortunam superiorum! — laudis tuae fructus efficiet, ut sit tibi postea dulce timuisse.* quod res annonaria caute provisa Florentino laudi esse potuit, demonstrat, eum tum praefectum urbi fuisse (a. 395—397). ex plurali *superiorum* agnoscitur, Romam, cum haec scriberentur, iam annos non minus duo fame laborasse. itaque, cum praefectura Flaviani minoris (a. 394) nullam frugis inopiam experta sit (v. adn. 291), haec epistula in annum 397 incidit et in ultima quidem autumni tempora. cf. *nondum in hiemem praecipitat autumnus.*

55 scripta postquam Florentinus praefectura deposita in Gallias revertit, post mensem Decembrem a. 397.

56 cum trium fratrum nomina praeferat, ante a. 395, quo litterarium commercium cum Minervio incepit (v. ad ep. 34), scripta esse non potest neque annis 395—397, quibus Florentino Romae, Minervio et Protadio partim in Galliis partim Mediolanii agentibus, una epistula ad omnes dirigi nequivit. morbus igitur Symmachi, quode loquitur, ad autumnum 397 referri non potest (v. p. LXI), sequentibus autem annis nullam de valetudine querelam in epistulis eius invenies usque ad a. 402. itaque has litteras brevi tempore ante mortem oratoris conceptam esse crediderim. v. adn. 336.

57 inter annos 398 et 402 scripta: v. ad ep. 56.

IV 58—65 AD EVPHRASIVM ET EVPRAXIVM.

Ex iis, qui hoc loco a Memmio Symmacho in epistularum editione confusi sunt (v. adn. 48), de altero nihil innotuit, nisi quod magnos equorum greges in Hispania possedit, alter autem ad summos in Valentiniani aula honores processit. nomen eius integrum Flavius Eupraxius conservavit titulus fori Palatini C. I. L. VI 1177. *Forum populo Romano suo [dono dederunt] domini et principes nostri [Imp(eratores) Caes(ares)]*

[738] Cod. Theod. XI 28, 2 *Quingenta viginti octo milia quadraginta duo iugera, quae Campania provincia iuxta inspectorum relationem et veterum monumenta chartarum in desertis et squalidis locis habere dignoscitur, iisdem provincialibus concessimus et chartas superfluae descriptionis cremari censemus.*

Valentinianus et Valens et [*Gratianus Aug(usti)*] *curante Flavio Eupraxio v(iro) c(larissimo)* [*praefecto urbi*]. de origine eius Mauretana primisque magistratibus, magisterio memoriae et quaestura sacri palatii a. 367—371 gesta, loquitur Ammianus XXVII 6, 14; XXVIII 1, 25. praefectus urbi praescribitur legi datae d. 14 Febr. a. 374 Cod. Theod. XI 29, 5 + 30, 36 + 36, 21. in Symmachi relatione 32, 1 vir clarissimus et emendatissimus dicitur, non clarissimae memoriae vir, annis igitur 384—385, quibus orator noster praefecturam gessit, nondum mortuus erat.

Ex epistulis, quae in corpore nostro coniunctae leguntur, 58—60. 62. 63 de equis curulibus comparandis loquuntur, 61 patriam eius, ad quem scripta est, Hispanam commemorat; hae ergo ad Euphrasium missae sunt. 64 et 65 ad Eupraxium rettulerim, quamvis argumentum cuivis homini conveniat.

58. 59. 60. 63 omnes de equis in praeturam Memmii Symmachi emendis scriptae sunt. 59 primum designationis nuntium continet et de familiaribus oratoris aestate proxima in Hispanias mittendis loquitur, quod finem anni 398 indicat. v. p. LXXII. 58 vere primo anni 399 scripta est, cum navigatio transmarina inciperet. 60 paulo post Symmachi familiaribus ad Euphrasium proficiscentibus tradita est. 63 moram praeturae commemorat, quam in annum 401 dilatam esse, Symmachus, cum ad Stilichonis festa consularia proficiscebatur, acceperat (v. adn. 332): pertinet igitur ad a. 400.

61 Euphrasius pro Tuentio senatore paupere intervenerat, qui iam ante indicatione *inlustris viri Felicis* muneribus absolutus erat. scripta est igitur, postquam Felici de homine Hispano iudicandi ius datum est, id est post praefecturam praetorio Galliarum initam ab eo a. 397 exeunte aut a. 398 ineunte. v. p. CLIV.

62 *et amicitia nostra in ore multorum est, et laus equorum tuorum longinqua penetravit.* haec produnt, Symmachum iam ante hanc epistulam ludos celebrasse, quibus Euphrasii equis usus est; primum autem, quod exhibuit, munus consulare erat a. 391. cf. 118, 12; 119, 9.

63 v. ad ep. 58.

IV 66—74 AD EVSIGNIVM.

Eusignius proconsul Africae commemoratur d. 26 Febr. et 17 Iun. a. 383[739], sed neque decessor neque successor eius noti sunt, ita ut tempus administrationis certioribus terminis circumscribi nequeat. inter d. 10 Iul. a. 385[740] et 23 Ian. a. 386 in praefectura praetorio Italiae Neoterio successit honoremque retinuit saltem usque ad d. 19 Mai. a. 387[741].

739) Cod. Theod. XII 1, 95; I 3, 1.

740) Cod. Theod. VII 2, 2.

741) Praefectus praetorio praescribitur legibus datis d. 23 Ian. a. 386 Cod. Theod. XVI 1, 4 = 4, 1. d. 15 Febr. a. 386 Cod. Theod. XII 12, 11. d. 14 Iul. a. 386 Cod. Theod. VIII 7, 18. d. 29 Iul. a. 386

66. 72 scriptae, quo tempore Eusignius in magistratu aliquo erat. qui ultimum a. 387 deposuit.

67 scripta Valentiniano minore imperium tenente[742]), cum Eusignius in aula principis honore aliquo praeditus versabatur[743]), id est post proconsulatum eius et ante praefecturam depositam. cf. ad ep. III 72.

68 Eusignius praefectus praetorio, a. 386—387.

69 Symmachus in itinere aliquo, quem per Appennini iuga fecit, ab Eusignio misso apparitore adiutus est: hic ergo magistratum aliquem intra Italiam gerebat. oratorem nostrum a. 387 auspiciis consularibus Valentiniani Augusti Mediolanii interfuisse constat (v. p. CXXXIV), quo tempore Eusignius praefectus Italiae erat.

70 Eusignius praefectus: Symmachus paulo ante ab eo discesserat. itaque scripta est primis a. 387 mensibus, postquam orator Mediolanio Romam repetiit.

71 Symmachus litem de praedio Siciliensi, quam Eusignius Flaviano minori intenderat, sedare studet. quam circa a. 397 agitatam esse, ex VI 57 patet.

72 v. ad ep. 66.

73 v. ad ep. III 72.

74 Eusignius proconsul Africae: fames in hiemem proximam timetur, a. 383. cf. p. LIV et CXX.

V 1—3 AD HIEROPHANTEM.

Hierophantis nulla praeterea mentio fit neque epistulae ad eum datae ullum temporis indicium praebent.

V 4—16 AD THEODORVM.

Quaestio de vita et honoribus Flavii Mallii Theodori[744]) difficillima est, quia testes, quos de eo habemus, Claudianus, Symmachus, codex Theodosianus, omnes

Cod. Theod. I 32, 5. d. 18 Nov. a. 386 Cod. Theod. XI 37, 1. d. 3 Dec. a. 386 Cod. Theod. VIII 8, 1. d. 25 Dec. a. 386 Cod. Theod. XII 1, 114. d. 25 Ian. a. 387 Cod. Theod. I 29, 6. d. 26 Febr. a. 387 Cod. Theod. XV 3, 3. d. 6 Mart. a. 387 Cod. Theod. VI 24, 4. d. 14 Apr. a. 387 Cod. Theod. XI 22, 3. d. 19 Mai. a. 387 Cod. Theod. XI 30, 48. sine die Cod. Iust. I 29, 1.

742) 121, 28 *unde spes certa est, etiam principem nostrum lenitate venerabilem iusti parentis et pii fratris exemplo supplementa meliora fortunae eius daturum.* praeter Valentinianum minorem nullus Augustus illo tempore extitit, qui patrem et fratrem imperatores Occidentis partes regentes habuisset.

743) 121, 30 *si modo vestra insinuatio iuvet exhausti senatoris oratum.*

744) Nomen eius integrum praebent C. I. L. VI 1715; de Rossi, Inscr. christ. urb. Rom. 175. 477. 479. gentilicium Mallium legitur de Rossi l. l. 480. 481. 553; cf. 482; in inscriptione et subscriptione libelli de metris ap. Keil VI p. 585; Prosp. chron. ad a. 399; cod. Ambros. Claudiani in epigrammate de Theodoro et Hadriano. itaque reliquis Claudiani codicibus et Augustini editionibus (de civ. dei XVIII 54; retract. I 2), qui eum Manlium appellant, et Idatio in fast. ad a. 399, qui Manilium, nihil tribuendum est. cf. *Alberti Petri Pauli f. Rubenii Dissertatio de vita Fl. Mallii Theodori v. c. Quaestoris sacri Palatii, Com. S. L. Praefecti Praetorio Galliarum, Praefecti Praetorio Italiae, Africae, Illyrici, V. Cos. ordinarii. In qua Non tantum Theodori, sed et Ausonii dignitates, ac illorum temporum historia illustratur. Vltraiecti. Ex Officina Guilielmi Broedelet MDCXCIV.*

inter se dissentiunt. eum igitur, qui fide dignissimus est, Claudianum, in principio sequamur, quo facto videbimus, quomodo reliqui cum eo conciliari possint.

Theodorus Mediolanii[745]) ex parentibus ignobilibus ortus est; nam si maiores eius honoribus publicis splenduissent, laudes eorum a poeta praeteritae non essent[746]). christianae eum fidei addictum fuisse, Augustinus testatur, qui librum de beata vita ad Theodorum scripsit[747]). adulescens advocationis munere in foro praefecti praetorio functus est, ex quo provinciam aliquam Africanam regendam accepit[748]). ab una ex iis civitatibus, quibus praefuit, patronus cooptatus rediit consularisque Macedoniae factus est[749]). post quam administrationem in Gratiani aulam vocatus est, ut scrinio epistularum magister praeficeretur[750]); tum ad comitivam sacrarum largitionum processit[751]) eaque perfunctus praefectus praetorio per Gallias creatus est[752]). quos honores omnes paene continuos gessit, siquidem a tempore praesidatus usque ad praefecturam unam tantum aestatem privatus fuerat[753]).

Praefectura prima deposita multos annos in ruris otio exegit[754]) dialogosque ali-

745) Claud. de cons. Theod. 124 *illa per occultum Ligurum se moenibus infert et castos levibus plantis ingressa Penates invenit aetherios signantem* (scil. Theodorum) *pulvere cursus.* cum senatus a. 397 ab Honorio petiisset, ut consulatum quartum Romae iniret, Theodorus legatione Mediolanensium suscepta, ut remaneret, rogavit; quod certe non fecisset, nisi Mediolanium patria eius fuisset. Symmach. 167, 31 *adventus domini et principis nostri denuo postulandus est. Theodorus enim vir inlustris Mediolanensium legatione suscepta eniti dicitur, ut senatus petitionibus provinciale desiderium praeferatur.* quocum convenit, quod August. de vit. beata 4 ad Theodorum scribens Ambrosium episcopum Mediolanensem *sacerdotem nostrum* dicit.

746) Cf. 262 *ingeniis patuit campus certusque merenti stat favor, ornatur propriis industria donis,* i. e. donis, quae non hereditate quaesita sunt. nullum e Theodori maioribus consulem fuisse, dicit Claud. 336 *accipiat patris exemplum tribuatque nepoti filius et coeptis ne desit fascibus heres.*

747) Retract. I 2 *displicet autem illic* (scil. in libro de beata vita), *quod Mallio Theodoro, ad quem librum istum scripsi, quamvis docto et christiano viro, plus tribui, quam deberem.*

748) 16 *talem te protinus anni formavere rudes et dignum vita curuli traxit iter primaeque senes cessere iuventae. — mox undare foro victrix opulentia linguae tutarique reos. ipsa haec amplissima sedes orantem stupuit, bis laudatura regentem. hinc te pars Libyae moderantem iura probavit, quae nunc tota probat.*

749) 26 *populumque clientem publica mansuris testantur vocibus aera. inde tibi Macetum tellus et credita Pellae moenia.* si Theodorus vicarius Macedoniae creatus esset, id quod alii opinati sunt, Claudianus non solum Pellam, sed etiam claras urbes Thessaliae, Epiri, Cretae commemorasset, quae provinciae omnes huic magistratui parebant.

750) 33 *sed non ulterius te praebuit urbibus aula: maluit esse suum. terris edicta daturus, supplicibus responsa venis; oracula regis eloquio crevere tuo nec dignius umquam maiestas meminit sese Romana locutam.* cf. Not. Dign. Or. 19, 8; Oc. 17, 12 *magister epistularum legationes civitatum et consultationes et preces tractat.* Symm. p. 36, 19 *magnis rebus adcommodam et maiestatis scriptis aptatam gloriam, quam magisterio ante quaesisti.* p. 193, 27 *an ego adversum iudicium publicum provocem scriptis epistularum regiarum magistrum? nostrum est pastorales inflare calamos, tuum sacris tibiis carmen incinere.* — Claudiani verba plerique de quaestura interpretantur, cui si haec sola spectanda essent, etiam melius convenirent quam magisterio scrinii. sed si Theodorus paulo ante consularis fuerat, non statim ad honorem inlustrem promoveri potuit, et nullum alioquin exemplum invenio, quod aliquis ex quaestore sacri palatii comes aut sacrarum largitionum aut rerum privatarum factus sit, qui honores etsi non dignitate, aestimatione tamen hominum minores erant.

751) 38 *hinc sacrae mandantur opes orbisque tributa possessi, quidquid fluviis evolvitur auri, quidquid luce procul venas rimata sequaces abdita pallentis fodit sollertia Bessi.* cave, ne haec cum Gothofredo de comite rerum privatarum interpreteris, cuius propria provincia fundi patrimoniales erant, non tributa provincialium et metalla.

752) 50 *Hispana tibi Germanaque Tethys paruit et nostro diducta Britannia mundo.*

753) 58 *una potestatum spatiis interfuit aestas: tam celer adsiduos explevit cursus honores totque gradus fati iuvenilibus intulit annis.* versus 58 et 59 in codicibus ordine inverso leguntur.

754) 138 Iustitia Theodorum adloquitur: *iam satis indultum studiis, Musaeque tot annos eripuere mihi.* respondet Theodorus 174: *agrestem dudum me diva reverti cogis et infectum longi rubigine ruris ad tua signa vocas. nam quae mihi cura tot annis altera, quam duras sulcis mollire novales* et q. s. —

quot philosophicos composuit[755]. usque dum Stilichone summam rerum tenente[756], i. e. post a. 394, iterum ad *culmen honorum* vocatus Italiae praeponeretur, qua in secunda praefectura consul creatus est[757]. usque ad hoc tempus Claudiani panegyrico perducimur, qui eo die recitatus, quo Theodorus fasces sumpsit, ultra consulatum progredi non potuit.

Si in honorum, quos modo enumeravimus, tempora inquisituri a certissimis incipiamus, primus se offert consulatus, quem a. 399 gestum esse, testimoniis innumeris constat. praefectura altera non solum apud Claudianum sed etiam in codice Theodosiano cum illo coniuncta est. nam leges ad Theodorum praefectum datae incipiunt d. 31 Ian. a. 397, desinunt d. 25 Oct. a. 399[758]. priorem praefecturam viri docti a. 395 gestam putaverunt, quia constitutiones duae, quae *XIII kal. Febr.* et *IV kal. Oct. Olybrio et Probino coss.*[759] datae esse traduntur, Theodorum praescriptum habent, sed dies et consules iam per se dubitationem movent. nam diebus diversis lex eadem ad verbum repetitur, ita ut facile pateat, aut subscriptionem alteram utram aut utramque falsam esse. quam suspicionem certam reddit Claudianus, qui, si intervallum praefecturarum non maius sedecim mensibus fuisset, de tam longo Theodori otio, ut paene iudicandi experientiam perdidisset, non loqueretur[754]. ceteroqui tradit, eum non ante, quam honoribus emeritis vitae privatae redditus esset, studiis philosophicis operam navasse. at Augustinus in libello de beata vita scripto a. 385 iam Platonis eum admiratorem dicit[760] inquisitionibusque de natura rerum occupatum[761], et nihilominus Claudiani testimonium ea re confirmat, quod sublimitatem fortunae in Theodoro praedicat[762]. prima igitur praefectura eius annum 386 praecessit certioremque eius terminum lex codicis Theodosiani XI 16, 12 praebet.

Secundum Claudianum Theodorus comes sacrarum largitionum fuit, huic autem legi comes rerum privatarum praescribitur; sed cave ne inscriptionem eius poetam

terribiles rursum lituos veteranus adibo et desueta vetus temptabo caerula vector? — nec me, quid valeat naturae fortior usus, praeterit, aut quantum neglectae defluit arti.

755) 10. 67. 149. 253. 274. 333; cf. August. de vit. beat. 1. 4; de ordin. I 31. Theodorum forma dialogica usum esse, dicit Claud. 84 *Graiorum obscuras Romanis floribus artes inradias vicibus gratis formare loquentes suetus et alterno verum contexere nodo.*

756) 161 *quis demens adeo, qui iungere sensus cum Stilichone neget?*

757) 11 *emeritum pridem desudatisque remotum iudiciis eadem rursum complexa potestas evehit et reducem notis inponit habenis. accedunt trabeae: nil iam Theodore relictum, quo virtus animo crescat vel splendor honori; culmen utrumque tenes.* 22 *ipsa haec amplissima sedes orantem stupuit bis laudatura regentem.* dioeceses, quae ei subditae erant, enumerantur 198 sqq. — Rubenius in dissertatione sua non satis animum advertit, usque ad a. 399 duas tantum praefecturas Claudiano teste a Theodoro gestas esse.

758) D. 31 Ian. a. 397 Cod. Theod. XI 16, 21 + XVI 2, 30. d. 12 Iun. a. 397 Cod. Theod. XI 16, 22. d. 24 Sept. a. 397 Cod. Theod. VII 13, 13. d. 13 Febr. a. 398 Cod. Theod. XII 1, 157 + 158. d. 12 Apr. a. 398 Cod. Theod. XIV 15, 4 + 19, 1. d. 25 Apr. a. 398 Cod. Theod. XIV 3, 20 + XVI 2, 31. d. 24 Mai. a. 398 Cod. Theod. II 1, 11 + Cod. Iust. X 19, 6. d. 21 Dec. a. 398 Cod. Iust. I 24, 1 + Cod. Theod. XV 1, 37. d. 7 Iun. a. 399 Cod. Theod. XI 30, 58. d. 25 Oct. a. 399 Cod. Theod. VI 27, 12.

759) Cod. Theod. XII 1, 140. 148.

760) 4 *lectis autem Platonis paucissimis libris, cuius te esse studiosissimum accepi.*

761) 1 *cum enim in hunc mundum sive deus sive natura sive necessitas sive voluntas nostra sive coniuncta horum aliqua sive simul omnia — res enim multum obscura est, sed tamen a te iam inlustranda suscepta — veluti in quoddam procellosum salum nos quasi temere passimque proiecerit* et q. s.

762) 5 *eloquentia tua territus non sum — quidquid enim amo, quamvis non adsequar, timere non possum —, fortunae vero sublimitatem multo minus, apud te enim vere, quamvis sit magna, secunda est.*

secutus corrigas. agit enim de fundis patrimonialibus, quae privatarum Augusti rerum pars potissima erat. quare de alio fortasse Theodoro cogitari posset, nisi et tempus et pars imperii — nam constitutio d. 18 Mart. a. 380 Treviris data est — nostro omnino convenirent. quibus rationibus adducor, ut laudatorem, qui annis undeviginti post hanc legem datam carmen composuit et Theodoro res privatas administrante in ultimis Orientis partibus egerat, hac in re errasse credam, praesertim cum duae comitivae nomine et re inter se simillimae facile confundi potuerint. quod si verum est, praesidatus, consularitas, magisterium epistularum annis 375—379, praefectura Galliarum a. 381 aut 382 gesta esse debent, siquidem Theodori magistratus ordine paene continuo se excepisse supra iam vidimus; et quia iuvenis omnes iniit, natales eius circa a. 350 collocabimus. v. adn. 753.

Omnibus, quae Claudiani Augustini codicis Theodosiani testimoniis didicisse nobis videmur, repugnat una Symmachi epistula V 15, qua consul designatus (a. 390) a Theodoro petit, ut administrationem deponat et Romam profectus se in munere consulari instruendo adiuvet[763]. nam quia nemo certe praefecturas praetorio et summas aulae comitivas depositurus erat. ut equos curules et feras amphitheatrales conquireret, haec nisi de praesidatu aut alio parvi honoris magistratu interpretari nequeunt, at is, cui haec epistula scripta esse traditur, a. 390 iamdudum ad summa rei publicae culmina pervectus otium fovebat. quae difficultas tolli non potest, nisi sumamus, Symmachum filium, cum patris opera ederet, epistulas ad duos Theodoros missas confudisse. cf. adn. 48.

Is, de quo nunc agimus, filium cognominem habuit[764], quem d. 22 Dec. a. 396 proconsulem Africae fuisse constat[765]. idem a d. 13 Sept. a. 408 usque ad mensem Ianuarium a. 409 praefectus praetorio Italiae iterum[766] in multis legibus commemoratur[767], licet prioris eius praefecturae nulla mentio fiat. cui honorum cursui praesidatus a. 390 gestus optime convenit, quo tempore Theodorum minorem annum fere

763) 128, 10 *cuius* (scil. consulatus) *multiplex apparatus tuam requirit industriam. sed rursus occurrit voto et studiis meis, ne honoris tui tempora contrahantur. quapropter tuae permitto sententiae, ut si votivo officio domus nostrae interesse desideras, administrationis labore solvaris.*

764) Theodoro filio libellus, quem praefectus praetorio de metris composuit, inscriptus est. Keil, Gramm. lat. VI p. 585.

765) Augustin. contra Crescon. III 62 *producitur autem iste conflictus* (qui incepit d. 25 Dec. a. 394), *quantum ex gestis proconsularibus et municipalibus indagare potuimus, usque ad Theodorum proconsulem, hoc est usque ad anni alterius diem undecimum kalendas Ianuarias.* noster igitur Theodorus, postquam praefecturam praetorio Italiae iniit, statim filium proconsulem Africae fecit, neque multo post Lampadium fratrem in praefectura urbana collocavit. v. ad epist. VIII 63 et adn. 138.

766) Iterationis nota titulo eius adscribitur Cod. Theod. XVI 5, 45. 46; Const. Sirm. 9. qua re docemur, praefecturam anni 408 non ad Theodorum patrem referendam esse, utpote qui iam a. 399 eodem munere bis functus fuerit.

767) D. 13 Sept. a. 408 Cod. Theod. XI 28, 4. d. 24 Sept. a. 408 Cod. Theod. IX 42, 20. d. 16 Oct. a. 408 Cod. Iust. IV 2, 16. d. 25 Oct. a. 408 Cod. Theod. IX 12, 21. d. 22 Nov. a. 408 Cod. Theod. VII 21, 4 + IX 40, 20 + 42, 22. d. 24 Nov. a. 408 Cod. Theod. I 16, 14. d. 27 Nov. a. 408 Cod. Theod. XVI 2, 39 + 5, 45 + Const. Sirm. 9. d. 3 Dec. a. 408 Const. Sirm. 16. d. 10 Dec. a. 408 Cod. Theod. V 5, 2 + VII 16, 1 + X 10, 25. d. 13 Dec. a. 408 Cod. Theod. I 27, 2. d. 15 Ian. a. 409 Const. Sirm. 14; cf. Cod. Theod. XVI 5, 46. m. Ian. 409 Cod. Theod. III 10, 1 + Cod. Iust. V 4, 20 (in subscriptione excidit numerus ante *kal. Febr.*). sine die Cod. Iust. IV 63, 3. successit ei Caecilianus (Zosim. V 44) ante d. 21 Ian. a. 409 Cod. Theod. IX 2, 5 + 6 + 3, 7 + 16, 12 + 31, 1 + 36, 2 + 37, 4 + XI 8, 3 + 39, 13 + Cod. Iust. I 55, 8.

vicesimum egisse, ex patris aetate concludi potest. itaque epistula V 15 ad filium scripta est, 5. 6. 10. 11 propter consulatus commemorationem ad patrem pertinent, reliquae utrivis missae esse possunt, sed maiore cum probabilitate ad Theodorum maiorem referuntur.

4. 8 prima et secunda epistula, quibus Symmachus cum Theodoro amicitiam iniit; scriptae igitur sunt ante epist. 16, i. e. ante a. 382.

5. 6. 10. 11 Theodorus consul designatus, a. 398 exeunte.

8 v. ad ep. 4.

9 Theodoro orationes de censura non restituenda et contra Polybii filium mittit, quas a. 397 aut 398 editas esse p. VII vidimus.

10. 11 v. ad ep. 5.

12 simul emissam esse cum VIII 23—27, ex comparatione horum locorum agnoscitur: 127, 10 *frustra speravi de peregrinatione solacium, cum omnium locorum maesta facies nullas aegro animo praestet indutias. an quisquam tam duro ingenio natus est, ut multorum curis doloris vacuus intersit? quod si verum esse concedis, me etiam crede inter anxios usum ipsum quodammodo amisisse laetitiae.* et 222, 16 *credo arbitreris, circumsessum me Campaniae amoenitatibus scribendi ad te hactenus neglegentem fuisse. non est ea fortuna horum locorum, ut seriam curam sepeliant voluptates. insolitis omnia necessitatibus strepunt et oneri cessere deliciae. quare negotium pro otio repperi.* haec scripta sunt post Symmachi consulatum a. 391 [768]. cum igitur *seriam curam* iam in urbe perpessus sit [769] similemque tristitiam in toto itinere reperiat, profectionem in Campaniam, quade loquitur, eandem fuisse patet, quam post famem hiemis 395/6 suscepit. v. p. LXII.

15 Ad Theodorum filium scripta, cum Symmachus consul designatus esset, versus finem a. 390.

16 Lampadius Theodori frater adulescentulus advocationis muneri vixdum idoneus est. qui cum iam a. 382 in magistratu aliquo positus commemoretur, hanc epistulam antea datam esse necesse est. v. ad epist. VIII 63.

V 17—33 AD MAGNILLVM.

Magnillus, Symmachi propinquus [770], frater Magni [771] et Romani [772], postquam consularis Liguriae fuit [773], suffragio Flaviani praefecti praetorio, cui Symmachus eum

768) 222, 1 *ubique vitam agimus consularem.*

769) *Frustra speravi de peregrinatione solacium.* — *ut seriam curam sepeliant voluptates.*

770) 63, 6 *quae me non minus pro Magnillo quam necessitudo commovit.* frater appellatur 31, 17; 48, 32; 81, 16; 268, 23.

771) 31, 17.

772) 48, 32.

773) 81, 18 *etiam tuum amorem, cum Liguriam gubernaret, adtraxit.*

commendaverat (II 20), ante d. 19 Iun. a. 391 vicarius Africae factus est[774], quem magistratum usque ad a. 393 retinuit[775]. honore deposito accusatus est[776], fortasse repetundarum, et quamvis absolutus[777], ad altiores tamen dignitates promotus esse non videtur.

20 paulo ante quaestoriam editionem scripta, a. 393. v. p. LVIII.

21. 22. 23 Symmachus in apparatu quaestorio occupatus, a. 393 aut 392 exeunte.

27 Symmachi amicus Numida Romae moratus ad Magnillum revertitur, qui cum in Numidia vel certe in Africa tum egisse videatur, hanc epistulam tempori vicariatus eius, a. 391—393, adscripserim.

33 morbus Symmachi filii, de quo in hac epistula sermo est, in aestatem a. 396 incidit. v. adn. 302.

V 34—37 AD HEPHAESTIONEM.

Omnis Hephaestionis notitia solis Symmachi epistulis nititur, ex quibus discimus, in aliquo officio nobili (inter notarios?) eum militasse[778] et hieme 382/3 in contubernio Flaviani praefecti praetorio Italiae[779], a. 389 in comitatu Mediolanii fuisse[780].

34 scripta a. 389 exeunte simul cum 38, ubi vide.

36 scripta hieme a. 382/3 simul cum II 18, ubi vide.

37 de Eusebii archiatri apud Hephaestionem commoratione loquitur, quae cum in ep. 36 quoque commemoretur, utramque eodem fere tempore scriptam puto.

V 38—46 AD NEOTERIVM.

Neoterius familia urbana ortus[781], Carterii propinquus[782], a. 366 in comitatu Valentiniani notarius meruit[783]. annis 380—390 ter praefectus praetorio fuit, primum

774) Cod. Theod. X 17, 3. cf. 81, 16; 130, 1.

775) Symmachus sperat, ut functioni quaestoriae filii sui mense Decembri a. 393 exhibendae (p. LVIII) ex provincia redux intersit, 129, 24.

776) 81, 16 *naevi instar est, ut frater meus Magnillus vicaria potestate per Africam functus testimonio omnium publice privatimque conspicuus variis in ea provincia retardetur obstaculis.*

777) IX 122.

778) 133, 8 *nec tibi, ut aestimo, militiae stipendiis adfluenti amicorum conventus onerosus est.*

779) II 18; V 36.

780) V 34.

781) 136, 19 *venturum te ad communem patriam fama promiserat.*

782) 135, 24 *de qua dominum meum fratrem nostrum Carterium tecum plene arbitror conlocutum.*

783) Amm. XXVI 5, 14 *et ad usque Remos progressus* (scil. Valentinianus) *sollicitusque super Africa, ne repente perrumperetur, Neuterium, postea consulem, tunc notarium, ad eandem tuendam ire disposuit.*

Orientis inter dies 15 Ian. a. 380 et 16 Ian. a. 381[784]), iterum et tertium Italiae inter dies 1 Febr. et 26 Iul. a. 385[785]) atque 2 Mart. et 28 Mai. a. 390[786]). in ultima praefectura simul cum Valentiniano Augusto consul factus, in otium se recepit vixitque ultra a. 399[787]).

38 Symmachus ad Neoterii consulatum evocatus diplomate tarde ad se perlato excusatur, m. Decembri a. 389. cf. p. LVIII.

39 Commendatur Neoterio homo, qui sub Maximo notarius fuerat et Valentiniano in imperium restituto dignitatem amisit. scripta est igitur brevi tempore post tyrannum devictum. a. 389 ineunte.

41 scripta est simul cum IX 31, sed de tempore non constat.

43 ad orationem pro Trygetio habitam d. 9 Ian. a. 376 pertinet. v. p. VI.

46 brevi tempore ante quaesturam filii scripta est. a. 393.

V 47—54 AD FELICEM.

Rufius Postumius Felix ex urbe Roma originem duxit[788]). sub Eugenii tyrannide a. 393 locum in aula imperatori proximum obtinuit, siquidem Symmachus ab eo petit, ut epistulam suam Augusto *iucunda atque oportuna insinuet lectione*[789]). nihilominus ab Honorio inter d. 6 Iul. et 14 Sept. a. 395 quaestor sacri palatii in locum Florentini factus est[790]), quem honorem minimum usque ad finem a. 397 retinuit. nam cum Symmachus orationes de censura non restituenda et contra Polybii filium edidit, id quod ante aestatem illius anni factum esse non potest, simul cum Minervio in comitatu erat (v. adn. 13), quem tamen paulo post reliquit. ut praefectus praetorio in

784) Orienti eum praefuisse, docet lex Cod. Theod. VII 13, 9 + 18, 3 proposita Antiochiae. in hac praefectura commemoratur d. 15 Ian. a. 380 Cod. Theod. IX 27, 1. d. 2 Febr. a. 380 Cod. Theod. VIII 2, 3. d. 17 Mart. a. 380 Cod. Theod. XII 1, 81 + 82. d. 26 Apr. a. 380 Cod. Theod. VII 13, 9 + 18, 3. d. 17 Iun. a. 380 Cod. Theod. III 11, 1. d. 8 Sept. a. 380 Cod. Theod. VII 22, 11. d. 16 Ian. a. 381 Cod. Theod. VII 18, 5. sine die Cod. Theod. I 6, 10.

785) D. 1 Febr. a. 385 Cod. Theod. VIII 5, 43 (traditur *Richomere et Clearcho conss.*, sed quia omnes ad Neoterium leges anno sequenti datae sunt, scribendum est *post consulatum Richomeris et Clearchi*) d. 25 Febr. a. 385 Cod. Theod. IX 38, 8. d. 14 Apr. a. 385 Cod. Theod. XI 16, 16. d. 30 Apr. a. 385 Cod. Theod. II 1, 6. d. 4 Mai. a. 385 Cod. Theod. XI 22, 2. d. 28 Mai. a. 385 Cod. Theod. XII 1, 110. d. 12 Iun. a. 385 Cod. Theod. VIII 4, 15. d. 10 Iul. a. 385 Cod. Theod. VII 2, 2. d. 26 Iul. a. 385 Cod. Theod. II 26, 4. locum Mediolanium maior pars constitutionum subscriptum habet.

786) Cod. Theod. X 18, 3; VI 29, 7. Italiae praefuisse videtur, quia consulatum Mediolanii iniit. v. p. LVIII.

787) Ad Theodori consulatum evocatus est 163, 18.

788) 138, 32 *Ampelium — parvas aedes, quas pretioso auxit ornatu, sub clivo Salutis emisse, ut civis, ut collega reminisceris.* de nomine eius v. ad epist. VII 81—92.

789) 137, 21; cf. V 53.

790) 138, 29 *quaeso te, cogites, quid de augusto adyto, cuius loqueris oracula, deceat impetrari. — rescriptorum omnium fama te respicit.* hunc magistratum eum iam ante initium anni 396 accepisse, docet V 47. de Florentini quaestura v. p. CXLII.

Gallias mitteretur; qua in administratione commemoratur d. 29 Mart. a. 398[791]. idemne sit cum eo Felice, qui d. 6 Mart. a. 412 aut praefectus urbi aut praefectus praetorio Italiae erat[792], neque negari neque affirmari potest.

47 Post Eugenium devictum a Flaviano minore salarium, quod pater eius praefectus praetorio a tyranno acceperat, repetitum est, quod ut genero remitteretur, intervenit Symmachus a. 395 ineunte apud Florentinum, qui tum quaestor erat, fratremque eius Protadium[793]. mense Ianuario aut Februario a. 396 Flaviano suadet, ut solutionem trahat[794]; in hac autem epistula scribit: *nam illud etiam, quod te praesule processit ad commodum proximorum meorum, quamvis iustitiae datum sit, tibi tamen refertur acceptum.* quae cum ad successorem Florentini scripta sint, magna cum probabilitate ad eandem rem referuntur, de qua illum adierat. itaque hae litterae mense Ianuario a. 396 posteriores sunt, sed quia Symmachus in iis de fame conqueritur[795], quam vere eiusdem anni levitam esse constat (v. adn. 301), mensi aut Februario aut Martio adscribendae erunt.

49 petit a Felice, ut litteras, quibus Symmachus pro beneficio aliquo gratias egit, imperatori recitet. quod si eo tempore accepisset, quo ille in Honorii aula munere fungebatur (a. 395—397), certe in tanta epistularum copia, quae ex ultimis Symmachi annis servatae sunt, crebrior eius mentio fieret. hoc igitur beneficium ea dona fuisse credo, quibus Eugenius Symmachi filii quaesturam instruxit. v. adn. 243.

52 aestate a. 397 scripta est paulo ante VI 6, ubi vide.

53 Helpidius, qui ad consulatum aliquem evocatus iter Mediolanium versus ingreditur, Felici commendatur. illum ad Flaviani auspicia consularia (a. 394) profectum esse[796] eodemque tempore Felicem in aula Eugenii positum fuisse constat. v. ad epist. 49. itaque has litteras mensi Decembri a. 393 adscripserim.

54. 66 bonorum proscriptorum administratio ad provincias comitum sacrarum largitionum et rerum privatarum pertinebat, precibus, quae principi ipsi offerebantur, quaestor respondere solebat. itaque causa, de qua hae epistulae loquuntur, tres illos magistratus spectabat; siquidem res iudicata, quae de bonis proscriptis acta erat, supplicatione denuo suscitabatur. scribit autem Symmachus ad Felicem quaestorem et ad Paternum comitem sacrarum largitionum; ad Sperebium se scripturum fuisse dicit, si iam ante in familiaritatem eius venisset (139, 20; 143, 19). hunc igitur tum comitem rerum privatarum fuisse patet, praesertim cum vir inlustris appelletur. suc-

791) Cod. Theod. VI 2, 16 cum adn. Gothofredi. Galliis eum praefuisse, docet haec lex, utpote quae Hispanias ei subditas commemoret, et Symm. p. 119, 27, ubi iudicii eius de senatore Hispano mentio fit.

792) Cod. Theod. XVI 5, 53 cum adn. Gothofredi.

793) IV 19. 51; cf. p. LXVI.

794) 156, 27 *in negotio autem sanctae unanimitatis vestrae, quod praeceptio iterata commovit, consilio trahendae solutionis utendum est et pars, quae ad germanum tuum pertinet, subicienda auctioni.* de tempore huius epistulae v. adn. 297.

795) *Simul obstrepunt curae, quas officiis familiaribus tenuis patriae victus opponit. ero apud te posthac loquacior, cum refoverit studium meum rei frumentariae instaurata securitas.*

796) II 85.

Orientis inter dies 15 Ian. a. 380 et 16 Ian. a. 381[784]. iterum et tertium Italiae inter dies 1 Febr. et 26 Iul. a. 385[785] atque 2 Mart. et 28 Mai. a. 390[786]. in ultima praefectura simul cum Valentiniano Augusto consul factus, in otium se recepit vixitque ultra a. 399[787].

---

38 Symmachus ad Neoterii consulatum evocatus diplomate tarde ad se perlato excusatur. m. Decembri a. 389. cf. p. LVIII.

39 Commendatur Neoterio homo, qui sub Maximo notarius fuerat et Valentiniano in imperium restituto dignitatem amisit. scripta est igitur brevi tempore post tyrannum devictum. a. 389 ineunte.

41 scripta est simul cum IX 31, sed de tempore non constat.

43 ad orationem pro Trygetio habitam d. 9 Ian. a. 376 pertinet. v. p. VI.

46 brevi tempore ante quaesturam filii scripta est. a. 393.

V 47–54 AD FELICEM.

Rufius Postumius Felix ex urbe Roma originem duxit[788]. sub Eugenii tyrannide a. 393 locum in aula imperatori proximum obtinuit, siquidem Symmachus ab eo petit, ut epistulam suam Augusto *iucunda atque oportuna insinuet lectione*[789]. nihilominus ab Honorio inter d. 6 Iul. et 14 Sept. a. 395 quaestor sacri palatii in locum Florentini factus est[790], quem honorem minimum usque ad finem a. 397 retinuit. nam cum Symmachus orationes de censura non restituenda et contra Polybii filium edidit, id quod ante aestatem illius anni factum esse non potest. simul cum Minervio in comitatu erat (v. adn. 13), quem tamen paulo post reliquit, ut praefectus praetorio in

784) Orienti eum praefuisse, docet lex Cod. Theod. VII 13, 9 + 18, 3 proposita Antiochiae. in hac praefectura commemoratur d. 15 Ian. a. 380 Cod. Theod. IX 27, 1. d. 2 Febr. a. 380 Cod. Theod. VIII 2, 3. d. 17 Mart. a. 380 Cod. Theod. XII 1, 81 + 82. d. 26 Apr. a. 380 Cod. Theod. VII 13, 9 + 18, 3. d. 17 Iun. a. 380 Cod. Theod. III 11, 1. d. 8 Sept. a. 380 Cod. Theod. VII 22, 11. d. 16 Ian. a. 381 Cod. Theod. VII 18, 5. sine die Cod. Theod. I 6, 10.

785) D. I Febr. a. 385 Cod. Theod. VIII 5, 43 (traditur *Richomere et Clearcho conss.*, sed quia omnes ad Neoterium leges anno sequenti datae sunt, scribendum est *post consulatum Richomeris et Clearchi*). d. 25 Febr. a. 385 Cod. Theod. IX 38, 8. d. 14 Apr. a. 385 Cod. Theod. XI 16, 16. d. 30 Apr. a. 385 Cod. Theod. II 1, 6. d. 4 Mai. a. 385 Cod. Theod. XI 22, 2. d. 28 Mai. a. 385 Cod. Theod. XII 1, 110. d. 12 Iun. a. 385 Cod. Theod. VIII 4, 15. d. 10 Iul. a. 385 Cod. Theod. VII 2, 2. d. 26 Iul. a. 385 Cod. Theod. II 26, 4. locum Mediolanium maior pars constitutionum subscriptum habet.

786) Cod. Theod. X 18, 3; VI 29, 7. Italiae praefuisse videtur, quia consulatum Mediolanii iniit. v. p. LVIII.

787) Ad Theodori consulatum evocatus est 163, 18.

788) 138, 32 *Ampelium — parvas aedes, quas pretioso auxit ornatu, sub clivo Salutis emisse, ut civis, ut collega reminisceris.* de nomine eius v. ad epist. VII 81—92.

789) 137, 21; cf. V 53.

790) 138, 29 *quaeso te, cogites, quid de augusto adyto, cuius loqueris oracula, deceat impetrari. — rescriptorum omnium fama te respicit.* hunc magistratum eum iam ante initium anni 396 accepisse, docet V 47. de Florentini quaestura v. p. CXLII.

Gallias mitteretur; qua in administratione commemoratur d. 29 Mart. a. 398[791]. idemne sit cum eo Felice, qui d. 6 Mart. a. 412 aut praefectus urbi aut praefectus praetorio Italiae erat[792]. neque negari neque affirmari potest.

— —

47 Post Eugenium devictum a Flaviano minore salarium, quod pater eius praefectus praetorio a tyranno acceperat, repetitum est, quod ut genero remitteretur, intervenit Symmachus a. 395 ineunte apud Florentinum, qui tum quaestor erat, fratremque eius Protadium[793]. mense Ianuario aut Februario a. 396 Flaviano suadet, ut solutionem trahat[794]; in hac autem epistula scribit: *nam illud etiam, quod te praesule processit ad commodum proximorum meorum, quamvis iustitiae datum sit, tibi tamen refertur acceptum.* quae cum ad successorem Florentini scripta sint, magna cum probabilitate ad eandem rem referuntur, de qua illum adierat. itaque hae litterae mense Ianuario a. 396 posteriores sunt, sed quia Symmachus in iis de fame conqueritur[795], quam vere eiusdem anni lenitam esse constat (v. adn. 301), mensi aut Februario aut Martio adscribendae erunt.

49 petit a Felice, ut litteras, quibus Symmachus pro beneficio aliquo gratias egit, imperatori recitet. quod si eo tempore accepisset, quo ille in Honorii aula munere fungebatur (a. 395—397), certe in tanta epistularum copia, quae ex ultimis Symmachi annis servatae sunt, crebrior eius mentio fieret. hoc igitur beneficium ea dona fuisse credo, quibus Eugenius Symmachi filii quaesturam instruxit. v. adn. 243.

52 aestate a. 397 scripta est paulo ante VI 6, ubi vide.

53 Helpidius, qui ad consulatum aliquem evocatus iter Mediolanium versus ingreditur, Felici commendatur. illum ad Flaviani auspicia consularia (a. 394) profectum esse[796] eodemque tempore Felicem in aula Eugenii positum fuisse constat. v. ad epist. 49. itaque has litteras mensi Decembri a. 393 adscripserim.

54. 66 bonorum proscriptorum administratio ad provincias comitum sacrarum largitionum et rerum privatarum pertinebat, precibus, quae principi ipsi offerebantur, quaestor respondere solebat. itaque causa, de qua hae epistulae loquuntur, tres illos magistratus spectabat: siquidem res iudicata, quae de bonis proscriptis acta erat, supplicatione denuo suscitabatur. scribit autem Symmachus ad Felicem quaestorem et ad Paternum comitem sacrarum largitionum; ad Sperchium se scripturum fuisse dicit, si iam ante in familiaritatem eius venisset (139, 20; 143, 19). hunc igitur tum comitem rerum privatarum fuisse patet, praesertim cum vir inlustris appelletur. suc-

791) Cod. Theod. VI 2, 16 cum adn. Gothofredi. Galliis eum praefuisse, docet haec lex, utpote quae Hispanias ei subditas commemoret. et Symm. p. 119, 27, ubi iudicii eius de senatore Hispano mentio fit.

792) Cod. Theod. XVI 5, 53 cum adn. Gothofredi.

793) IV 19. 51; cf. p. LXVI.

794) 156, 27 *in negotio autem sanctae unanimitatis vestrae, quod praeceptio iterata commovit, consilio trahendae solutionis utendum est et pars, quae ad germanum tuum pertinet, subiicienda auctioni.* de tempore huius epistulae v. adn. 297.

795) *Simul obstrepunt curae, quas officiis familiaribus tenuis patriae victus opponit. ero apud te posthac loquacior, cum refoverit studium meum rei frumentariae instaurata securitas.*

796) II 85.

cessit in eo honore Apollodoro inter d. 10 Aug. a. 396[797] et 17 Mai. a. 397[798] locumque dedit Minervio inter d. 17 Iun.[799] et 12 Nov. a. 397[800]; quare hae epistulae aut ultimis a. 396 aut primis a. 397 mensibus adsignandae sunt.

V 55—57 AD SALLVSTIVM.

Sallustium Flavii Sallustii consulis a. 363 filium fuisse, cum nomen temporisque ratio prodit, tum quod magnos equorum greges possedit[801]; quos in Hispania optimos et copiosissimos tum fuisse, satis notum est. in ea autem dioecesi pater vicariatum gessit[802], qua occasione oblata facile praedia gregesque comparare potuit. et filio eius hominis, qui Iuliani doctissimi imperatoris amicus simulque cum eo consul fuerat, cura auctorum veterum emendandorum optime convenit, cuius testem codicem Apuleii Laurentianum habemus[803]. tanto autem ardore studia liberalia dilexit, ut a. 395 apud rhetorem controversias declamaverit, postquam iamdudum summum honorum culmen adeptus erat. nam Symmacho autumno a. 385 in praefectura urbana successisse videtur, quem honorem d. 11 Iun. a. 386 ab eo gestum[804], ante d. 6 Iul. eiusdem anni depositum esse constat[805]. a. 395 Romae erat, a. 397 Constantinopoli[803], a. 401 in Hispaniis[806]. a. 398 exeunte filius eius minor Ostiae nuptias celebravit[807], fortasse idem Sallustius aut frater eius, qui a. 421 in aula Theodosii minoris quaestor fuit[808].

797) Cod. Theod. XI 36, 32.

798) Cod. Theod. X 1, 14 traditur *XVI kal. Ian.*, sed quia illo die Minervius iamdudum Sperchio successerat, scribendum est *Iun.*

799) Cod. Theod. VII 13, 12.

800) Cod. Theod. VII 13, 14.

801) 140, 4 *quadrigis quattuor gratuitis auxisti numerum conparatum.*

802) C. I. L. VI 1729 Romae in foro Traiano. *Fl(avio) Sallustio v(iro) c(larissimo), cons(uli) ordinario* (a. 363), *praef(ecto) praet(orio)* (a. 361—363), *comiti consistorii, vicario urbi Romae, vicario Hispaniarum, vicario quinq(ue) provinciarum, pleno aequitatis ac fidei, ob virtutis meritorumq(ue) gloriam missis legat(is) ius(sione) sac(ra) Hispaniae dicaverunt. dedicata V kal. Iun. divo Ioviano Aug(usto) et Varronian[o] coss.* (a. 364).

803) Inscriptio eius, quam paene omnes metamorphoseon libri praeferunt, plenissima legitur in calce libri noni: *ego Sallustius legi et emendavi Romae felix Olybrio et Probino v. c. conss.* (a. 395) *in foro Martis controversiam declamans oratori Endelechio. rursus Constantinopoli recognovi Caesario et Attico conss.* (a. 397). F. Eyssenhardt, *Apuleii metamorphoseon libri XI Berolini MDCCCLXVIIII.* cf. O. Iahn, *Berichte der königl. sächs. Gesellsch. der Wissensch. III p. 331.*

804) Cod. Theod. XIV 1, 2 + 3, 18. vir inlustris dicitur ap. Symm. 163, 8. data est ad eum constitutio codicis Vaticani de ornanda et amplificanda basilica sancti Pauli (Baron. ann. eccl. IV p. 568), quod opus iam ante Symmachi praefecturam inchoatum est. v. p. 122, 28; 299, 23; 146, 19.

805) Hoc die successor eius Pinianus praescribitur legi Cod. Theod. VI 35, 13.

806) V 56; cf. adn. 330.

807) 163, 7 *ipsi haec de nuptiis Ostiensibus, ad quas nos viri inlustris Sallustii filius iunior evocavit, contulimus in paginam.*

808) Cod. Theod. I 8, 2.

55 Sallustio Ammonius censualis commendatur; qui cum in officio urbano militans dispositioni praefecti urbi subiectus fuerit[809], epistulam ad hunc Sallustii magistratum, i. e. aut ad ultimos anni 385 menses aut ad primos a. 386, retulerim.

56 munere praetorio Symmachi filii edito dona sollemnia ad Sallustium mittuntur, a. 401. v. p. LXXII.

57 cum Patruinus vir spectabilis appelletur, qui a. 401 vir inlustris factus est (v. ad ep. VII 102—128), haec epistula ante illum annum scripta esse debet.

V 58–66 AD PATERNVM.

Aemilius Florus Paternus[810] religioni christianae addictus erat[811]. a. 393 ineunte Africam proconsul rexit provinciamque Flacciano tradidit inter d. 16 Mart.[812] et 7 Oct.[813] eiusdem anni. in aula Honorii eo tempore sacras largitiones administrabat[814], quo Felix quaestor, Sperchius comes rerum privatarum erat, id est a. 396 exeunte aut 397 ineunte. v. ad epist. V 51. successisse igitur videtur Hadriano ante d. 5 Iul. a. 397[815], locum dedisse Minervio ante d. 24 Mai. a. 398. v. p. CXLII.

58 Symmachus de gravi valetudine, quam paulo ante perpessus sit, conqueritur, quod autumnum a. 397 indicare videtur. v. p. LXI.

59 Paternus iudex provincialis, Symmachus in apparatu quaestorio occupatus, a. 393. v. p. LIX.

60 Paternus in magno aliquo honore positus. ultimum, quod e traditur, a. 398 ineunte deposuisse videtur.

62. 63. 65 Paternus comes sacrarum largitionum. a. 396—398.

66 simul scripta cum V 54, ubi vide.

809) Not. Dign. Occ. IV 31.

810) Nomen eius integrum praebet C. I. L. VIII 1412, qua de inscriptione mox dicturus sum.

811) Cum filio neptem ex filia collocare vellet, Ambrosium episcopum prius consuluit, qui in epistula ad Paternum scripta I 60 huiusmodi matrimonium dissuasit.

812) Sine dignitate praescribitur legi Cod. Theod. X 19, 14; iudicem provincialem eum fuisse, cum Symmachus filii quaesturam instrueret (a. 393), discimus p. 141, 2; proconsulatum Africanum ei tribuit titulus Thignicanus C. I. L. VIII 1412, qui de aquaeductu loquitur reparato [*proconsulatibus Ae*]*mili Flori Paterni v(iri) c(larissimi) et inlustris et Eri Fani Geminiani v(iri) c(larissimi)*. quod autem Paternus vir inlustris dicitur, ostendit inscriptionem aliquot annos post proconsulatum eius lapidi incisam esse, cum iam ad altiores dignitatum gradus processerat. opus igitur aquaeductus non uno impetu ad finem pervenit, sed turbis Gildonicis intervenientibus sub Paterni successoribus iacebat et Geminiano demum proconsule circa a. 399 absolutum est. cf. p. CLX.

813) Cod. Theod. I 12, 4.

814) V 62. 63. 65. cf. Ambros. ep. I 60, 8 *imperatorum praecepta, a quibus amplissimum accepisti honorem.*

815) Hadrianus comes sacrarum largitionum commemoratur d. 6 Aug. a. 395 Cod. Theod. V 13, 35, sed magistratum illo die vixdum inierat, nam decessor eius Eusebius praescribitur legi datae d. 21 Iun. a. 395 Cod. Theod. XV 1, 32. itaque ante a. 396 honorem non deposuisse videtur, die autem 5 Iul. a. 397 iam magister officiorum erat. Cod. Theod. VI 26, 11.

V 67—71 AD OLYBRIVM ET PROBINVM.

De Aniciorum Hermogeniani Olybrii et Probini vitis egimus, ubi stemma eorum propositum et illustratum est p. XCI et CIV.

Cum Symmachi epistulae de fratribus ut de adulescentibus venatui et litterarum studiis deditis loquantur, omnes post consulatum eorum (a. 395), quem pueri inierant[816], scriptae esse debent. certiora autem temporis indicia praebent 67. 68. 69, quarum ultima emissa est, cum orator ex morbo periculoso emersus profectionem in litus Formianum pararet, aestate a. 397, priores postquam Formias pervenit. v. p. LXI. nam quod Olybrius et Probinus, quos tum in iisdem regionibus versatos esse constat (14. 22), feras venatu captas ad eum mittebant, Symmachum in vicinia eorum fuisse docet, et valetudo eius fracta, cui *nondum conveniebat uti ferinis visceribus* (143, 34), annum eundem indicat.

V 72—77 AD LICINIVM ET LIMENIVM.

Viri, qui a Symmacho filio hoc loco coniuncti et inter se confusi sunt, uterque summos honores gesserant, sed diversis temporibus. Licinii prima mentio fit in epistula scripta ad Flavianum maiorem (II 65), qua post administrationem aliquam depositam consobrino a Symmacho commendatur. hae litterae ita conceptae sunt, ut Flavianum dignitate amplissima tum praeditum fuisse perspiciatur: laudatur enim in eo, quod *iudicium eius non serum atque difficile sit ad colligenda ingenia et explorandas voluntates bonorum*. id quod indicare videtur, summam magistratuum eligendorum potestatem penes eum fuisse. praefecturam igitur praetorio tum gerebat et priorem quidem (a. 383), nam antequam alteram iniret, Licinius ipse iam ad honores inlustres processerat. itaque circa a. 382 aut provinciam aliquam aut praefecturam annonae aliudve munus eius fere dignitatis gessit. paulo post d. 14 Sept. a. 385 haec lex Cod. Iust. XI 60, 1 ad eum data est: *Imppp. Valentinianus Valens et Gratianus ad Licinium pp. Tiberianus ad possibilitatem singulorum quorumque locorum intuens statuit certas possessiones, quae ad limitem frumenta conveherent. quocirca generali lege sancimus, Tiberiani dispositionem oportere servari* et q. s. *d. XVIII k. Oct. Aquileiae Arcadio A. et Bautone conss.* Tiberiani commemoratio, qui a. 326—327 comes per Africam fuerat[817], monstrat, quemnam limitem haec constitutio spectet: is igitur, ad quem missa est, aut praefectus praetorio Italiae Africae Illyrici erat aut iudex aliquis Africanus. illam autem praefecturam Licinius gessisse non potest, quia alii duo, Neoterius et Principius, in eo tum magistratu erant. cum igitur inscriptio legis corrupta sit[818], de vero Licinii honore quaerendum est. inter rectores provinciarum infimi

816) Hieron. ep. 130, 3 de Olybrio loquens: *consul quidem in pueritia*. quod cum Probinus fratre minor esset (v. p. CI), ad eum quoque referendum est. cf. Claud. in cons. Olybr. et Prob. 62.

817) Gothofredus in prosopogr. cod. Theod.

818) Licinium etiam a. 387 nondum ad praefecturae culmen evectum esse, docet 146, 29 *ergo amore*

generis, consulares et praesides, vel ea de causa numerari non potest, quia lex generalis totius limitis annonas spectans iudici, qui parvae tantum eius parti praefuerit, parum convenit; neque de proconsule cogitare licet, cuius provincia limitem ne contingebat quidem, praesertim cum die quarto post hanc constitutionem datam Messianus proconsul Africae legi Cod. Theod. X 1, 13 praescribatur. nullus igitur alius magistratus relinquitur, quam vicaria per Africam praefectura, quae reliquis quoque Licinii honoribus temporis et dignitatis ordine apte inseritur. anno enim 387 ineunte clarum in aula honorem gerebat, quem comitivam sacrarum largitionum fuisse putaverim. nam Symmachus a Valentiniani Augusti festis consularibus (a. 387) Romam reversus (p. CXXXIV), de inquisitione pontis atque basilicae ad Eusignium praefectum praetorio et Licinium scribit[819], quae res, cum de sumptibus publicis quaestio esset, praeter summum imperii iudicem inprimis eum magistratum spectabat, cui aerarii cura incumberet.

Limenius inter d. 23 Dec. a. 399[820] et 27 Mart. a. 400 comes sacrarum largitionum factus est[821], successoremque accepit inter d. 17 et 26 Febr. a. 401[822]. praefectus praetorio Galliarum, quo tempore Constantinus a. 408 imperium invasit, ad Honorium confugit, neque multo post seditione militum Ticini interfectus est[823].

---

74 Symmachus simul cum Limenio fuerat, antequam itinere dierum octo emenso Romam reverteretur. haec aptissime ad festa consularia Stilichonis kalendis Ianuariis a. 400 Mediolanii celebrata referuntur, quibus Symmachus interfuit (v. p. LXII). eodem enim tempore Limenium in comitatu fuisse, magistratus tunc ab eo acceptus docet.

75 Limenius iudex fori alicuius advocatorum corpore instructi. haec neque ad comitivam sacrarum largitionum referri possunt, sub qua advocatos militasse nusquam traditur neque veri simile est, neque ad praefecturam praetorio, utpote quae post Symmachi mortem gesta sit. itaque de administratione aliqua provinciali ante comitivam (a. 400) deposita cogitaverim.

76 scripta a. 387 ineunte simul cum IV 70, ubi vide.

V 78—98 AD HELPIDIVM.

Helpidii duo in Symmachi scriptis discernuntur, quorum alter a. 400 in prima adulescentia erat, utpote qui praeceptore etiam tum uteretur[824], alter iam a. 393 ad

---

rei publicae, cuius utilitates inter praecipua et prima conplecteris, clarissimo et inlustri viro praefecto dignare adstruere et q. s.

819) IV 70; V 76.

820) Cod. Theod. VI 30, 17.

821) Cod. Iust. I 40, 10.

822) Cod. Theod. I 10, 7. traditur *III kal. Mart.*, sed quia Patruinus Limenio iam ante diem 26 Febr. successit, scribendum est *XIII kal. Mart.* v. ad epist. VII 102—128.

823) Zosim. V 32.

824) 146, 2.

Flaviani consulatum evocatus est[825]. ad hunc, qui ab oratore nostro frater appellari solet[826], epistulae quibusde agimus missae sunt. a. 396 iudex erat[827], sed cuinam provinciae praefuerit, non traditur. certiora ex epistula V 94 accipimus, quae his verbis incipit: *Romam regressus post legationis officium sumpsi litteras tuas, quibus patriae communi largas rei annonariae copias polliceris.* de praefectura annonae aut urbis cogitari hoc loco nequit; utraque enim in urbe ipsa sedem habebat neque igitur litteris ei opus erat, ut hominem Romae positum de re annonaria certiorem faceret. ergo Helpidius tum proconsul Africae erat, cui potissimum cura frumenti in urbem mittendi incumbebat, siquidem nulla Symmachi epistula superest, quae hac de re ad vicarium data sit. tempus magistratus eo definitur, quod series proconsulum ab anno 393 usque ad a. 401 integra est neque ullum Helpidio locum relinquit. nominantur enim hi:

Aemilius Florus Paternus d. 16 Mart. a. 393, v. p. CLVII.
Flaccianus d. 7 Oct. a. 393, Cod. Theod. I 12, 4; August. de civ. dei XVIII 23, 1; cf. de Rossi, *Annali dell' Instit. XXI p. 515.*
Marcianus a. 394, v. ad ep. III 33.
Herodes d. 2 Mart. a. 395, Augustin. contra Crescon. III 62.
Ennoius d. 16 Mai. a. 395. Cod. Theod. XI 30, 53 + XII 1, 141—145.
d. 26 Dec. a. 395, Cod. Theod. XI 1, 24 + XII 1, 149 + XIII 5, 25.
Theodorus d. 22 Dec. a. 396, v. adn. 765.
Anicius Probinus d. 17 Mart. a. 397, Cod. Theod. XII 5, 3.
Seranus a. 397/8, Augustin. contra Crescon. IV 58[828].
Victorius d. 13 Mart. a. 398. Cod. Theod. IX 39, 3.
d. 21 Mai. a. 398, Cod. Theod. I 12, 6.
Erius Fanius Geminianus a. 398/9, v. adn. 812 et ad ep. IX 15.
Apollodorus d. 20 Aug. a. 399, Cod. Theod. XVI 10, 17 + 18 + 11, 1.
d. 20 Nov. a. 399, Cod. Theod. X 1, 16.
d. 14 Mart. a. 400, Cod. Theod. XI 8, 2.
Gabinius Barbarus Pompeianus, C. I. L. VIII 969. cf. X 1199.
d. 8 Iun. a. 400, Cod. Theod. VII 8, 7.
d. 15 Iun. a. 400, Cod. Theod. XIII 5, 30.
d. 31 Dec. a. 400, Cod. Theod. I 12, 8 + VIII 10, 3 + IX 26, 2 + XI 1, 28 + 30, 60 + XII 1, 166 + 6, 27 + XIII 1, 18.
d. 13 Febr. a. 401, Cod. Theod. XI 17, 2.
d. 26 Febr. a. 401, Cod. Theod. XII 6, 26.
d. 28 Mart. a. 401, Cod. Theod. XI 5, 1. cf. XVI 6, 32.

Helpidius igitur aut ante a. 393 aut post mensem Martium a. 401 munere functus

825) 67, 30; 138, 17.
826) ll. ll. et 148, 9; 151, 14.
827) 151, 6 *grave est enim sub auribus* i u d i c i s *Baiarum adpetentiam confiteri.*
828) Eundem Seranum August. contr. litt. Petill. II 184 memoriae lapsu vicarium dicit, nam ne eo loco, quem in contextu laudavi, scriptorem errasse credamus, vetant verba edicti ab eo relati, quod incipit: *Seranus proconsul dixit.*

est, quae dubitatio ipsis Symmachi verbis supra propositis tollitur: legationem enim, quam commemorat, a. 402 incipiente suscepit (v. p. LXIII). accedit, quod omnes ad Helpidium epistulae ultimis oratoris annis scriptae sunt.

---

78 *occupato tibi auditione causarum verebar obstrepere.* Helpidius igitur iudex erat. cum praeterea Symmachus de ruris otio, quod usque in hiemem extenderat, loquatur, hanc epistulam a. 396 adsigno, quo mense Novembri in Campania erat. v. p. LXII.

79 Helpidius in magistratu aliquo positus, qui praefecto praetorio subiectus erat. ante a. 401, quo proconsulatum accepit.

82. 83 familiares Symmachi ad equos curules comparandos in Hispanias missi, a. 399. v. adn. 330.

85. 86 propter summam sententiarum et verborum similitudinem [829]) simul cum IV 34 anno 395 exeunte scriptae esse videntur.

87. 91 Helpidius iudex provinciae, a. 396 aut 401—402?

92 Helpidius ad Symmachi filium scripsit; qui cum a. 384 natus sit, haec epistula ultimis oratoris temporibus adscribi debet. v. p. L.

93 Symmachus Formiis versatur Puteolos et Baias mox petiturus, aestate a. 396. v. p. LXII.

94. 95. 96 Symmachi legatio commemoratur initio a. 402 suscepta.

97. 98 Formiis post mortem Flaviani autumno a. 394 scriptae. v. p. LX.

VI AD NICOMACHOS FILIOS.

Nicomachi libro sexto ideo numero plurali praescribuntur, quia litterae eo comprehensae partim ad Nicomachum Flavianum, partim ad uxorem eius, Symmachi filiam, maiore ex parte ad utrumque missae sunt. nulla autem in hoc libro epistula reperitur, quae cum aliqua probabilitate ad Flaviani fratrem minorem referri possit.

Quae de Nicomachorum fatis indagari possunt, paene omnia de Rossi in disquisitione, quam de Flaviani maioris titulo honorario instituit, sagacissime enucleavit: pauca, quae deerant, in vitis Symmachi consocerique eius ipsi addidimus. ne igitur repetitione taedium moveamus, ea tantum persequemur, quae ad tempora litterarum definienda pertinebunt.

Inter libri sexti epistulas una tantum (72) reperitur, quam ante a. 394 scriptam esse necesse sit; continuum ergo litterarum commercium inter Symmachum Flavianumque incepisse non videtur, antequam affinitatem iungerent (v. p. LII). qua re perspecta ad generum epistulae aut omnes reliquae aut paene omnes brevi spatio annorum novem, quod filiae nuptiis Symmachique morti interiacet (a. 394—402), includuntur, cui ea praeterea tempora eximenda sunt, quibus socer generque una fuerunt.

---

829) Cf. 110, 29 = 149, 20 *quae apud te incuriosius loquor.*

cum igitur locos, in quibus Symmachus illis annis moratus sit, iam supra p. LXVI composuerim, eadem inquisitio nunc de Flaviano instituenda est.

Autumno a. 394, quo tempore nuntius de morte Flaviani maioris allatus est, Nicomachi simul cum Symmacho Formiis versabantur; Romam reversum paulo post secuti sunt, ita ut breve tantum tempus litteris invicem mittendis relinqueretur. autumno igitur aut hiemi a. 394 non nisi duae epistulae adsignari possunt: 20 *in eo autem, quod vos discessus noster excruciat, habitum meae mentis agnosco; sed adhuc desideriis mutuis praestat suadere patientiam quam paenitendum aliquid per inbecillitatem adfectionis ordiri. mox cum germanus tuus de proximo, ut ais, speratus adfuerit, et felicem vobis et necessarium reditum dividendae inter vos communionis causa praestabit.* initio a. 396 hereditas patris iam inter Flavianum fratremque eius divisa erat[830]. de Symmachi itinere Formiano v. p. LX.

1 postquam in urbe angustiae copiis successerunt, laus providentiae Flaviani refota est et ad conciliationem famae eius publicum testimonium rediit. Symmachi igitur gener, cum prior frumenti abundantia providentiae eius accepta ferretur, paulo ante praefectus urbi fuerat, magistratumque cum aliquo famae detrimento deposuerat, scilicet quia eum a tyranno acceperat et Theodosio in imperium restituto honor irritus factus erat. quando praeterea memoriae Flaviani maioris restitutae mentio fit, hanc epistulam tempori, quod pugnam ad fluvium Frigidum proxime sequebatur, i. e. hiemi a. 394/5 adscripsi.

Curis familiae herciscundae maiorem anni 395 partem in urbe retenti, Nicomachi autumno demum in rus Campanum secesserunt, ubi totam hiemem manserunt[831]. itaque primae litterae, quas Symmachus hoc anno ad eos scripsit, in suburbano illo datae sunt, in quo circa mensem Octobrem versatus est (p. LXIV); sequuntur duodecim ex urbe missae, quae a mense Novembri a. 395 usque ad Martium aut Aprilem a. 396 procedunt.

22 famis in urbe grassantis legationisque ad imperatorem mittendae, ut auxilium eius imploret, mentio fit, quibus de rebus v. adn. 291. epistula in suburbano scripta est[832].

2 in litteris praecedentibus (22) de lite privata sermo erat, *quam sub adfinium nomine — Baiani litoris persultator animavit* (159, 15); haec autem epistula de *successionis ambiguo* a Marciana Flaviani sorore commoto loquitur. cum Nicomachorum soror germana nusquam commemoretur et affines quoque fratrum sororumque vocabulis a Symmacho appellari soleant, hanc litem eandem cum superiore puto; quod si verum est, hae quoque litterae in ultimos anni 395 menses cadunt.

4. 55. — 4 Symmachus nuntium de aegritudine filiae graviore accepit, et quia doloribus manus dexterae impeditus ipse scribere non potest, has litteras servo dictat. 55 *heri per hominem meum scripsi metu percitus, postquam de valetudine filiae meae*

---

830) 156, 30 *sed scire desidero, quae potissimum praedia ad ius sancti fratris tui pro parte pertineant, ne per ignorantiam iuris tui corpora apparitionis error adtrectet.*

831) 158, 13; 159, 6.

832) 159, 25 *hinc orta certatio* (in senatu) *usque ad nefarias pugnas me absente processit. — sed dirimendas partium quaestiones meo dicuntur detulisse iudicio.*

amara cognitu nuntiastis. haec ad 4 referenda esse, ex eo agnoscitur, quod Symmachus non manu propria sed per hominem suum se scripsisse dicat. annus autem epistulae utriusque his verbis definitur: *rerum vero praesentium nullum vobis indicium facere decreveram, ne in aures vestras redirent, quae probabili discessione vitastis. sed quia civicus amor in negotia urbana curam vestram reduxit, quaedam conlata in titulos breviter percucurri.* fuerunt quippe eo tempore, in quod Symmachi epistulae ad generum paene omnes incidunt, calamitates urbis graviores duae, fames hiemis a. 395/6 et ea, quae bellum Gildonicum comitata est, hieme a. 397/8. posterior autem non a Nicomachis *probabili discessione* vitata est, quia iam vere a. 397, quo tempore ne metus quidem inopiae concipi potuit, Romam reliquerant. cum a. 395 ultimis demum autumni diebus in Campaniam profecti sunt. accedit, quod Symmachus mense Decembri a. 395 aut Ianuario anni sequentis de filia morbum paulo ante perpessa loquitur[833]).

65 tanta rerum verborumque similitudine cum 55 coniuncta est, ut brevi tempore post eam scripta esse debeat.

12. 11. 15. 18. 21. 26 omnes de fame hiemis a. 395/6 loquuntur. 15 mense Decembri a. 395 aut Ianuario a. 396 scripta est, 12 Ianuario a. 396, 26 paulo post 12, 11 mense Martio aut Aprili a. 396. v. adn. 271 et 297.

41 de Comazonte in Campaniam profecto, cuius iam epist. 12 mentionem fecerat, sermo est. Symmachus ipse adventum suum pollicetur.

45 et re et verbis tam arte cum praecedenti cohaeret[834]), ut utramque simul scriptam esse appareat. data est autem altera 41 ad Flavianum, altera 45 ad uxorem eius, Symmachi filiam.

Vere iter ingressus Symmachus Formiis Nicomachos invenit et reliquam anni 396 partem una cum iis consumpsit[835]). nam reditum quoque eius m. Novembri comitati esse videntur et otium ruris Praenestini vere a. 397 cum eo participati sunt[836]). paulo post Symmachus Tibur secessit (81), unde cum ad filiae diem natalem reverti vellet, imbribus impeditus est (80). itaque ipse Romam, filia generque in Campaniam[837]) profecti sunt, qua ex discessione maxima ex omnibus, quae supersunt, epistularum series initium cepit.

70 paulo post reditum scripta est; 173, 23 *post Tiburtem quippe secessionem Romae otia lenta producimus.*

---

833) 157, 23 *ceterum filiam meam vexari itinere — non oportet, quoniam post incommodum grave valetudo eius otio et quiete refovenda est.*

834) 165, 3 *male est animo, postquam filiam meam conperi consueto dolore vexari.* 166, 6 *postquam te iactatam conperi dolore consueto, omnis reliquarum sollicitudinum mearum sensus evanuit.* quae sollicitudines illae fuerint, scilicet filii febris Symmachique ipsius gravedo capitis, in epistula priore exponitur.

835) 221, 20 *principium voluptatum de Formiano sinu nascitur. — adfuerunt pignora mea, quorum cupiens nostra urbe processeram. — illorum dehinc arbitratu legi oram, quae Formias et Cumanum litus interiacet. nunc mutuis invitationibus aut in Baulos aut in Nicomachi Gaurana migramus.*

836) 186, 12 *animum meum Campani litoris commemoratione sollicitas; sed nobis quoque in Praenestino rure degentibus non minus suppetit voluptatum. — adieceras ad inritamentum profectionis nostrae, filium meum Flavianum brevi tecum futurum. huius ego praesentia iam diu defruor.*

837) adn. 836 et 154, 18 *haud scio, an morantibus vobis aliqua invitatio nos potius in Campaniam possit educere.*

6. 8. 52. 53. 56. 59. 63. — 52 senatus adventum principis petierat, sed cum Mediolanenses resisterent imperatoremque apud se retinere vellent, legatione iterata preces repetendae erant. praefectus urbi Symmacho amicus negotium dedit, ut Flavianus inter legatos eligeretur, litterasque ad eum missurus erat, quibus ad senatum idibus Iuniis ea de re habendum evocaretur. 63. 53 de eadem legatione agitur. Symmachus generum ad reditum accelerandum hortatur. utraque epistula per Maximum in Campaniam perlata est. 56 Flavianus excusationis causas quaerit, quod socer non omnino improbare videtur, sed nihilominus alteram praefecti epistulam suae adiungit. 59 Nicomachus litteras, quibus causas excusationis exposuerat, praefecto urbi reddendas Symmacho commisit. 8 lite aliqua Flaviani finita vicarius urbis acta negotii editurus est, quae in manus generi iam venisse, in epistula 6 praesumitur. eadem de reditu eius a Symmacho frustra sperato agit, quod magna cum probabilitate ad praefecti evocationem illam a Nicomacho recusatam referri potest, praesertim cum *piam causam morarum* allegasse dicatur. inter excusationes enim, quas 59 protulit, primum locum obtinet uxoris conturbata valetudo, quae spoliari solacio suo non possit, et filiae Symmachi aegrae in epistula 8 quoque, quam cum 6 arte cohaerere vidimus, mentio fit. — tempus harum epistularum ea re certis terminis circumscribitur, quod orator 6 dicit, *misisse se necessarias litteras, quibus amici de tutoris fraudibus instruantur.* eiusmodi enim litterae ad Felicem quaestorem sacri palatii datae (V 52) adhuc supersunt, qui magistratu ab aestate anni 395 usque ad ultimos menses anni 397 aut primos a. 398 functus est (v. p. CLIV). et quoniam bello Gildonico adventus Honorii expectatus est, ut consulatum quartum in urbe iniret[838]), petitionem illam senatus, quade Symmachus loquitur, anno 397 adscribemus. scriptae autem sunt omnes epistulae, quas h. l. composuimus, partim paulo ante, partim paulo post idus Iunias. v. 168, 1 *hortor igitur, ut scripto eius evocatus digneris adcurrere ante senatum, qui idibus Iuniis erit.*

16. 19. 23. 28. 73. 75. 76. 77, quibus adiungendae sunt VII 73. 74 ad omnes Symmachi propinquos in Campania una morantes datae (v. adn. 194), morbum oratoris spectant iterque Formianum, quod mense Iulio a. 397 suscepit. v. p. LXI et LXVIII. — 73 Symmachus renum doloribus laborat, quod ne rumore exaggeratum ad Nicomachos perveniat, ipse valetudinis indicium facit. 28. 16 intestinorum dolores usque ad vitae periculum perpessus est, quorum fama, id quod Symmachus (73) providerat, ad generum perlata est. Nicomachorum adventus expectatur, qua de re 28 scribit: *praecipue autem de vobis impetratum volo, ne inprovida sollicitudine recurratis,* 16 autem: *interea de ordinando reditu facite noverim, quid consilii ceperitis. fateor enim molliore me esse adfectione post discrimen salutis nec ulterius posse suadere, ut desiderio meo vestrum otium praeferatis*, id quod re vera verbis supra propositis suaserat. itaque haec epistula paulo post 28 scripta est. 19 *adhuc invalidus sed iam convalescendi securus* scribit; expectatio reditus Nicomachorum tertium commemoratur. 23 Decius ad Flavianum proficiscitur, quem Symmachus ipse brevi tempore intermisso secuturus

---

838) Claud. de VI cons. Hon. 361 Romam Augustum hoc modo adloquentem inducit: *dissimulata diu tristes in amore repulsas vestra parens, Auguste, queror: quonam usque tenebit praelatus mea vota Ligus? — nonne semel sprevisse satis, cum reddita bellis Africa venturi lusit spe principis urbem?*

est. cum illius reditus ex Campania aestate a. 398 Romae expectatus sit[839], Symmachi profectionem eandem fuisse crediderim, quam post aegritudinem a. 397 ingressus est. 75 Symmachus Fundos pervenit, d. 28 Iulii Formiis se futurum esse sperat. quod se iter partivisse *ad minuendum laborem* dicit, ad vires morbo fractas referendum est. 76 *ego ad sanitatem lento adhuc gradu provehor, atque ideo itineris ulterioris ambiguum usque ad profectum sanitatis deliberatione sequestro.* VII 73 Formias pervenit, ubi *statim pedis dolore correptus* est. VII 74 *primo adventu, ut scripto superiore signavimus, valetudo nostra perculsa est. — nunc status melior coepit adversa tenuare.* VI 77 *quamvis ultro scripserim, doloris mei adversa tenuari.*

Cum haec ultima epistula sit, quam Symmachus e Formiano ad generum miserit, menses fere duos, qui adventum eius sequebantur, Flaviani consuetudine usus esse videtur. sed postquam mense Octobri Romam reversus est, epistularum commercium post breve hoc intervallum statim denuo incipit et usque ad ver a. 398 non interrumpitur.

51 *prioribus litteris conperistis, quae nunc respondere potuissem. redisse non paenitet. nam et salutis compotes sumus* etc. commemoratio sanitatis restitutae cum reditum indicat, qui iter Formianum anni 397 secutus est. priores illae litterae, quorum mentio fit, periisse videntur: neque enim ulla epistula in libro sexto reperitur, cuius argumentum verbis modo propositis respondeat.

50 Sibidius in Campaniam proficiscitur, de cuius reditu agit epist. 58. nostram igitur epistulam aliquot mensibus ante illam scriptam esse puto.

7 de evocatione loquitur, quam Symmachus ad Honorii consulatum quartum (a. 398) acceperat. v. p. LXI.

47 Symmachus in suburbano agens pedis dolore attemptatus est. v. p. LXIX. rumores de seditionibus plebis inopia frumenti, quae bellum Gildonicum praecessit, excitatis per Italiam circumferuntur. cf. adn. 259.

46 *mihi silentium unanimitatis vestrae nequaquam licuit aemulari, quod ita sollicitudo, quam de me non frustra geritis, postulabat.* quae cum ad Symmachi valetudinem turbatam referenda esse videantur, epistulam huic fere tempori adsignant.

54 *mea valetudo caret interim doloribus sed indiget firmitate maxime accedentibus curis, quas proxime facta a senatu auxit oblatio.* de oblatione illa facta mense Octobri aut Novembri a. 397. v. p. LXIX.

29 *mihi etiam nunc gressus infirmus est, sed si optata de vobis mutuus sermo pertulerit, protinus corporis mei querella sedabitur.* pedum aegritudine Symmachus autumno a. 397 in villa Laurenti vexatus est. v. p. LXIX.

57 et 64 de oblatione loquuntur; altera scripta est, postquam Lampadius Florentino in praefectura urbana successit, id est post d. 21 Dec. a. 397. v. p. CXLIII.

58 scripta est mense Martio a. 398 in rure Vaticano. v. p. LXV. dilectus ad bellum Gildonicum imperatus commemoratur. v. p. LXIX.

61 Flavianus Symmacho suaserat, ut irae plebis cederet. v. p. LXX.

62 legati Mediolanium missi, ut senatorum praediis vacationem dilectus impetra-

839) VII 38. 40.

rent, paulo ante Romam reversi erant. Symmachus modo in urbe modo in suburbanis versatur. v. p. LXX.

66 scripta in praedio Ostiensi. Symmachus seditione plebis ex urbe pulsus, sed paulo post revocatus est. v. p. LXX.

Cum epistulam 62 scriberet, adventum generi iam sperabat[840], qui mox secutus esse videtur: interrumpitur enim litterarum series vere a. 398 neque denuo incipit ante autumnum eiusdem anni, Flaviano in Campaniam reverso[841]. nam proximae epistulae certis temporum notis distinctae, 10. 30. 35. 36. 60, de evocationibus Theodori consulis designati loquuntur, quibusde videas p. LX et LXXI.

Quasnam litteras Flavianus brevi tempore, quo festis consularibus Mediolanii interfuit, a socero acceperit, dignosci iam non potest, sed aliquas ex commendaticiis tum potissimum scriptas esse crediderim, cum in aula consuetudine hominum potentissimorum utebatur. nam in praefectura urbis, quam initiis anni 399 accepit, anni 401 deposuit[842], nullae epistulae Symmachi, qui tum filii praeturam instruens ipse quoque Romae agebat, ad eum datae esse possunt nisi duobus illis aut tribus mensibus (Decembri a. 399 usque ad Februarium a. 400), quos ad Stilichonis consulatum evocatus in itinere Mediolanensi consumpsit. v. p. LXII.

Nicomachi Romae erant, cum Memmius Symmachus kalendis Ianuariis a. 401 fasces praeturae sumeret, et postquam Flavianus vires longo administrationis labore exhaustas otio ruris Campani[843] refecit. adventus eius ad ludos praetorios rursus sperabatur[844]. quorum tempus eo definitur, quod filium praetura urbana functum esse Symmachus scribit[845]; ludi igitur ab eo instruendi Apollinares erant, qui diebus 5—13 Iulii celebrari solebant[846]. itaque omnes libri sexti epistulae, quae apparatus praetorii mentionem faciunt (33. 34. 38. 40. 42. 43), incidunt in ver aestatisque initium a. 401.

40 *tibi in dies singulos, decus nostrum, domi forisque fama florentior est. et prae-*

---

840) 171, 2 *sola nos vestri macerat absentia, sed si in conspectum nostrum propere veneritis, nos quoque recursum vestrum in Campaniam cum voluptate comitabimus.* postea propositum mutavit, neque enim a. 398 in Campania fuit.

841) 163, 22 *interea ad Formianum litus iter promove, ut cum ad te delatae litterae fuerint, Romam citius excurras.*

842) Flaviani magistratum ultra fines temporis soliti extensum fuisse, dicit Symmachus 191, 2 *interea non minore abundo laetitia, quod domini et filii mei Flaviani prolixus in iudicando labor optata quiete mutatus est;* brevius igitur ei tempus quam annos duos attribuere vix licet. cum autem Theodori auspicia consularia a. 399 Mediolanii celebraverit, ante mensem Februarium eiusdem anni praefecturam iniisse non potest, neque post d. 21 Apr. a. 401 deposuisse, quia hoc die iam in Campania erat (164, 23). praefectus urbi praescribitur legibus his: d. 6 Iun. a. 399 Cod. Theod. XIV 10, 3. d. 24 Ian. a. 400 Cod. Theod. XIII 5, 29. d. 5 Mart. a. 400 Cod. Theod. III 31. d. 19 Aug. a. 400 Cod. Theod. XI 30, 61. d. 9 Nov. a. 400 Cod. Theod. XV 2, 9. ad decessorem eius Lampadium nulla lex, quae quidem ad nos pervenerit, data est, successor Decius primum commemoratur in constitutione Cod. Theod. VII 13, 15 data d. 6 Dec. a. 402.

843) Nicomachos tum in Campania fuisse, traditur 165, 12.

844) 164, 5 *mea circa praetorios apparatus cura crebrescit. quod eo scribo, ut intellegat unanimitas vestra adminiculi sui societatem desiderari. nec sum imperiosus exactor, ut qui sciam, necessitates meas post vestrum commodum conlocandas, sed si bene aestimo, satisfacient vobis ad refectionem praesentis mensis indutiae.* 165, 22 *crocodillos theatrali spectaculo publicatos in praesentiam vestram servare temptavimus. — duos etiam nunc spirantes in vestrum differemus adventum.*

845) 118, 27; 220, 22; 234, 21. 26.

846) Mommsen, *Römisches Staatsrecht II*^{2} *p. 226;* C. I. L. I p. 346.

sentium quidem rerum nos testes sumus: externa indicia Caecilianus adseruit, a quo singillatim relata enumerare fastidium, cum in summam gloriae tuae cuncta conveniant. quod iudicia, quae homines Romae forisque de Flaviani praefectura tulerint, a Symmacho referuntur, prima post magistratum depositum tempora indicat. cum autem ostentum natali urbis factum in epistula narretur, paulo post d. 21 Apr. a. 401 scripta esse debet.

12 *Euscii nuper litteras sumpsi, quibus aurigas nostros et aliquos scaenicos navi inpositos et secundum praeceptum meum missos ad Campaniam nuntiavit.* haec scripta esse non possunt ante initium veris, quo tempore navigatio aperiebatur, neque tamen multo post, quia Symmachus aurigas *longe ante ludos* (165, 17) Romam venturos esse sperat.

33 *si qua adhuc de Sicilia speramus, incerta sunt. nam cum litterae Euscii nuntiaverint, dudum circi et scaenae artifices navigasse, etiam nunc de adventu eorum rumor in operto est.* — *dudum* illud monstrat, hanc epistulam aliquot dies post praecedentem scriptam esse.

34 de apparatu ludorum paene ad finem perducto loquitur.

38 Nicomachos ad reditum accelerandum hortatur. v. adn. 811.

13 adventus eorum proximus expectatur.

Nuptiis Memmii Symmachi cum Nicomacha Galla sub anni 401 finem celebratis patres maritorum interfuisse consentaneum est, et fortasse legationem quoque Symmachi a. 402 ineunte gener comitatus est, ita ut epistulis mutuis nullus locus relinqueretur. litterae enim, quas post VI 13 ad Nicomachos scriptas esse necesse sit, in corpore nostro non reperiuntur.

---

1 hieme a. 394/5. v. p. CLXII.

2 autumno aut hieme a. 395. v. p. CLXII.

3 paene omnes ad Flavianum epistulae scriptae sunt aut anno 394 exeunte aut inter menses Novembrem a. 395 et Aprilem a. 396 aut inter aestatem a. 397 et ver a. 398 aut inter autumnum a. 398 et initium a. 399 aut inter mensem Decembrem a. 399 et Februarium a. 400 aut vere et aestate incipiente a. 401.

4 anno 395 exeunte. v. p. CLXII.

5 *quaeso, ut viro optimo Severo terminandae apud te litis auctor esse digneris.* Flavianus igitur tum magistratum aliquem gerebat, quod iis temporibus, quibus pleraeque libri sexti epistulae scriptae sunt, semel tantum factum est a. 399—401. his autem annis Symmachus semper una cum genero erat excepta peregrinatione Mediolanensi inde a m. Decembri a. 399 usque ad Februarium a. 400. tum ergo hae litterae datae sunt.

6 mense Iunio aut Iulio a. 397. v. p. CLXIV.

7 anno 397 exeunte. v. p. CLXV.

8 paucis diebus ante 6 scripta. v. p. CLXIV.

9 et 11 brevi se tempore secutae sunt, quia in utraque de lite cum Censorino decidenda sermo est. Nicomachi in Campania agunt, Symmachus in rus profecturus est; quae nulli tempori nisi aut veri a. 396 aut aestati a. 397 aut veri a. 398 conveniunt.

10 autumno a. 398. v. p. CLXVI.

11 v. ad epist. 9.

12 mense Ianuario a. 396. v. adn. 297.

13 v. ad epist. 3.

14 mense Martio aut Aprili a. 396. v. adn. 271.

15 mense Decembri a. 395 aut Ianuario a. 396. v. adn. 297.

16 mense Iulio a. 397. v. p. CLXIV.

17 commendaticiae omnes ei potissimum tempori adscribendae esse videntur, quo Flavianus favorem Augustum recuperaverat, cuius rei documentum publicum evocatio erat in Theodori consulatum accepta. v. p. LXXI. haec igitur epistula post autumnum a. 398 scripta est. cum autem Flavianus eam in Campania acceperit (158, 7), nullum ei aliud tempus relinquitur quam ver et primi aestatis menses a. 401.

18 hieme a. 395/6. v. p. CLXIII.

19 mense Iulio a. 397. v. p. CLXIV.

20 autumno aut hieme a. 394. v. p. CLXII.

21 hieme a. 395/6. v. p. CLXIII.

22 mense Octobri aut Novembri a. 395. v. p. CLXII.

23 mense Iulio a. 397. v. p. CLXIV.

24 commendaticiae post autumnum a. 398 scriptae. v. ad epist. 17. hoc tempore Symmachus ter tantum a genero afuit, hieme a. 398/9 et a. 399/400, vere et aestate incipiente a. 401.

25 commendaticiae in Campaniam missae[847]. v. ad epist. 17. accedit, quod Zenodorum, qui corrector Lucaniae et Brittiorum in provinciam proficiscens hanc epistulam secum tulit, magistratu circa a. 401 functum esse, ex epist. IX 3 constat.

26 mense Ianuario aut Februario a. 396. v. adn. 297.

27 v. ad epist. 24.

28 mense Iulio a. 397. v. p. CLXIV.

29 mense Octobri aut Novembri a. 397. v. p. CLXV.

30 autumno a. 398. v. p. CLXVI.

31 v. ad epist. 24.

32 Symmachus autumno[848] in suburbano agit: a. 394 aut 395 aut 397.

33 vere a. 401. v. p. CLXVI.

34 vere aut aestate a. 401. v. p. CLXVI.

35. 36 autumno a. 398. v. p. CLXVI.

37 Symmachus in urbe, filia eius, ad quam haec epistula scripta est, ruri agens, a. 394 exeunte aut inter menses Novembrem a. 395 et Aprilem a. 396 aut aestate a. 397 aut hieme a. 397/8 aut vere et aestate incipiente a. 401.

38 aestatis initio a. 401. v. p. CLXVI.

39 v. ad epist. 3.

847) 160, 14 *nam cum propere Lucanos et Brittios petat honore cogente, nihilominus in conspectum tuum flexo itinere gestit excurrere.*

848) 162, 6 *villae autumno commodae iucunda instauratione delector.*

40 paulo post d. 21 Apr. a. 401. v. p. CLXVI.

41 mense Martio aut Aprili a. 396. v. p. CLXIII.

42 vere a. 401. v. p. CLXVI.

43 aestate a. 401. v. p. CLXVI.

44 v. ad epist. 3.

45 mense Martio aut Aprili a. 396. v. p. CLXIII.

46. 47 mense Octobri aut Novembri a. 397. v. p. CLXV.

48 pro munere natalicio gratias agit. Symmachi diem natalem in mensem Novembrem incidisse, ex VI 2 agnoscitur; eo autem mense alio atque Nicomachi loco versabatur a. 394, 395, 397, 398.

49 Nicomachi mense Martio in Campania agunt, a. 396 aut 398.

50 autumno a. 397? v. p. CLXV.

51 mense Octobri a. 397. v. p. CLXV.

52 paulo ante idus Iunias a. 397. v. p. CLXIV.

53 mense Iunio a. 397. v. p. CLXIV.

54 mense Octobri aut Novembri a. 397. v. p. CLXV.

55 anno 395 exeunte. v. p. CLXII.

56 mense Iunio a. 397. v. p. CLXIV.

57 anno 397 exeunte. v. p. CLXV.

58 mense Martio a. 398. v. p. CLXV.

59 mense Iunio aut Iulio a. 397. v. p. CLXIV.

60 in villa Arabiana data, anno 398 exeunte. v. p. LX.

61. 62 vere a. 398. v. p. CLXV.

63 mense Iunio a. 397. v. p. CLXIV.

64 non multo post d. 21 Dec. a. 397. v. p. CLXV.

65 anno 395 exeunte. v. p. CLXIII.

66 vere a. 398. v. p. CLXVI.

67 v. ad epist. 48.

68. 69 v. ad epist. 3.

70 vere aut aestatis initio a. 397. v. p. CLXIII.

71 scripta esse videtur, cum Symmachus et Flavianus alter in vicinia alterius in Campania agerent, a. 396 aut 397.

72 data autumno a. 383 simul cum II 52, ubi vide.

73 mense Iulio a. 397. v. p. CLXIV.

74 *consilium tamen, quod transactioni vestrae possemus adhibere, cumulatius ex alio parente capietis.* si haec de Flaviano maiore interpretemur, epistula ante mortem eius (Sept. a. 394) scripta erit.

75—77 mense Iulio exeunte a. 397. v. p. CLXIV.

78 Symmachus ruri agens, Nicomachi in suburbano aliquo; vere a. 397? v. p. CLXIII.

79 v. ad epist. 3.

80. 81 vere a. 397. v. p. CLXIII.

VII 1—14 AD SYMMACHVM FILIVM.

1 Quo tempore Symmachus iter ingressus est, ut Stilichonis consulatui kalendis Ianuariis a. 400 Mediolanii interesset, filium eodem die se ipso absente praeturae fasces sumpturum esse credidit[849]. cum autem hanc epistulam scribebat, nuntium acceperat, Memmii magistratum in annum 401 dilatum esse. data est igitur aut in itinere aut paulo postquam Mediolanium venit, ultimis anni 399 diebus. has litteras primas esse, quas ad filium misit, initium earum prodit: *sume alacer paterni sermonis auspicium.* omnes ergo reliquae, ut ordine, ita tempore quoque post hanc epistulam collocandae sunt.

2 *Ubi primum scribendi mihi ad vos copiam familiaris ingessit occasio, non distuli desiderium tui scriptione testari.* ergo haec quoque epistula prima est, quam Symmachus ex itinere aliquo, a praecedenti videlicet diverso, ad filium misit. cum autem annos 400—401 in praetura eius partim praeparanda partim celebranda una cum eo consumpserit, profectionem hanc alteram ad legationem initio a. 402 susceptam refero. v. p. LXIII.

3. 5. 6. 9—12 in peregrinatione aut hiemis 399/400 aut anni 402 scriptae sunt.

4. 7. 8 de Stilichonis ludis consularibus loquuntur, a. 400. v. ad epist. 1.

13. 14 legationem Symmachi describunt, a. 402 ineunte. v. ad epist. 2.

VII 15—25 AD ATTALVM.

Priscus Attalus[850] ex provinciis imperii Asiaticis originem duxit[851]. patrem eius Ampelium fuisse crediderim et propter filium avo cognominem[852] et praenominis *P.* causa in inscriptione Calamensi Ampelio tributi[853], quod illo saeculo aptius *Priscus* quam *Publius* legi potest[854]. accedit quod is, cuius filium Attalum puto, Antiochenus erat[855] et quod Symmachus iura heredum eius tanto cum ardore defendit[856], ut in-

849) VIII 21; cf. p. LXXII.

850) Eckhel, Doctrina nummorum veterum VIII p. 180; Cohen, *Description historique des monnaies frappées sous l'empire Romain VI p. 497;* Froehner, *Les Médaillons de l'empire Romain p. 344.*

851) Philost. XII 3 Ἴων μὲν τὸ γένος, Ἕλλην δὲ τὴν δόξαν.

852) Zosim. VI 12 τὸν δὲ Ἄτταλον ταῖς πάντων ὄψεσιν ἰδιώτην ἀπέδειξε, κατασχὼν παρ' ἑαυτῷ μετὰ τοῦ παιδὸς Ἀμπελίου.

853) C. I. L. VIII 5337 *D(omino) n(ostro) Fl(avio) Valentiniano pio felici Aug(usto) victori semper, procons(ulatu) P. Ampeli c(larissimi) v(iri) Q. Basilius Flaccianus, fl(amen) p(er)p(etuus), augur, cur(ator) rei p(ublicae), cum devotissimo ordine posuit et d(e)d(icavit).*

854) Cf. *F.* pro *Furius* in titulo, quem in adnotatione 630 descripsi; *P.* pro *Pontius* C. I. L. VIII 221; *P.* pro *Pescennius* C. I. L. VIII 870; *I.* pro *Iulia* C. I. L. VIII 1730; ne *Publius* legamus, ea quoque lex vetat, quod ubi duo tantum nomina ponuntur, saeculo quarto praenomen omitti solet.

855) Amm. XXVIII 4, 3 *post hunc* (scil. Olybrium) *urbem rexit Ampelius, cupidus ipse quoque voluptatum, Antiochiae genitus, ex magistro officiorum ad proconsulatum geminum, indeque multo postea ad praefecturae culmen evectus, laetus alia et ad populi favorem adipiscendum aptissimus, non numquam tamen rigidus atque utinam in proposito perseverans.* cf. XXVIII 1, 22.

856) V 54. 66.

tima cum iis familiaritate coniunctum fuisse appareat. Ampelius summa litterarum gloria floruit maximeque in genere epistulari clarus habebatur[857]. cum filius eius fidem gentilium professus sit[858], de ipso quoque idem statuendum erit, et certe cum religionis antiquae summis in Oriente defensoribus amicitiam colebat, a Libanio cive suo epistulas accepit[859], a Himerio declamatio ei inscripta est[860]. in primo, quem gessit, magistratu Cappadociae cum honore praesidis praefuisse videtur[861], postea magister officiorum et bis proconsul factus est[855], primum fortasse Asiae[860], iterum Africae[853], quo in magistratu commemoratur d. 13 Mai. a. 364[862]. Olybrio successit in praefectura urbana inter d. 21 Aug. a. 370 et kal. Ian. a. 371, honoremque deposuit inter d. 5 Iul. et 22 Aug. a. 372[863]. a. 397 iam mortuus erat, quippe qui a Symmacho in epistulis V 54. 66 eo anno aut praecedenti scriptis *inlustris memoriae vir* appellaretur.

Attalus a patre Privatum praeceptorem liberalium doctrinarum accepit, qui cum Romanus esset[864], in urbe si non natus[865], saltem educatus est. honorem spectabilem iam ante Flaviani maioris mortem (a. 394) gesserat[866]; initio anni 398 legatus ad Honorium missus est, ut praediis senatorum vacationem dilectus impetraret (v. adn. 318). eodem munere post primam urbis obsidionem a. 409 functus imperatori quidem persuadere non potuit, ut pacem cum Alaricho componeret, sed nihilominus comes sacrarum largitionum[867] et anno eodem praefectus urbi factus est[868]. quoniam

857) Apoll. Sidon. carm. I 299 *sed ne tu mihi conparare temptes, quos multo minor ipse plus adoro, Paulinum Ampeliumque Symmachumque.*

858) Sozom. IX 9 οἱ μὲν γὰρ τεκμηράμενοι τῆς Ἀττάλου προαιρέσεως καὶ τῆς προτέρας ἀγωγῆς, εἰς τὸ προφανὲς ἑλληνίσειν αὐτὸν ἡγοῦντο καὶ τοὺς πατρίους ἀποδιδόναι ναοὺς καὶ ἑορτὰς καὶ θυσίας. cf. adn. 851.

859) Liban. epist. 208. cf. 318.

860) Phot. cod. 165 p. 108 B 3 Bekk. πάλιν εἰς Ἀμπέλιον τὸν ἀνθύπατον. declamationes Himerii, quae proconsulibus inscriptae sunt, aut ἀνθυπάτους nulla provinciae mentione adiecta nominant, aut ἀνθυπάτους τῆς Ἑλλάδος; exempli gratia: εἰς τὸν ἀνθύπατον Βασίλειον καὶ πάλιν εἰς τὸν αὐτὸν Βασίλειον, εἰς Ἑρμογένην τε τὸν τῆς Ἑλλάδος ἀνθύπατον, καὶ εἰς Πλωτιανὸν τὸν ἀνθύπατον, πάλιν εἰς Ἀμπέλιον τον ἀνθύπατον, καὶ εἰς τὸν ἀνθύπατον τῆς Ἑλλάδος Πραιτεκστᾶτον καὶ τοὺς ἑταίρους. cum igitur provincia Asia numquam nominetur, omnes eos, qui ἀνθύπατοι nude dicuntur, ad eam retulerim.

861) Liban. epist. 208 ad Ampelium: δόξεις τε ἐπιλελῆσθαι τῆς φιλτάτης σοι Καππαδοκίας.

862) Cod. Theod. XIII 5, 10.

863) *Die Reihe der Stadtpräfecten bei Ammianus Marcellinus.* Herm. XVIII p. 290. 300. praefectus urbi commemoratur kal. Ian. a. 371 Cod. Theod. XV 10, 1. d. 17 Mai. a. 371 Cod. Theod. XVI 2, 21. d. 29 Iul. a. 371 Cod. Theod. II 4, 3. d. 16 Aug. a. 371 Cod. Theod. IV 6, 4. d. 6 Dec. a. 371 Cod. Theod. IX 16, 10. d. 11 Dec. a. 371 Cod. Theod. VIII 5, 32. d. 2 Mart. a. 372 Cod. Theod. XVI 5, 3. d. 5 Iul. a. 372 Cod. Theod. VI 7, 1 + 9, 1 + 11, 1 + 14, 1 + 22, 4. sine die Cod. Iust. I 28, 2. Haenel, corp. leg. p. 224.

864) Phot. cod. 165 p. 108 A 28 εἰς Πριβᾶτον Ῥωμαῖον παιδεύοντα τὸν παῖδα Ἀμπελίου τοῦ ἀνθυπάτου. fragmenta huius orationis publici iuris fecit Wernsdorf, Himerii sophistae quae reperiri potuerunt. Gottingae 1790 p. 856.

865) Fortasse in provincia Asia patre proconsule natus est; ita enim Philostorgium intellegendum esse puto, qui eum Ἴωνα τὸ γένος dicit. v. adn. 851.

866) 67, 7.

867) Zosim. V 44 ἐπέμποντο παρὰ τῆς γερουσίας εἰς τὴν Ῥάβενναν πρέσβεις Καικιλιανὸς καὶ Ἄτταλος καὶ Μαξιμιανός, οἳ πάντα ἀποδυρόμενοι τὰ συμβάντα τῇ Ῥώμῃ καὶ τὸ πλῆθος τῶν ἀπολωλότων ἐκτραγῳδήσαντες ἤνυσαν πλέον οὐδὲν Ὀλυμπίου συνταράσσοντος πάντα καὶ τοῖς καλῶς ἔχειν δοκοῦσιν ἐμποδὼν γινομένου. ταύτῃ τοι τοὺς πρέσβεις ἐάσας ἀπράκτους ἐφ᾽ οἷς ἐληλύθασι, παρελύσας Θεόδωρον τῆς τῶν ὑπάρχων ἀρχῆς Καικιλιανῷ ταύτην παρέδωκεν, Ἄτταλον δὲ προεστάναι τῶν θησαυρῶν ἔταξεν.

868) Zosim. V 46; VI 7; Olympiod. ap. Phot. c. 80 p. 57 A 9; Sozom. IX 8; Philost. XIII 3; Chron. pasch. ad a. 411.

autem hoc in magistratu positus Alaricho iubente a senatu imperator electus est, reliqua eius fata iam non ad prosopographiam Symmachianam sed ad historiam Romanam pertinent.

---

15 Attalus in villam Laurentem invitatur, ubi Symmachus ultimis a. 394 mensibus et autumno a. 397 egit. v. p. LXII. cum autem epistulae verba eam hilaritatem prodant, quae post Flaviani maioris mortem consobrinum et amicum parum decuerit, annum posteriorem praeferendum esse puto. accedit, quod Attali villa Tiburs iam commemoratur, quam proxime in ius eius venisse, epist. 20 vere a. 397 scripta tradit.

18 Symmachus valetudine restituta[869] Formiis Romam et rursus in suburbanum aliquod profectus est (v. adn. 273); de Attali rure Tiburte sermo est. mense Octobri a. 397. v. p. LXI.

19 ruris Tiburtis mentionem facit, post a. 396. v. ad epist. 15.

20 Tibure data vere a. 397. v. p. LXV.

21 respondet epistulae Attali, quam mense Martio a. 398, cum legatus Mediolanium missus esset, Symmacho in Vaticano agenti ex itinere miserat. v. p. LXV et adn. 318.

22 Attali reditus expectatur, id quod fortasse ad eandem peregrinationem referendum est.

24 Neapoli data mense Octobri a. 396. v. p. LXII.

VII 26—29 AD MACEDONIVM.

Symmachi temporibus in partibus Occidentis Macedonii reperiuntur tres. primus a. 381 comes sacrarum largitionum[870] et paulo post magister officiorum erat[871]. Gratiano interfecto, apud quem summa potentia usus esse videtur, capitis accusatus ad ecclesiam confugit, sed cum aditum non reperiret[872]), captus et a. 384 aut 385 ad Symmachum praefectum urbi missus est, ut in foro senatorum proprio causam diceret[873]). quo iudicio condemnatus poenam maiestatis subiisse videtur. Macedonius alter a. 410 comitivam rerum privatarum gessit[874]. tertius, Augustini amicus, circa

869) 182, 1 *utrum crebra vectatio campi aut maris valetudinem meam iuverit.*

870) Cod. Theod. XI 30, 39 proposita d. 18 Mart. a. 381.

871) Sulpic. Sev. chron. II 18, 5; 49, 3; Paulin. vit. Ambros. 37. cf. Symm. p. 311, 22; 315, 1

872) Paulin. l. l. *temporibus vero Gratiani — cum ad praetorium Macedonii tunc magistri officiorum pro quodam intercedendum perrexisset atque ex praecepto supradicti viri fores invenisset clausas nec copiam ingrediendi adeptus esset, ait: 'et tu quidem venies ad ecclesiam nec clausis ianuis invenies, qua ingrediaris'. quod factum est. mortuo enim Gratiano confugiens Macedonius ad ecclesiam patentibus ianuis aditum reperire non poterat.*

873) Relat. 36.

874) Cod. Theod. VII 13, 20 data d. 8 Febr. a. 410.

a. 414 vicariam per Africam praefecturam[875]. accedunt in Oriente Macedonius vel potius Macedonii Antiocheni, de quibus multus in Libanii epistulis sermo est[876].

Is, ad quem Symmachus scripsit, a magistro officiorum diversus est; nam epistulae 26 et 27 a. 397 datae sunt, hic autem iam a. 384 aut 385 poena capitali periisse videtur. de reliquis indicium certum ferri non potest, sed neque comitem rerum privatarum neque vicarium Africae eundem cum Symmachi amico putaverim. is enim, cum ab Attalo pietatem et obsequium exigere posset[877], aut patruus aut avunculus aut socer eius erat, quis autem credat, iisdem annis, quibus ille purpuram iterum tertiumque resumpsit, necessitudines eius summis magistratibus ab imperatore legitimo exornatos fuisse? restant igitur Macedonii orientales, quorum unum Romam migrasse Attalique cognatione usum esse, eo probabilius est, quia pater quoque eius, si suspicio nostra de Ampelio vera est, ex Libanii patria originem traxerat.

26. 27 Macedonius simul cum Attalo Tibure Romam reversus est et a Symmacho epistula priore Laurentum invitatur. cum ipse se excusaverit, litterae alterae ab eo petunt, ut saltem Attalum proficisci permittat. haec simul cum epist. VII 15 scripta esse, vel primo obtutu patet.

28 febris Symmachi autumnum a. 396 indicare videtur. v. adn. 302.

VII 30—34 AD ATTICVM.

Nonius Atticus Maximus[878] fidei christianae addictus erat[879]. a. 384 praefecturam praetorio per Italiam gessit[880], a. 397 consul factus est.

30 Symmachus ad Attici consulatum evocatus adventum suum promittit, ultimis a. 396 mensibus.

32 Symmachi filius aeger, ipse febri attemptatus itinere lento Romam repetit, mense Novembri a. 396. v. p. LXVIII.

875) Augustin. epist. 152. 153. 155.

876) Liban. epist. 26. 82. 83. 120. 586. 699. 791. 792. 793. 991. 992. 1134. 1261. 1378. 1420. 1506.

877) 181, 19 *posset hoc esse credibile, si filium meum Attalum ad nos venire patereris. in tuo enim iure est, tuis monitis adquiescit; quod quidem fieri oportere consentio, sed non eatenus pontificium tuum in nostra damna protendas!* si Macedonius Attali pater fuisset, Symmachus profecto scripsisset: *filium nostrum* non *filium meum.*

878) De nominibus eius v. de Rossi, Inscr. christ. urb. Rom. I p. 198.

879) De Rossi l. l.

880) Cod. Theod. XIII 1, 12 data d. 13 Mart. a. 384.

VII 35–41 AD DECIVM.

Decium, Albini filium[881], praefectum urbi a. 402, nullum alium esse quam Caecinam Decium Albinum, qui in eodem magistratu positus Arcadio Augusto statuam in monte Aventino dedicavit[882], iamdudum cum ex nomine patri et filio communi tum ex tempore praefecturae intellectum est. gens, ex qua originem duxit, facile nobilissima sui temporis erat. siquidem non solum Clodium Albinum, qui cum Severo de imperio certaverat, inter maiores suos numerabat[883], quod fortasse non meliore iure fecit, quam quo Scipiones saeculi quarti Africanis atavis gloriabantur, sed etiam cum Constantino magno affinitate, cum Iuliano Augusto cognatione coniuncta erat. haud difficile ergo perspicitur, cur Valentinianus Lollianum, qui ex hac familia ortus erat, ob levem maleficii suspicionem occidi iusserit et fratrem eius Caecinam Albinum, Decii nostri patrem, numquam ultra consularis dignitatem promoverit. sed haec melius intellegentur, si prius Albinorum stemma illustraverimus, quo in componendo una potissimum re adiuti sumus.

Qui ex sola nominum ratione origines hominum saeculi quarti se assecuturos esse sperant, plerumque in errores apertissimos inducuntur, cum non tantum ex genere materno filii nuncupati sint et ita quidem, ut etiam avunculorum matris interdum ratio haberetur[884], sed ad patrum libidinem nonnumquam nomina sint excogitata. exempli gratia Ausonius, postquam filium natu maximum a se ipso appellavit, alterum Hesperium dixit, cuius nominis in tota familia eius, quae ex parentalibus notissima est, nec vola nec vestigium apparet. utrumque videlicet filium patris memoriam illustrem etiam nominibus retinere voluit, et quoniam Vergilius adiectivis Ausonius et Hesperius promiscue usus erat, minori cognomen synonymum suo imposuit[885]. sed haec licentia virum loco humili ortum prodit: qui genere gloriari poterant, nominibus quoque hereditariis gaudebant neque facile aliis utebantur, nisi quae aut paternae aut maternae nobilitatis indicio essent. praeterea certae quaedam leges in singulis familiis deprehenduntur, ut in gente oratoris nostri filii natu maximi semper nomen Symmachi gerebant et omnes Sexti Petronii Probi maiores et filii aut cognomine Probo aut ab eo derivatis Probino et Probiano nuncupati sunt[886]. in Caeioniorum autem familia is mos observatus est, ut patres filiis, quos primos suscepissent, ultimum semper avi nomen imponerent, qua ratione Volusiani et Albini per singulas aetates alternabant.

---

881) Macrob. sat. I 2, 3 *hoc unum, Deci, nobis — ut et ipse, quantum tua sinit adulescentia, videre et ex patre Albino audire potuisti — in omni vitae cursu optimum visum est* etc.

882) C. I. L. VI 1192 *D(omino) n(ostro) Fl(avio) Arcadio pio felici victori ac triumfatori semper Augusto Caecina Decius Albinus v(ir) c(larissimus), praefectus urbi vice sacra iudicans, devotus numini maiestatique eius.*


883) Capit. vit. Albini 4, 1 *originem a Romanis familiis trahens, Postumiorum scilicet et Albinorum et Ceioniorum. quae familia hodie quoque, Constantine maxime, nobilissima est et per te aucta et augenda, quae per Gallienum et Gordianos plurimum crevit.*

884) Filius Pomponii Maximi et Iuliae Dryadiae nomen accepit a Magno Arborio matris avunculo; v. p. LXXVI.

885) Cf. Dryadiam filiam Arborii, Idaliam filiam Veneriae, Melaniam neptem Maurae; p. LXXVI.

886) Quod unus e Probi filiis Olybrius avi materni nomen gessit, causam aliquam peculiarem habuisse videtur. fortasse maior Olybrius filium morte immatura amiserat et aeternitati nominis sui hoc modo per nepotem consulere voluit. v. p. XCVI.

STEMMA ALBINORVM ET VOLVSIANORVM.



Nomina eorum, quorum cognationes expressis verbis traditae sunt, lineis crassioribus inter se coniunguntur.
Nomina eorum, qui in Symmachi scriptis commemorantur, litteris maiusculis expressa sunt.

I Rufii Volusiani duo, fratres fortasse patrueles, confundi solent, praesertim cum more illius saeculi (v. adn. 138) eodem tempore in magistratibus positi fuerint. ad priorem ex eis pleno nomine C. Caeionium Rufium Volusianum nuncupatum referendae sunt inscriptiones quattuor, quas ordine chronologico dispositas subiecimus:

1) C. I. L. X 1655 Puteolis. *Fortissimo et piissimo principi suo M. Aurelio Carino Rufius Volusianus v(ir) c(larissimus), eorum iudicio beatissimus, iterum corrector.* Carinus imperium obtinuit a. 283—284. quod Volusianus iterum corrector dicitur, munus tum annuum fuisse indicat.

2) C. I. L. VI 1140 Romae in foro Traiano. *D(omino) n(ostro) restitutori humani generis, propagatori imperii dicionisq(ue) Romanae, fundatori etiam securitatis aeternae, Fl(avio) Val(erio) Constantino felici maximo pio semper Augusto, filio divi Constanti semper et ubique venerabilis, C. Caeionius Rufius Volusianus v(ir) c(larissimus), consul ordinarius, praef(ectus) urbi vice sacra iudicans, numini maiestatiq(ue) eius dicatissimus.* Titulus positus est in priore Volusiani praefectura, quam simul cum consulatu gessit inde a d. 28 Oct. a. 310 usque ad d. 28 Oct. a. 311[887].

3) C. I. L. VI 1707 Romae. . . . . *religiosissimoque C. Caeionio Rufio Volusiano v(iro) c(larissimo), corr(ectori) Italiae per annos octo, proconsuli Africae, comiti domini nostri Constantini invicti et perpetui semper Augusti, praefecto urbi iudici sacrarum cognitionum, consuli.* dedicata est statua inter primum consulatum a. 311 et secundum a. 314. cf. Mommsen, *Memorie dell' Instit. II p. 505.*

4) Inscriptio quarta C. I. L. VI 1708 per codicem Einsiedlensem nobis tradita trunca est, quod cum viri docti hucusque non intellexerint, restitutionem meam h. l. propono:

CEIONIVM. RVFIVM. ALBINVM. V. C. CONS. *ord. praef. urb.* . . . .
PHILOSOPHVM. RVFI. VOLVSIANI. BIS. ORDINARII. CONS. *bis praefecti urbis et praefecti praetorio*
FILIVM. SENATVS. EX. CONSVLTO. SVO. QVOD. EIVS. LITTERIS. *exoratus d. n. constantinus max. p. f. aug.*
POST. CAESARIANA. TEMPORA. ID. EST. POST. ANNOS. CCCLXXX. ET. I. *sibi praetor. quaestorumq. creandor.*
AVCTORITATEM. DECREVERIT.
FL. MAGNVS. IENVARIVS. V. C. CVR. STATVARVM. *ponendum curavit*[888].

Volusianus igitur corrector Italiae factus est a. 282 aut 283, magistratum deposuit a. 289 aut 290; proconsulatum Africae gessit inter annos 290 et 308, comitivam inter 306 et 310, praefecturam urbi priorem a d. 28 Oct. a. 310 usque ad d. 28 Oct. a. 311, alteram a d. 8 Dec. a. 313 usque ad d. 20 Aug. a. 315[889], praefecturam praetorio a. 321[890]; consul erat annis 311 et 314. Rufii Volusiani alterius semel tantum mentio fit, cum a. 311 praefectus praetorio a Maxentio contra Alexandrum tyrannum cum exercitu missus est Africamque ab eo recepit[891], sed a cognomine suo eum diversum fuisse vel ex eo perspicitur, quod ille eodem tempore praefectus urbi fuit, quo munere praeditus in provincias longinquas proficisci non potuit. et per

887) Chronogr. a. 354. de consulatu a. 311 gesto v. Tillemont, *Constantin. note 28.*

888) Traditur v. 3 *finium* pro *filium* et *liberis* pro *litteris.*

889) Chronogr. a. 354. Cod. Theod. XIII 5, 1; V 6, 1; XI 36, 2.

890) Lex proposita kal. Aug. a. 321 Cod. Theod. XIII 3, 1 cum adn. Gothofr.; sine die Cod. Iust. IV 35, 21; XII 1, 2.

891) Zosim. II 14; Aur. Vict. Caes. XL 18.

totum saeculum quartum semper bini modo Volusiani modo Albini eiusdem fere aetatis deprehenduntur; cum igitur duas familiae stirpes fuisse constet, origo eorum in duobus illis Rufiis Volusianis, altero a. 311 praefecto urbi, altero eodem anno praefecto praetorio, quaerenda est.

II Caeionium Iulianum Camenium[892] Volusiani prioris fratrem feci cum propter nomen Caeionium utrique commune, tum quia gentilicium Publilium, quod filius eius gessit, in hac Rufiorum stirpe postea quoque repetitur (VII). Iulianus aliquis Iulii Constantii Caesaris socer, Iuliani Augusti avus maternus fuit[893], quem viri docti hucusque eundem cum Anicio Iuliano consule a. 322 crediderunt; quod falsum esse, p. XCII probavi. quoniam igitur tertius Iulianus non reperitur, qui Constantini magni temporibus clarus habitus sit, gloriam propaginis tam illustris ad Camenium nostrum refero, praesertim cum Caeioniorum nobilitas a Iulio Capitolino in libro imperatori dedicato eo modo efferatur[894], ut facile conicias, affinitate eos Augusta usos esse. accedit, quod Iuliani Caesaris avus sub tyranno aliquo praefectus praetorio fuerat, sed post Constantini victoriam dignationem retinuit summisque honoribus ab eo affectus est[893]. nam paene eadem in Volusiano advertimus, qui sub Maxentio praefectus urbi et consul factus erat et eosdem honores paulo post a Constantino iterum accepit. cum igitur Augustorum favores plerumque non in singulis hominibus subsisterent, sed ad totas eorum familias extendi solerent (a. adn. 138), haec quoque fortunae similitudo me movit, ut Iuliani imperatoris avum Volusiani fratrem crederem. praefectus igitur praetorio factus est ante annum 312 magistratumque retinuit saltem usque ad d. 28 Apr. a. 316[895]. consul processit a. 325. praefectus urbi fuit inde a d. 10 Mai. a. 333 usque ad d. 27 Apr. a. 334. Chronogr. a. 354.

III Publilii Caeionii Iuliani nomen integrum haec inscriptio sola servavit: C. I. L. VI 1159 *D(omino) n(ostro) Constantio Augusto Memmius Vitrasius Orfitus v(ir) c(larissimus), praef(ectus) urb(i) iud(ex) sac(rarum) cogn(itionum) iter(um), d(icatus) n(umini) m(aiestati)q(ue) eius, curante Publilio Caeionio Iuliano v(iro) c(larissimo)*. tempus, quo statuam Constantii ponendam curavit, praefecti mentione definitur; Orfitus enim primum urbem regebat et, cum ante proconsul Africae fuisset, iterum vice sacra iudicabat a. 351 et 355[896]. de hoc Iuliano, quem propter temporis nominisque rationem cum Iuliani imperatoris avunculo, qui a. 362 exeunte comes Orientis mortuus est, eundem fuisse puto, vide Gothofredum in prosopographia codicis Theodosiani.

IV Basilina Iuliani Augusti mater *iam inde a maioribus nobilis* commemoratur Amm. XXV 3, 23; Pallad. vit. Chrysost. ed. Paris. 1680 p. 126; Athan. ad monach. 5. mortua paucis mensibus, postquam filium unicum enixa est. Iulian. Misopog. p. 352 B.

892) Nomen integrum legitur ap. Chronogr. a. 354. *Ceionius Iulianus* Vopisc. Firm. 2, 1.

893) Liban. epitaph. p. 524 de Iulio Constantio: γήμας δὲ ὑπάρχου θυγατέρα χρηστοῦ τε καὶ νοῦν ἔχοντος, ὃν ὁ πολέμιος (*scil. Constantinus*) νενικηκὼς ᾐδέσθη καὶ τοὺς αὑτοῦ παρεκάλεσεν εἰς ἐκεῖνον βλέποντας ἄρχειν, ποιεῖται τουτονὶ τὸν ἄριστον (*scil. Iulianum Augustum*) καὶ τιμᾷ τὸν κηδεστὴν τῇ προσηγορίᾳ τοῦ παιδός.

894) Clod. Alb. 4, 2 *quae familia hodie quoque, Constantine maxime, nobilissima est et per te aucta et augenda, quae per Gallienum et Gordianos plurimum crevit.* 13, 5 *illae gentes Ceioniorum Albinorum Postumiorum, de quibus patres vestri, qui et ipsi ab avis suis audierant, multa didicerunt.*

895) Haenel, Corp. leg. p. 193. *exemplum epistulae praefectorum praetorio ad Celsum vicarium. Petronius, Annianus et Iulianus Domitio Celso vicario Africae. — Hilarius princeps obtulit IV kal. Mai. Treviris.*

896) v. Herm. XVIII p. 293. 299.

V Caecionium Rufium Albinum[897] Volusiani bis consulis filium dicit inscriptio sub I 4 relata. consul erat a. 335, praefectus urbi a d. 30 Dec. a. 335 usque ad d. 10 Mart. a. 337. Chronogr. a. 354. quia in titulo supra laudato philosophus appellatur, hunc eundem esse puto. de quo Boëthius (comm. in Arist. περὶ ἑρμην. edit. sec. I 1) haec scribit: *Albinus quoque de iisdem rebus scripsisse perhibetur, cuius ego geometricos quidem libros editos scio, de dialectica vero diu multumque quaesitos reperire non potui.*

VI C. Caeionius Rufius Volusianus qui et Lampadius. 1) C. I. L. VI 3866 Romae. *Castellum aquae Claudiae regioni pr[imae] dispositio dedit et usui tradidit, iussu [mode]rationis augustae d(ominorum) n(ostrorum) Valentin[iani] et Valentis victorum, Gai Caeioni Rufi Volusiani v(iri) c(larissimi), ex pra[ef(ecto) praet(orio)], praef(ecti) urbi iudicis iter(um) sacrar(um) cogn[itionum], curante Eustochio v(iro) c(larissimo) consulare aquar[um].*

2) C. I. L. VI 1170 Romae in thermis Antonianis. *D(omini) n(ostri) Valentinianus et Valens Augusti ornatui publico constitui locarique iusserunt, administrante Rufio Volusiano v(iro) c(larissimo), ex praef(ecto) praet(orio), praef(ecto) urbi iud(ice) iterum sacrar(um) cog[nit(ionum)].* cf. 1171—1174.

3) C. I. L. VI 535+. *M. D. M. I. et Attinis sacr. Flavius Rufius Sabinus Volusianus vir clarissimus et inilusiss. pontif. minor vicarius Asiae et Cecina Lolliana clarissim. et inilustrss. fem. stat. ex aere s. p. dedicarunt.* has ineptias excogitatas esse a Ligorio, falsario notissimo, cuius auctoritate inscriptionis lectio nititur, non est quod moneam, sed cum eas confingeret, fragmento tituli genuini fonte usus est. nam Lampadii filium Lollianum cognominatum fuisse, Ammianum testem habemus (XXVIII 1, 26), et Caecinae gentilicium in ea hominum aetate, quae Volusianum nostrum sequitur, primum in Rufiorum familiam inductum est. quae cum coniunctionem aliquam inter Caeionios et Caecinas Lollianos illo tempore initam esse certum reddant, Ligorium nomina uxoris integrum et mariti secundum et ultimum non ingenio debuisse satis comprobant.

Hunc Volusianum eundem esse, quem scriptores rerum Lampadium nuncupare solent, probavi Herm. v. XVIII p. 294. praefectus praetorio Italiae commemoratur inde a kal. Ian. usque ad d. 30 Iul. a. 355[898], praefecturam urbis iniit inter d. 9 Mart. et 1 Apr. a. 365, deposuit inter d. 17 Sept. a. 365 et 1 Oct. a. 366. v. adn. 896.

VII Publilii Caeionii Caecinae Albini matrem patremque nomen eius prodit, quod integrum conservatum est per quinque provinciae Numidiae, quam administravit, titulos, ex quibus unum descripsisse sufficiat: C. I. L. VIII 2388 Thamugadi. *Pro magnificentia saeculi d(ominorum) n(ostrorum) Valentiniani et Valentis semper Augustorum [quat]tuor porticus Capitoli seriae vetustatis absumptas et usque ad ima fundamenta c[ollapsas] novo opere perfectas exornatasque dedicavit Publilius Caeionius Caecin[a Albi]nus vir clarissimus consularis, curantibus Aelio Iuliano iterum rei publicae [curatore], Fl(avio) Aquilino f(lamine) p(er)p(etuo), Antonio Petroniano f(lamine) p(er)p(etuo), Antonio Ianuariano*

897) Rufius Albinus dicitur ap. Chronogr. a. 354. cf. de Rossi, Inscr. christ. urb. Rom. 41.

898) Kal. Ian. a. 355 Cod. Theod. XI 34, 2. d. 18 Febr. a. 355 Cod. Iust. VI 22, 6. d. 30 Iul. a. 355 Cod. Theod. XI 30, 26 + 36, 12. cf. Amm. XV 5, 4; XXVII 3, 5; XXVIII 1, 26; Zosim. II 54.

f(lamine) p(er)p(etuo). cf. 2242. 4767. 6975. 7975. cum Macrobius, a quo in saturnalibus loquens inducitur, Aurelium Symmachum et Caecinam Albinum *cum aetate tum etiam moribus ac studiis inter se coniunctissimos* dicat[899]), hic idem Albinus fuisse videtur, ad quem epistula VIII 25 scripta est. et amicorum par ille eodem quoque sacerdotum collegio coniunctum fuit, siquidem Albinus pontifex. quem Hieronymus anno 403 senem commemorat, a nostro diversus non est. quamvis antiquae religionis sectator, uxorem tamen christianam duxit, quae filiam in fide sua educavit[900]).

VIII Lollianus Lampadii filius. Amm. XXVIII 1, 26 *circa hos dies Lollianus primae lanuginis adulescens, Lampadi filius ex praefecto, exploratius causam Maximino spectante convictus codicem noxiarum artium nondum per aetatem firmato consilio descripsisse exulque mittendus, ut sperabatur, patris inpulsu provocavit ad principem, et iussus ad eius comitatum duci de fumo, ut aiunt, in flammam, traditus Phalangio Baeticae consulari cecidit funesti carnificis manu.*

IX Volusianus comes rerum privatarum praescribitur legi datae d. 29 Nov. a. 408 Cod. Theod. V 14, 7 (31)[901]). filium eum Caecinae Albini credo propter illam inter nomina Albini et Volusiani alternandi legem, quam in familia Caeioniorum semper observatam esse vidimus; nullus enim alius Albinus innotuit, ad quem origo eius referri posset. praeterea matrem Volusiani nostri religionem christianam coluisse, ex Augustini epistulis constat[902]), et Caecina impar matrimonium, ut Hieronymi verbo utar, re vera inierat. Volusianus ipse in litteris ad episcopum Hipponensem scriptis (August. ep. 135, cf. 136) christianos cavillatur; num autem historia conversionis eius, quae in actis sanctae Melaniae[903]) narratur, fide satis digna sit, iis expendendum relinquo, qui in difficillimis historiae sacrae fontibus magis quam ego versati sunt.

X Caecinam Decium Acinatium Albinum[904]) ad stirpem Caecinae Albini pertinere, docent nomina eius; Volusiani eum filium feci eadem nominum lege adductus, quam modo exposui. quod autem inter patris comitivam filiique praefecturam urbanam non plus quam sex anni intersunt, eo explicatur, quod hic in pueritia[905]), ille satis tarde honorum cursum ingressi sunt. nam si aetatem Caecinae Albini spectamus, filium eius natu maximum quinquagenarium fere comitivam rerum privatarum gessisse effi-

899) Saturn. I 2, 15.

900) Hieron. ep. 107, 1 ad Laetam: *tu es nata de inpari matrimonio, de te et Toxotio meo Paula generata est: quis hoc crederet, ut Albini pontificis neptis de repromissione matris nasceretur, ut praesente et gaudente avo parvulae adhuc lingua balbutiens Christi alleluia resonaret et virginem dei in suo gremio senex nutriret?*

901) Vir inlustris appellatur August. epist. 132. 136. 137. 138; de fide spe et carit. 10.

902) August. epist. 132 *de salute tua, quam et in hoc saeculo et in Christo esse cupio, sanctae matris tuae votis sum fortasse etiam ipse non impar.* cf. epistulam Marcellini ap. August. epist. 136.

903) Baron. annal. eccl. V p. 728.

904) Nomina eius integra reperiuntur: C. I. L. VI 1659 Romae inter Tiberim et Aventinum. *Salvis d(ominis) n(ostris) Honorio et Theodosio p(iis) f(elicibus) semp(er) Aug(ustis) Caecina Decius Acinatius Albinus v(ir) c(larissimus) praef(ectus) urbi facto a se adiecit ornatui.* C. I. L. VI 1703 Romae in Aventino. *Salvis ac florentibus d(ominis) n(ostris) Honorio et Theodos[io] perpetuis semper Aug(ustis) Caecina Decius Acinatius Albinus v(ir) c(larissimus) praef(ectus) urbi vice sacra iudicans cellam tepidariam inclinato omni pariete labent[em], de qua cellarum ruina pendebat, erectorum a fu[n]damentis arcuum duplici munitione fulcivit, d(icatus) n(umini) m(aiestati)q(ue) eorum.* cf. C. I. L. VI p. 860, 98.

905) Rutil. Namat. I 466 *Albini patuit proxima villa mei* (apud Vada Volaterrana). *namque meus, quem Roma meo subiunxit honori, per quem iura meae continuata togae. non expectatos pensavit laudibus annos, vitae flore puer, sed gravitate senex.*

citur[906]. — Acinatius Albinus primas in re publica partes egit. praefectus urbi ante d. 17 Sept. a. 414 successit Claudio Rutilio Namatiano[907], iterum eodem munere functus est a. 426[908]. praefectus praetorio Galliarum erat a. 440[909], Italiae annis 443—448[910], consul a. 444, patricius inde ab a. 446[911].

XI Vnum ex filiis Caecinae Albini Gregorii nomen gessisse, ex epistula ad eum scripta VIII 26 discimus[912]. itaque propter tempus gentemque Caeioniam hanc ad eum inscriptionem rettuli: C. I. L. VI 1706 Romae. *Gregorii v(iri) c(larissimi). Cheionio Contucio v(iro) c(larissimo) ob egregia facta et rarum veteris sanctitatis exemplar inlustrat[o]ri prosapiae suae, cuius ope auctam instauratamq(ue) tota se Piceni et Flaminiae provincia gratulatur, quo indicante quasi quodam parent[e] primevo singulae civitates in pristinam faciem revocatas esse letantur, Foronorani desideria totius provinciae praecedentes statuam ad viracem recordationem et sempiterna[m] memoriam posuerunt. Dedic(ata) e XIII kl. Dic. Fl(avio) Stilichone v(iro) c(larissimo) co(n)s(ule).* a. 400.

XII Ad Laetam Albini pontificis filiam scripsit Hieronymus epistulam 107, ubi maritum quoque eius et filiam nominat.

XIII De iis, quos hoc loco composuimus, nihil innotuit praeter nomina et tempora magistratum. Albinus vicarius Hispaniarum praescribitur legi datae d. 7 Apr. a. 341[913], consul erat a. 345. Volusianus alter vicariam urbis praefecturam gessit d. 30 Apr. a. 355[914], alter in eodem magistratu commemoratur d. 6 Aug. a. 365 et d. 18 Febr. a. 366[915]. quod magistratus alterius in Volusiani Lampadii praefecturam praetorio, alterius in eiusdem praefecturam urbanam incidit, certe non casu factum est, sed suffragio propinqui.

XIV Caeionius Rufius Albinus[916], quamquam a Macrobio inter socios et convivas Praetextati et Symmachi numeratur, tamen christianus fuit; nam libellus Ambrosii

---

906) Se circa a. 412 senem fuisse, ipse indicat in epistula ad Augustinum scripta 135, 1: *meque libens in disciplinas tuas offero, veteris sententiae auctoritatem secutus, quae nullam ad perdiscendum abundare credit aetatem.*

907) Cod. Theod. XIII 5, 38. Olymp. ap. Phot. c. 80 p. 59 B 20 ὅτι μετὰ τὴν ὑπὸ Γότθων ἅλωσιν τῆς Ῥώμης Ἀλβῖνος ὁ τῆς Ῥώμης ἔπαρχος, ἤδη ταύτης πάλιν ἀποκαθισταμένης, ἔγραψε μὴ ἐξαρκεῖν τὸ χορηγούμενον μέρος τῷ δήμῳ εἰς πλῆθος ἤδη τῆς πόλεως ἐπιδιδούσης. huic necessitati subvenit lex supra laudata. cf. adn. 904 et 905.

908) Cod. Theod. V 1, 7 d. 30 Ian. a. 426. ad eandem praefecturam urbanam fortasse pertinet lex d. XV kal. Ian. Ravennae Theodosio XIII et Valentiniano III AA. conss. (a. 430), ubi scribendum esse videtur Theodosio XII et Valentiniano II (a. 426). Corp. legum ed. Haenel. p. 211.

909) Prosp. chron. ad a. 440.

910) Nov. Valent. 2, 3. 12. 13. 17. 18. 20—22. 24. 25.

911) Haec dignitas primum nomini eius additur d. 21 Oct. a. 446 Nov. Val. 20. 1.

912) v. quae in capite ultimo de hac epistula dicturi sumus.

913) Cod. Theod. XI 36, 5 + Cod. Iust. VII 62, 20.

914) Cod. Theod. III 12, 2.

915) Cod. Theod. XIV 6, 3. lex Cod. Theod. VIII 5, 22 inscripta est: *ad Volusianum p. u.*, subscripta: *prolata litteris sub die XII kal. Mart. Romae, acc. IV kal. Apr. Venabri consulatu Valentiniani et Valentis AA.* sed argumentum constitutionis et locus, ubi accepta est, docent, non ad praefectum sed ad vicarium urbis eam referendam esse. pro *consulatu* scribendum est *post consulatum*, nam mense Februario a. 365 Severus vicarius urbis erat, cui Volusianus successit. v. p. CXCII.

916) Nomen integrum legitur in inscriptionibus duabus in foro Romano repertis, quarum altera Valentinianum minorem, altera Arcadium paene iisdem verbis celebrat. C. I. L. VI 3791 *Extinctori tyrannorum ac publicae securitati[s] auctori, d(omino) n(ostro) Valentiniano perpetuo ac felici semper Augusto, Ceionius*

Mediolanensis ad Albinum, quem Eulogius commemorat[917], temporis ratione considerata ad nullum alium huius nominis virum referri potest. eum in statuae inscriptione, quam a. 389 praefectus urbi dedicavit, *iterum vice sacra iudicans* dicatur, proconsul Africae fuisse[918]) eaque administratione inter annos 381 et 388 functus esse videtur. nam usque ad a. 380 series proconsulum integra est, sed postea multae lacunae in fastis provinciae supersunt. eo enim, quod definivimus, temporis spatio tres tantum proconsules, qui anno certo ascribi possint, noti sunt:

Herasius d. 28 Aug. a. 381 Cod. Theod. XV 7, 9.

Eusignius d. 26 Febr. a. 383 Cod. Theod. XII 1, 95; Symm. IV 74.
d. 17 Iun. a. 383 Cod. Theod. I 3.

Messianus d. 17 Sept. a. 385 Cod. Theod. X 1, 13; August. contr. litt. Petill. III 30.

praeterea iisdem annis proconsulatum gessisse videntur Vindicianus[919]), Polybius[920]), Pammachius[921]), inter quos Albino tempus, quod sufficiat, relinquitur. praefectus urbi commemoratur a d. 17 Iun. a. 389 usque ad d. 21 Febr. a. 391[922]). postea inter magistratus imperii Romani non reperitur, quamvis usque ad a. 416 et fortasse ultra vixerit. v. adn. 924.

XV Rufium Antonium Agrypnium Volusianum[923]) Albini filium fuisse, docet amicus eius Rutilius Claudius Namatianus. puer proconsul Africae factus est, postea quaestor sacri palatii[924]), et autumno anni 416 Namatianus in itinere nuntium accepit, eum urbi aeternae praefectum esse[925]). eundem honorem iterum gessit a. 420[926]),

---

Rufius Albinus v(ir) c(larissimus) praef(ectus) urbi, iterum vice sacra iudicans, d(icatus) n(umini) m(aiestati)q(ue) eius. Rufius Albinus dicitur apud Macrob. sat. I 2, 16; Rufius I 4, 1; Furius Albinus I 24, 19; II 2, 7; III 14, 1; VI 1, 1; VII 8, 1; Furius III 14, 2; 18, 1; VI 1, 1; VII 1, 8; 8, 1. 7. sed dubitari nequit, quin nomen Furium ubique ex interpolatione librariorum ortum sit.

917) Ap. Phot. cod. 230 p. 271 B 29.

918) Mommsen, *Nuove Memorie dell' Instituto p. 311.*

919) August. confess. IV 5; cf. VII 8 et epist. 138, 3.

920) Ambros. epist. II 87.

921) Hieron. epist. 66, 7.

922) D. 17 Iun. a. 389 Cod. Theod. XVI 5, 18. d. 25 Iul. a. 389 Cod. Iust. VI 1, 8 + Cod. Theod. XI 30, 49. d. 7 Aug. a. 389 Cod. Theod. II 8, 19. d. 16 Aug. a. 389 Cod. Theod. IX 16, 11 + XII 16, 1 + XIV 4, 5 + 6 + XV 2, 5. d. 6 Mart. a. 390 Cod. Theod. IX 10, 4. d. 4 Apr. a. 390 Cod. Theod. XV 1, 27. d. 24 Febr. a. 391 Cod. Theod. XVI 10, 10.

923) Nomen integrum C. I. L. VI 1191 in foro Traiano. *D(omino) n(ostro) Honorio florentissimo invictissimoq(ue) principi s(enatus) p(opulus)q(ue) R(omanus) curante Rufio Antonio Agrypnio Volusiano v(iro) c(larissimo) praef(ecto) urb(i), iterum vice sacra iudicante.* cf. C. I. L. VI 1661. a Rutilio Namatiano I 168. 421 Rufius nuncupatur, quia, ut poeta ipse queritur, nomen eius verum Vŏlusiānus metro elegiaco includi nequit. I 419 *optarem verum conplecti carmine nomen, sed quosdam refugit regula dura pedes: cognomen versu dederis, carissime Rufi, illo te dudum pagina nostra canit.* nomen Venerius, quod Volusiano a Corsinio aliisque tribuitur, scriptura vitiosa codicum: *cognomen versu veneris* nititur, pro qua Lucianus Mueller ea restituit, quae supra proposuimus.

924) Rutil. Namat. I 167 *iamque aliis Romam redeuntibus haeret eunti Rufius, Albini gloria viva patris, qui Volusi antiquo derivat stemmate nomen et reges Rutulos teste Marone refert. huius facundae commissa palatia linguae, primaevus meruit principis ore loqui. rexerat ante puer populos pro consule Poenos, aequalis Tyriis terror amorque fuit. sedula promisit summos instantia fasces: si fas est meritis fidere, consul erit.* proconsulatum Africae spectat, quod in inscriptionibus supra relatis se iterum vice sacra iudicare dicit. cf. adn. 918.

925) 417 *hic praefecturam sacrae cognoscimus urbis delatam meritis, dulcis amice, tuis.* cf. adn. 923.

926) v. legem Constantii Augusti ad Volusianum et ipsius edictum apud Haenel, Corp. leg. p. 240.

praefectus praetorio Italiae legibus praescribitur inde a d. 26 Febr. a. 428 usque ad d. 11 Iun. a. 429[927]).

XVI Caecinam Decium Albinum[928]), ad quem Symmachi epistulae VII 35 sqq. et IX 103 scriptae sunt, Macrobius alterius ex iis Albinis, quos Praetextati convivio interfuisse fingit, filium dicit (adn. 881), neque nomina eius dubitare nos sinunt, utrum Rufius an Caecina intellegendus sit. quamvis homines genere senatorio orti saeculo quarto militiam armatam capessere non solerent, Decius tamen *diu versatus in castris* (187, 12) erat; qua re adductus in officio aliquo civili militantem — de notariis potissimum cogitari potest — Stilichonis eum expeditiones comitatum esse crediderim. aestate a. 398 Campaniae administrationem deposuit[929]), neque tamen more sollemni consulari iure provinciam rexerat, sed dignitate aucta proconsulis titulo usus esse videtur. nam cum aestate a. 397[930]) in provinciam proficisceretur, vir spectabilis erat (159, 33), et seriem consularium Campaniae interdum proconsulibus interruptam esse, Anicius Auchenius Bassus documento est. v. p. XCIV. autumno aut hieme a. 398 honorem aliquem in aula accepit (VII 45—47), qui secundum dignitatis gradum, quem tum iam adeptus erat, una ex quattuor comitivis illustribus fuisse debet[931]). fuerunt autem eo tempore Hadrianus magister officiorum[932]), Minervius comes sacrarum largitionum, Firminus comes rerum privatarum (v. p. CXLII); sola igitur quaestura sacri palatii Decio relinquitur[933]). quam gessit saltem usque ad a. 399 (VII 48), fortasse etiam usque ad initium a. 401, quo Flaviano in praefectura urbana successit (v. p. CLXXXIII et adn. 842). quo in magistratu Flavio Macrobio Longiniano locum dedit inter d. 6 Dec. a. 402[934]) et mensem Martium a. 403[935]).

35 in Praenestino data. vere a. 397. v. p. LXV.

36 Symmachus Neapolim aditurus est, m. Octobri a. 396. v. p. LXII.

37 Formiis data, a. 394 aut 396 aut 397. v. p. LX.

38. 40. 41 Decii reditus ex Campania in urbem expectatur: milites, qui Gildonem devicerant, paulo ante Mediolanium reversi erant, vere aut aestate a. 398.

39 Symmachus valetudinis causa Etruscos vapores aditurus erat, sed turbis ur-

927) D. 26 Febr. a. 428 Cod. Theod. VII 13, 22. d. 27 Febr. a. 429 Cod. Theod. I 10, 8 + XI 1, 35 + XII 6, 32. d. 11 Iun. a. 429 Cod. Iust. I 14, 4 + XI 71, 5.

928) De nominibus eius v. adn. 882.

929) 188, 3 *iamdudum curis publicis absolutus relegere iter potius quam auspiciis litterarum lenire amicorum desideria debuisti. nam si tibi valetudo ex sententia suppetit, quid causae esse dicam, quod diu in Campania demoraris?*

930) Decessor eius Gracchus commemoratur d. 21 Mai. a. 397 Cod. Theod. XIV 7, 1. cf. quae ad epist. VI 23 dixi p. CLXIV.

931) Cf. 190, 7 *cui adiecit honoris tui gradus, ut quae pro eo velle debes, posse te non neges.*

932) Cod. Theod. VI 26, 11 data d. 5 Iul. a. 397; Cod. Theod. VI 27, 11 data d. 16 Mart. a. 399.

933) Cf. 190, 22 *negotii autem genus de humanitate saeculi exspectat auxilium, cuius qualitas virtutibus tuis precum lectione pandetur.* Not. Dign. Or. XII; Oc. X *sub dispositione viri illustris quaestoris: leges dictandae, preces.*

934) Cod. Theod. VII 13, 15.

935) v. ad epist. VII 93—101.

banis, quae bellum Gildonicum praecesserunt, Romae retentus est, autumno a. 397. v. p. LXIV.

40. 41 v. ad epist. 38.

Ad eundem Decium epistulas quoque VII 42—52 referendas esse, statim videbimus.

VII 42—59 ANONYMAE.

Folia codicis archetypi, quae in libris superstitibus calci totius epistularum corporis adnexa erant et a nobis libro nono inserta sunt (269, 11 sqq.), complectuntur in editione nostra versus $117\frac{1}{2}$; epistulae autem, quae in libro septimo pro inscriptionibus spatia vacua praeferunt, extenduntur per versus 119, si inscriptionum spatia pro versibus dimidiis numerentur. haec numerorum similitudo ostendit, litteras anonymas in codice archetypo quaternione uno comprehensas fuisse, qua re inscriptionum omissio facillime explicatur. videlicet cum contextu a librario perscripto quaterniones nondum bibliopegae curam experti rubricatori committerentur, unus eorum aut latebat aut alio quolibet casu praeteritus est. quoniam igitur hae epistulae nulla re neque a praecedentibus neque a subsequentibus dividuntur, primas cum aliqua probabilitate ad Decium, qui eas praecedit, postremas ad Patricium, qui sequitur, referre licet, nisi forte sumpseris, quaternionis fines casu aliquo sollemnibus illis verbis *explicit* et *incipit* terminatos fuisse, quod omni veri similitudine caret.

Epistula 50 ei, cui missa est, gratulatur, quod Flaviano in praefectura urbana successerit. quem magistratum Symmachi gener deposuit anno 401 ineunte, gessit Decius d. 6 Dec. a. 402, neque quisquam, qui administrationes eorum distineat, in codice Theodosiano commemoratur [936]. accedit, quod hic iam ante mensem Martium a. 403 successorem accepit, ita ut praefecturam eius aut solito breviorem fuisse aut eodem anno initam esse pateat, quo Flavianus magistratu decesserat. si autem epistulae 50 Decii nomen praeponendum est, anonymae omnes, quae hanc praecedunt, secundum eam legem, quam Memmius Symmachus in epistulis patris disponendis septem primis corporis libris adhibuit, ad eundem Decium referri debent.

42 *abrumpenda cessatio est et in adfatus mutuos cura tendenda.* prima ergo haec epistula est, quam Symmachus ad Decium dederit; itaque ante VII 36, quae autumno a. 396 scripta est, collocari debet.

43 Symmachus ruri agens pedis dolore laborat, m. Octobri aut Novembri a. 397. v. p. LXIX. Decius eo tempore Campaniam proconsul regebat.

45. 46 Gaudentius et Desiderius Decio et Minervio (IV 38. 40) commendantur; tum igitur uterque in aula officio aliquo simul fungebatur. Minervius inde ab au-

936) Andromachum, qui legi Cod. Theod. XI 28, 3 datae d. 25 Iun. a. 401 praefectus urbi praescribitur, re vera praefectum praetorio Galliarum fuisse demonstravit Gothofredus.

tumno a. 397 usque ad a. 399 primum comes rerum privatarum, tum sacrarum largitionum erat (v. p. CXLII). Decius usque ad ver aut aestatem a. 398 in Campania mansit (VII 38) neque ante autumnum eiusdem anni comitatum adiisse potest. itaque epistulae aut a. 398 exeunte aut a. 399 ineunte scriptae sunt. cf. epist. VII 94. 103.

47 Flavianus ad Theodori consulatum Mediolanium proficiscens Decio commendatur. a. 398 exeunte. v. adn. 327.

48 Symmachi familiares ad equos curules emendos in Hispanias missi. vere a. 399. v. adn. 330.

49 Decius quaestor. ab autumno a. 398 usque ad hiemem a. 401. v. adn. 933.

50 Decius Flaviano praefecto urbi successit. initio a. 401. v. adn. 842.

52 in epist. 49 Symmachus Decio litem nepotis uxorisque eius commendavit: his litteris ei, cui missa est, pro cura sibi suisque impensa gratias agit. si hanc suorum commemorationem ad illum sororis filium eiusque coniugem referas, haec quoque epistula Decio adscribenda neque multo post 49 collocanda erit.

53 iisdem verbis concepta est atque II 67: quae cum ad Flavianum data post a. 394, quo diem obiit, scripta esse non possit, hanc quoque ante a. 395 collocavi. utrum ad Decium an ad Patricium data sit, cuius epistulae sequentes sunt, diiudicari nequit.

54 commendaticiae Attalo traditae, cum mense Martio a. 398 legatus ad comitatum proficisceretur (v. adn. 318). ad Decium igitur scriptae esse non possunt, utpote qui eo tempore proconsul Campaniae fuerit, optime autem Patricio conveniunt. is enim tum magisterium epistularum gerebat, quo in honore legationum cura vel praecipue ad officium eius pertinebat[937].

58 Patricius simul cum viris illustribus Felice et Minervio in aula agit, a. 397 exeunte aut 398 ineunte. v. p. VII.

59 *sacras mihi litteras Iulius agens in rebus exhibuit leopardorum munificentiam continentes; idem tuam desideratam nobis paginam simul tradidit.* quod epistula Patricii eidem agenti in rebus commissa erat, qui sacras litteras ad Symmachum pertulit, illum tunc magistrum epistularum fuisse indicat, quippe cui munus litterarum sacrarum concipiendarum et emittendarum incumberet. leopardi in praeturam filii Symmacho a. 400 a Stilichone dono dati sunt. v. IV 12; VII 122.

VII 60—65 AD PATRICIVM.

Patricium magistrum epistularum fuisse, dicit Symmachus 193, 27: *an ego adversum iudicium publicum provocem scriptis epistularum regiarum magistrum?* quo in

937) Not. Dign. Or. XIX; Oc. XVII *magister epistularum legationes civitatum et consultationes et preces tractat.*

magistratu commemoratur inde ab a. 396 (VII 63) usque ad a. 400 (VII 59). ad eundem epistulas quoque VII 54—59 scriptas esse, supra docui.

---

60. 61 primae epistulae, quas Symmachus ad Patricium misit: scriptae igitur sunt ante finem a. 396. v. ad epist. 63.

62 Patricius magister epistularum, a. 396—400.

63 Patricius magister epistularum; Symmachus in Campania, quod aut ad a. 396 aut ad a. 397 referri potest. v. p. LXI. cum autem nullam valetudinis conturbatae mentionem faciat, quin etiam de *prosperis suis* loquatur[938], iter Campanum posterius, quod e morbo periculosissimo nondum recreatus suscepit, excluditur. restat igitur tempus a vere usque in mensem Novembrem a. 396.

64 pro causa propinquorum suorum Symmachus intervenit; fortasse ad eandem rem referenda est, qua de agit VII 49 et 52.

65 *sed ut est multiformis plerumque perfidia tutorum, in varias se frequenter artes vertit.* hanc epistulam et V 52 respicit, cum aestate a. 397 scribat, *misisse se necessarias litteras, quibus amici de tutoris fraudibus instruantur* 151, 11.

VII 66—71 AD ALYPIVM.

De Faltonii Probi Alypii familia honoribusque egimus p. XCI et XCVIII.

66 Alypius vicarius Africae, a. 378. v. p. XCVIII.

68 de collatione ob inopiam frumenti a senatu promissa sermo est, quae cum mense Ianuario a. 396 iam facta sit (156, 19), haec epistula in ultimos a. 395 menses collocanda erit. nam ne de collatione anni 380 cogitemus, vetat commemoratio *dominae ac filiae* Symmachi, quae tum primos infantiae annos nondum egressa domina a patre appellari non potuit.

69 Symmachus *integer valetudinis* (196, 20) in Formianum profectus est, a. 394 aut 396. v. p. LX.

71 Symmachi infirma valetudo commemoratur, a. 397? v. p. LXI.

VII 72—80 AD FRATRES.

Sub hac inscriptione eae epistulae coniunguntur, quas Symmachus ad omnes cognatos affinesque misit, qui forte eodem loco versarentur, v. adn. 194.

72 *Mediolanium pervectus haec scribo.* a. 399 exeunte aut 402 ineunte. v. p. LXII.

73. 74 mense Iulio aut primis Augusti diebus a. 397. v. p. CLXIV.

---

938) 194, 27 *me domo abesse et in regione Campaniae pasci otio libens audies; nam soles amicorum prospera voluptate partiri.*

76 Symmachus fratribus dona filii quaestoria mittit, hieme a. 393/4. v. p. LVIII.
77. 78 Symmachus morbum paulo ante perpessus est, aestate a. 397. v. p. LXI.
79. 80 Symmachi filius aeger. autumno a. 396? v. p. LXVIII.

VII 81—92 AD MESSALAM.

In gradibus amphitheatri Flavii haec nomina iuxta posita inventa sunt[939]: *Rufii Postumii Fe[licis], Rufii Valeri Messala[e], Rufi Synesi Had[riani]*. hi viri nomine gentilicio et spectandi loco coniuncti eodem quoque tempore summos aulae magistratus gesserunt, quae res, ut in adn. 138 exposuimus, vel sola cognationis indicium esse solet. Felix enim a. 395—397 quaestor sacri palatii erat, a. 398 praefectus praetorio Galliarum (v. p. CLIV), Hadrianus comes sacrarum largitionum a. 395[940], magister officiorum a. 397—399[941], praefectus praetorio Italiae a. 400—405[942] et iterum a. 413—416[943], Messala denique in praefectura Italiae primum Theodori, mox Hadriani collega. sed quominus fratres eos germanos putemus, obstat patria; nam Felix Roma oriundus erat (v. adn. 788), Hadrianus Alexandria[944] nomenque eius alterum Synesius originis Graecae indicio est.

Rufius Valerius Messala stemma usque ad Publicolas reduxit, quod quo iure fecerit, in suspenso relinquo. ingenii gloriam carminibus[945], epistulis[946], orationibus[947] quaesivit et inter aequales adeptus est. anno 396 aut 398 legationem

939) C. I. L. VI p. 860, 99.

940) Cod. Theod. V 13, 35 data d. 6 Aug. a. 395. cf. adn. 815.

941) Praeter leges in adn. 932 laudatas tempus magistratus eius ex Claudiani epigrammate de Theodoro et Hadriano agnoscitur: *Mallius indulget somno noctesque diesque, insomnis Pharius sacra profana rapit: omnibus hoc Italae gentes exposcite votis, Mallius ut vigilet, dormiat ut Pharius.* cuius sententia nulla esset, nisi uterque eodem tempore summos honores gessissent. cf. p. CL.

942) 162, 28. d. 4 Febr. a. 400 Cod. Theod. II 8, 21 + XVI 2, 35 = Const. Sirm. 2. d. 26 Febr. a. 400 Cod. Theod. XVI 5, 37. d. 27 Aug. a. 400 Cod. Iust. XI 59. 11. d. 5 Oct. a. 400 Cod. Theod. XI 20, 3. d. 27 Febr. a. 401 Cod. Theod. I 10, 6 + Cod. Iust. X 16, 11. d. 25 Mart. a. 401 Cod. Theod. VIII 2, 5. d. 4 Iul. a. 401 Cod. Theod. XV 1, 41. d. 13 Iul. a. 401 Cod. Theod. XI 7, 16. d. 24 Febr. a. 403 Cod. Theod. VII 18, 11. kal. Iul. a. 403 Cod. Theod. VI 27, 13. d. 25 Iul. a. 403 Cod. Theod. VII 18, 12. d. 2 Oct. a. 403 Cod. Theod. VII 18, 13 + 14. d. 27 Febr. a. 404 Cod. Theod. VIII 5, 65. d. 24 Mart. a. 404 Cod. Theod. VII 5, 2. d. 25 Iul. a. 404 Cod. Theod. XVI 8, 17. d. 18 Aug. a. 404 Cod. Theod. XIII 5, 31 + Cod. Iust. XII 61, 4. d. 12 Febr. a. 405 Cod. Theod. XVI 6, 4 + 5. d. 24 Sept. a. 405 Cod. Theod. XV 1, 43. sine die Cod. Iust. XI 71, 3. praefectura eius Italia agnoscitur ex legibus his Cod. Theod. XI 20, 3; XIII 5, 31; XVI 5, 37; 6, 4. 5.

943) D. 3 Aug. a. 413 Cod. Theod. XV 14, 13. d. 3 Mart. a. 414 Cod. Theod. VI 29, 11 + VII 4, 33 + 8, 12. d. 30 Ian. a. 416 Cod. Theod. VII 13, 21.

944) Claud. l. l. et deprec. ad Hadr. 20. 55.

945) Rutil. Namat. de red. 267 *haec quoque Pieriis spiracula* (Aquarum Tauri) *conparat antris carmine Messalae nobilitatus ager; intrantemque capit discedentemque moratur postibus adfixum dulce poema sacris. hic est qui primo seriem de consule ducit, usque ad Publicolas si redeamus avos; hic et praefecti nutu praetoria rexit, sed menti et linguae gloria maior inest. hic docuit, qualem poscat facundia legem: ut bonus esse velit quisque, disertus erit.*

946) Apoll. Sidon. carm. I 299 *sed nec tu mihi conparare temptes, quos multo minor ipse plus adoro, Paulinum Ampeliumque Symmachumque Messalam ingenii satis profundi.*

947) 201, 17 *cui — magisterium splendore dicendi — praestabis.* scripta rhetorica Namatianus l. l. indicare videtur.

senatus suscepit[948]. initio a. 399 praefectus praetorio Italiae factus est. quem honorem retinuit saltem usque ad d. 27 Nov. a. 400[949]. urbi Romae praefuit[950] post a. 416, siquidem Rutilius Namatianus, quamvis praefecturam praetorianam commemoret, de urbana tacet. v. adn. 945.

---

81. 83. 89 omnes idem postulatum repetunt neque longo temporis spatio distare possunt. petit autem Symmachus, ut Messala litem aliquam ex foro praefecturae ad vicarium suum (199, 21; 201, 25) patiatur transferri; praefectus igitur praetorio tum erat, nam nullus alius magistratus vicarios habebat. et primam quidem ex his epistulis post honorem recens initum, i. e. initio a. 399, scriptam esse, indicant verba: *fortuna cum civibus nostris revertit in gratiam, postquam te sibi res publica vindicavit.*

82. 90 de Symmachi familiaribus ad equos curules coemendos in Hispanias missis sermo est, vere a. 399. v. adn. 330. Messala praefecturam praetorio paulo ante acceperat: *instruenda mihi atque adornanda praetura est, ad cuius nos editionem magnitudinis tuae processus animavit.*

83 v. ad epist. 81.

84—87 commendaticiae omnes eo potissimum tempore scriptae esse videntur, quo Messala magistratum aliquem gerebat: ultimum autem, quem Symmacho superstite accepit, praefecturam praetorio, a. 400 exeunte aut 401 ineunte deposuit.

88 Messala foro alieni praeest, in quo vir claris natalibus ortus advocationis munere fungi optat; cum autem homines nobiles apud summos iudices togam forensem sumere soliti sint, ad praefecturam eius praetorio haec retulerim, a. 399—400.

89 v. ad epist. 81.

90 v. ad epist. 82.

91 Messala *in cumulum gloriae* recens evectus, a. 399 ineunte.

---

948) 167, 12 *res admonet, ut profectum Messalam nocte ea, quam consecutae sunt nonae Martiae noveritis. legati ceteri mox sequentur.*

949) D. 16 Febr. a. 399 Cod. Theod. XIII 5, 28 + 6, 8. d. 5 Apr. a. 399 Cod. Theod. XIII 11, 10. d. 11 Apr. a. 399 Cod. Theod. XVI 8, 14. d. 29 Apr. a. 399 Cod. Theod. XV 3, 4. d. 17 Mai. a. 399 Cod. Theod. XII 9, 3. d. 20 Iul. a. 399 Cod. Theod. VII 19, 1. d. 21 Aug. a. 399 Cod. Theod. III 1, 8 + IX 35, 6 + XII 1, 161 + Cod. Iust. I 54, 6. d. 4 Sept. a. 399 Cod. Theod. XIV 15, 5. d. 28 aut 29 Sept. a. 399 Cod. Theod. I 12, 7 + XI 7, 15 + XIV 15, 6 + Cod. Iust. XII 58, 2. cum hac lege Cod. Theod. I 15, 17 quoque coniungendam esse, ostendunt et dies et locus et argumentum, quamvis haec constitutionis pars consules falsos subscriptos habeat. d. 11 Oct. a. 399 Cod. Theod. I 5, 12. d. 20 Nov. a. 399 Cod. Theod. II 7, 4. d. 22 Dec. a. 399 Cod. Theod. VI 30, 16. d. 28 Dec. a. 399 Cod. Theod. XV 2, 8 + Cod. Iust. I 51, 3. d. 27 Mart. a. 400 Cod. Theod. XIV 23, 1. d. 29 Sept. a. 400 Cod. Theod. VI 19, 1. d. 27 Nov. a. 400 Cod. Theod. I 5, 13 + II 14, 1 + VIII 5, 59 + 60 + X 3, 5 + XI 26, 2. aut subscriptionem falsam praefert aut ad aliam Messalae magistratum referenda est lex data d. 19 Mai. a. 396 Cod. Theod. XI 30, 55.

950) C. I. L. VI 1775 Romae in colle Viminali. [*Rufiu*]*s Val*(*erius*) *Messala v*(*ir*) *c*(*larissimus*) *praefectus urbi . . . . . . m splendorem publicum in vico Patricio . . . . . Victoriae . . . . . et fieri et ornari procurabit.*

VII 93—101 AD LONGINIANVM.

Supra portas urbis Romae Portuensem, Praenestinam, Tiburtinam eadem inscriptio legitur, cuius singula exemplaria eo tantum differunt, quod nomina Stilichonis et Longiniani modo erasa modo intacta sunt: *S(enatus) p(opulus) q(ue) R(omanus) Imp(eratoribus) Caes(aribus) d(ominis) n(ostris) invictissimis principibus Arcadio et Honorio victoribus ac triumfatoribus semper Aug(ustis) ob instauratos urbi aeternae muros portas ac turres egestis inmensis ruderibus ex suggestione v(iri) c(larissimi) et inlustris comitis et magistri utriusq(ue) militiae Stilichonis, ad perpetuitatem nominis eorum simulacra constituit, curante Fl(avio) Macrobio Longiniano v(iro) c(larissimo) praef(ecto) urbis d(icato) n(umini) m(aiestati)q(ue) eorum.* C. I. L. VI 1188—1190. restitutioni illi murorum, qua ad finem perducta hi tituli positi sunt, occasionem dedit irruptio Gothorum[951] facta d. 18 Nov. a. 401, finita circa autumnum a. 402[952]; cum autem tantum opus certe non paucis mensibus absolutum sit, statuae Augustorum vix ante exitum anni 402 portis impositae esse possunt. sed quia Theodosius e. n. secundus, qui die 10 Ian. a. 403 Augustus factus est[953], in inscriptionibus non commemoratur. lapidi incisae sunt, antequam nuntius de imperatore novo creato Constantinopoli Romam pervectus esset. i. e. ante mensem fere Martium a. 403.

Flavius Macrobius Longinianus, Stilichonis amicus (202, 20), in scrinio memoriae honorum cursum auspicatus circa a. 398 usque ad gradum proximi, vicariae praefecturae dignitate parem, processerat[954]. ante d. 23 Dec. a. 399 in comitiva sacrarum largitionum Minervio successit[955], inter d. 6 Dec. a. 402 et mensem Martium a. 403 Decio in praefectura urbana[956]. praefectus praetorio Italiae commemoratur inde a d. 9 Febr. a. 406[957], quo in honore positus mense Augusto a. 408 paulo ante Stilichonem amicum a militibus interfectus est[958]. memoriam eius damnatum esse. nomen eius in titulis portarum erasum testatur.

951) Claud. de VI cons. Hon. 531 *addebant pulchrum nova moenia vultum audito perfecta recens rumore Getarum, profecitque opifex decori timor et vice mira, quam pax intulerat, bello discussa senectus, erexit subitas turres cinctosque coegit septem continuo montes iuvenescere muro.* Paulin. Nol. natal. VIII 103 *fidant legionibus illi perfugioque parent reparatis moenia muris, nulla salutiferi quibus est fiducia Christi.* 113 *ipse intra muros turris tibi, qui sine muris murus erit.*

952) *Die Zeit der Schlachten von Pollentia und Verona. Forschungen zur deutschen Geschichte 1884 Heft I.*

953) B. Volz, De Vesegotharum cum Romanis conflictionibus post mortem Fl. Theodosii I exortis. Gryphisvaldiae 1861 p. 37.

954) 202, 25 *honor militiae vestrae dandis beneficiis enitescit. cum igitur te meritorum ratio summis proximum faciat, famae et gratiae decus benignitate conquire.* e scrinio memoriae adnotationes emittebantur, quibus beneficia imperatorum in privatos conferri solebant. Not. Dign Or. XIX; Oc. XVII. de dignitate proximorum vide Cod. Theod. VI 26, 4. 10. 11.

955) Cod. Theod. VI 30, 17. cf. p. CXLII.

956) Inscriptiones portarum urbis, quae eum praefectum appellant, post mensem Martium a. 403 incisae esse non possunt. de Decio v. p. CLXXXII.

957) D. 9 Febr. a. 406 Cod. Theod. XIII 11, 11. d. 24 Mart. a. 406 Cod. Theod. VII 18, 15.

958) Zosim. V 32 εὑρόντες ἐν μέσῳ Λογγινιανόν, ὃς τῆς κατὰ τὴν Ἰταλίαν αὐλῆς ὕπαρχος ἦν. ἀναιροῦσι καὶ τοῦτον.

93 Flavianus paulo ante praefectus urbi iterum factus est, a. 399 ineunte. v. adn. 842.

94 scripta simul cum VII 46, ubi vide.

95 commendaticiae Flaviano traditae, cum a. 398 exeunte in comitatum proficisceretur. v. adn. 327.

96 Longinianus comes sacrarum largitionum, Flavianus praefectus urbi, a. 399 aut 400.

97 Symmachi familiares ad equos curules coemendos in Hispanias missi, vere a. 399. v. adn. 330.

98 Symmachus primis, quas a Longiniano accepit, litteris respondet, ante finem a. 398. v. ad epist. 95.

100 ad eandem Longiniani et Flaviani dissensionem pertinere videtur, de qua in epist. 96 sermo est.

VII 102—128 AD PETRONIVM ET PATRVINVM.

Petronius, qui cum primo loco collocatus sit, frater maior fuisse videtur, vicarius Hispaniarum commemoratur a d. 27 Iul. a. 395 usque ad d. 18 Dec. a. 397[959]. Mediolanium reversus (VII 111) magistratum aliquem aulicum accepit, in quo fratre collega usus est[960]. cum ipse paulo ante vicarius fuerit, Patruinus paulo post ad comitivam illustrem evectus sit, dignitates eorum tum medias inter utrumque honorem, aut quod idem est, proconsulatui pares fuisse necesse est[961]. alter eorum in lites privatas potestatem exercebat[962], alteri scriniarius aliquis commendatur (212, 8): itaque utrumque magistrum scrinii fuisse puto, et alterum quidem memoriae, alterum libellorum, nam epistularum sacrarum curam eodem tempore Patricius agebat, v. p. CLXXXIV. quo tempore Decius a. 401 ineunte ex quaestura ad praefecturam urbanam promotus est, fratres quoque nostri dignitatum augmenta acceperunt[963]; alterum igitur Petronium in illius locum quaestorem factum esse crediderim, alter Patruinus Longiniano in comitiva sacrarum largitionum successit[964], quem honorem retinuit, usque dum aestate a. 408

959) 206, 24. d. 27 Iul. a. 395 Cod. Theod. IV 21, 1. d. 7 Mai. a. 396 Cod. Theod. XII 1, 151. d. 28 Apr. a. 397 Cod. Theod. IV 6, 5. d. 18 Dec. a 397 Cod. Theod. IV 22, 5. mense Martio a. 398 magistratum paulo ante deposuerat: 209, 7 *beatum te, qui honorum emeritus otiaris.*

960) 207, 21 *nam reducitur in longinqua iudicia, quibus facile, si suffragium tuleris, eruetur. est enim in te atque fratre portus omnium, quos fortuita sollicitant.*

961) Patruinus 140, 15 vir spectabilis appellatur.

962) 207, 12 *hoc tantum de sancto animo tuo inpetratum volo, ut iisdem viribus, quibus pro eo luctamina prima sedasti, repetitae medearis iniuriae* cf. adn. 960.

963) 207, 27 *duo ad me bona paritis voluptatis recentes nuntii pertulerunt, et vos iustis honorum crevisse processibus, et domino ac filio meo Flaviano fructum privati otii esse delatum.* de Decio Flaviani successore v. p. CLXXXIII.

964) Intervenit apud eum Symmachus, ut res Apula heredum Rufini census onere levetur, VII 126 praescribitur duabus constitutionibus altera proposita d. 26 Febr., altera data d. 21 Mart. a. 401 (Cod. Theod. VI 2, 17; XI 17, 3), sed in utraque nomen eius corruptum est; traditur enim in altera: *Troino com. s. l.*, in altera: *pp. et com. s. l.*

seditione militum a Stilichonis inimicis excitata Ticini interfectus est[965]. frater legi Cod. Iust. XI 74, 3 inter annos 403 et 408 datae praefectus praetorio praescribitur, quae ultima eius mentio est.

---

102 commendaticia ad utrumque fratrem scripta, quam Flavianus, cum a. 398 exeunte in comitatum proficisceretur, accepit. v. adn. 327.

103 scripta simul cum VII 46, ubi vide.

104 Flavianus paulo ante praefectus urbi iterum creatus, a. 399 ineunte. v. adn. 842.

105. 106 Symmachi familiares ad equos curules emendos in Hispanias missi, a. 399 ineunte. v. adn. 330.

108. 109 scriptae, cum frater uterque simul magistri scriniorum erant (v. adn. 960), a. 398—401.

110 Flavianus praefecturam urbanam paulo ante deposuit, a. 401 ineunte. v. adn. 842.

112 Arcentius Mediolanium proficiscens Patruino commendatur; quia illum a. 397 exeunte ad festa consularia Honorii Augusti accitum esse constat (154. 31), huic anno epistulam adscripsi.

113. 114 Attalus legatus Mediolanium proficiscitur, mense Martio a. 398. v. adn. 348.

121 paulo ante munus praetorium Memmii Symmachi scripta, a. 401. v. p. LXXII.

122 de Stilichone consule (211, 18) sermo est, a. 400.

124 fratres magistri scriniorum, a. 398—401.

126 Patruinus comes sacrarum largitionum, cf. adn. 964. scripta est igitur inter initium a. 401, quo ille honorem accepit, et a. 402, quo Symmachus mortuus est. v. p. LXXII.

VII 129—131 AD SIBIDIVM.

Acilii Glabrionis Sibidii Spedii honores enumerat titulus a filio Romae positus C. I. L. VI 1678. *Spedii. — Acilio Glabrioni Sibidio v(iro) c(larissimo) et omnibus meritis inlustri, legato in provincia Achaia, consulari Campaniae, vicario per Gallias septem provinciarum sacri auditorii cognitori, fori huiusce inventori et conditori primo, patri reveren[d]issimo, Anicius Acilius Glabrio Faustus v(ir) c(larissimus), loci ornator, togatam*

965) Zosim. V 32 ἀνῃρέθησαν δὲ τῶν ἀρχόντων ὅσοι μετὰ τὴν φυγὴν ἥλωσαν, ὅ τε τῶν ἐν τῇ αὐλῇ τάξεων μάγιστρος Ναιμόριος καὶ Πατρώνιος ὁ τῶν θησαυρῶν προεστὼς etc. pro Πατρώνιος scribendum esse Πατρῶινος non est quod moneam. legi Cod. Theod. IX 42, 19 datae Ravennae d. 20 Apr. a. 405 Vrsicinus quidem comes sacrarum largitionum praescribitur, sed constitutionis argumentum docet, eum comitem rerum privatarum fuisse; agitur enim in ea de patrimonio Gildonis, quod ad res privatas pertinuisse notitia dignitatum (Oc. XII 5) testis est.

statuam offerens, piae non minus quam devotae mentis religione ponendam erigendamque curavit. de magistratuum tempore id tantum certum est, vicarium eum Galliae meridionalis post a. 399 fuisse. nam tum dioecesis nomine quinque provinciarum nuncupabatur[966], sed iam a. 400 divisio in septem provincias facta erat[967]. epistulae ad eum datae nullam temporis notam praeferunt.

In libris octavo et nono litterarum apographa, quae scriptoris librarii iisdem foliis inscripserunt, ab editore discerpti non sunt, ita ut plerumque aliquot epistulae eodem tempore emissae coniunctae manerent. cuius rei causas exposui, ubi de collectione et editione corporis Symmachiani egi (p. XXVI), exempla in inquisitione chronologica nunc instituenda congeram.

VIII 1—3 ANNO 396.

Cum epist. 2 scripsit, Symmachus hieme incipiente Capuae agebat, sed reditum praeparabat; de eadem reversione tempore hiemali suscepta in 3 sermo est. cum constet, scriptorem a. 396 in Campania fuisse et in itinere, quo Romam mense Novembri petivit, Capuam tetigisse, has epistulas sub finem a. 396 scriptas esse puto. v. p. LXII. eidem tempori convenit epist. 1, quae amico recens ad praefecturam praetorio evecto missa est[968]; siquidem Theodorus, quem Symmachi familiaritate usum esse ex V 4—16 patet, eadem hieme iterum Italiae cum Illyrico et Africa praepositus est. v. p. CL. quod autem hae litterae non cum reliquis ad Theodorum datis componuntur, ea ratione explicandum erit, quam p. XXV exposuimus.

VIII 5—10 ANNO 375.

Ex hominibus, quibus haec epistularum series inscribitur, duo tantum noti sunt, Severus (6) et Marcianus (9), nam Eusebii saeculo quarto tot reperiuntur, ut dignosci nequeat, quisnam eorum hoc loco intellegendus sit.

Inter Symmachi familiares discernuntur Severi quattuor, quos ordine chronologico digestos proponam.

1) Valerius Severus, cui hic titulus Gortynae in Creta insula positus est: C. I. G. II 2595 Βαλέριον Σεβῆρον, τὸν λαμπρότατον καὶ μεγαλοπρεπέστατον ἔπαρχον τῆς βασιλευούσης Ῥώμης, δόγματι τοῦ κοινοῦ τῆς Κρητῶν ἐπαρχίας Οἰκουμένιος Δοσίθεος Ἀσκληπιόδοτος ὁ λαμ-

966) Cod. Theod. XVI 10, 15 cum adn. Gothofredi.

967) Cod. Theod. I 15, 15.

968) *Compertum habeo, quolibet h o n o r u m c u l m i n e animum tuum non solere mutari; quidquid enim bene meritis honestatis accedit, id solutum magis videtur esse quam praestitum.*

πρότατος ὑπατικὸς ἀνέστησεν. hic inter d. 21 Febr. a. 363[969]) et 26 Iun. a. 364 Hypatio successit in vicaria urbis praefectura, locumque dedit Volusiano inter d. 22 Iul.[970]) et 6 Aug. a. 365[971]). praefectus urbi factus est inter d. 8 Mai. a. 381[972]) et 25 Mart. a. 382[973]), magistratumque deposuit inter kal. Aug. et d. 22 Nov. a. 382[974]). Symmachi eum amicum fuisse, ex eo veri simile fit, quod ille sub saeculi finem pro filiis eius apud Petronium aut Patruinum intervenit[975]).

2) Flavius Severus, qui ut in senatum adlegeretur, Symmachus oratione sexta habita a. 376 suasit. post advocationis officium provinciam praesidalem dioeceseos Africanae rexit, quo in honore circa a. 374 Theodosio magistro militum consiliarius datus est (337, 3. 11). paulo post *pervectus in fastigia summa rei publicae* est (336, 32), sed quemnam magistratum gesserit, ignoratur.

3) Severus episcopus sub saeculi quarti finem Decio commendatur VII 51.

4) Severus aliquis, qui a. 401 Campaniae administrationem deposuit, in pluribus Symmachi epistulis commemoratur. 164, 3; 151. 4. 6; 167, 8; 208, 14; 250, 22.

Ex his ultimus a. 375, quo epist. 6 scripta est (v. infra), vixdum natus esse potest; episcopus eo excluditur, quod Symmachus illum amicum suum dogmati Epicureo addictum fuisse innuit; de Flavii Severi allectione anno demum 376 in senatu actum est, cum is, cui litterae illae missae sunt, iam antea senator esset[976]); restat igitur solus Valerius Severus.

Ad Marcianum, patrem Maximiani (v. ad epist. 23), qui a. 409 simul cum Attalo et Caeciliano senatus legationem suscepit (v. adn. 867), Symmachi epistulae VIII 9. 23. 54. 58. 73 missae sunt. vicarius Italiae praescribitur legi datae d. 22 Mart. a. 384[977]). sub Eugenii tyrannide Flaviani illecebris obsecutus a fide christiana ad gentilium superstitionem deseivit, ut proconsul Africae fieret. v. adn. 588 et p. CXXIX. ab Attalo denique a. 409 praefectus urbi creatus est[978]).

Epistulas, quas hoc commate coniunximus, iisdem diebus scriptas esse, ex summa earum in verbis similitudine agnoscitur. cf. 5 *essent mihi gratae litterae tuae. vel*

969) Cod. Theod. III 5, 8.

970) Praescribitur legibus datis d. 26 Iun. a. 364 Cod. Theod. I 6, 3. d. 14 Oct. a. 364 Cod. Theod. XII 1, 68 (traditur quidem: *dat. prid. non. Oct. Veronae Valentiniano et Valente AA. coss.*, sed scribendum est: *dat. prid. id. Oct. Veronae, divo Ioviano et Varroniano coss. accepta ..... Valentiniano et Valente AA. coss.* nam idibus Octobribus a. 364 Valentinianum Veronae fuisse, quo loco haec lex data est, ex Cod. Theod. XI 31, 1 constat, sed usque ad d. 8 Oct. Altini commoratus est et eodem mense a. 365 iam Parisios versus in itinere erat. inscripta est constitutio: *ad Severum p. u.*, argumentum autem, quo de ordine Abellinatium agitur, ostendit, eam ad vicarium urbis referendam esse). d. 22 Iul. a. 365 Cod. Theod. X 4, 2.

971) Cod. Theod. XIV 6, 3. cf. Herm. XVIII p. 293.

972) Hoc die decessor eius Valerianus praescribitur Cod. Theod. XV 7, 6—8.

973) C. I. G. II 2595. d. 25 Mart. a. 382 Cod. Theod. XII 12, 8. kal. Apr. a. 382 Cod. Theod. VI 6, 1 + XIV 6, 4. d. 2 Apr. a. 382 Cod. Theod. VII 18, 6 + VIII 4, 13. d. 20 Iun. a. 382 Cod. Theod. XIV 18, 1. kal. Aug. a. 382 Cod. Theod. VIII 9, 2.

974) Hoc die Anicius Auchenius Bassus iam praefectus urbi erat Cod. Theod. I 6, 8.

975) 209, 24 *merito mihi apud te utendum esse non arbitror longo ambitu litterarum pro inlustris memoriae viri Severi filiis.*

976) 216, 8 *quaeso custodes bonorum, valetudini tuae medicas applicent manus, ne optimi senatoris longa vexatio fidem faciat, nihil curare caelestes. a qua ego opinione dissentio.*

977) Cod. Theod. IX 38, 7 cum adn. Gothofredi.

978) Zosim. VI 7.

si nihil de meis apud Africam meritis ac laudibus continerent: nunc ut mihi decus aliquod etc. 6 *gratae sunt quidem semper litterae tuae; nunc autem legentis animum momorderunt.* 8 *et gratas tibi fuisse litteras meas sermonis adsiduitate testare.* — 5 *favorem tibi praesidii caelestis expopto.* 6 *nihil curare caelestes.* — 7 *fiduciam casus fefellit.* 8 *nunc sume fiduciam, quam tibi ad invitamentum familiaritatis ingerimus.* 9 *scriptionis auspicio fiduciam tuam provoco. quare familiaritatis nostrae aditum securus ingredere.* — 7 *ut* — *exempli necessitate ad diligentiam provoceris.* 10 *ut in mutua officia provocatus erumperes. sume igitur sermonem, cuius sequaris exemplum.* — *si coeptis nostris vicissitudo respondeat.* 9 *scriptionis auspicio fiduciam tuam provoco.* — *vicissitudo officii tui faciet* etc.

Priscillianus in litteris, quibus Symmachi epistula 5 respondet, de eius *apud Africam meritis ac laudibus* scripserat. quae administrationis eius praedicatio ei potissimum tempori convenit, quo proconsulatum provinciae recens deposuerat, i. e. aestati a. 375. v. p. XLIX.

VIII 11. 12 ANNO 397?

Pacatus, cuius nomen altera ex his epistulis et praeterea IX 61 et 64 praeferunt, idem fuisse videtur atque Latinius Pacatus Drepanius, Ausonii amicus[979]. vir Gallus[980] studiis poeticis[981] et rhetoricis clarus, a. 389 Romam venit, ut Theodosio urbem mense Iunio ingresso panegyricum recitaret, praemiumque eloquentiae proconsulatum Africae accepisse videtur, quo in honore commemoratur d. 4 Febr. a. 390[982]. comes rerum privatarum in aula Theodosii a. 393 erat[983], quae ultima eius apud scriptores antiquos mentio est.

Epistulas 11 et 12 tempore cohaerere his collatis patebit: 11 *religio enim fide pectoris continetur: in verborum officiis latet plerumque simulatio.* 12 *religio enim magis fide animi metienda est quam ostentatione verborum.* — 11 *quare si tibi in scribendo rarior videor, nihil aestimes amori esse decerptum.* 12 *sed si umquam brevi intervallo usus iste cessaverit, velim cogites amicitiarum non frigere respectum.* unicum temporis indicium praeter Pacati aetatem praebent verba: 217, 11 *nam mei quoque corporis vigor post infirmam valetudinem coepit adsurgere*, quae ad autumnum a. 397 referenda esse videntur. v. p. LXI.

979) Nomen eius integrum conservaverunt inscriptio et subscriptio panegyrici in Theodosium dicti. legibus Cod. Theod. IX 2, 4; 42, 13; Cod. Iust. XI 66, 1 Drepanius praescribitur, ab Ausonio modo Pacatus (XX 5; XXIII 13; XXVII 1 inscr.; 4, 10; 13, 21), modo Drepanius (XX inscr.; XXIII inscr.) nuncupatur, a Symmacho semper Pacatus.

980) Pacat. paneg. Theod. 1. 2. 23. 24. 47.

981) Auson. XXIII 10 *hoc nullus mihi carior meorum, quem pluris faciunt novem sorores quam cunctos alios Marone dempto.*

982) Cod. Theod. IX 2, 4. cf. Auson. XX; XXVII 1.

983) Cod. Theod. IX 42, 13 data Constantinopoli, d. 12 Ian. a. 393. sine die Cod. Iust. XI 67, 1.

VIII 13–16 ANNO 400.

Apollodorus, cui ep. VIII 13; IX 14. 51. 71 missae sunt, proconsulatum Africae iniit ante d. 20 Aug. a. 399, deposuit inter d. 14 Mart. et 8 Iun. a. 400. v. p. CLX. epistula igitur VIII 13, quae ei *absoluto non modo honoris verum etiam curarum fasce* gratulatur, cum aliqua probabilitate aestati a. 400 adsignari potest. cf. adn. 52.

Caecilianus, cuius nomine VIII 14; IX 50. 58 inscribuntur, initio a. 397 praefectus annonae erat (III 36; IX 58). a. 400 una cum Probiano legatione senatus fungebatur (VIII 14). vicarius praescribitur legi datae d. 8 Apr. a. 404 Cod. Iust. I 51, 4, quem cum magistratum Symmachi quoque epistula IX 50 respicere videatur, post a. 402, quo orator mortuus est, iniisse non potest. alteram legationem suscepit a. 409, ut imperatorem ad pacem cum Alaricho faciendam impelleret, et quamquam preces eius irritae fuerunt, tamen in locum Theodori minoris praefectus praetorio Italiae factus est[984]. post Heraclianum devictum d. 9 Mart. a. 414 cum Flaviano summus per Africam iudex constitutus[985] gravi edicto Donatistas coercuit[986]. quia Marini comitis amicus erat, ad necem Apringii proconsulis et Marcellini tribuni et notarii eum subornasse credebatur[987]. a. 414, quamvis iam senior, catechumenus erat[988].

Probianus, qui in legatione a. 400 Caeciliani collega erat (VIII 14), idem cum praefecto urbi a. 377[989] fuisse videtur, siquidem senatus petitiones in comitatu persequendae plerumque hominibus summis magistratibus functis committi solebant. in praefectura urbana fori monumenta restituit, cuius rei testes supersunt tituli octo, ex quibus duos exempli causa proponam. C. I. L. VI 1658 *Gabinius Vettius Probianus v(ir) c(larissimus) praef(ectus) urbi statuam, quae basilicae Iuliae a se noviter reparatae ornamento esset, adiecit.* C. I. L. VI 3864 *Gabinius Vettius Probianus v(ir) c(larissimus) praef(ectus) urb(i) statuam fatali necessitate conlabsam celeberrimo urbis loco adhibita diligentia reparavit.*

Epistula ad Caecilianum et Probianum praeturae Memmii Symmachi kal. Ianuariis a. 401 ineundae mentionem facit. ergo scripta est eodem anno cum praecedenti.

Carterius, Neoterii propinquus (135, 21), post advocationis officium administratione aliqua functus est[990]. missae sunt ad eum epistulae VIII 16; IX 7. 31.

13 et 14 ad idem tempus pertinere iam supra probavimus; 16 quoque cum iis

984) Zosim. V 44 ἐπέμποντο παρὰ τῆς γερουσίας εἰς τὴν Ῥάβενναν πρέσβεις Καικιλιανὸς καὶ Ἄτταλος καὶ Μαξιμιανός, οἳ πάντα ἀποδυρόμενοι τὰ συμβάντα τῇ Ῥώμῃ καὶ τὸ πλῆθος τῶν ἀπολωλότων ἐκτραγῳδήσαντες ἤνυσαν πλέον οὐδέν — ταύτῃ τοι τοὺς πρέσβεις ἐάσας ἀπράκτους ἐφ' οἷς ἐληλύθασι, παρελύσας Θεόδωρον τῆς τῶν ὑπάρχων ἀρχῆς Καικιλιανῷ ταύτην παρέδωκεν. praescribitur legi datae d. 21 Ian. a. 409 Cod. Theod. IX 2, 5 + 6 + 3, 7 + 16, 12 + 31, 1 + 36, 2 + 37, 4 + XI 8, 3 + 39, 13 + Cod. Iust. I 55, 8.

985) Cod. Theod. VII 4, 33.

986) v. Augustini ad eum epistulam (86).

987) August. epist. 151, 4. 7. 11 12.

988) August. epist. 151, 14.

989) Cod. Theod. XI 2, 3, data d. 18 Sept. a. 377.

990) 245, 11 *cum ornares tribunalia ante defensor, post cognitor iurgiorum.*

cohaerere docent hi loci: 13 *tibi ut salus valida et reditus felix secundet, tam nostra vota quam tua merita praestabunt.* 14 *praestabit caelestium favor, ut* etc. 16 *praestabit usus longior, ut* etc. quia igitur 15 epistulis anno 400 scriptis inclusa est, secundum legem librorum octavi et noni eidem anno adsignanda videtur.

VIII 17—19 ANNO 397.

18 Symmachus pedum aegritudine laborans in suburbano moratur, mense Octobri aut Novembri a. 397. v. p. LXIX.

19 de fame in agro dominante sermo est, quod autumno a. 397. quo Gildo commeatus Africanos retinere coeperat[991]), optime convenit.

17 de lite aliqua in iudicio provinciali perdita loquitur Symmachique domum *multis iniuriis circumlatrari* dicit. inter annos 396 et 398 oratorem pluribus iudiciis persecutum esse, probat VI 11.

VIII 20—22.

Tres epistulae, quae hoc loco coniunctae leguntur, diversis temporibus scriptae sunt legique in hac corporis Symmachiani parte observatae non respondent. neque mirum est, inter schedulas librariorum, quas Memmius Symmachus in librum octavum et nonum contulit, quamvis plerumque plures epistulas continerent (v. p. XXVI), interdum tamen singulas quoque litteras singulis foliis inscriptas fuisse.

20 circa a. 375 data, paulo postquam Symmachus proconsulatum Africae deposuit. v. 220, 13 *neque enim nobis alia de causa arbitror optata succedere quam iudicio et amore Carthaginis.*

21 Symmachus iter ad Stilichonis festa consularia ingressurus est ultimis a. 399 mensibus. v. p. LXII.

22 respondet Andronico, qui Symmacho carmina sua Graeca miserat. poeta ille ex Aegypti urbe Hermopoli originem duxit[992]). a. 359 adulescens, qui nulladum clari ingenii experimenta dederat, maiestatis quaestioni implicatus est, quae de oraculo Abydeno in fraudem imperatoris consulto exercebatur, sed periculum imminens absolutus evasit[993]). tum Constantinopolim se contulit, ubi brevi tempore carminibus et

991) Claud. bell. Gild. 66 *hanc quoque nunc Gildo rapuit sub fine cadentis autumni.*

992) Phot. bibl. cod. 279 p. 536 A. 8 ἐν δὲ τῷ αὐτῷ τεύχει τῷ αὐτῷ περιείχετο μέτρῳ (scil. iambico) — Ἀνδρονίκου πολιτευομένου, καὶ αὐτοῦ Ἑρμοπολίτου, πρὸς τὸν κόμητα Φοιβάμμωνα τὸν κοινοπολιστήν. καὶ οὗτος δὲ δραμάτων ἐστὶ ποιητής, διαφόροις μέτροις τοὺς λόγους ἐντείνων. Aegyptium eum fuisse, indicat Libanius quoque, cum in ep. 75 scribat, famam eius usque ad Aethiopas penetrasse.

993) Amm. XIX 12, 11 *Andronicus, postea studiis liberalibus et claritudine carminum notus, in iudicium introductus, cum secura mente nullis suspicionibus urgeretur, purgando semper et fidentius absolutus est.*

tragoediis maximam gloriam consecutus est[994]. a. 379 Antiochiae erat[995], postea non commemoratur. itaque haec epistula in Symmachi annos iuveniles cadere videtur.

VIII 23—27 ANNO 396.

De Marciano et Maximiano egimus p. CXCII, de Albino et Gregorio p. CLXXVIII et CLXXX. Censorinus praeter epist. VIII 27 commemoratur 155, 15. 20; 156, 12.

Hae epistulae omnes in Campania scriptae sunt (221, 20; 222, 16; 223, 16) et ordine chronologico procedunt. in prima enim adventum suum tempusque, quod eum secutum est, describit, in tertia de reditu loquitur, in ultima stationes, quas in itinere Romam suscepto praeteriturus est, enumerat. 23—26 duo epistularum paria coniunguntur, quorum litterae priores ad patres, posteriores ad filios datae sunt. hae, 24 et 26, tam similes sunt, ut nullum fere enuntiatum alterius in altera non repetatur, sed summa cum cura scriptor prospexit, ne eaedem sententiae iisdem verbis exprimerentur. cum enim utraque epistula in urbem mittenda esset, Maximianum et Gregorium litteras ab oratore clarissimo acceptas sibi invicem recitaturos esse praevidit eaque de causa anxie cavit, ne *paupertini eloquii*, ut ipsius verbis utar, deprehenderetur. qua cautione uti non solebat, si litterae in loca diversa destinabantur, id quod in epistulis VIII 5—10 advertimus.

Terminum, post quem haec epistularum series scripta est, constituunt verba haec: 221, 28 *ubique vitam agimus consularem;* Symmachus enim consulatum gessit a. 391. itaque iter illud Campanum, quo Formias, Baulos (221, 20. 26), Neapolim (223, 16), Capuam (223, 18) tetigit, ad a. 396 refero. v. p. LXI. quod confirmatur hoc loco: 222, 17 *non est ea fortuna horum locorum, ut seriam curam sepeliant voluptates. insolitis omnia necessitatibus strepunt et oneri cessere deliciae.* nam vere 396 orator noster *seriam curam* re vera in urbe perpessus erat, quae tum fame gravissima laboraverat, neque Campaniam eiusdem calamitatis expertem mansisse, vel ex eo patet, quod procul dubio fruges provinciae tam vicinae Romam advectae erant.

VIII 29. 30 ANNO 399.

Salvius a. 408 quaestor sacri palatii a militibus seditiosis Ticini interfectus est[996]. epistula ad eum scripta, cum de Flaviani praefectura altera recens accepta agat, in primos a. 399 menses incidit. v. adn. 842.

994) Themist. or. XXIX p. 347 A καὶ εἰ μέν τις οἷός τέ ἐστι ξυντιθέναι τραγῳδίαν καὶ ἔπη καὶ διθυράμβους, ὥσπερ ἔναγχος ἐπιδημήσας Αἰγύπτιος νεανίσκος.

995) Liban. de vit. sua p. 117.

996) Zosim. V 32. Gothofredus hunc eundem fuisse putat atque Salvinum comitem rerum privatarum, cui inscribitur lex *dat. id. Nov. Ravenna Stilichone et Aureliano coss.* (a. 400) Cod. Theod. XI 1, 27. sed locus Ravenna docet, hanc constitutionem ad secundum Stilichonis consulatum referendam esse (a. 405), quo

Iovius, cui Symmachus epistulas VIII 30. 50; IX 59 misit, d. 19 Mart. a. 399 comitivam gerens templa gentilium Carthagine evertit et simulacra fregit[997]. a Stilichone praefectus praetorio Italiae et patricius factus[998] in turbis anni 409 proditor duorum Augustorum, Honorii et Attali, partes magnas sed parum honestas egit[999]. si honorem, quem haec ei epistula acceptum gratulatur[1000], comitivam a. 399 fuisse sumamus, tempus ei cum litteris ad Salvium conveniet.

VIII 33—37 ANNO 397?

Iohannes, quem VIII 35 nominat, a. 394 tribunus et notarius in aula Theodosii militavit[1001]. a. 408 Romae agebat et a senatu ad Alarichum hospitem suum legatus missus est[1002]. ab Attalo a. 409 magister officiorum electus[1003] post tyrannum purpura privatum veniam impetravit, siquidem anno 412 praefectus praetorio Italiae[1004] factus est, quem magistratum retinuit saltem usque ad d. 8 Mai. a. 413[1005]. hominis igitur aetas ostendit, hanc epistularum seriem in ultima Symmachi tempora cadere. scriptae autem sunt, cum ex itinere, quem aeger et debilis susceperat, Romam revertit. 33 *consulto distuli stilum, dum refoveo itinere tenuatum vigorem.* 37 *proxime penatibus meis redditus etiam nunc te mente et cogitatione respicio.* itaque de autumno a. 397 cogitaverim. v. p. LXI. — omnes has epistulas inter se cohaerere ostendit in 33 et 37 reditus commemoratio. in 33—35 argumentum simile. nam Symmachum eum ingenii lusum coluisse, ut rem eandem pluries verbis diversis exprimeret, in epistulis VIII 23—26 iam deprehendimus.

---

tempore Silvanus comes rerum privatarum erat. Cod. Theod. V 14, 6; cf. Cod. Iust. XI 78, 1. itaque non apud Symmachum nomen *Salvium* in *Salvinum* mutandum est, id quod Iuretus fecit, sed in codice Theodosiano *Salvinum* in *Silvanum*.

997) August. de civ. dei XVIII 54 *in civitate notissima et eminentissima Carthagine Africae Gaudentius et Iovius comites imperatoris Honorii quarto decimo kalendas Apriles falsorum deorum templa everterunt et simulacra fregerunt.* cf. Idat. fast. ad a. 399.

998) Sozom. IX 4. praescribitur legibus datis kal. Apr. a. 409 Cod. Theod. II 8, 25 + XVI 8, 19 et d. 26 Iun. a. 409 Cod. Theod. II 4, 7 + XVI 5, 47.

999) Zosim. V 47—49; VI 8—9; Olymp. ap. Phot. cod. 80 p. 57 B 31; Sozom. IX 7.

1000) *Interfuit publicae utilitatis, ut tibi maiora negotia crederentur. quare prolixa esse non debet gaudii mei adtestatio.*

1001) Paulin. vit. Ambros. 31 *Iohannes tunc tribunus et notarius, qui nunc praefectus est.*

1002) Zosim. V 40.

1003) Sozom. IX 8.

1004) Paulin. vit. Ambros. 31. ex legibus ad eum datis Cod. Theod. VII 8, 10 ad Africam pertinet, Cod. Theod. XI 28, 7 ad Italiae provincias meridionales.

1005) Praescribitur legibus datis d. 6 Iun. a. 412 Cod. Theod. XIII 11, 13. d. 22 Iun. a. 412 Cod. Theod. III 8, 3. d. 26 Iul. a. 412 Cod. Theod. II 8, 26 + XVI 8, 20 + VIII 8, 8. d. 7 Ian. a. 413 Cod. Theod. VI 30, 20 + VII 8, 10 (traditur *Iun.* pro *Ian.*, sed mensi Iunio anni indicatio *post consulatum* parum convenit). d. 14 Febr. a. 413 Cod. Theod. I 2, 12 + II 19, 6 + VIII 17, 4 + Cod. Iust. VI 23, 19. d. 8 Mai. a. 413 Cod. Theod. XI 28, 7. praeterea praefectus praetorio nominatur in lege data *V id. Iul. Ravennae dd. nn. Honorio XIII et Theodosio X AA. coss.* (a. 422) Cod. Theod. II 13, 1 + 28, 1 + 30, 2 + 31, 1 + 32, 1 + VIII 8, 10, sed fortasse scribendum est *dd. nn. Honorio VIIII et Theodosio V AA. coss.* (a. 412).

VIII 38 Flavius Pisidius Romulus[1006], cuius nomine praeter has litteras VIII 62 et IX 62 inscribuntur, aetate multo minor erat Symmacho, a quo filius nuncupatur[1007]. originem ex provincia Africa duxisse videtur; ibi enim praedia locupletissima possidebat et Augustini episcopi Hipponensis amicitia et ipse et affinis eius Valerius usi sunt[1008]. a. 385 consularis Aemiliae et Liguriae fuit[1009], a. 392 comes sacrarum largitionum in aula Theodosii[1010], a. 400 praefectus praetorio Galliarum[1011], a. 405 praefectus urbis Romae[1012]. quia in hac epistula de filio eius studiis rhetoricis occupato sermo est, in Symmachi senectute scripta esse videtur, fortasse eodem tempore cum praecedentibus.

VIII 40 Aventius fortasse idem est, qui in praefectura urbana Basso (a. 382) successit, Symmachum (a. 384—385) praecessit. v. 297, 12; 307, 29.

VIII 41 Antiochus, cui VIII 74 quoque missa est, Musonii filius fuisse videtur, qui a. 395 proconsul Achaiae fuit[1013]. cum haec Symmachi epistula ad eum scriberetur, honorem aliquem in urbe gerebat, qui fortasse praefectura annonae erat. nam quod periculum subiturus esse dicitur, ut *catervas mulierum scissa veste* fugiat, eum magistratum prodit, qui populi seditionibus inopia frumenti excitari solitis vel praecipue expositus fuerit. quod epistulam Alypii praefecti urbi a. 391 ad Ambrosium pertulit[1014], sub illo eum munere functum esse indicat, quod proconsulatui Achaiae annis quattuor post gesto optime convenit.

VIII 44. 45 ANNO 400.

Ad duos amicos ultra mare agentes missae, quorum litterae quotannis navigatione incipiente ad Symmachum perferri solebant. utraque igitur epistula aestate scripta est et prorsus eandem sententiam exprimit. summa autem verborum similitudo inter has litteras et VIII 13—16, quas et ipsas aestate datas esse constat, me movit, ut

1006) Nomen eius integrum exhibet titulus Stilichonis C. I. L. VI 1731, cui subscriptum est: *exequente Fl(avio) Pisidio Romulo v(iro) c(larissimo) praef(ecto) urb(i).* Pisidius Romulus dicitur Ephem. epigr. IV p. 294.

1007) 231, 3 Ad Valerium: *filium meum Romulum ego accerso, tu retines; ego in eum mihi personam parentis adrogo, tu ius adfinis exerces.*

1008) Augustinus ad Romulum scripsit epistulam 247, ad Valerium, quem Romuli adfinem fuisse Symmachus testatur (v. adn. 1007), epistulas 200 et 206 librumque primum de nuptiis.

1009) Cod. Theod. II 4, 4 data d. 19 Iun. a. 385.

1010) Cod. Theod. X 19, 2 d. 19 Febr. a. 392. Cod. Theod. IX 45, 1 d. 18 Oct. a. 392.

1011) Cod. Theod. IX 38, 10 d. 6 Aug. a. 400. ad eundem honorem referendum est, quod praefectus urbi in inscriptione mox laudanda *vice sacra iterum iudicans* dicitur. in Occidente eum magistratu functum esse, sequitur ex loco Mediolanio legi ad eum datae subscripto, at in Italia illo anno duo iam praefecti noti sunt, Messala et Hadrianus.

1012) Ephem. epigr. IV p. 291 in foro Romano. *Fidei virtutiq(ue) devotissimorum militum domnorum nostrorum Arcadi Honori et Theodosi perennium Augustorum, post confectum Gothicum bellum* (a. 405) *felicitate aeterni principis domni nostri Honori, consiliis et fortitudine inlustris viri comitis et* sequuntur versus duo erasi, quibus Stilichonis nomen inscriptum fuit, *s(enatus) p(opulus)q(ue) R(omanus) curante Pisidio Romulo v(iro) c(larissimo) praef(ecto) urbi vice sacra iterum iudicante.*

1013) Zosim. V 5.

1014) Ambros. epist. 89.

eas eidem anno (400) ascriberem. cf. 16 *praestabit usus longior, ut;* 44 *praestabit caelestium favor, ut;* 44 *praestabit divinus favor, ut.* — 14 *abundo laetitia, postquam valere vos didici nostraeque amicitiae inter negotiorum dura meminisse;* 44 *valere te gaudeo et adloquii tui honore delector.* — 15 *ex debito venit sermo, qui redditur;* 45 *redditum mihi esse annuum quodammodo sermonis tui debitum.*

VIII 46–61 ANNO 396.

Strategius d. 30 Mai. a. 403 vicarius Africae praescribitur legi Cod. Theod. IX 26, 3; sed litteras VIII 46 ante hunc magistratum Romae accepit.

Valerius, Romuli affinis (v. adn. 1007), cui VIII 47 et 57 et Augustini epistulae 200 et 206 missae sunt, a. 418 comes et vir inlustris erat. August. l. l. liber Augustini primus de nuptiis ei dedicatus est.

Maximiliani nomen praeferunt epist. VIII 48. 51. 55; IX 52. filius erat Mariniani, ad quem ep. III 23—29 scriptae sunt (v. adn. 621). a. 396 honorem aliquem aulicum accepit (228, 31).

Vitalis d. 8 Mart. a. 403 praefectus annonae commemoratur Cod. Theod. XIV 3, 21.

De Iovio et Marciano v. p. CXCVII et CXCII.

Leporius teste epistula IX 10 a. 394 exeunte magistratu aliquo maiore fungebatur, fortasse vicaria per urbem Romam finitimasque regiones praefectura. v. p. 238, 9 *et ideo dignum est, ut provincialibus vel edicto vel subscriptione tua instructio plena pandatur.*

Romani, fratris Magnilli (48, 32), praeter epist. VIII 28. 56. 59. 70, quae ei inscriptae sunt, mentio fit 32, 7; 47, 11; 48, 32. hunc eundem videri, qui a. 391 comes Aegypti erat, exposuimus ad epist. II 20.

Servius fortasse a Mario Servio Honorato, Vergilii interprete, non diversus erat, de cuius vita cf. Thilo, Servius I p. LXIX. hunc enim Symmachi familiaritate usum esse, ex Macrobii saturnalibus perspicitur.

Itineris alicuius a Symmachi suscepti mentionem faciunt 46. 54. 55 A. 56. 58—61; de commoratione eius in litore maris loquitur 46 (228, 12), Campaniam nominant 55 A et 61; de morbo filii sermo est 47. 58. 59, de ipsius aegritudine leviore 46. 54. 55. 58. patris filiique incommoda tempore coniuncta fuisse, docet 58: *filius meus cum bona dei venia periculo caret, sed defectum virium patitur prope usque ad aegritudinem. — ego quoque meorum contagio socius accessi, credo ex vigiliis nocturnis, quarum in praesentia exiguus fuit sensus, nova post cruduit.* verbis inter se consentiunt: 50 *iamdudum datis ad te litteris mutua scripta non merui, et tamen propositum meum servans honorificentiam scriptionis instauro.* 51 *es enim praeter solitum parcus eloquii. sed tueor constantiam diligentiae nec a proposito argumentatione deducor.* 53 *scriptorum tuorum honorificentiam communis amicus exhibuit.* — 56 *servo observantiam, quam mos priscus instituit, ut domo profecti litteras auspicentur.* 60 *fortasse allegatione moris uteris, quoniam plerisque persuasum est, auspicium salutationis profectis esse capiendum. absolvo te consuetudinis observantia.*

Has epistulas in ultimos Symmachi annos cadere, ex aetatibus hominum, quibus inscriptae sunt, agnosceretur, etiamsi disertis verbis traditum non esset[1015]. cum igitur in itinere illo Campano Capuam tetigerit (232, 3) et reditum instituerit *mansionibus in spatia minora divisis* (231, 12), scriptae sunt autumno aut hieme incipiente a. 396. v. p. LXII.

VIII 63–68 ANNO 398.

Lampadii Symmachi temporibus quattuor fuere, quibus de videamus, cuinam eorum epist. VIII 63 et 65 ascribi possint.

1) C. Caeionius Rufius Volusianus qui et Lampadius, de quo v. p. CLXXVIII.

2) Senator aliquis ante Symmachum mortuus 216, 1. a praecedente diversus esse videtur, quia clarissimae memoriae vir dicitur, non clarissimae et inlustris memoriae vir, quae appellatio homini praefecturis duabus functo competeret. ei qui sequuntur, oratori nostro aut supervixerunt aut saltem aetate multo minores erant, ita ut facile supervivere possent.

3) Postumius Lampadius, Capua oriundus, consularis Campaniae, praefectus urbi inter annos 403 et 408. C. I. L. X 3860 Capuae. *Postumio Lampadio v(iro) c(larissimo) et inlustri, cons(ulari) Camp(aniae), restitutori patriae et redintegratori operum publicorum, ordinis provisori, populi subventori, ob insignia eius unibersa patrono longe a maioribus originali, ordo Capuensis, voti et obsequi sui pignus locavit.* cf. C. I. L. X 1704. — C. I. L. VI 9920 Romae prope Pantheum. *[Felic]i imperio d(ominorum) n(ostrorum) Arcadi Honori et Theodosi ex auctoritate Postumi Lampadi v(iri) c(larissimi) praef(ecti) urb(i), corpus tabernariorum.* sequuntur nomina corporatorum.

4) Frater Flavii Mallii Theodori, qui Mediolanensis erat (v. adn. 745) et a Campano igitur diversus est. quo tempore Theodorus honore aliquo in aula fungebatur[1016], fortasse comitiva rerum privatarum a. 380, Roma in comitatum profectus est, ut munus advocationis in foro praetoriano susciperet. paulo post administratio aliqua ei commissa est, siquidem Lampadium, qui legi datae d. 11 Apr. a. 382 praescribitur, nostrum fuisse, fratris praefectura eodem fere tempore gesta veri simile reddit (v. adn. 138 et p. CLI). dignitas nulla nomini eius addita est, sed ex constitutionis argumento perspicitur, eum sublimibus potestatibus, id est praefectis, subditum fuisse[1017]. in Theodori praefectura secunda non multum post d. 21 Dec. a. 397 praefectus urbi factus est[1018]. is Lampadius, qui a. 408, cum Stilicho senatum de pace cum Alaricho

---

1015) 229, 1 *quid faciam senex garrulus.*

1016) 128, 18 *eo praesertim tempore, quo tuo adminiculo possit institui.*

1017) Cod. Theod. XII 9, 2 *Have Lampadi carissime nobis. nullus penitus ex eo, quod refertur in conditis vel in arca continetur, ad quemlibet titulum usurpet, nisi forte praesumendi facultatem sublimium potestatum iussione perceperit.*

1018) v. adn. 317 et Cod. Iust. IV 61, 11 sine die: *Idem AA.* (scil. Arcadius et Honorius) *Lampadio pp.* scribendum enim esse *pu.* pro *pp.*, iam Cohn coniecit argumentoque legis probatur, utpote quae de mancipibus salinarum agat. cf. Symm. relat. 44.

facienda consuleret, exclamare ausus est: *non est ista pax sed pactio servitutis*, et qui anno sequente ab Attalo tyranno praefecturam praetorio accepit[1019], tam Campanus quam Ligur fuisse potest, sed cum Attali comitatus paene omnis ex Symmachi amicis compositus fuerit[1020], hunc quoque eundem crediderim, cui epistulae VIII 63 et 65 missae sunt. quae cum de praefectura urbana acceptoris loquantur, quam Postumius gessit quidem sed post Symmachi mortem, nullum alium quam Lampadium Mediolanensem respicere possunt. qua re annus quoque litterarum definitur et in id quidem tempus eius incidunt, quo orator seditione plebis ex urbe pulsus erat, i. e. in ver a. 398. v. adn. 324.

Quattuor epistulas VIII 63—66 iisdem diebus scriptas esse, inde liquet, quod omnes de otio Symmachi suburbano paulo ante inchoato loquuntur. rebus inter se cohaerent 63 et 65, quarum prior a Lampadio petit, ut *quidquid in administranda urbis tutela ex bono publico feceril*, oratori nuntiet, altera gaudium exprimit de *indicio quietis urbanae* Lampadii *consiliis partae*. verbis conveniunt 64 *ut — ego quoque vix post urbanas molestias usurpato otio longius fruar* et 65 *tempus quodammodo usurpandi otii prorogasti*.

VIII 68 *Ad Titianum: desideratas quidem litteras tuas libens sumpsi, sed cognitio actuum tuorum, quorum testis atque narrator Euscius fuit, uberiorem mihi adtulit voluptatem.* Symmachum, cum vere a. 398 ex urbe profugus in Ostiensi ageret, Euscii litteras ex Sicilia missas accepisse, docet epist. VI 66. in eadem autem provincia Titianus consularis munere functus est, ut tituli eius Thermitani testantur. C. I. L. X 7345. *C. Maesio Aquillio Fabio Titiano c(larissimo) v(iro), co(n)s(ulari) optimo, civi ac patrono bene merenti, ordo et populus splen[d]idissimae col(oniae) Aug(ustae) Himereorum [The]rmit(anorum) pecunia sua posuit.* 7346. . . . . . *Titiano c(larissimo) [i(uveni)], C. Maesi Titiani et Fonteiae Frontinae consularium filio, patricio, ob honorem togae virilis, Clodius Rufus, eques Romanus, amico suo incomparabili.*

Epistulas 67 et 68 cohaerere his collatis patebit: 67 *litteras meas amore desideras.* 68 *desideratas quidem litteras tuas libens sumpsi.* — 67 *nec exposco, quod sponte facturus es, ut nos mutuis epistulis adloquaris.* 68 *subiungerem curam meorum, si mihi esset alius adloquendus, sed cum facias ultro, quae meus sermo posset expetere, partes commendationis omitto.*

VIII 69 *unum quippe hoc litterarum genus superest post amaros casus orationum mearum, quod me ad usum scribendi possit adlicere.* hoc a. 388 aut 389 scriptum esse, in adn. 9 docui.

VIII 71. 72 invitationes ad Memmii Symmachi praeturam kalendis Ianuariis a. 401 ineundam. v. p. LXXII.

1019) Zosim. V 29; VI 7.

1020) Ex magistratibus civilibus, quos Attalus promovit, nominantur praeter Lampadium magister officiorum Iohannes, praefectus urbi Marcianus (adn. 978 et 1003), consul Tertullus (Oros. VII 42, 8). horum duo a Symmacho epistulas acceperant.

VIII 73 de Symmachi filii valetudine adversa loquitur; fortasse a. 396 exeunte scripta. v. p. LXVIII.

IX 1 Palladius Atheniensis[1021], clari rhetoris filius[1022], circa a. 378 Romam venit et magisterium artis rhetoricae professus est[1023]. prima declamatione, quam publice recitavit, tantam Symmachi admirationem movit, ut eum Ausonio praefecto praetorio commendaret (I 15). itaque a. 379 in comitatum accitus est (I 94; III 50), fortasse ut scrinio alicui magister praeponeretur, nam huiusmodi munera viris eloquentiae gloria claris iniungi solebant. a. 381 comes sacrarum largitionum in aula Theodosii erat[1024], a. 382 magister officiorum[1025]. sed hunc honorem iam vere aut aestate eiusdem anni deponere coactus est, ut Rufino locum faceret (adn. 567). christianum eum fuisse docent epistulae Gregorii Nazianzeni 228—231. 386 ad eum scriptae, quarum 228, cum ab eo petat, ut officiali diutius in provincia morato ignoscat, tam ad comitivam sacrarum largitionum quam ad magisterium officiorum referri potest. num idem fuerit cum aliquo ex iis Palladiis, ad quos Libanius scripsit, ignoratur.

Symmachus hac epistula rogat, ut Palladius officialem aliquem gradu militiae privatum in pristinum honorem restituat: scripta est igitur, cum magistratum aliquem gereret, inter annos 379 et 382. loquitur autem orator de nova aliqua felicitate per totum orbem Romanum diffusa[1026], cuiusmodi illis annis nihil aliud inveni quam Theodosii Augusti electionem. quae interpretatio si vera est, epistula a. 379 assignari debebit.

IX 3—6 ANNO 401.

Commendaticiae Euscio Symmachi notario traditae, cum ad apparatum praetorium cogendum in provincias mitteretur (236, 30); scriptae igitur sunt inter annos 398 et 401, quibus orator in praetura filii praeparanda occupatus erat. v. p. LXXI. Euscius illo tempore bis in Sicilia Symmachi res egit a. 398 et a. 401 (172, 13; 162, 16). quis autem ex his annis eligendus sit, ea re definitur, quod inter eos, quibus ille commendatur, Zenodorus tunc iudex (236, 10) est, qui administrationem Lucaniae et Brittiorum, per quam provinciam Euscius iter facturus erat, a. 401 ineunte suscepit. v. p. CLXVIII.

Auxentius, cuius nomen epist. 5 praefert, frater Mariani (158, 4), gener Carterii (218, 25; 237, 3), fortasse Fonteius Litorius Auxentius est, qui inter a. 425 et 450

1021) 10, 29 *movit λόγος Athenaei hospitis Latiare concilium.*

1022) 11, 1 *credo plane, nec fides cassa est, rhetorum hanc esse prosapiam; nam ingenio genus noscitur. non solus vultus aut colos adserit posteros in honorem parentum: certiores habet natura vindicias. bene sentiendi ac bene loquendi gignuntur non scribuntur heredes.*

1023) 86, 29 *meus Palladius —, quem ego non minus doleo abductum a iuventute Romana, quam gratulor in spem sui honoris accitum.* 10, 25 *Palladii rhetoris nostri declamatio.*

1024) Cod. Theod. IV 12, 8 d. 6 Iul. a. 381. Cod. Theod. X 24, 2 d. 21 Iul. a. 381.

1025) Cod. Theod. VI 24, 4 d. 21 Mart. a. 382. Constantinopoli eum versatum esse, dicit Greg. Naz. epist. 229.

1026) 235, 16 *nec eum publicae felicitatis, quae ad universos pari ratione manavit, solum exortem esse patiaris.*

urbi aeternae praefuit. Ephem. epigr. IV p. 280. cf. Herm. XVIII p. 297. Romae prope Septizonium. [*Sa*]*lvis d*(*ominis*) *n*(*ostris*) [*Fl*(*aviis*) *Theodosio et Placido V*]*alentinia*[*no victoribus semper Aug*(*ustis*) *F*]*onteius Li*[*torius Auxentius v*(*ir*) *c*(*larissimus*) *praef*(*ectus*) *urbi a*]*rcos te* . . . . . C. I. L. VI 1669 Romae. *Fonteius Litorius Auxentius v*(*ir*) *c*(*larissimus*) *praef*(*ectus*) *urbi curavit.*

IX 7—9 ANNO 400.

7 ut Auxentio filiam despondeat, a Carterio petit, cui cum in epist. VIII 16 scripta aestate a. 400 gratias agat, quod petitioni in genere eligendo obsecutus sit, has litteras circa initium eiusdem anni emissas esse necesse est. eidem tempori convenit epist. 8, quam Symmachus ex sacro comitatu vix regressus dictavit: mensibus enim Ianuario et Februario a. 400 ludis consularibus Stilichonis Mediolanii interfuit. v. p. LXII.

Gabinius Barbarus Pompeianus, cui IX 8 missa est, commemoratur in titulis duobus: C. I. L. X 1199 Abellae. [*Pompe*]*iani. Barbarus Pompeian*(*us*) *v*(*ir*) *c*(*larissimus*), *cons*(*ularis*) *Kamp*(*aniae*), *civitatem* [*A*]*bellam nuda ante soli deformitate sordentem silicibus e montibus excisis, non e dirutis monumentis advectis, consternendam ornandamque curavit. cur*[*am agente*] . . . . . . *Proculo patrono et cur*(*atore*) *Abellanorum.* C. I. L. VIII 969 Neapoli Africae. *Salvis d*(*ominis*) *n*(*ostris*) *Arcadio et Honorio inclytis semper Aug*(*ustis*), *administrante d*(*ivino*) *m*(*andatu*) *Gabinio Barbaro Pompeiano v*(*iro*) *c*(*larissimo*) *p*(*roconsule*) *A*(*fricae*) *v*(*ice*) *s*(*acra*) *i*(*udicante*), *Coelius Titianus v*(*ir*) *h*(*onestus*), *ex t*(*ransvecturario*) *et nav*(*iculario*), *ex mun*(*erario*) *et ex curatore r*(*ei*) *p*(*ublicae*), *cum Coelio Restituto v*(*iro*) *h*(*onesto*), *filio suo, sumptu proprio* [*i*]*nstantia sua dedicavit, administrante Publiano v*(*iro*) *h*(*onesto*), *f*(*lamine*) *p*(*erpetuo*), *curat*(*ore*) *r*(*ei*) *p*(*ublicae*). de tempore, quo Campaniam rexit, non constat; in proconsulatu Africae successit Apollodoro inter d. 14 Mart. et 8 Iun. a. 400, locum dedit Helpidio post d. 28 Mart. a. 401. v. p. CLX. praefectus urbi erat a. 408[1027]. sororis eius a Fulvio in matrimonium petitae mentionem facit epist. VI 3.

Flavius Vincentius[1028], cui epistulae IX 9. 25 scriptae sunt, fidei christianae addictus erat[1029]. Gallias per annos sex continuos 395—400 praefectus praetorio rexit[1030], annoque 401 consulatum cum Fravitta gessit. itaque epistula IX 6, si eam simul cum praecedentibus emissam esse sumamus, in praefecturae tempus cadit. ac-

1027) Zosim. V 41.

1028) De nominibus eius v. de Rossi, Inscr. christ. urb. Rom. I 494. 495. 497. 500.

1029) Sulp. Sev. dial. I 25, 6 *memini Vincentium praefectum, virum egregium et quo nullus sit intra Gallias omni virtutum genere praestantior, dum Turonos praeteriret, a Martino saepius poposcisse, ut ei convivium in suo monasterio daret.*

1030) Praescribitur legibus datis d. 5 Iul. a. 395 Cod. Theod. XV 1, 33. d. 18 Dec. a. 397 Cod. Iust. III 13, 5. d. 11 Febr. a. 398 Cod. Theod. I 5, 11. d. 19 Febr. a. 398 Cod. Theod. VII 14, 1 + VIII 5, 58. d. 19 Iun. a. 399 Cod. Theod. XI 1, 26. d. 13 Sept. a. 399 Cod. Theod. XII 15, 1. d. 17 Ian. a. 400 Cod. Theod. VII 8, 6. d. 17 Mai. a. 400 Cod. Theod. VII 18, 10. d. 18 Iun. a. 400 Cod. Theod. I 15, 15. d. 29 Iun. a. 400 Cod. Theod. IV 23, 1 + XII 19, 1—3 + Cod. Iust. XI 48, 13. d. 9 Dec. a. 400 Cod. Theod. VIII 5, 61. cf. adn. 350.

cedit, quod Zenodorus, qui ei his litteris commendatur, anno sequente corrector Lucaniae et Brittiorum factus est (VI 25), suffragio videlicet Vincentii promotus.

IX 10 *Fortunae telo graviter sauciatus nunc primum epistulae maesta verba committo; neque enim diu ab officio debui temperare, cum tanti vulneris dolor nulla temporis diuturnitate possit aboleri.* haec ad primos menses post mortem Flaviani maioris pertinere (autumno a. 394) iam in adn. 247 suspicatus sum.

IX 11–22 ANNO 399.

Marcellus, cui epist. IX 11. 23 inscribuntur, idem fuisse potest cum magistro officiorum a. 395 [1031]), qui medicinam Plinianam compilavit.

Valerianus vicarius Hispaniarum praescribitur legibus datis d. 8 Sept. a. 365 et d. 25 Nov. a. 366 [1032]), praefectus urbi d. 29 Mart. et 8 Mai. a. 381 [1033]).

De Apollodoro proconsule Africae a. 399—400 egimus p. CXCIV.

Erius Fanius Geminianus, cuius nomen praeferunt epist. IX 15. 56, Apollodori decessor erat; siquidem Africae eum aliquot annos post Aemilium Florum Paternum (a. 393) praefuisse, docet titulus in adn. 812 relatus, neque alius ei in fastis provinciae locus relinquitur quam inter Victorium et Apollodorum. v. p. CLX.

Sapidianus eodem fere tempore, quo Apollodorus proconsul, vicarius Africae factus est (inter d. 17 Mai. et 25 Iun. a. 399), magistratumque saltem usque ad a. 400 retinuit [1034]).

De Venusto, quem Nicomachi Flaviani filium fuisse puto, egi p. LI.

Ex hac epistularum serie 11. 12. 18–22 familiaribus Symmachi traditae sunt, cum ad equos curules coemendos in Hispanias proficiscerentur; id quod vere a. 399 factum esse, in adn. 330 probavi. epist. 11 ad Marcellum scripta nullam quidem equorum mentionem facit, sed hanc quoque iisdem tabellariis commissam fuisse, agnoscitur ex initio alterius ad Marcellum epistulae IX 23: *requirunt te per Hispanias aliae litterae meae*, eae videlicet, quibus de loquimur. de praetura filii praeterea agunt 13. 15. 16, Apollodoro recens ad proconsulatum Africae promoto data est 14, ita ut hae quoque veri a. 399 aut ascribi debeant aut certe possint. restat 17, quae nulla temporis indicia praebet, sed cum epistulis anni 399 includatur, eidem attribuenda est.

1031) Cod. Theod. VI 29, 8 data kal. Iun. a. 395. Cod. Theod. XVI 5, 29 data d. 24 Nov. a. 395.

1032) Cod. Theod. I 16, 10; IX 1, 3 cum adn. Gothofredi.

1033) Cod. Theod. VI 10, 2 + 22, 5 + 26, 2; XV 7, 6—8 + 10, 2.

1034) Decessor eius Dominator ultimum commemoratur d. 17 Mai. a. 399 Cod. Theod. XVI 5, 35. ipse praescribitur legibus datis d. 25 Iun. a. 399 Cod. Theod. XVI 2, 34. d. 12 Sept. a. 399 Cod. Theod. XI 1, 30 cum adn. Gothofredi. Cod. Theod. VII 8, 9 anno quidem 409 adscribitur, sed cum propter Sapidianum in inscriptione nominatum tum propter argumentum ad annum 400 referenda est; meminit enim legis Cod. Theod. VII 8, 7 d. 8 Iun. a. 400 ut proxime datae.

IX 23—28 ANNO 399.

Ex his quoque epistulis 23—25 et 27 praeturam filii respiciunt, sed aliquot mensibus post seriem praecedentem scriptae sunt; nam 23 et 24 ad Marcellum et ad Bassum de epistulis 11 et 20 ut ad eosdem iam ante missis loquuntur, et 25 praefecturam a Theodoro recens depositam commemorat. quo in magistratu positus ultimum praescribitur legi datae d. 25 Oct. a. 399. (v. adn. 758). tota igitur series incidit in mensem Novembrem a. 399; eo enim tempore, quo emissae sunt, hiemem nondum provectam fuisse, docet 242, 21 *quaeso te, ut si forte equorum reditum intemperies hiberna retardaverit, stabulari in agris tuis equos nostros paucis mensibus iubeas*, quod modo conditionali scribi non potuisset, si tum iam bruma initium cepisset. 28 nullum anni indicium continet, sed quoniam *hibernis mensibus* scripta est, cum praecedentibus coniungenda videbatur.

IX 29—30 ANNO 397.

Varum, qui praeter alias provincias Apuliae quoque praeesse in epistula 29 dicitur, vicarium urbis Romae, id est Italiae meridionalis, a. 398 fuisse constat[1035]. sed quia hae litterae autumno scriptae sunt, cum tota Italia fame laboraret et nihilo minus ex provinciis frumentum cogeretur, ei potius tempori eas attribuo, quo bello Gildonico imminente commeatus Africani iam cessaverant et urbis annona ex Hispaniis Galliis Italia ipsa conquirebatur, anno 397 exeunti. v. adn. 322. quae temporis definitio confirmatur epist. 29 A; Formiis enim data est, ubi Symmachus a mense Iulio usque ad Octobrem a. 397 versabatur. v. p. LXI.

30 litis cum Leone componendae vias quaerit. quoniam in epist. VIII 17 eodem autumno cum praecedentibus scripta domum suam *multis circulatrari iniuriis* dicit et ab advocato Rufino petit, ut eam *forensis industriae tueatur officio*, haec quoque a. 397 optime convenit.

IX 35—38 sententiam simillimam exprimunt 35 et 36. verbis conspirant 35 *est enim mihi familiaris dignusque patrocinio tuo.* 37 *est enim nobis conciliatissimus ob vitae integritatem dignusque me teste, qui* etc. 38 *olim mihi probitate vitae conplacitus est et honestis carus officiis.* 36 *mihique dudum probatum per honesta documenta.*

IX 39—41 verbis conspirant 39 *quare optimae voluntati tuae calcar admoveo teque hortor, ut* etc. 41 *quare salutationem litterarum tibi defero et hortor, ut* etc. 39 *adserit enim probabilem mentem talis electio.* 40 *sed circa nobiles probabilesque personas plus debet esse moderaminis.*

1035) Cod. Theod. XI 1, 25 *proposita in programmate Vari viri clarissimi, vicarii urbis Romae, Honorio A. IV et Eutychiano coss.*

IX 47. 48 verbis conspirant 47 *si quid igitur mihi tribuis.* 48 *si quid igitur interventui meo tribues.* — 47 *familiaritas vestra non deserat.* 48 *qui a parentibus deseruntur.* epistula 47 Flaviano tradita est, cum a. 398 exeunte Mediolanium proficisceretur. v. adn. 327. eidem igitur tempori 48 quoque adscribi debet.

IX 51 Apollodoro commendantur curiales civitatis Africanae quod tempus proconsulatus eius a. 399—400 indicat.

IX 54 simul scripta cum IV 56, ubi vide.

IX 55—59 ANNO 397?

Eusebius in officio aliquo militans commendatur epistulis 55 et 59: cum igitur hae in idem tempus incidant, de intercedentibus quoque idem praesumi debet. tota epistularum series scripta est aut ante Sancti Ambrosii obitum (d. 4 Apr. a. 397) aut non multo post. nam Caecilianus, qui eo superstite praefectus annonae erat[1036], eodem munere fungebatur, cum epist. 58 sumeret, ut ex argumento eius agnoscitur. sed ne multum ultra a. 397 recedamus, vetat aetas hominum, qui reliquis epistulis honoribus praediti praescribuntur. nam Eusebius (55) anno 395 comes sacrarum largitionum erat, donec ante d. 17 Iun. praefectus praetorio per Italiam factus est, quem magistratum retinuit saltem usque ad d. 23 Dec. a. 396[1037]; Geminianus (56) a. 398—399 proconsulatu Africae fungebatur (v. ad ep. IX 15); Iovius (59) a. 399 ineunte comitivam accepit, sed iam ante magistratus alios gessit[1038]). itaque omnes has epistulas non sine aliqua probabilitate ad a. 396 refero, aut si epist. 60 huic seriei adiungatur, ad primos anni 397 menses, quibus Probinus, cui inscripta est, proconsulatum Africae gessit. v. p. CV.

IX 61—65 ANNO 390.

Duae ex his epistulis (61 et 64) ad Pacatum in aliquo honore positum missae sunt, qui a. 390 proconsul, a. 393 comes rerum privatarum erat. v. p. CXCIII. sed quia eo magistratu, quem ultimum gessisse videtur, in aula Theodosii functus est et eo quidem tempore, quo Eugenio Italiam obtinente nullum commercium inter partes imperii Occidentales et Orientales erat, Symmachi litterae ad annum potius 390 re-

1036) 82, 3 Ad Ambrosium: *filius meus Caecilianus vir clarissimus, qui nunc communis patriae gubernat annonam.*

1037) Comes sacrarum largitionum praescribitur legi datae d. 22 Mai. a. 395 (Cod. Theod. XV 1, 32 (traditur *XI kal. Iul.*, sed quoniam Eusebius iam aliquot dies ante praefectus praetorio commemoratur, scribendum est *XI kal. Iun.*), praefectus praetorio d. 17 Iun. a. 395 Cod. Theod. XV 14, 12 d. 19 Dec. a. 395 Cod. Theod. I 15, 14. m. Ian. a. 396 Paulin. vit. Ambr. 34. d. 29 Mart. a. 396 Cod. Theod. XIII 11, 8. d. 9 Iul. a. 396 Cod. Theod. XIV 3, 19. d. 23 Dec. a. 396 Cod. Theod. XIII 5, 26.

1038) VIII 30 *interfuit publicae utilitatis, ut tibi maiora negotia crederentur.*

ferendae videntur. cui tempori epist. 65 quoque convenit, quam orator de vehiculo aliquo sibi faciendo scripsit. nam in ludos circenses, quas a. 391 consul exhibiturus erat, curribus ei opus fuit.

IX 68—71 ANNO 394.

In epist. 68 et 69 de maerore aliquo loquitur: alteram scripsit in *quarto Latinae viae mox agrum Laurentem petiturus;* quae autumnum a. 394, quo Flavianus maior mortuus est, indicant. v. p. LXII. epist. 71 argumento et verbis cum 68 tam arte cohaeret, ut eam eodem tempore emissam esse facile perspiciatur, praesertim cum illa quoque de Symmachi commoratione in rure aliquo loquatur.

IX 73—75 ANNO 400.

74 scripta est ad magistratum aliquem, qui Symmachi editionibus auxilium suum pollicitus erat, sed cum ante tempus praeturae provincia decedere coactus esset, promissis stare non potuit. haec ad Apollodorum referri possunt, qui menses fere septem ante Memmii Symmachi praeturam proconsulatum Africae deposuit. v. p. CXCIV. accedit summa verborum similitudo inter has epistulas et VIII 13—16 et 41, quae eadem aestate datae sunt. cf. VIII 14 *abundo laetitia.* IX 74 *abundo gaudio.* — VIII 14 *praestabit caelestium favor, ut.* 41 *praestabit divinus favor, ut.* IX 73 *praestabit divinus favor, ut.*

75 argumento cum 74 cohaeret. cf. ad epist. VIII 23—26 et 33—37.

IX 77—79 ANNO 394.

77 et 79 cohaerere, docent haec: 77 *fero tamen aequo animo, quod desiderio nostro amorem patriae praetulisti.* 79 *facile absentiae tuae damna ferremus. desiderium tui litterarum solacio mitigasti.* 78 *haec solacia mea.* — 77 *frequentanda tibi est opera scriptionis.* 79 *quas frequentare dignaberis.*

78 epistulae IV 17 tam simile est, ut simul cum illa scripta esse videatur.

IX 81 *post ingentia pericula, quae solus in communis patriae perturbatione tolerari, in bonum me statum redisse significo.* haec ad ver a. 398 pertinere, docui in adn. 324.

IX 91. 92 eodem tempore scriptas esse, docent haec: 91 *restat, ut stili adsiduitate aequas inter nos amicitiae diligentiam vincasque officii sinceritate successus tuos.* 92 *cum debitam diligentiam Iove teste non deseram. — amicitiae autem sinceritas pectoris magis fidem postulat.* haec re et verbis artissime cohaerent cum VIII 11. 12.

cf. VIII 12 *religio enim magis fide animi metienda est quam ostentatione verborum.* 11 *religio enim fide pectoris continetur: in verborum officiis latet plerumque simulatio.* IX 92 *nam plerumque officiis simulatur adfectio, amicitiae autem sinceritas pectoris magis fidem postulat quam delenimenta sermonis.* illas epistulas cum aliqua probabilitate ultimis anni 397 mensibus attribui posse supra iam vidimus: in his idem tempus indicat, quod Symmachus IX 91 amico ad honorem aliquem sublimem evecto gratulatur; siquidem Minervius comitivam rerum privatarum tum acceperat. v. p. CXLII.

IX 93. 94. — 93 *pignora nostra coniunximus.* hoc tam ad annos 392—394 (v. p. LII) quam ad a. 401 (v. p. LXXII) referri potest, quam dubitationem solvit epist. 94. queritur enim in ea Symmachus, quod amicus in urbe expectatus *pio accitu domini et principis nostri ad votiva remeaverit.* quae *votiva* nihil aliud indicare possunt quam consulatum imperatoris, ad quem ille evocatus est. cum igitur Honorius anno 402 consul quintum processerit, has epistulas anno 401 exeunte scriptas esse patet.

IX 103—107 de sportula nuptiali a. 401 exeunte amicis missa loquuntur 104. 106. 107: de mancipibus salinarum iudicum auxilio iuvandis 103 et 105. alteram earum ad praefectum urbi Decium, alteram ad praefectum annonae scriptam puto. quibus corporati urbis Romae subiecti erant.

IX 112 ad Probum a. 370 exeunte missam esse, docui in adn. 19.

IX 113 paulo post Celsini Titiani mortem data, a. 380 exeunte. v. p. CVI.

IX 115 non multo post proconsulatum a Symmacho depositum scripta, aestate aut autumno a. 375. v. adn. 152.

IX 117—122 ANNO 394.

117 Symmachus pretium pro feris in quaesturam filii comparatis numerat; 119. 120 munera quaestoria amicis mittit. quae omnia, cum editio mense Decembri a. 394 celebrata sit, primis anni sequentis mensibus facta esse patet. v. p. LVIII.

122 de Magnillo iudicio criminali absoluto loquitur, quam causam inter annos 393 et 395 agitatam esse, p. CLIII (cf. CXXIX) docui.

IX 124—126 ANNO 396.

125 mense Octobri Neapoli data est, ubi Symmachi illo mense a. 396 agebant. v. p. LXII. congruit, quod in epist. 124 ad Florentinum praefectum urbi scripta de inopia frumenti sermo est, qua hieme a. 396/7 urbem laborasse, in adn. 324 probavimus. proconsul denique Africae, *generosae familiae vir*, Symmachi affinis, cui epist. 126 missa est, Anicius Probinus fuisse videtur, quem hieme a. 396/7 provinciae administrationem iniisse et oratoris domum affinitate quamvis satis remota contigisse, p. CII et CV demonstravi.

IX 127. 128 Symmachus ruri agens pedis dolore vexatur, Octobri aut Novembri a. 397. v. p. LXIX.

IX 131—142 ex his epistulis quattuor 132. 135. 137. 142 de ursis, una 141 de crocodillis in praeturam filii comparandis loquuntur, quattuor pro civitatibus Campanis apud consularem provinciae interveniunt 131. 136. 138. 139; omnes igitur cohaerere in aperto est. ursi illi brevi tempore ante ludos, qui aestate a. 401 exhibiti sunt (v. p. CLXVI), in Italiam advehebantur[1039]; cum ergo in epist. 142 scribat, eos *proxime esse venturos*, haec series in annum 401 cadit.

IX 144 in hac quoque epistula de ludis praetoriis sermo est, sed ita ut editionem nondum instare perspiciatur; itaque in annos 399 aut 400 collocanda esse videtur.

IX 147. 148 a magistratibus petit, ut poenam capitis de virgine Vestali incesti condemnata exigant; cuiusmodi iudicium habitum esse vix potest, postquam Gratianus a. 382 superstitioni gentilium auctoritatem publicam denegavit.

IX 149 Symmachus consul designatus, ultimis a. 390 mensibus.

IX 150 scripta simul cum relatione 34, quam a. 385 attribuendam esse postea videbimus.

IX 151. 152 de apparatu praetorio agunt, quo Symmachus annis 398—401 occupatus erat. v. p. LXXI.

IX 153 Symmachus sportulam consulatus amico mittit, a. 391.

X 1 paulo post proconsulatum Africae a Symmacho depositum emissa, aestate a. 375. v. p. XLIX.

X 2 non multum post supplicium Maximini praefecti praetorio scripta. is in magistratu ultimum commemoratur in lege Cod. Theod. IX 6, 1 + 2 + 19, 4 data d. 15 Mart., proposita d. 16 April. a. 376, successor eius Antonius primum praescribitur constitutioni datae d. 23 Mai. a. 376. v. p. CIX. vere igitur honorem amisit, neque multo post a senatus legatione accusatus capitis poenam solvit. Symm. Orat. IV 11. 12; Amm. XXVIII 1, 7. 57.

RELATIONES.

Relationes omnes in Symmachi praefectura urbana dictatae sunt, cuius tempus vere a. 384 et autumno a. 385 includitur. v. p. LIV. certiora autem temporis indicia praebent hae:

1. 2 Symmachus pro magistratu recens accepto Augustis gratias agit, vere a. 384.

3 relatio de ara Victoriae sumptibusque caerimoniarum restituendis, aestate a. 384. v. adn. 212.

7 paulo ante kalendas Ianuarias anni 385 scripta.

8 agit de lege data d. 25 Iul. a. 384, Cod. Theod. XV 9, 1.

1039) 211, 8 *ursi quam plurimi ad editionem muneris nostri ex Praevalitana devehuntur, quos cupimus celeriter in usum p r o p i n q u i muneris exhiberi. — maxime autem rumpendae sunt morae, quia d i e s p r o x i m u s f u n c t i o n i s cogendo apparatui non relaxat indutias.*

10—12. 21 paulo post mortem Praetextati emissae, qui ultimis a. 384 mensibus obierat. v. adn. 219.

13 senatus consultum de oblatione ob decennalia Valentiniani facienda cum imperatore communicat; quae cum d. 22 Nov. a. 385 celebrata sint (v. p. CXXI), hanc relationem veri aut aestati eiusdem anni adsigno.

15 strenae ad Augustos mittuntur; paulo ante kal. Ianuarias anni 385, quo die munera tradi debebant.

16 incipit excusatione Symmachi, quod contra iuris praecepta appellationem a praeiudicio admiserit. cui dubitationi respondet lex data d. 29 Nov. a. 384: *Ad Symmachum praefectum urbi: obiecta appellatione, etiamsi a praeiudicio interposita dicatur, vel ad nos vel ad cognitorem sacri auditorii sollemniter causa mittatur, cum si ea provocatio adversum leges fuerit emissa, facile post iudicium sacri examinis ab huiusmodi litigatoribus multa possit exsculpi*[1040]. — relationem 28 ante, 33 post hanc legem acceptam emissas esse, inde perspicitur, quod in causis prorsus similibus illa eiusdem modi excusationem continet, haec omittit.

17. 23. 34 id tempus spectare, quo Symmachi gratia in aula iam fluctuabat, p. LVI veri simile reddidi. scriptae igitur esse videntur, paulo antequam magistratum deponeret, aestate aut autumno a. 385.

21 huic relationi respondet lex data d. 28 Dec. a. 384. v. p. LVI.

23 oblatio ob decennalia Valentiniani non solum promissa, sed iam pro parte soluta est[1041]. scripta igitur est post rel. 13. cf. ad rel. 17.

24 v. ad rel. 10.

28 v. ad rel. 16.

33 post legem Cod. Theod. XI 30, 44 acceptam emissa est. quae cum d. 29 Nov. a. 384 data sit, paulo ante initium a. 385 in Symmachi manus pervenit. v. ad rel. 16.

34 v. ad rel. 17.

41 legem Cod. Theod. XI 30, 41 propositam d. 16 Dec. a. 383 *proximam sanctionem* appellat (313, 31); itaque post a. 384 data esse non potest.

ORATIONES.

1 primum in Valentinianum panegyricum dictum esse in festis quinquennalibus eius celebratis d. 25 Febr. a. 369, indicant verba 322, 16 *lustrum imperialium iam condis annorum.* cf. adn. 141.

2 habita cum Valentinianus tertium fasces sumeret (324, 9), kal. Ianuariis a. 370.

3 recitata est, postquam Gratianus nomen Augusti adsumpsit (d. 24 Aug. a. 367) et antequam pater eius moreretur[1042] (d. 17 Nov. a. 375). quod autem orator dicit: 330, 35 *spe electus es, re probatus,* aliter interpretari nequimus, quam puerum Augustum

1040) Cod. Theod. XI 30, 44 cum adn. Gothofredi.

1041) 298, 20 *ad commune secretarium, quo faciendae oblationis gratia summates quosque conduxeram.*

1042) 332, 25 *quantum gloriae consequeris olim patre incolumi ducturus exercitum* et passim.

post electionem suam clara iam virtutis documenta edidisse, quae qualia fuerint, multis locis indicatur. patrem videlicet in expeditione aliqua contra Alamannos comitatus erat[1043], ita ut victoria nomine tenus utriusque imperatoris ductu reportata esset. anno 367 post mensem Augustum arma in hostes commota non sunt[1044]; oratio igitur ante aestatem a. 368 habita esse non potest. cum autem Symmachus initio dicat, aurea munuscula Gratiano a se tradenda esse, qualia oblationis nomine ad imperatorum festa quinquennalia a senatu mitti solerent, hanc quoque orationem simul cum prima d. 25 Febr. a. 369 pronuntiatam esse puto. nam non Valentiniano tantum, cuius dies anniversarius celebrabatur, sed etiam filio eius munera oblaticia missa panegyricosque sollemnes dictos esse, ex tota imperii collegialis condicione sequitur.

4 non multum post Maximini mortem pronuntiatam esse, ex 334, 24 sqq. liquet. v. ad epist. X 2.

5 capite tertio Valentiniani animus suspiciosus odiumque in senatum tam aperte vituperantur[1045], ut haec nisi post obitum eius dicta esse non possint; cum autem Symmachi pater, in cuius laudibus haec oratio vel praecipue versatur, iam a. 376 mortuus sit, tempus eius die 17 Nov. a. 375 et fine anni sequentis includitur. itaque quia die nono Ianuarii eam habitam esse orator ipse scribit (23, 5), de anno quoque constat.

6. — 337, 10 *egit fama latior negotium suum, ut Theodosio quondam militarium magistrorum celeberrimo consultor belli per Africam iungeretur.* voce *quondam* indicari solet, eum, cuius nomini additur, mortuum esse, de anno autem, quo Theodosius interfectus est, unum tantum fontem habemus, Hieronymum, nam Orosius (VII 33, 7), quamvis de baptismo magistri militum ab episcopis Africanis certior factus esse videatur, in tempore tamen definiendo illum sequitur. qui in chronico ad annum 375, sed post mortem Valentiniani, haec adnotat: *Theodosius, Theodosii postea imperatoris pater, et plurimi nobilium occisi.* dux igitur Africanus inter d. 17 Nov. a. 375 et kalendas Ianuarias a. 376 interiit, non Gratiani videlicet iussu, qui tam brevi tempore Carthaginem perferri non potuisset, sed Valentiniani ipsius. quis enim credat, Theodosium minorem ab eo ipso collegam imperii adscitum esse, qui patrem eius supplicio affecerit? itaque oratio pro Severo ante initium a. 376 pronuntiata non est, neque tamen post a. 378, nam si Gratianus tum consortem iam elegisset, Symmachus Theodosium profecto non tantum magistrorum militum celeberrimum dixisset, sed etiam patrem principis. cum autem editio totius orationum corporis summa cum veri similitudine anno 376 tribui possit (p. X), eodem anno oratorem nostrum pro Severo dixisse putaverim.

7 Iulianus, qui 337, 16; 338, 7 ut vivus commemoratur, a. 387 aut 388 diem obiit. v. p. CXXV.

1043) 330, 30 *pro senibus puer dimicas, pro liberis nostris aequaevus insudas.* — 331, 24 *historia oblectaris in proeliis, — carminibus in triumphis.* — 332, 11 *filium te exhibes reverentia, virtute collegam. una est utriusque militia et coniuncta felicitas: tu gaudes magisterio patris, ille contubernio iunioris.*

1044) Herm. XVIII p. 152.

1045) 336, 8 *traxerunt olim plerique principum in invidiam, si quisquam absens civium moveret suspiria, et quasi amari imperatoribus tantum liceret, privatorum merita presserunt. mihi autem vere pater patriae videtur, sub quo laudari vir optimus non timet.* 336, 5 *is enim rem publicam liberam tenet, sub quo aliquid invidendum in potestate senatus.*


CONSPECTVS NOTARVM.

P codex Parisinus 8623 saec. IX. v. p. XXVII.
V codex Vaticanus Palatinus 1576 saec. XI. v. p. XXVIII.
M codicis Montepessulani saec. XIII pars prior. v. p. XXX.
F in libris septem prioribus codices florilegii aut omnes aut optimi, in tribus ultimis consensus librorum F^1 F^2 F^3. v. p. XXVIII.
F^1 editio florilegii Argentoratensis a. 1510.
F^2 codex florilegii Parisinus 8559 saec. XII aut XIII.
F^3 codex florilegii Vaticanus Reginae 1575 saec. XIII.
Π codex Divionensis a Iureto disertis verbis laudatus. v. p. XXXII.
(*Π*) Iureti editio prior. in iis epistulis, quae iam in editione Lypsiana impressae erant, eas tantum scripturas hac nota signavi, quibus Iuretus a Lypsio discrepat. v. p. XXXIII.
$(\Pi)^2$ Iureti editio altera. v. p. XXXV.
Γ codex Huberti Giphanii a Scioppio disertis verbis laudatus. v. p. XXXV.
(*Γ*) Scioppii editio, ubi a Iureti altera discrepat. v. p. XXXVI.
Φ codex Fuldensis a Scioppio disertis verbis laudatus. v. p. XXXV.
(*ΓΦ*) scripturae codicum Scioppianorum, quibusde non constat, ex quonam eorum haustae sint.
/ spatium litterae unius, quae temporis iniuria periit.
! littera erasa aut alio quolibet modo deleta.
+ spatium litterae unius a librario vacuum relictum.

Vni cuique contextus parti notas eorum codicum in margine adscripsi, qui eam aut etiamnunc continent aut editione eius principe ex iis deducta satis noti sunt, ut silentium apparatus critici de iis pro testimonio haberi possit.

Vbi in apparatu critico alicui scripturae discrepanti additum est: *P 2 m.* aut *V 2 m.* nulla primae manus mentione facta, ibi haec ea praebet, quae in contextu leguntur, et vice versa.

STEMMA CODICVM.



Q. AVRELII SYMMACHI V. C.

CONSVLIS ORDINARII

EPISTVLAE

EDITAE POST EIVS OBITVM

A

Q. FABIO MEMMIO SYMMACHO V. C.

FILIO.

LIBER PRIMVS.

AD PATREM. *VF*

I a. 375.

PATRI SYMMACHVS.

Ne mihi vitio vertatur intermissio litterarum, malo esse promptus officii quam longa expectatione vicissitudinis desidere: tum quod parentibus non ad lancem neque ad demensum verba tribuenda sunt. iniurius videar, si summo vobiscum iure contendam: nam praeter aequum censet, qui inter dispares obsequium par requirit. itaque vester sermo ex beneficio proficiscitur, noster ex debito. haec me atque alia huiusmodi oppido perpulerunt scribendi munus insuper non habere. nunc vobis actuum 2
nostrorum ordo pandendus est: libet enim non minus otii quam negotii praestare rationem. Baulos Lucrina sede mutavimus; non quod eius deversorii satias ceperimus, quod cum diutius visitur, plus amatur, sed quod metus fuit, ne si Baulorum mihi inolevisset adfectio, cetera, quae visenda sunt, displicerent. ibi Acindyno conditori eiusque maioribus em*m*etra verba libavi et picturae licentiam, quae vestitum disparem singulis tribuit, in rationem coegi. protelarem te paululum, ni vererer, ne dilatione expectatio nutriatur. quare elaboratam soloci filo accipe cantilenam:

Attica palla tegit socerum, toga picta parentem: 3
praefuit iste sacris, hic dixit iura Quiritis:
at mihi castrensem quod mordet fibula vestem,
Aurorae in populis regum praetoria rexi.
sed fasces pictura tacet: tu respice fastus.

10 Cato ap. Cic. pro Planc. 27, 66.

1, 3 *om.* *VF* 5 desiderer *F* 9 oppido *om.* *F* 11 diuersorii *VF* ceperit nos *Lypsius; sed cf. Macr. Sat. VII, 12, 21* cur qui auidius uorant, facilius satias capiant 13 inoliuisset (*ΓΦ*) sunt uisenda *F* acyndino *V*, acinodo *F* 14 eius quae *Γ*, eius quae *V*, eius qui *F* emmetra] *Scioppius*, eminetra *Γ*, eminet rara *VF* 15 distribuit *F* 16 filio solacii *F* 18 hic dixit] *F*, indixit *V*(*ΓΦ*) quiriti (*Γ*

VF 4 scio te, simul atque haec legeris, actutum poetica plectra moturum. nullus feceris, ne mei periculo gloriere! ego te nostri vatis exemplo quasi quadam lege convenio: liceat inter olores canoros anserem strepere. silentium mihi, nisi praestiteris, imperabis. quam nihil abs te metuam, vis probare? en tibi aliud alucinationis meae prodo secretum, adhuc sollicitus de priore. audi versus ad Baulorum historiam pertinentes:

5 Huc deus Alcides stabulanda armenta coegit
eruta Geryonae de lare tergemini.
inde recens aetas corrupta boa*u*lia Baulos
nuncupat occulto nominis indicio.
ab divo ad proceres dominos fortuna cucurrit,
fama loci obscuros ne pateretur heros.
hanc celebravit opum felix Hortensius aulam,
contra Arpinatem qui stetit eloquio.
hic consul clarum produxit Acindynus aevum
quique dedit leges Orfitus Aeneadis.
hos inter iuvenile decus, sed honore senili,
bis seno celsus, Symmache, fasce cluis.
sed te Baulorum necdum lenta otia quaerunt;
cura habeat iuvenem publica pervigilem.

6 Nempe derides, quod de me aliqua iusto indulgentius praedicavi? est haec vera et digna reprehensio. omnis quippe ostentatio non caret suspicione mendacii, quia quidquid adsumitur, proprium non putatur: dehinc quod iactantia avara laudis multum decoquit de pudore. †possem dicere, si quis inrepserit externus auditor, meos esse versiculos diffi*ter*i, ut verecunde in nos cad*at* ab altero profecta laudatio. sed video opusculum non esse paenitendum. ita res crepera atque anceps dubium me habet, utrum verecundiae praemetuendum sit discrimen an gloriae. tibi igitur, qui prudentia antistas ceteris, optionis huius delego provinciam. quid facto usus sit, ipse videris: ego et infantiae et inprudentiae meae patrem conscium non inprudenter elegi. vale.

II a. 375.

VΓ

PATER SYMMACHO.

Hoc est munus, quo se non sola possit iactare Campania: †sed praeteritis Roma aut Athenae, si in Graecum loquendi honorem huiusmodi lingua vertatur. quid enim concinnius epistula tua, quam nuper accepi? quid versuum admixtione iucundius? vere dicam tibi, plura legere volentibus celeriter terminata est. quod utinam sensus aliquis eorum supersit, quorum imaginibus praescripta videmus epigrammata! facile laudabunt tales successores laborum suorum, qui picturae nitorem pulchrioribus versibus inlumina*ri*nt. et ego igitur gratulor non magis ostreis et peloridibus abdomen quam pectus

2 Verg. Eclog. IX 36. 6 Serv. ad Aen. VI 107; VII 662.

2 gloriarer *V* 4 metuamus probare *F* intimationis *F* 5 adhoc *Γ* 6 alcydes *V*• 7 fer ut ager sone deiulare *(ΓΦ* Geryonae] gersone *V*, gerionis *F* 8 boaulia] *Servius*, bualia *V*, boalia *F* 12 ortensius *V* 14 achyndinus *V*, acynodus *F* 20 et] atque *F* 22 quod *om. F* 23 possem eligere *Mommsen*, posse me dices *ego* 24 diffiteri] *Scioppius*, difficere *ΓΦ*, diffidere *V*, efficere *F* ut uerecunde in nos cadat] *Scioppius*, ut uerecunde innoscad et *Γ*, ut uerecunde ignoscat et *Φ*, ut uerecundiae ignoscat et *V*, ut uerecundiae ignoscat si esset *F* profecta laudatio] *ΓΦF*, profectae laudationi *V* 27 et *om. F* 28 impudentiae *Γ*, impudenter *Γ*

30 Pater Symmacho] *Γ*, *om. V* 31 sed praeteritis] *VΓΦ*, superba erit his *ego*, sed prae ceteris *Suse* 32 athenesi in *VΓ*, athenis si in *Φ* 33 quid enim uersuum *V* 35 proscripta *Φ* 36 tales *om. Γ* inluminarint et] *Rittershus.*, inluminarent et *Γ*, illuminarent et rent e *in ras.* 2 *m.* *V* 37 peluridibus *Γ*

tibi eloquio esse satiatum; et quoniam pudorem meum ipse ordiendo solvisti, a nobis quoque accipe bonorum aetatis meae exarata nuper elogia. nam quia nihil est, quod agam, et si nil agam, subit me malorum meorum misera recordatio, inveni, quod illis libellis, quos nuper dictaveram, possimus adicere. scis Terentium, non comicum, sed Reatinum illum Romanae eruditionis parentem, hebdomadon libros epigrammatum adiectione condisse. illud nos, si fors tulerit, conamur imitari. sed quae prima conpegi, interim pauca misi, obtestatus te per deum, ut si quid in his displicebit, emendes. quod mihi pudendum non est; nam sive quid *ex me sive* ex te placuerit, mea laus est, nec vito consortium, in quo talem non erubesco consortem. 2 *VΓ*

ARADIVS RVFINVS. 3

Princeps ingenio, fortunae munere princeps
aetatis, Rufine, tuae, cui prospera quaeque
admiranda tuis aequabat gloria rebus,
unus amor cunctis et praesidium trepidorum,
principibus, quorum viguisti tempore, doctus
aut calcaria ferre bonis aut frena tyrannis.

VALERIVS PROCVLVS. 4

Cum primis, quos non oneravit gloria patrum,
ponemus Proculum, vitae morumque decore
haud umquam indignum magnorum Publicolarum.
olli semper amor veri et constantia, simplex
caelicolum cultus. non illum spernere posses,
et quamquam reverendus *erat*, non inde timeres.

ANICIVS IVLIANVS. 5

Cuius opes aut nobilitas aut tanta potestas,
cedenti cui non praeluxerit Amnius unus?
acer ab ingenio cunctisque adcommodus idem
hic et carus erat, conferre iuvare paratus;
nam dives, tum celsus honoribus, et tamen illis
grandior, aeterno conplebat nomine Romam.

PETRONIVS PROBIANVS. 6

Iactet se Fortuna aliis, quos indice nullo
lucem ad Romuleam sua sola licentia vexit:
te, Probiane, pudor, te felix gratia teque
Itala simplicitas morum et sollertia iuvit,
adsidue quocirca, Augustis notus et hospes,
praemia magnorum tetulisti dignus honorum.

3 agam] *VΦ*, agamus *Γ* nihil *Γ* subit me] subiti ne *Γ* inueni] *VΦ*, inuenit *Γ* 4 dictaueram] *VΦ*, dicaueram *Γ*, *fort.* dictaueras 5 ebdomadon *V* 6 conpigi *Γ* 8 ex me siue] *inser. Mommsen* 9 consortem. uale *VΓ* *epigrammata ita in V scripta sunt, ut unum quidque novam epistulam efficere videatur* 10 Aradius Rufinus] *Iuretus*, arcadius ruffinus *Γ*, *om. V* 13 admiranda. tuis] *V*, tristitiam tua mirandis *ΓΦ* aequali ac *Γ* 15 principibus quibus *Γ* 16 tyrannis uale *V* 17 Valerius Proculus] *Γ*, *om. V* 18 honorauit *Γ* 19 decore] *Wingendorp*, decorem *VΓ* 22 posses] *Iuretus*, possis *VΓ* 23 erat] *Iuretus*, eris *V*, *om. ΓΦ* non deinde *ΓΦ* timeres] *ego*, timeris *VΓ* 24 Anicius Iulianus] *Γ*, *om. V* 26 cedenti cumon *Γ*, non cedent cui non *V* animus *Γ*, annius *Φ* 30 aeterna *Γ*, aeternam *Sciоppius* 31 Petronius Probianus] *Γ*, *om. V* 32 quos] *Lectius*, quod *VΓ* 33 ad] ac *Γ* 36 assidue quia circa *V*, quocirca adsiducs *Γ* 37 retulisti *V*

VΓ 7

VERINVS.

Virtutem, Verine, tuam plus mirer in armis,
Eoos dux Armenios cum caede domares,
an magis eloquium morum vitaeque leporem,
et — nisi in officiis, quotiens tibi publica curae —
quod vitam innocuis tenuisti laetus in agris?
nullum ultra est virtutis opus, nam si esset, haberes.

8 Octoginta personis nescio an solus occurram, et ideo in socerum atque avunculum nostros tibi delegamus epigrammata. nam et Varronis libri diversis notantur auctoribus.

III a. 375.

VMΓ

SYMMACHVS PATRI.

Summa adficior gratia, quod animadverto litteras meas tibi insubidas non videri, et in gravi dono habeo hanc apud vos esse de nostris epistolis censionem. laudari quippe ab laudato viro rara est messis ingenii. verum ut hoc mihi laetitiae fuit, ita illud ludificandi gratia opinor adiectum, si quid in tuis versibus sorduisset, id ut mei
2 stili cura limaret. ne ego sum stultus ac nihili, si os sublitum mihi esse non sentio. quid enim corrigi vel a me potest, vel in te fas est? unus aetate nostra monetam Latiaris eloquii Tulliana incude finxisti. quidquid in poetis lepidum, apud oratores grave, in annalibus fidele, inter grammaticos eruditum fuit, solus hausisti, iustus heres veterum litterarum. ne mihi verba dederis! novi ego, quid valeat adagio: sus Minervam. adprime calles epicam disciplinam, non minus pedestrem lituum doctus inflare. ain tandem? orandi aeque magnus et canendi meae te opis indigum mentiare? haud aequum
3 facis, neque me iuvat falsa lactatio. interea si nobis utendas aures datis, dicam, quid diebus superioribus egerimus. Bais remotis arbitris otiabar. eo postquam rumor adlatus est, terrae filios convenire, oppido cav*i*mus, ne sobriam solitudinem nostram sodalitas plebeia fuscaret. ac primo Neapolim, dehinc brevi intervallo Beneventum me recepi. ibi summo cultu civium plausuque susceptus tanto honore celebrabar, ut iam
4 gravarer officiis. sedulitas enim, quae non conpensatur, onerosa est. et urbs cum sit maxima, singuli eius optimates visi sunt mihi urbe maiores, amant*issim*i litterarum morumque mirabiles. de*os* magna pars veneratur; privatam pecuniam pro civitatis ornatu certatim fatigant. nam postquam terra movit, nihil paene illis reliqui factum est, sed fractae opes infractos animos repperernnt. pro se quisque operam boni civis adfectat: nox diei iungitur ad laborem. unde nobis summa cura fuit abire ocius quam

13 Naevius ap. Cic. Tusc. IIII 31, 67, ad Fam. V 12, 7; XV 6.

---

1 Verinus] Γ, *om.* V 8 solis Γ 9 uestros V

11 Symmachus patri] Γ, *om.* VM 12 insubitas VM 13 in graui dono] *Lectius*, in grauido non VΓ esse apud uos Γ 14 hoc nihil mihi Γ 16 ac] hac V sublitum] Γ, sublinitum Φ, sublimatum VM 20 adagio] Γ, a contagio V 21 callis V lituum] M, litium Γ, licium V 22 meae te] V, merere Γ 23 lactatio] Γ, iactatio VM utendas] Γ, uacuas VM 24 remotis arbitris] ΓM, remotus ab arbitris V ablatus V 25 cauimus] *Scioppius*, cauemus VΓM sodalitas] VΦM, sordiditas Γ 27 recipi V(ΓΦ) plausuque] VΦM, planeque Γ 29 eius *om.* Γ mihi uisi sunt Γ amantissimi] *Suse*, amantissumi *Mommsen*, amantes sui VΓ 30 deos] *ego*, deum VΓ, *interpolator christianus deos nonnumquam in singularem numerum mutavit, ut I 6, IIII 54, V 13, 17* pars magna Γ 31 terram V pene M, bene VΓ

volebam. ne aut mihi diu dediti ab opere desiderent, aut eos occupatio geminata *VMΓ* distenderet. itaque Baianum sinum rursus accessi, nam Baiae id temporis iam silebant. 5 hinc vos munere salutationis inpertio doque nuntium, propere nos deo volente esse redituros. fors fuat huiusce promissi. vestra tamen indulgentia adfatum saepe tribuat, quasi diutius abfuturis.

IIII a. 375.

SYMMACHVS PATRI. *VM*

Studium quidem Menippei Varronis imitaris, sed vincis ingenium. nam quae in nostrates viros nunc nuper condis epigrammata, puto hebdomadon elogiis praenitere; quod haec aeque sobria, †nec tamen castigata sunt, illa bono metallo cusa, torno exigi nescierunt. et duriorem materiam, nisi fallor, adniteris. ille Pythagoran, qui animas 2 in aeternitatem primus adseruit, ille Platonem, qui deos esse persuasit, ille Aristotelen, qui naturam bene loquendi in artem redegit, ille pauperem Curium, sed divitibus imperantem, ille severos Catones, gentem Fabiam, decora Scipionum, totumque illum triumphalem senatum parca laude perstrinxit: tu rutuvam proximae aetatis inluminas. difficile factu est, ut honor angustis rebus addatur. me quoque iubes versibus tuis 3 nonnulla subnectere. haud ita Flaccus tuus praecepit in illis poeticae artis edictis, quorum hoc memini esse principium, ne humano capiti cervix equina iungatur. malo itaque tibi contumacia negati officii quam inprudentia promissi operis displicere. plura de hoc coram loquemur, quando hanc epistulam sequi paramus aut consequi. tu coepta perage et tam sollertis eloquii esto munificus: ego tibi ut linguae obsequia nego, ita aurium commodabo.

V (II) ante a. 376.

SYMMACHVS PATRI. *VMF*

Nequiquam taciturnitatis incessimur, quibus summa cautio est officii persequendi, fere ut nulla statio fuerit tot locorum, in qua huius muneris ferias egerimus. et sane iuvat animum pia sermonis exactio. dulcis est enim querella, quae nascitur ex indulgentia. vos modo facite noveritis, hanc sti*m*ulationem religiosam magis esse quam iustam. interea loci de Praenestina secessione siluisti, cuius fama mihi fecit indicium. quam vellem deliciis vestris inprovisus obrepere! licet Campaniae amoena praeniteant, mihi tamen esset adcommodatius agitare vobiscum et spiraculis regionis illius aestivam flagrantiam temperare. sed res familiaris inclinata a nobis usque quaque visenda est. 2 non ut quaestuum summa ditescat, sed ut spes agri voluntariis dispendiis fulciatur.

1 diu *om.* *ΓM* desiderent] *V*, dissiderent *Φ*, discederent *Γ*, desisterent *M* 2 sursus accessit *Γ* 3 deo uolente] *V*, dum uolente *Γ*, *scribe* diis uolentibus 4 reddituros *V* fors fuat] *VΦ*, fruar *Γ* affatim *V*

7 Symmachus patri *om.* *VM* 8 naronis *V* 9 ebdomadon *VM* 10 casta *Γ*, *fort.* decies tamen castigata sunt, *cf. Hor. A. P. 294* praesectum decies non castigauit ad ungnem torno] *Scioppius*, *cf. Hor. A. P. 441*, turno *Φ*, a turno *Γ*, a saturno *VM* 11 pytagoran *V* 12 aeternitate *V* 15 parca] *Γ*, parna *VM* rutuuam] *Φ*, rutiuam *V*, ruinam *M*, uiros *Γ* 20 plura] *M*, dura *VΓΦ* 22 commodabo] *M*, accommodabo *V*

24 ·s· patri *F*, *om.* *VM* 28 stimulationem] stipulationem *VM*, extipulationem *F*, extimulationem *Iuretus* magis esse religiosam *F* 29 secessione] sede *F* mihi fama *V* 31 religionis *V* 32 inclinat ea nobis *F*

VMF namque hic usus in nostram venit aetatem, ut rus, quod solebat alere, nunc alatur. verum haec missa facio, ne salutatio in querellam versa minuat officii voluptatem. date operam valetudini et adloquio crebriori, quae cum petimus, sedulo pollicemur. vale.

VI III ante a. 376.

VF SYMMACHVS PATRI.

Solent inpatientes dilationis esse, qui sperant in se aliquid muneris conferendum: hoc vero a vobis recens ortum videmus, ut suarum rerum munifici moram non ferant largiendi. nunc nuper ad vos praedium lege venit, cuius me iure donastis. cucurrit quaestus vester in meum commodum, et meliore voto fortunam estis imitati. nam quod
2 ex propinquae bonis cum maestitia sumpseratis, cum laetitia tradidistis. quid quod hanc liberalitatem cumulastis amplissimo testimonio? cuius ego honestamentum praeopto muneribus, nam qui opibus inlaudatus iuvatur, necessarium magis donum quam iustum praemium videtur adipisci. ago igitur iudicio vestro atque habeo gratias, quantae sunt maximae, quod mihi honorem utrumque fecistis, et deos precor, ut datis in commune omnes longum fruamur sintque ex nobis, quibus Ostiense praedium nostro iudicio, vestro tradatur exemplo. vale.

VII ante a. 376.

VM *SYMMACHVS PATRI.*

Bono animo sumus, cum viam promissi memores inchoastis. nunc properato opus est, ut dum anni tempus calet, autumni bona raptim fruamur. his quippe mensibus Campania nitet agri ubere et arbusti honore. Baiae imbre raro, sole modico tempe-
2 rantur, mensae ab edulibus copiosae sunt, quibus tu amicorum catervas minaris. sed mihi honestae multitudinis nulla minatio est, et si bis tanto plures, quam scribis, adfuerint, frugem bonam feceris. non deerit, quo famem polluant; nam comitibus vestris utpote sobriis caedundae saginae cura posterior est. quousque longum loquor? mitto verba, rem flagito. occasionem rapere prudentis est. si quid dilationis itineri demitur, mora otii repensatur. vale.

VIII ante a. 376.

VMΓ SYMMACHVS PATRI.

Iamdudum vestri cupiunt Lucrina tacita et liquida Baiana et Puteoli adhuc celebres et Bauli magnum silentes. vos apud Coram rusticam vel apud steriles Formias

---

1 uenit in nostram *F* aeternitatem *V* 2 officii *om. F* uoluptatem] *Lypsius*, uoluntatem *VMF* 3 bonae ualitudini *F* quae conpetimus *V*, quaeque petimus *F*
5 ·s· patri *F*, *om. V* 9 et uos meliore *F* 10 propinquis *F* quid — 12 muneribus nam *om. F* 12 in laude *F* 14 deos] *F*, deum *V* 15 Ostiense] *F*, offense *V* 16 datur *F*
18 Symmachus patri *om. VM* 23 minatio] *VM*, uitiatio *Γ*, uitatio *Scioppius* uis *V* scribes *V* 24 polluant] *VΓ*, pellant *M* 26 dilationis] *VΓΦ*, dilacione *M* itineri demitur] *Scioppius*, itineris redemitur *VΓΦ*, itineris delinquitur *M* 27 repensatur] *VΓΦ*, recompensabitur *M*
29 Symmachus patri] *Γ*, *om. VM* 30 puteolos *VM* celebris *Γ* 31 baulos *V*, baiulos *M* silentes] *ΓM*, flentes *V*

desidetis. tandem, si operae pretium est, contendite viam atque animadvertite meliora terrarum; ubi alte turbis quiescitur, ubi fruendis feriis modus nullus est. *VMΓ*

ubi corniger Lyaeus
operit superna Gauri,
Volcanus aestuosis
medium coquit cavernis.
tenet ima pisce multo
Thetis et Baiae sorores.
calet unda, friget aethra:
simul innatat choreis
Amathusium renidens,
salis arbitra et vaporis,
flos siderum, Dione.

num vobis videor quasi multae luxuriae ebrius mentis insipere atque ideo in poetas nomen dedisse? nihil moror hanc litteraturam: loci potius quam ingenii mei munus exercui. sed si invitantia loquor, gradum tollite, ut et vos sitis laeti praesentium, et nobis potiundi, quae volumus, fortuna succedat. vale.

VIIII ante a. 376.

PATRI SYMMACHVS.

In metu fuimus, ne vos imber inhiberet. sed verum illud est, quod poëta noster scriptum reliquit, i t e r d u r u m v i c i s s e p i e t a t e m. quare adventum vestri in diem placitum praestolamur. dii modo auctores sint, ut quae animo destinatis, nullis causationibus obstrepantur. vale.

X IIII ante a. 376.

PATRI SYMMACHVS. *VMΠ*

Hanccine mihi esse fortunam, ut quoquo versum pedem gradumque contulero, exaedificandum aliquid offeratur? velut me nunc Capuani praetorii instauratio in graves cogit expensas, cuius pars fatiscit incuria, pars neglegenti dudum celeritate reparata imbecillum praestat habitaculum. his nisi properata cura subvenerit, aut pecuniae postea dispendium cumulabitur aut ruinae. nam quisquis haec opera intermittit, amittit. quare animus est amoliri aedium senectutem. ita desiderato et expetito otio

21 Verg. Aen. VI 688.

1 pretium *om. Γ* 2 feruendis *V* 3 lyeus *V* 4 aperit *Γ* superna Gauri] *Salmasius*, supernam gutturi *VΓΦ* 6 media incoquit *Heinsius* 7 ima] *ΓM*, una *V* 8 uagae sorores *Heinsius* 9 aethra] *Γ*, ethera *V*, aethna *M* 11 renidens] *Γ*, renitens *V*, renitas *M* 14 luxoriae *VΓ* ebrius mentis] *Γ*, *om. M*, mentis *om. V* ideo] *VΓM*, adeo *Φ* 15 litteraturam] *VΦM*, literarum *Γ* 17 poti undique *Γ*

19 Patri Symmachus] *Γ*, *om. VM* 23 caussationibus *Γ*

25 *ab hac epistula incipit apographum codicis P in Π* Patri Symmachus] *Π*, *om. VM* 26 quoquenersum *V* contulero] *V(Γ)*, tulero *M*, contulerim *Π* 27 exodificandum *Π* praetarii *Π* 28 cogit] *VΓM*, coegit *(Π)* 29 imbecillum] *VΓM*, indecorum *(Π)* 31 amoliri] *Π*, amoueri *VM* odium *Π* ita a desiderato *Mommsen*

VMΠ ad negotium concessimus sumptuosum. quid rerum geramus, audistis. facite vicissim vestrae salutis atque actuum prospera noverimus, ut hoc pauxillum tempus, quod in Campania paramus absumere, sine offensa vestri silentii transigamus. vale.

XI (V) ante a. 376.

PATRI SYMMACHVS.

Cum iam filiae vestrae dies natalis adpeteret, commodum aderant, quae muneri miseratis. ea nobis in*ma*ne quantum cara et gravia fuere. nam si quid in absentes bene consulas, inpensu maiore gaudetur. ilico amplexi litteras, quae prosequebantur oblata, in expectatione esse coepimus, quam mox vobis capessendum iter Appiae scri-
2 beretis. nihil horum pagina nuntiabat. percontor tabellarium, num constantiam decreti rerum subita turbassent. ait sententiam nihil claudicare, sed placita differri, donicum statio Formiana multa fruge et aliis hoc genus in usum necessariis instruatur. tunc mihi animus ab aegritudine remigravit. do fidem, nihil herili mensae, nihil servitiis aut pecori defuturum. ne mihi sit dicti huius posthac negatio, en vobis chirographi instar litteras meas. sponsionem meam stipulat adfectio. neque enim patiar decipi, quos opto conplecti. vale.

XII (VI) ante a. 376.

PATRI SYMMACHVS.

Censorum notio fuit spectare opera, quae locassent: hoc me negotium curare voluisti. mos gestus est imperatis, vel quod tibi dicto audiens esse debui, vel quod studio meo congrue mandatum munus agnovi. audi igitur quantum in aedibus nostris cura promoverit. scalis subpectus est honor marmoris: superiora conclavia crustis teguntur, ea operis levitate, ut conpago solidum mentiatur. columnas nihilo amplius mercatus es, quam si tibi muneri contigissent. eas Bithyno lapide caesas, si bene oculis utor, existimo. hactenus est, quod scire debueris. deinceps tantum adiciemus cognitioni tuae, quantum aedificationi viderimus accedere.

---

1 concessimus] *VM*(*Γ*), cessimus (*Π*) rerum *om.* *V* 2 hoc] *VΓM*, *om.* *Π* 3 paramus absumere] *VΓM*, curamus assumere (*Π*) offensa uestri silentii] *VΓM*, offensae interuentu (*Π*)

5 Patri Symmachus] (*Π*), *om.* *VM* 7 inmaue quantum] *Scioppius*, in commune inmane quantum *Mommsen*, in commune quantum *VΓ*, in omne quam *Π* 8 bene] *VΓM*, boni (*Π*) litteras quae] *VM*, cetera (*Π*) 9 quam] *VΓ*, quia (*Π*) apiae *VM* 10 decreti] (*Π*), decreta *VM* 12 formiani (*Π*) 13 !!!!!!!remigrabit *V*, remigrabit *M* 14 negotia *V* cyrografi *V* 15 stipulat] *VM*, stipulatur (*Π*) enim] me (*Π*) 16 quos] nam eos (*Π*)

18 Patri Symmachus] (*Π*), *om.* *VM* 19 spectare] ****care *Π* 20 dicto *om.* (*Π*) 21 nostra cura *Iuretus* 22 subpactus (*ΠΓ*) 23 solarum (*Π*) columnis nihil (*Π*) 24 mercatus es *om.* (*Π*) munere concessissent (*Π*) bythinio *V*, bithino *M*(*Π*) 25 oculis utor] **** (*Π*) debueris] *VM*(*Γ*), debueras (*Π*) 26 aedificationi] *cod. Pithoei*, elicitationi *M*(*Π*), elicitationi tuae *V*

AD AVSONIVM. *VMΠ*

XIII (VII) a. 376.

SYMMACHVS AVSONIO.

Solet facunda esse laetitia et angustias clausi pectoris aspernata gestire. tibi, amice, scribendi oblivionem peperit res secunda. id mihi imitationi esse non potuit, quem domini nostri Gratiani caelestis oratio bonae spei et hilaritatis inplevit. ultro igitur adloqui residem non peperci vel officii vel gaudii mei gratia, quorum alterum familiaritas nostra, alterum felicitas publica suggerebat. nunc si operae est, utendum 2
mihi tantisper animum fac remittas. primores kalendas Ianus aperibat. frequens senatus matutine in curiam veneramus, priusquam manifestus dies creperum noctis absolveret. forte rumor adlatus est, sermonem desiderati principis multa nocte venisse. et erat verum, nam tabellarius vigiliarum fessus adstabat. nondum caelo albente concurritur: luminibus accensis novi saeculi fata recitantur. quid multa? lucem, quam adhuc opperiebamur, accepimus. dic mihi, inquies, — nam id praestat audire — quid 3
nostri patres super ea oratione senserunt? rerum tibi natura respondeat, quibus suffragiis exoptata pietas audiatur. novimus bona nostra conplecti. si credis, etiamnum illius gaudii mei quandam patior cruditatem. bonus Nerva, Traianus strenuus, Pius innocens, Marcus plenus officii temporibus adiuti sunt, quae tunc mores alios nesciebant: hic in laude est natura principis, ibi priscae munus aetatis. cur verso ordine ista optimarum artium putemus exempla et illa de saeculo priore vestigia? beneficium 4
suum fortuna tutetur et has saltem Romano nomini velit servare delicias! nullo fascino felicitas publica mordeatur! audisti omnia sed summo tenus ore libata: monumenta curiae nostrae plenius tecum loquentur. ubi cum plura scripta reppereris, aestima, quanto uberiora unius mens optaverit, quam plausus effuderit.

XIIII (VIII) a. 370—371.

SYMMACHVS AVSONIO. *VFA*

Petis a me litteras longiores. est hoc in nos veri amoris indicium. sed ego qui sim paupertini ingenii mei conscius, Laconicae malo studere brevitati quam multiiugis paginis infantiae meae maciem publicare. nec mirum, si eloquii nostri vena tenuata est, quam dudum neque ullius poematis tui neque pedestrium voluminum

---

1 Ad Ausonium *inserui; om. VM Π* 3 Symmachus Ausonio] (*Π*), *om. VM* 4 laetitia et angustias] ***** (*Π*) tibi] ***** (*Π* 5 res secunda] ***** (*Π*) 7 reside *V*, *om. M* gratiam *V* 9 Ianus] *M Π*, ianuarias *V*, ianuarius (*Γ*) apibat *Π*, apperibat *V*, *om. M* 10 matutine] (*Π*), maturae *V*, mature (*Γ*), *om. M* 11 ablatus *V* 14 adhuc operiebamur *VΓM*, operiamur (*Π*) accipimus *VΓ* 16 etiamnum] *V*(*Γ*), etiamnunc (*Π*) 17 patiar *V* crudelitatem *VM* strenuus Pius] *Γ*, strennuus pius *V*, strunuus pius *Π*, antoninus pius strenuus *Φ* 18 teporibus *Π* 19 hinc *VM* ibi — aetatis *om.* (*Π*) 20 ille *V* 21 fortuna] *VΓM*, natura *Π* 23 plenus *V* luquentur *Π* rescripta *Γ* repperis *corr. ex* repperit? (?) *V* 24 effuderit] *VΓM*, effudit (*Π*)

A = consensus codicum Ausonianorum; A^1 = *cod. St. Galli 399 s. X;* A^2 = *codices Ausoniani ceteri vel omnes vel aliqui* 26 Symmachus Ausonio] (*Π*), ·s· ausonio *F*, incipit epistola symmachi ad eusebium *sed corr. in* ad ausonium A^1, *om. V* 27 longiores litteras *F* in nostri amoris *A* qui sim] *Π*A^1, quis in *V*, qui sum A^2, quasi *ΓF* 28 mei *om. Π* mallo A^1 multiiugis] *superscr.* uel multis nugis A^1 29 paginae A^1 in aciem *V* 30 illius *V* tui pedibus neque trium *F*

VFA lectione iuvisti. unde igitur sermonis mei largam poscis usuram, qui nihil litterati
2 fenoris credidisti? volitat tuus Mosella per manus sinusque multorum divinis a te
versibus consecratus. sed tantum nostra ora praelabitur. cur me istius libelli, quaeso,
exortem esse voluisti? aut ἀμουσότερος tibi videbar, qui iudicare non possem, aut certe
malignus, qui laudare nescirem. itaque vel ingenio meo plurimum vel moribus dero-
3 gasti. et tamen contra interdictum tuum vix ad illius operis arcana perveni. velim
tacere, quid sentiam, velim iusto de te silentio vindicari; sed admiratio scriptorum
sensum frangit iniuriae. novi ego istum fluvium, cum aeternorum principum iam pri-
dem signa comitarer, parem multis, imparem maximis: hunc tu mihi inproviso clarorum
versuum dignitate Aegyptio Melone maiorem, frigidiorem Scythico Tanai clarioremque
hoc nostro populari reddidisti. nequaquam tibi crederem de Mosellae ortu ac meatu
4 magna narranti, nisi certo scirem, quod nec in poemate mentiaris. unde illa amni-
corum piscium examina repperisti quam nominibus varia tam coloribus, ut magni-
tudine distantia sic sapore, quae tu pigmentis istius carminis supra naturae dona
fucasti? atqui in tuis mensis saepe versatus, cum pleraque alia, quae tunc in praetorio
erant esui obiecta, mirarer, numquam hoc genus piscium deprehendi. quando tibi hi
5 pisces in libro nati sunt, qui in ferculis non fuerunt? iocari me putas atque agere
nugas? ita dii me probabilem praestent, ut ego hoc tuum carmen libris Maronis adiungo.
sed iam desinam mei oblitus doloris inhaerere laudibus tuis, ne hoc quoque ad gloriam
tuam trahas, quod te miramur offensi. spargas licet volumina tua et me semper ex-
cipias, fruemur tamen tuo opere sed aliorum benignitate. vale.

XV (VIIII) a. 370—380.

VMΠ

SYMMACHVS AVSONIO.

Paene evenerat, ut tecum succincta brevitate loqueremur, quoniam deerant digna
memoratu et in defectu rerum nihil operae est indulgere verbis. sed tempestive Palladii
rhetoris nostri declamatio auxit paginam meam. ea conplacita summatibus litterarum
clam te esse non debuit. itaque cum et meo officio et tuo studio talis relatio con-
veniret, vix soluto coetu necdum eventilatam auribus nostris auditionis meae fidem
2 iudicio calente dictavi. movit λόγος Athenaei hospitis Latiare concilium divisionis arte,
inventionum copia, gravitate sensuum, luce verborum. opinione mea dico: tam probus
est oratione quam moribus. tunc nostrates viri, qui inter se aliarum rerum saepe

---

1 iunasti *F* qui] *VF*A^2, cui A^1 2 diuinitate (*ΓΦ*) 3 ora nostra *F* prelabitur A^1, praeterlabitur (*ΓΦ*) me quaeso istius libelli *F* 4 amusoteros *A*, amusos *VF* iudicare] *A*, diudicare *VF*(*Π*) possem] *VF*A^2, possim A^1 5 utique *Suse* uel moribus plurimum *F* 6 et] *AF*, egi *V*, ego *Wouweren* 7 quod *F* 8 principium *V* signa ianpridem A^1 9 imiprouisa *V* 10 Melone] *VΦ*, nilo *AΓF* frigidiorem *post* Tanai *colloc.* *Π* scytico *V*A^2, scythio A^1 11 populari] *Iuretus*, populari tiberi A^1, populi tiberi A^2, populari fucino *VF*, pupulari fucino (*ΓΦ*) reddisti A^1 musellae (*ΓΦ*), mosollae A^1, moselleo (*Π*) meātu *V* 12 magna] multa *F* ni *A* certo *om.* *A* poemata ementaris (*ΓΦ*) amnicorum] (*Γ*)*F*A^2, amicorum A^1*V* *sed superscr.* amnicorum A^1 *1 m.* 13 quam nominibus] *A*, quae nominibus *F*, quae non minus *V* uaria tam] A^1 (*t in ras.*), uariata *VF*A^2 ut] et *F* 14 distanti A^1 15 atquin *A* praetorio] *VΠF*(*Γ*) praetio A^1, precio A^2 16 essui subiecta A^1 istud genus *F* dependi A^1 17 nati sunt in libro *F* 18 dii me] *V*, deus me A^2, me deus A^1, dii amabilem me *F* probabilem *om.* *F* praestent] *VF*, prestet *A* adiungam *V* 19 inherere A^1 quoque] quidem *F* 20 trahatur *F* offensis parcas *V*, offensis parcas *F*(*ΓΦ*)

23 Symmachus Ausonio] (*Π*), *om.* *VM* 24 penes uenerat *V*(*ΓΦ*) 26 ea] *VM*, quae (*Π*) 28 euentilatis (*Π*) 29 λόγος] *ego*, nouos *V*, uos *M*, nouus (*Π*) ethenei *V* hospitis] *VM*, hospes (*Π*) 30 sensuum grauitate (*Π*)

dissentiunt. concordem sententiam super huius laude tenuerunt. credo plane. nec fides *VMΠ*
cassa est. rhetorum hanc esse prosapiam: nam [plenum] ingenio genus noscitur. non
solus vultus aut colos adserit posteros in honorem parentum: certiores habet natura
vindicias. bene sentiendi ac bene loquendi gignuntur non scribuntur heredes. quod
alii docentur. hic natus est. haec apud te, mi domine, silenda non credidi. et quod 3
prae tui amore nihil habeo pensi. et quod vicissim, quanti a te fiam, numquam me
paenitet. *et* quod Palladio factum volo, ne lateant honesta prolatu. cura ut valeas.
et quia tibi facultas scribendi praesto est. adhibe voluntatem. vale.

XVI (X) a. 376—377.

SYMMACHVS AVSONIO.

Saepe unanimitatis tuae sermone convenior. ut de acceptis litterarum †studiis. quos
ad me cura propensiore misisti. vel sero rescribam. quibus ego. ut quaequae mihi
redditae sunt. actutum pari religione respondi. quia neque rescriptorum ratio neque
amoris vicissitudo sinebat me diutius desidere. nunc quoque agere me gratias atque
habere protestor. quod prospera nuntiorum clam me esse non pateris. haec et talia
prioribus quoque litteris tecum fueram conlocutus: sed si te tabellarii sermonis mei
conpotem reddiderunt, congesta non onerant. malo quippe aures tuas iterando ob-
tundere quam fraudare reticendo. fratris mei Hesperii honore exulto, taciturnitate 2
convulneror. nam si me sui amantem usu rerum probavit. scriptis debuit famam
praevenire, quae diu incerta fluxam fidem gaudiis exhibebat. ipse igitur nuntius
communis boni esse debuerat. ut epistulae adsertio nihil relinqueret opinionis ambiguo.
sed dicis eum pudore praestrictum successuum suorum vitasse iactantiam. quisquamne.
cum de se apud se ipsum loquitur. erubescit? quid quod eam rem mihi supersedit
ingerere. quam iuste ad utrumque noverat pertinere? verum ego. ut religiose ista con-
queror, ita libenter omitto. quia nec amori in vos meo convenit silere. quod doleam.
nec amicitiae incussi doloris transire mensuram. vale.

XVII (XI) a. 370—379?

SYMMACHVS AVSONIO.

Ambrosium de summatibus provincialis fori ad dominos et principes nostros Siciliae commune legavit variis instructum mandatis. quae spectare visa sunt bonum publicum. huic si fautor accesseris. futurum reor. ut illi pro labore fructus adcommodet. quaeso igitur vel legationis merito vel meo nomine in optimum virum bene consulas. qui satis animi confirmatus est. suffragio tuo successuram facilitatem petitionibus promovendis.

---

2 plenum *delet Mommsen* genus] *VΓM*, pectus *Π* noscitur] *VΓ*, nascitur *M Π* 3 so-lui *Π* colos] (*Γ*), colus *Π Γ(Φ)*, color *VM* 4 uin-icias *Π*, indicias *V*, inditia *M* sentiendi] *Π*, sciendi *VM* quod] (*Π*), qui *VM* 5 haec] nec *Π* credidisti *V* 7 et] *ego*, *om.* *VM*(*Π*) 8 quia] *VΓM*, quoniam (*Π*) noluptatem *Γ*(*Π*)

10 Symmachus Ausonio] (*Π*), *om.* *VM* 11 litterarum studiis quos] *V*, litterarum studiis quas *M*, litteris quas (*Π*), ut de coeptis litterarum studiis epistulis, quas *Mommsen* 12 uel sorores scribam *V* ut — 13 sunt *om.* (*Π*) 13 actuum *Π* ratione quae *V* 14 diutius me *Π* atque habere *om.* *Π* 18 retitendo *Π* 19 famam debuit (*Π*) 22 dicis] *VM Γ*(), dices (*Π*)

28 Symmachus Ausonio] (*Π*), *om.* *VM* 30 uariis instructum] (*Π*), instructum uariis *VM* 31 ad-commodet] *Γ*, accommodet *VM*, accommodent (*Π*)

XVIII (XII) a. 378.

VMΠ

SYMMACHVS AVSONIO.

Ego etsi continuis litteris honorem tuum celebrare possem, non satis mihi viderer, proquam res postulat, fungi debitum meum: tantum abest, ut operam tibi adsiduitatis exprobrem. sed ut hoc meae verecundiae conpetit, item tuae humanitatis est studium nostrum pari gratia sustinere. animadverte, quo tendat summa verborum meorum: iamdudum nihil tribuis, quod legamus. totum me, inquies, emancipavit sibi cura praetorii. verum est: potiris merito summa iudicia, sed maximas ingenii tui vires fortuna magna non onerat. proinde etiam his rebus adtende, quae ita occupatis nihil molestiae adferunt, ut ipsas molestias plerumque solentur. vale.

XVIIII (XIII) a. 378.

SYMMACHVS AVSONIO.

Qui sua fiducia deseruntur, epistulas meas in usum commendationis accipiunt. id nunc aliter est. nam fratri meo Potito hac condicione litteras dedi, ut eas ipse commendet. est enim nihilo secus, atque ego sum, de summatibus amicorum tuorum. qui ubi te conpotem fecerit praesentiae suae, vereor ne excusatio mea ignoscenda non sit. sed si mihi placabilitas tua experiundo probe cognita est, futurum reor, non ut me, qui resedi, conlatione venientis alterius incessas, sed ut illum magis pro utroque suscipias. vale.

XX (XV) a. 378.

SYMMACHVS AVSONIO.

Bene ac sapienter maiores nostri, ut sunt alia aetatis illius, aedes Honori atque Virtuti gemella facie iunctim locarunt conmenti, quod in te vidimus, ibi esse praemia honoris, ubi sunt merita virtutis. sed enim propter etiam Camenarum religio sacro fontis advertitur, quia iter ad capessendos magistratus saepe litteris promovetur. haec parentum instituta consulatus tui argumenta sunt, cui morum gravitas et disciplinarum
2 vetustas curulis sellae insigne pepererunt. multi posthac adnitentur artes bonas et laudis germanas et meras litteras, sed cui eveniet aut tam felix discipulus aut tam memor debitor? an ignoramus magnum illum, cui supra votum fortuna fluxit, Stagiritae suo nihilum commodasse? † nisi quia Ennio ex Aetolicis manubiis captiva tantum chlamys muneri data Fulvium decolorat: enim vero neque Panaetio Africanorum secundus

---

2 Symmachus Ausonio] *Π*, *om.* *VM* 4 proquam] *ΓΦ*, plusquam (*Π*), pro ut *VM* fugi *Π* tibi *om.* (*Γ*) 5 exprobem *V* item] *Scioppius*, idem *VΓΦ*, ita *M*(*Π*) est ut (*Π*) 6 sustine *Π* 8 iudicia] *V*, iudicii *M*(*Π*) 9 his etiam (*Π*) intende (*Π* 10 solent *V*

12 Symmachus Ausonio] (*Π*), *om.* *VM* 13 sui fiducia *Suse* deserunt *V* 15 secius (*Π*) sum] *V*(*Γ*), *om.* *M*(*Π*) de] e (*Π*) 16 te *om.* (*Π*) tuae *VM* 17 placibilitas *ΓΦM*(*Π*) expereundo *Π* probe] (*Π*), prope *V*, proprie *M* 18 resedi] *Gothofredus*, residi *V*(*Π*), resideo *M* alterim uenientis (*Π*)

21 Symmachus Ausonio] (*Π*), *om.* *VM* 23 uirtute *V* facie *om.* (*Π*) *in Π adnotatum fuit apicibus litterarum legi:* iunctis 24 camaenarum *ΓΦ*, caminarum *Π*, camminarum *V* et sacri fontis *Suse* 25 fonti (*Γ*) capissendos *V*(*Γ*) 27 posthaec (*Π* 29 an] sin (*Γ*) 30 nisi quia] *V*, nisi quae prius *M*, nisi quod (*ΠΓ*), nisi Quinto Ennio *Cuiacius*, *fortasse* ne nostro quidem Ennio? 31 fluuium *V* panetio *VM* secundus] socio (*Π*)

VMΠ neque Opillo Rutilius vel Cineae Pyrrhus aut Metrodoro suo Mithridates Ponticus liberalium disciplinarum pretia solverunt. at nunc eruditissimus imperator et opum largus et honorum, quasi pro usura tibi prima detulerit, ita semper ad sortem fenoris redit. in hac tanta laetitia mea, quibus verbis diluam, quod adesse non possum? nimis vereor. 3 ne male interpretatus excusationem meam, quantum tibi gratuler, parum credas. optavi ad oculos tuos raptim venire, sed fessus virium, quas diu morbus exhausit, itiones longas et mansiones asperas, tum accessiones frigorum et decessiones dierum quaeque alia sunt noxae opportuna, vitavi. si sum tibi spectatus ab animo, quaeso ut aequus sis mihi atque has adlegationes boni consulas. fors fuat, an optineamus apud te veterem gratiam; nunc quod satis est, eluctemur offensam.

XXI (XVI) a. 379.
SYMMACHVS AVSONIO.

Gaudeo pluris me tibi esse quam ceteros, quando ita animatus es, ut sponte in rem meam consulas nec opperiaris petitionem, sed solam voluntatis meae famam sequaris. accepi evectiones quattuor inmane quantum commodas in excursus et recursus meorum. dii te pro tanta gratia munerentur. et quia perfectis atque elatis in cumulum bonis nihil adici potest, velint tuta erga te et propria, quae dederunt. vale.

XXII (XIIII) a. 378.
SYMMACHVS AVSONIO.

Abundo gaudio, cum te consulem novus annus expectat. sed nunc transcurso est opus; plenius enim secundis litteris contestabor huiusmodi de te gratulationem. alius in praesentia mihi sermo sumendus est. Patr*u*inus v. c. accitu tuo iter adornans in rem suam fore existimavit, si meo testimonio niteretur. huic ego nihil per me accessurum putavi et tamen deesse nolui sciens, iudicio erga illum tuo nihil adici posse, si scriberem, decessurum tamen aliquid meo officio, si tacerem. unum est igitur, quod oratum a te atque exoratum volo, ut iucat gratiam suscepti laboris praeter eum fructum, qui illi ex tuo conspectu tuo congressu tuo honore proveniet. vale.

XXIII (XVII) a. 370—377.
SYMMACHVS AVSONIO. *VMF*

Post longum silentium tuum non minus desiderabam quam sperabam litteras largiores. namque his vicibus humana variantur, ut defectui succedat ubertas. ea me opinio frustra habuit; siquidem brevis in manus meas pagina recens a te profecta

---

1 opillor ruttilius *V*, opio rutilius *M* cyneae *VM*, aeneae *Π* pyrrus *VM* mitridatas *V*, metridates *M* 6 exhausitiones *V* 7 dierum quae diu sunt *Γ* 8 uita uisi sum *V* ab] ex (*Π*) 9 fuit *Γ* 10 satis] salutis *V*

12 Symmachus Ausonio] (*Π*), *om.* *VM* 13 plures *V* 17 erga te] *VΓ*, erga *Π*, manere *M*

19 Symmachus Ausonio] (*Π*), *om.* *VM* 22 patroinus *ΓΦ*, patronius *V*, petronius *M*, patropius (*Π*) v. c.] uero *V*, *om.* *M* 23 per me *om.* *VM* 24 indicio *Π* adici nihil *V* 26 a *om.* (*Π*) 27 praeueniet *V*

29 ·s· ausonio *F*, ad eundem (*Π*), *om.* *VM* 31 humana *post* defectui *colloc.* *V*

VMF pervenit. erat quidem illa Atticis salibus aspersa et thymo odora sed parcior, quae 2 magis fastidium detergeret quam famem frangeret. quid? si ego cenas dapales et saliare convivium, tum viscerationes atque epulum postulassem, tu mihi mensas secundas et scitamenta exiguae lancis adponeres? fac veniat in mentem, quid Graeca super hoc dicat oratio: parvis nutrimentis, inquit, quamquam a morte defendimur, 3 nihil tamen ad robustam valetudinem promovemus. putasne me de occupationibus tuis esse taciturum? quaestor es, memini; consilii regalis particeps, scio; precum arbiter legum conditor, recognosco; adde huc alia mille rerum: numquam eveniet, ut ingenium tuum labor deterat, benignitatem cura flectat, facundiam usus exhauriat. si diurna negotia numquam distingues quiete, certe antelucano somno nullus indulseris. detur aliquod tempus officiis! an tibi parum exempli videtur in comico, cum ait: 4 quam vellem etiam noctu amicis operam mos esset dari! sed cur ego diutius sermonis pauper obgannio? imitanda est mihi epistula recens, ut cetera morum tuorum. forte occupatus recusas litteras longiores. id ita esse, rite conicio. video enim, quam nolis multa legere, cui vix otium est pauca dictare.

XXIIII (XVIII) post a. 369.

VMΠ SYMMACHVS AVSONIO.

Si te amor habet naturalis historiae, quam Plinius elaboravit, en tibi libellos, quorum mihi praesentanea copia fuit. in quis, ut arbitror, opulent*a*e eruditioni tuae neglegens veritatis librarius displicebit. sed mihi fraudi non erit emendationis incuria. malui enim tibi probari mei muneris celeritate, quam alieni operis examine. vale.

XXV (XVIIII) a. 379?

VMFA SYMMACHVS AVSONIO.

Etsi plerumque vera est aput parentes praedicatio filiorum, nescio quo tamen pacto detrimentum meriti sui patiatur, dum personarum spectare gratiam indicatur. quaero igitur incertus animi, quae mihi nunc potissimum super viro honorabili Thalassio genero tuo verba sumenda sint. si parce decorem morum eius adtingam, liventi similis existimabor, si iuste persequar, ero proximus blandienti. imitabor igitur Sallustiani testimonii castigationem: habes virum dignum te et per te familia consulari. quem

5 Demosth. Olynth. III 39. 12 Terent. adelph. 532. 29 Sall. Iug. 9.

1 odorata *F* 4 apponeris *V* 5 nutrimentis] *ΓΦF*, instrumentis *VM*, intrimentis *Iuretus* 6 promouemur *F* puta ne *corr. in* putasti *V 2 m.* 7 esse *om. FM* 8 arbiter legum *om. F* conditor *corr. in* condictor *V 1 m.* mille rerum ille *Π* mille ille rerum euentus nunquam *F*, alia mille; uerum numquam *Suse* 9 si] sed *Π* 10 samuo *V* 12 mos sit *Π* 13 recens ne forte in pluribus occupatus recuses *F* 15 est otium (*Π*)

17 Symmachus Ausonio *om. VM*, ad eundem (*Π*) 18 elaborauit] (*Γ*), laborauit *VM Π* 19 mihi *post* copia *colloc. Π* arbitror] *VΓM*, opinor *Π* opulentae] *Scioppius*, opulentiae *ΠΓVM* eruditioni] *ΠΓ*, eruditionis *VM* 20 librarii *Π*

23 *A = consensus codicum Ausonianorum; A^1 = Vossianus 111 saec. VIIII; A^2 = Paris. 8500 saec. XIIII* Symmachus Ausonio] (*Π*), ausonius. axio simacus: ausonio A^1, responsio ausonii ad symmachum. symmachus ausonio A^2, *om. VM* 25 patiatur] *VMF*A^2, patitur A^1 26 mici A^1 talassio A^1, thalasio *VF*A^2 27 tuo genero *F* decora *A* morum] amicorum *V* libenti A^1 *1 m.* 28 estimabor *VMF* persequar] *VF*A^2, prosequar A^1*M* priximus A^1 salustiani *VMF*A^2, sallustani A^1 *1 m.* 29 testimoni A^1 *1 m.* abes A^1 et per te *om.* A^2

fortuna honoris parti maiorem beneficiis suis repperit, emendatio animi et sanctitas *potio*ribus iam paravit. vale. *VMFA*

XXVI (XX) a. 378—379.

SYMMACHVS AVSONIO. *VMΠ*

Vtor apud te fiducia, quam dedisti. dudum parcus es litterarum, sed non imitabor exemplum, ut qui noverim, viro in specula honorum locato et ideo varia et magna curanti non tam studium deesse quam copiam. ea quippe natura rerum est, ut quae praeter industriam negleguntur ignoscenda ducamus. ego tamen securus, ut soleo, amoris tui officium sollemne non renuo in summa gratia et honore positurus, si familiari meo, qui has tibi litteras dabit, fructus aliqui pro tanta in nos sedulitate responderit. vale.

XXVII (XXI) a. 379.

SYMMACHVS AVSONIO.

Quid agam, scire postulas. opperior in dies litteras, quales nunc mihi facultas tua promittit, amor semper exhibuit. sum vero praesentium laetus, ut qui sciam, nihil insidiatori meo loci relictum atque insuper tibi, cui factum semper volo, meritam polliceri fortunam. ergo quando ita res tulit, ut sollicita mutarentur, optati sermonis tui fructum feramus, qui animum mihi exaugeat atque indicet, pro tanta retro familiaritate mei te oppido esse cupientem. vale.

XXVIII (XXII) a. 370—378.

SYMMACHVS AVSONIO. *VMF*

Facis pro mutua diligentia et antiquitate amicitiae nostrae, quod honorem tuum vires meas esse confirmas. convenit dictum cum fide morum tuorum, nec umquam te dissimilem scriptis talibus dies arguit. modo fortuna munifica prosperorum secundet optata. longum de his loqui cautio est, ne blanditiae longiores corrumpant veri dignitatem. si quid de me scito opus erit, frater meus Claudius et cultui tuo deditus et studii mei gnarus expediet.

---

1 partim *FM* 2 potioribus] *Iuretus*, honoribus *VMFA* iam] *ΠVFA*^{2}, *om.* *A*^{1} parauit] *VΓΦ*, paruit *F*, pauit *A*^{2}, parabit *A*^{1}*Π*

4 Symmachus Ausonio] (*Π*), *om.* *VM* 6 spocula *Π* 7 rerum est ut natura *Π*, natura est rerum ut (*Γ* 8 ducantur (*Π* 9 rennuo *V* miliari *Π* 10 responderint *Π*)

13 Symmachus Ausonio] (*Π*), *om.* *VM* 14 in die *V* 17 pollicere *corr. ex* polliceri *V 1 m.* res ita *Π* 18 qui animum] *M*, quia nimium *V*, qui animam (*Π*) 19 uale *om.* *V*

21 Symmachus Ausonio] (*Π*), *om.* *VMF* 25 loqui] *ΠMF*, *om.* *V* 27 gnarus] *F*, ignarus *V*, non ignarus *M*

XXVIIII (XXIII) post a. 370.

VMΠ SYMMACHVS AVSONIO.

Nihil moror ceteros vulgus ignobile, qui philosophiam fastu et habitu mentiuntur. paucos et in his praecipue familiarem meum Barachum nostra aetas tulit, quorum germana sapientia ad ve*t*ustatem vergeret. tune, inquies, audeas de philosophis iudicare? licet alienas spectare virtutes. nam et Phidiae Olympium Iovem et Myronis buculam et Pol*y*cliti canephor*as* rudis eius artis hominum pars magna mirata est. intellegendi natura indulgentius patet. alioqui praeclara rerum paucis probarentur, si boni cuiusque sensus etiam ad inpares non veniret. concede igitur mihi de Baracho testis officium et amicitiam viri prudentis amplectere, cuius exploratio brevi faciet, ut mihi de omnibus, quae scio, facile credas, cum videas. me nec in his falsum esse, quae nescio. vale.

XXX (XXIIII) a. 370—379.

SYMMACHVS AVSONIO.

En tibi Rusticum vix urbanis negotiis absolutum, cui volo pro nostra amicitia morarum culpam remittas. neque enim laboris fuga indulsit quieti. difficile est hinc abire, cum veneris: adeo si contemplari maiestatem urbis nostrae velis, cito tibi Rusticus videbitur revertisse. sed de hoc non laboro, quando ita es ingenio placabili inter reliqua virtutum, ut boni consulas errata leviora. illud me orare inpensius convenit, tanta ut animo tuo scribendi cura sit, quanto me amore dignaris. vale.

XXXI (XXV) post a. 378.

VFA SYMMACHVS AVSONIO.

Merum mihi gaudium eruditionis tuae scripta tribuerunt, quae Capuae locatus accepi. erat quippe in his oblita Tulliano melle festivitas et sermonis mei non tam vera, quam blanda laudatio. quid igitur magis mirer, sententiae incertus addubito, ornamenta oris an pectoris tui. quippe ita facundia antistas ceteris, ut sit formido rescribere, ita benigne nostra conprobas, ut libeat non tacere. si plura de te praedicem, videbor mutuum scabere et magis imitator tui esse alloquii, quam probator.

---

2 Symmachus Ausonio] (*Π*), *om. VM* 3 meror *Π* uulgos *V* metiuntur *Π* 4 Barachum] *M*(*Π*), brachium *V* 5 uetustatem] *Iuretus*, uenustatem *ΠVM* uergeret] *Π*, uigeret *VM*(*Γ*) tune] *M*, tunc *VΠ* 6 fidie *VM* olimpium *V*(*Π*) mironis *VM*(*Π*) 7 buculam] *M*, baculam *Π*, boculam *V* Polycleti canephoras *Iuretus*, pole liticane forus *V*, policane forus *Π*, proleti oenoforum *M* rudes *ΠV* artes *V*, arte *Π* 12 uale *om. V*

14 Symmachus Ausonio] (*Π*), *om. VM* 17 adeo] (*Π*), ad eos *V*, ad nos *M* nostrae urbis *V* cito] (*Π*), scio *V*, sero *M* uidebitur rusticus *V*, rusticus *om. M*

22 *A = consensus codicum Ausonianorum; A^1 = Vossianus 111 saec. VIIII; A^2 = Paris. 8500 saec. XIIII* sīmacus ausonio A^1, epła symmachi ad ausonium A^2, symmachus aus̄ *F*, *om. V* 23 męrum A^1*V*, uerum *ΠF*A^2 mici gaudium A^1, gaudium mihi *VF* tu escripta A^1 *1 m.* 25 snīe uictus id dubito A^2 incertus — 26 quippe ita fa *partim in rasura partim in margine* A^1 *2 m.* 26 ceteris *om. F* formido — 27 conprobas *in margine add.* A^1 *1 m.* 27 uenigne A^1 *1 m.* 28 mutum A^1 *sed corr.* scabere] A^1 *1 m. F*, scalpere A^1 *2 m.*, scribere *V*A^2 tui esse *corr. ex* tuisse A^1

simul quod ipse nihil ostentandi gratia facis, verendum est genuina in te bona tam- *VFA*
quam affectata laudare. unum hoc tamen a nobis indubitata veritate cognosce: nemi-
nem esse mortalium, quem prae te diligam; sic vadatum me honorabili amore tenuisti.
set in eo mihi verecundus nimio plus videre, quod libelli tui arguis proditorem. nam 2
facilius est ardentes favillas ore comprimere quam luculenti operis servare secretum.
cum semel a te profectum carmen est, ius omne posuisti. oratio publicata res libera
est. an vereris aemuli venena lectoris, ne libellus tuus admorsu duri dentis uratur?
tibi uni adhoc locorum nihil gratia praestitit aut dempsit invidia. ingratis scaevo
cuique proboque laudabilis es. proinde cassas dehinc seclude formidines et indulge
stilo, ut saepe prodaris. certe aliquod didascalicum seu protrepticum nostro quoque
nomini carmen adiudica. fac periculum silentii mei, quod etsi tibi exhibere opto, 3
tamen spondere non audeo. novi ego, quae sit prurigo emuttiendi operis, quod pro-
baris; nam quodam pacto societatem laudis affectat, qui aliena bene dicta primus
enuntiat. ea propter in comoediis summatim quidem gloriam scriptores tulerunt; Roscio
tamen adque Ambivio ceterisque actoribus fama non defuit. ergo tali negotio expende
otium tuum et novis voluminibus ieiunia nostra sustenta. quod si iactantiae fugax
garrulum indicem pertimescis, praesta etiam tu silentium mihi, ut tuto simulem nostra
esse, quae scripseris. vale.

XXXII (XXVI) post a. 378.

AVSONIVS SYMMACHO.

Modo intellego, quam mellea res sit oratio, quam delenifica et quam suada facun-
dia. persuasisti mihi, quod epistulae meae aput Capuam tibi redditae concinnatio
inhumana non esset, set hoc non diutius, quam dum epistulam tuam legi, quae me
blanditiis inhiantem tuis velut suco nectaris delibuta perducit. ubi vero chartulam
pono et me ipsum interrogo, tum absinthium meum resipit et circumlita melle tuo
pocula deprehendo. si vero, id quod saepe facio, ad epistulam tuam redii, rursus 2
inlicior; et rursum ille suavissimus, ille floridus tui sermonis adflatus deposita lectione
vanescit et testimonii pondus prohibet inesse dulcedini. hoc me velut aërius bratteae
fucus aut picta nebula non longius, quam dum videtur, oblectat chamaeleontis bestio-
lae vice, quae de subiectis sumit colorem. aliut sentio ex epistula tua, aliut ex con-
scientia mea. et tu me audes facundissimorum hominum laude dignari? tu, inquam, 3

---

1 nicil A^1 gratia] causa *F* 2 ueruntamen hoc *Γ* a nobis *om. F* 3 me] ne A^1 honorauili A^1 *1 m.* amor A^1, a morte *V* 4 mici A^1 uerecundius *V* plus nimio uideris *F* 5 fabilla A^1 *1 m.* *ad* comprimere *adscr. in mg.* continere *Π* serbare A^1 *1 m.* 6 perdidisti *F* res *om. A* 7 ad morsu A^1, ad morsum *V*, a morsu *F* 8 nicil A^1 prestitit A^1 depressit *F* ignatis A^2, ingratus *ΠVF* 9 proboque *corr. ex* probo A^1 es *om. F* deinc A^1 *1 m.* 10 aliquot dedascalicum *V* proterpticum *V* 11 camen A^1 *1 m.* periclum A^1 *1 m.* exibere obto A^1 *1 m.* 12 emutiendi A^1F qod A^1 probatur *F* 14 summatem gloriam quidem *V* 15 ambibio *AVF*, ambio *Π* auctoribus A^1 deficit *V* 16 tuum *corr. ex* tum A^1 nobis A^1 *1 m.* geiunia A^1 *1 m.* 17 iudicem *Π* pertimesces *V* presta A^1 selentium A^1 *1 m.* mici A^1 similem *V* 18 uale *om. VF*

20 ausonius sīmaco A^1, responsio ausonii ad symmacum. ausonius symmacho A^2, ausonius symm̄ *F*, *om. V* 21 delinifica A^1 *1 m.* et *om. F* facunda A^1 *1 m.* 22 mici A^1 epistolae A^1 23 humana A^1 epistola tua A^1 *1 m.* mae A^1 24 iniantem A^1 *1 m.* tibi uero *VF*, ubi enim A^1, ubi non A^2 cartolam A^1 *1 m.* 25 cum *F* absintium A^1 respicio *F* 26 deprẹendo A^1 bero A^1 *1 m.* sepe A^1 ẹpistolam A^1 27 in licio retrorsum *V(ΓΦ)*, illicior retrorsum *F* inlicior persuadeor A^1 *2 m. in marg.* suabissimus A^1 affatus *F* 28 euanescit *F* proibet A^1 *1 m.* brattee A^1, bractee A^2, bractea *VF* 29 nondum longius *V* cameleontis *AVF* nestiole A^1 *1 m.* *V* 30 ẹpistola A^1

VFA mihi ista, qui te ultra emendationem omnium protulisti. haut quisquam ita nitet, ut conparatus tibi non sordeat. quis ita Aesopi venustatem, quis sophisticas Isocratis conclusiones? quis ita ad enthymemata Demosthenis aut opulentiam Tullianam aut proprietatem nostri Maronis accedat? quis ita affectet singula, ut tu imples omnia? quid
4 enim aliut es quam ex omni bonarum artium ingenio collecta perfectio? haec, domine mi fili Symmache, non vereor, ne in te blandius dicta videantur esse quam verius. et expertus es fidem meam mentis adque dictorum, dum in comitatu degimus ambo aevo dispari, ubi tu veteris militiae praemia tiro meruisti, ego tirocinium iam veteranus exercui. in comitatu tibi verus fui, nedum me peregre existimes conposita fabulari; in comitatu, inquam, qui f r o n t e s h o m i n u m a p e r i t, m e n t e s t e g i t, me tibi et pa-
5 rentem et amicum et si quid utroque carius est, cariorem fuisse sensisti. set abeamus ab his, ne ista haec commemoratio ad illam Sosiae formidinem videatur accedere. illud quod paene praeterii, qua adfectatione addidisti, ut ad te didascalicum aliquod opusculum aut sermonem protrepticum mitterem? ego te docebo docendus adhuc, si essem id aetatis, ut discerem? aut ego te vegetum adque alacrem commonebo? eadem opera et Musas hortabor, ut canant, et maria, ut effluant, et auras, ut vigeant, et ignes, ut caleant, admonebo, et si quid invitis quoque nobis natura fit, superfluus instigator
6 agitabo. sat est unius erroris, quod aliquid meorum me paenitente vulgatum est, quod bona fortuna in manus amicorum incidit. nam si contra evenisset, nec tu mihi persuaderes, placere me posse. haec ad litteras tuas responsa sint. cetera, quae noscere aves, conpendii faciam: sic quoque iam longa est epistula. Iulianum tamen familiarem domus vestrae, si quid de nobis percontandum arbitraris, tibi allego, simul admoneo, ut, cum causam adventus eius agnoveris, iuves studium, quod ex parte fovisti. vale.

XXXIII (XXVII) post a. 369.

VF SYMMACHVS AVSONIO.

Aiunt cocleas, cum sitiunt *r*oris atque illis de caelo nihil liquitur, suco proprio victitare. ea res mihi usu venit, qui desertus pastu eloquii tui meo adhuc rore sustentor. diu scribendi operam protulisti et vereor, ne forte in nos parentis claudat adfectio. si falsa me opinio habet, facito, ut ceteris negotiis tuis respondendi cura praevortat.

10 Cic. pro Planc. 6, 16. 26 Plaut. Captiv. 80.

---

1 mici A^1 isti *V* omnium] *VFA*^{2}, hominum A^1 aut quisquam *VF*, ut quisquam A^2, quisquamne A^1 2 conpatus A^1 *1 m.* ita ad aesopi *F* sophisticas Isocratis] *Π*, sophisticas ysocratis A^2, sophistica si socratis *V*, sopisticas (*corr. 2 m.*) socratis A^1, ad sophisticas socratis *F* 3 conclusionis *V* ita *om. A* entimemata *A*, enthimemata *VF* demostenis A^1*VF* ut opulentiam *V* 4 uestri *Π* affectat *VF* 5 enm A^1 *1 m.* hec A^1 6 sīace A^1 7 dum] cum *F* commitatu A^1 8 aebo A^1 *1 m.* praeui A^1 *1 m.* 9 peregrem A^1 10 legit A^1 me tibi] *VF*, ibi me *A* et parente et amico *Φ* 11 quit A^1 sensi *Φ* 12 hec comemoratio A^1 *1 m.* sosie A^1 *1 m.* illut A^1 *1 m.* 13 quuque quod *F* pene A^1 14 ut A^1 *1 m.* aduc A^1 *1 m.* 15 uegetatum *F* 16 ortabor A^1 mare ut ęffluat *VF* 17 nobis quoque *V* sit *VF* agitator instigabo *Π* 18 satis *VF* aliquit A^1 peniten A^1 *1 m.* 19 si contra id ebenisset (*corr. in* euenisset *2 m.*) A^1, sit contra id uenisset A^2 tu *om. F* mici A^1 persuadere A^1 *1 m.* 20 noscere] nos A^1 21 abes A^1 *1 m.*, habes A^1 *2 m.* A^2*VF* conpendi A^1 epistola A^1 tamen tamen A^1 22 tibi] *F*, si *V*, *om. A* 23 agnoberis A^1 *1 m.*, cognoueris *V* iubes A^1 *1 m.* fobisti A^1 *1 m.*

25 Symmachus Ausonio] (*Π*), *om. VF* 26 dum *Π* roris] *Latinus Latinius*, aeris *VΠF* nihil illiquitur *F* 27 uititare *V* pastus eloquii tui *Π*, eloquii tui pastu *F* 28 distulisti *F* claudicet *F* 29 falsum *Scioppius* fac *F*

XXXIIII (XXVIII) post a. 369.

SYMMACHVS AVSONIO. *VF*

Plenum laboris negotium gero, qui conpellare totiens tacitum persevero. contra nisi instigare pergo atque exculpere a te aliquid litterarum, gliscet oblivio. sive igitur hoc officium meum sedulum iudices seu molestum, stat sententia honorem tuum celebrem praestare colloquiis; adeo mihi veteris in te amoris nulla discessio est. et merito, nam amicitiae operam nusquam locavi aeque bene. propterea silentium tuum conqueror. facit enim tenerior adfectio, ut sit querella proclivior. mollis est animus diligentis 2
et ad omnem sensum doloris argutus. si neglegentius tractes, cito marcet ut rosa; si durius teras, livet ut lilia. legisse me memini, v u l t u s a e p e l a e d i p i e t a t e m: quid ille tam serius arbiter super continuo silentio ac dissimulato scribendi munere censuisset? tecum haec pensius aestimabis, sed mihi religio fuit tegere, quae dolebant. nam ut in te animi usque pendeo, ita opere maximo usuram tuae unanimitatis expe*t*o. vale.

XXXV (XXVIIII) post a. 369.

SYMMACHVS AVSONIO. *VMΠ*

Diu in Campaniae secessibus otiatus occasione carui scriptionum. ideo paulisper sermonis mei circa te munus intepuit. sed ubi in patriam pedem retuli, antiqua mihi fuit instaurandi officii diligentia. ergo debito te honore salutationis inpertio utrumque deposcens, ut et silentio superiori venia iusta praestetur et praesenti obsequio vicissitudo respondeat. vale.

XXXVI (XXX) a. 370—379.

SYMMACHVS AVSONIO. *VF*

Interpello occupationes tuas adsiduitate colloquii. nam et ipse huiusmodi pascor officio, et peregrinationem tuam solaciis talibus credo recreari. tuas autem vicissim litteras expecto non exigo. iniurium quippe est magnopere flagitare, quod speres, ne quod est voluntarium, videatur extortum. sane fratri meo Innocentio gratulor amicitias tuas, priusquam scriberem, contigisse, quia facilior mihi esse coepit eius commendatio, quem probasti, quam fuisset incogniti. itaque hoc unum beneficii loco postulo, ut qui sui commendatione iam nititur, testimonii nostri gratia cumulatius diligatur. vale.

10 Cic. pro Rosc. Am. 13, 37.

---

2 Symmachus Ausonio] (*Π*), *om. VF* 3 tacitum totiens *F* 4 instigare] *Π*, instare *VF*(*Γ*) 5 meum *om. F* iudices] (*Π*), iudicas *V*, dicas *F* siue *F* celebrem *om. V* 6 in te ueteris *F* decessio *Latinus Latinius* 7 aeque bene *om. F* 9 negglegentius *V* marcet] *ΠF*, mulcet *VΓΦ* 10 teras] *V*, teneas *F* liuet] *Π*, liquet *F*, nitet *V* me legisse *F* saepe] *F*, etiam *V*, etiam saepe (*Π*) 11 seuerus *F* 12 aestimabis] (*Π*), estimaui *VF* sed *om.* (*Π*) tegere] haec tegere *F* 13 uti in *V* animositatis *F* expeto] *Suse*, expecto *VF*

16 *om. VM* 17 occasionem parui *Π* 18 retuli] *M*(*Π*), reppuli *V* 19 te *post* salutationis *colloc. VM*

23 *om. VF* 24 ipso *V* 27 extortum] *F*, ex toto *V* 28 coepit esse *F* emendatio *V*

XXXVII (XXXI) a. 370—379.

VF SYMMACHVS AVSONIO.

Non frustra praedicant, mentes hominum nitere liquido die, coacta nube flavescere. meus animus fidem fecit exemplo. nam quotiens tibi ex sententia . . . . verbis, quorum mihi alias supellex desit, indulgeo. quippe laetitia loquax res est atque ostentatrix sui; adeo magnae parti hominum nulla ab hoc morbo cautio est. patere igitur me, quae ad laudes tuas pertinent, obloquentem, vir quantum hominum in terris est, spectatissime, qui et summis copiis vigiliam pro meis rebus adniteris et amicitiam diligentia stabili perseveras. si fides seria cuiquam fuit, tibi puto esse; quam plerique verbo ostentant, opere deserunt. quod genus nulli rei est, nisi ad loquendum.
2 merito processus tuos in meo aere duco, quando iuxta magnae curae sum tibi atque cum maxime fui. superest tamen aliquid, quod huic in me studio adici velim. nolo memineris, quod animo tuo aliquando suscensui. amor fiduciam nutrit. quid tam liberum quam amicitia? negotiis plerumque adposita est expostulatio sine labe concordiae. ita verum est, quod hodie tibi gratias ago, ut illud non potuerim dissimulare, quod dolui. quassa fide sunt, qui iugiter blandiuntur. sed quid diutius ea retexo, quorum te oblivisci volo? esto, ut es, benigna semper in me voluntate, quod ego sperandum magis a te sentio quam petendum. vale.

XXXVIII (XXXII) a. 370—378.

SYMMACHVS AVSONIO.

Falso creditur, nesciam iudicii esse fortunam; illa vero et praeteritorum memor et praesentium diligens et prudens futuri tibi rependit, quidquid ceteris praestitit. non ergo vaga neque erratica est, a qua scimus alios donum cepisse, te praemium. quis tibi honoris, inquies, nostri fecit indicium? celebritas famae, cui iusta narranti statim creditur. an opperirer super hoc tuas litteras, quas verecundia differebat? minime; siquidem difficilis est patientia gaudiorum. fungor igitur, ut vides, partibus tuis, et quae debui cognoscere, malui quodammodo nuntiare. sed nolo ista properatio litterarum mearum tuum munus inpediat. scire me, quod nunc scribo, dissimula, et tribue quasi novum nuntium, quem ego gratulabor iteratum. vale.

---

2 *om.* *VF* 3 flauescere] *V*, falcescere *F*, fatescere *Π* 4 tibi] *VΓΦ*, tibi scribo *Π* ex sententia uerbis *V*, ex sententia sum uerbis *Π*, *supple* res procedunt *vel simile quid* nam cum scribam tibi ex sententia usus uerborum suppetit quorum alias supellex mihi desit. quippe *F* 7 me *om.* *F* obloquentem] *F*, loquentem *V* est *ante* hominum *colloc.* *F* 8 expectatissime *F* (*Π*) amicitiam] *VΓΦ*, in amicitia *F* 9 quam] *VF* (*Γ*), hanc (*Π*) 10 opere] *F*, ope *VΓΦ* 11 iuxta *om.* *F* atque — 12 fui *om.* *F* 12 semper est *Π* in me] *Iuretus*, in meo *Π*, meo *VF* uellem *F* 13 aliquando animo tuo *F* successui *V* 14 postulatio *F* 16 quassa] *VFΓΦ*, cassa *Scioppius* 17 uolo] cupio *F* est ut es (*Π*) semper] (*Π*), *om.* *VF*(*Γ*)

20 *om.* *VF* 21 indicii nesciam *F* 24 nostri inquies (*Π*) 25 litteras tuas *F* 26 siquidem] nam *F* 29 quem] quod *F*

XXXVIIII (XXXIII) a. 370—379.

SYMMACHVS AVSONIO. *VMΠ*

Scio quidem litteras meas tibi sero reddendas vel propter occupationes, quae te in procinctu aliquantisper tenebunt, vel quod frater meus Gorgonius admirator virtutum tuarum diutinae apud Picentes indulgebit quieti. *ut*ut est tamen ista condicio, supersedendum officio non putavi. fors fuat, an haec mature in manus tuas scripta sint ventura. ego tamen quantum per commeantes licebit, istius muneris operam non reparcam. vale.

XXXX (XXXIIII) a. 370—379.

SYMMACHVS AVSONIO.

Non novum aut incognitum sed compertum iam fide et sedulitate militiae sanctum Victorem amicum meum promptus commendator insinuo, quem ad hoc aevi nulla actuum culpa fuscavit: sed fortunae licentia, quae interdum optimos decolorat, spes eius paulisper infregerat. quae in integrum saeculi beatitudo restituet, si innocentiam supplicis secundo favore respexeris. vale.

XXXXI (XXXV) post a. 369.

SYMMACHVS AVSONIO.

Facio rem cum tuis moribus tum meo studio congruentem, ut praestantissimo viro amicitias optimi cuiusque conciliem; velut nunc tibi a me traditur philosophiae candidatus, cuius pudorem vel prima facies, cetera bona longus usus expediet. hunc ego abs te nollem diligi, ni mereretur probari. sed si bene aestimo, actutum merebitur atque ideo diligetur. de hoc nihil amplius. neque enim praeiudicio meo debet astringi, cuius ego expecto iudicium. illud te potius oratum volo, ut in nostri diligentia perseveres. quod cum efflagito, vereor ne me iniurium putes, qui a te postulem, quod sponte praestatur. vale.

XXXXII (XXXVI).

SYMMACHVS AVSONIO.

Compensasti longum silentium gemina scriptione. pariter enim mihi binas litteras praebuisti, ut desiderium meum officio largiore compleres. ex quo adverti, non voluntatem tibi hactenus sed baiulum defuisse. neque enim aliter potuisset accidere, ut

---

2 *om.* *VM* 3 tibi reddendas sero *V*, reddendas tibi sero *M* 4 aliquantis pertinebunt *V* uel *om.* *V* 5 utut] *Mercer*, ut *VMΓΦ(Π)* 7 uentura sint *VM* quantum per] *(Π)*, post *VM* 8 reparam *V*

10 *om.* *VM* 12 mendator *V*, mandator *M*

17 *om.* *VM* 19 traditus *(Π)* 20 usus expediet] *M(Π)*, expediet usus *V* 21 aestmo *V* 22 adeo *(Γ)* diligetur] *(Π)*, diligentur *Γ*, diligenter *VM* amplius] *(Π)*, amplius oro *VM* 23 in nostri] *VM*, in nostra *(Π)*, nostri *Γ* diligentiam *Γ* 24 et flagito *V*

27 *om.* *VM* *haec epistula non ad Ausonium scripta est, utpote qui numquam provinciam rexerit* 28 quod pensasti *(ΓΦ)*

VMΠ me tam diu sermonis tui honore fraudares. merito apud nos in dies singulos tui cultus augescit et iusto cumulo crescit adfectio. namque ita usu conparatum videmus, ut amicitia bene locata experiundo cottidie provehatur. sed de ista parte verbis
2 supersedendum est; neque enim me oportet haec dicere, quae te malo sentire. conperi sane ex litteris tuis, quanto opere publici muneris absolutionem requiras, et stupere me fateor, tantum tibi administrationis eius esse fastidium, cui fructus optabilis ex omnium amore respondet. an est aliquid tenacius gloria, quae laudem adiecit voluntatis . . . . . . et tamen cura non deerit, ut patiaris tu tamen . . . . . . peregrinationis solare iusto amore provinciae. vale.

XXXXIII (XXXVII) a. 370—379.

VF SYMMACHVS AVSONIO.

Vetus sententia est, artes honore nutriri. eam nostrae aetatis confirmavit usus. nemo enim belli notus aut domi clarus exortem praemii sensit industriam. ita cum dignis fructus tribuitur, eandem viam capessentibus spes paratur. glisco igitur gaudio cum propter alios, quibus fortunam sollers vita conciliat, tum maxime Iuliani fratris mei gratia, quem sic a te diligi volo, ut probari posse confido. scis nempe, in illo forensi pulvere quam rara cognatio sit facundi oris et boni pectoris, dum aut mode-
2 stum ingenium verecundia contrahit aut successu eloquens insolescit. haec in meo familiari ac necessario ea societate viguerunt, ut neque obiectu pudoris areret nec cum detrimento frontis adflueret. numquam in mercedem linguae ornamenta corrupit ac fortunis tenuis opulentiam fide, quaestum laude mutavit. *merito* hunc tibi in manum vel magis in animum libens trado. nam mihi summa curatio est, ut amicitiam tuam boni uberent. te quoque idem velle, habeo conpertum. semper enim natura aequalibus gaudet, et familiare sibi est omne, quod simile est. sed ne prolixo testimonio suspicionem laudatoris incurram, quaeso ipse de eo iudices examine pensiore. ita cum illius institutum probaveris, periculum iudicii mei feceris. vale.

VMΠ

AD AGORIVM PRAETEXTATVM.

XXXXIIII (XXXVIII) a. 376.

SYMMACHVS AGORIO PRAETEXTATO.

Meretur diligentia in me tua, ut ea, quae proxime laudi mihi fuerunt, clam te esse non patiar. credo indicium fecisse tibi famam, quod parentem meum ruri atque in secessu amissae domus iniuriam decoquentem frequentibus suffragiis, denique oratoribus missis novo honore senatus acciverit. qua causa ubi primum facultatem lo-

---

2 uidimus *V* 3 prouehatur] *Gruter*, praebeatur *VΓΦ(Π)*, dilatetur *M* sed *om.* (*Π*) 8 uoluntatis et *V* (*Π*) tu tamen peregrinationis (*Π*), tu tamen peregrinationem *V Γ*), *lacunas indicavi*
11 *om. VF* 13 industria *corr. ex* industrii *V 1 m.* 17 cognatio] *Iuretus*, cognitio *F*, conditio *V* 19 ea societate] *Π*, ad sacietatem *F*, *om. V* 21 ac] *ΠΓ*, a *VΦ*, *om. F* meriti fortunae tenuem *F* opulentia fidem *V* merito *ante* ac fortunis *colloc. ΠΓΦVF*, *transposui* 22 est curatio summa *F* 23 uberent] *ΓΦF*, haberent *V* gaudet aequalibus *F* 25 laudatoris] *VΓ*, laudis (*Π*), *om. F* ipse *om.* (*Π*) 26 probaris *V*
27 Ad Agorium Praetextatum *om. codd.* 29 Symmachus Agorio Praetextato] (*Π*), *om. VM* 30 indulgentia (*Γ*) 31 patior *V* tibi fecisse *VM*

quendi apud collegas adtulit dies, egit pater senatui gratiam ea facundiae gravitate, *VMΠ*
qua notus est. kalendae tunc erant, quibus annus aperitur. brevi intervallo cum 2
familiaris mei Trygeti filio praetorio candidato operam spopondissem, animum religio
convenit, ut occasione destinati officii obirem munus adhuc a me patri debitum sed,
ut dixi, ab illo senatui iam solutum. ergo a. d. quintum Idus Ianuarias verba feci
in amplissimo ordine; quae ubi in manus tuas venerint, ex tuo animo conicies iudicia
ceterorum. ego sub incerto examinis tui aliorum sententias occulendas putavi, ne te
praeiudicio tanti ordinis viderer urguere.

XXXXV (XXXVIIII) ante a. 385.

SYMMACHVS AGORIO PRAETEXTATO. *VF*

Auctus sum gaudio, quod valetudo tecum revertit in gratiam; nam semper in-
columitas tua voti mei summa est. nunc si diis volentibus reconciliatae vires animi
tui integraverunt vigorem, facito epistulae tuae multiiugis paginis augeantur. odi par-
simoniam verborum bonorum. scribendi quippe brevitas magis fastidio quam officio
proxima est. nolo litteras stillantes de summo ore; illas peto, quae arescere nesciunt,
quae ex intimo pectoris fonte promuntur. memini brevitatem Spartanam laudi quon- 2
dam fuisse; sed ego Romanis tecum legibus ago et, si ita vis, Atticis, quibus tantum
decus a facundia fuit, ut mihi videantur Lacones metu collationis in diversum studia
destinasse. vellem plura, sed tuo modo conpungendus es. simul cautio est mihi, ne
te sermo multus offendat. instituto igitur meo calcem pono, dum tuo pareo. qua ex
re intellegis, eo te invidiae et condicionis adductum, quasi a me pauca scribi velis,
nisi multa rescripseris. vale.

XXXXVI (XXXX) ante a. 384.

SYMMACHVS AGORIO PRAETEXTATO.

Potui facere scripta conpendii, cum tibi germanus meus verbis suis satisfacturus
uberius videretur quam meis literis, sed in maiore lucro officia honesta quam otia
muta ponenda sunt. ergo neque tacito opus est, ut honor amicitiae mihi feratur ac-
cepto, neque omnia mandanda sunt litteris, ut illi ad narrandum aliquid relinquatur.
accipe tamen rerum capita et summas negotiorum, quibus frater admonitus latius quae-
sita exequatur. convenit inter publicos sacerdotes, ut in custodiam civium publico 2
obsequio traderemus curam deorum. benignitas enim superioris, nisi cultu teneatur,
amittitur. ergo multo tanto ornatior, quam solebat, caelestis factus est honor. ex-
pectare mihi videris omnia, quae supersunt. Titianus meus fungetur indicium, cui
indulgentius narrandi, quod velis, opera legata est. edictum princip*um*, nisi iam

1 gratia mea *Π* 2 operitur *VM* 3 trigeti *VM*(*Π*) operam] (*Π*), actionis *VM*, actionis operam *Γ*) spondissem (*Π*) 5 ianuarii *M Π* 6 manus meas *V* 7 ego] (*Π*), ergo *VM* 10 *om. VF* 11 reuertitur *F* incolomitas *V* 12 deo uolente *F* animi mei *V* 13 integrauerint *F* multiiugis paginis] *F*, multi paginis iugis *V*, multis paginis (*Π*) 15 de summo ore stillantes *F* 17 tantum de causa *F* 19 causatio *V* 20 calcem pono] *F*, adesse uolo *V* pareo] *VF*, parco *Π* qua in re *F* 24 *om. VF* 27 ponenda non sunt *V* 29 quaesita latius *F* 31 traderemus] *F*, traheremus *Π*, traherem *V* 32 ergo multo — 33 uideris *om. F* 34 principium *VF*

VF notum est, idem tibi adsertor expediet. statuas etiam recepistis iisdem paene populi adclamationibus, quibus amiseratis. rides? et libet. ut rideas, afuisti. plura desino, ne qui strictim meliora detexui, am*a*ris videar inmorari. vale.

XXXXVII (XXXXI) ante a. 385.

SYMMACHVS AGORIO PRAETEXTATO.

Silentii nostri ratio diversa est, sed unus effectus. me inpedit pontificalis officii cura, te Baiani otii neglegentia. neque enim minus residem facit remissio animi quam occupatio. nec mirum, si te illa ora to*t*um sibi vindicat, cum ipsum Hannibalem fides certa sit, bello invictum manus dedisse Campaniae. non illius caeli aut soli illecebram retinax advenarum lotos arbor aequaverit et suada Circae pocula et tric*i*nium
2 semivolucrum puellarum. neque ego te pingues ferias agere contendo aut virtutem puto friguisse deliciis. sed dum tibi legis, tibi scribis et urbanarum rerum fessus ingentem animum solitudine domas, amicitiarum munia nullus exequeris. quin adripis stilum nostraeque in te adfectioni honorem mutuum facis? nisi mavis auctoritatem pontificis experiri: multa nobis in collegio deliberanda sunt: quis tibi has indutias publici muneris dedit? senties ius sacerdotis, nisi inpleveris ius amici. vale.

XXXXVIII (XXXXII) ante a. 385.

VMII SYMMACHVS AGORIO PRAETEXTATO.

Dii boni, quam nihil homini tutum atque exploratum est! certe levandi animi causa Baias concesseratis. quis oculus fascinavit destinatam quietem? Paulina ergo cura communis extremum salutis accesserat; an vester pro illa tantus est metus, ut omne eius incommodum periculi instar habeatur? quidquid horum est, spectare animo licet, quas aerumnas dierum, quas noctium vigilias duxeritis. sic nati sumus, ut saepius adversa fungamur. fugiunt voluptates et bonae cuiusque rei tam brevis usus quam levis sensus est. verum haec philosophorum disputationibus relinquantur. nunc habitum laetiorem mentibus suadeamus. quando Paulinae nostrae valetudinem rursus locavit in solido pax deorum. vale.

---

1 tibi idem *F* adsertor *om. F* etiam] enim *F* paene isdem *F* 2 amiseretis *V* rides et] *ΠΓ*, radi sed *V*, risidet *Φ*, ride *F* rideas] *ΠΓΦF*, ridetas *V* affuisti *ΠΓ*, *om. F* 3 ne qui] (*Π*), neque *VF*, ne quae *Φ* amaris] *ego*, amoris *VΦF*, in minoribus (*Π*) uidear] *ΦF*, *om. V*

5 *om. VF* 6 impulit *F* 7 residere *F* 8 ora totum] *Scioppius*, oratorium *V*, oratorem *F* annibalem *VF* 9 illecebra *F* 10 retentum *F* aduenarum] *F*, aduentarum *ΠV*(*Γ*) lutos *ΠV*, lucos *F* arbor *om. F* euaserat *F* suadia *V* tricinium] *Latinus Latinius*, triclinium *VFΓΦ* 12 friguisse] *Π*, frigisse *V*, fregisse *F* tibi leges scribis *FΓ* et *om. F* 13 sollicitudine *F* nullius *VF*

18 *om. VM* 20 oculos *V* 22 spectari *M*(*Π*) 24 quam breuis *V* 26 quoniam (*Π*) uestrae (*Π*)

XXXXVIIII (XXXXIII) ante a. 385.

SYMMACHVS AGORIO PRAETEXTATO. *VMΠ*

Quaeris ut civis ad bonum commune genitus, quid super rebus anxiis vero proximum nuntietur. certis indicibus secunda cognovimus; dehinc multi silentii suspicio sollicitis rumoribus locum fecit. sed mihi opinionum talium, quae sine auctore prodeunt, nulla curatio est. inpendio angor animi, quod sacrificiis multiplicibus et per singulas potestates saepe repetitis necdum publico nomine Spoletinum piatur ostentum. nam et Iovem vix propitiavit octava mactatio, et Fortunae publicae multiiugis hostiis nequiquam undecimus honor factus est. quo loci simus, intellegis. nunc sententia est in coetum vocare collegas. curabo, ut scias, si quid remedia divina promoverint. vale.

L (XXXXIIII) ante a. 377.

SYMMACHVS AGORIO PRAETEXTATO.

Ego quidem securus amicitiae tuae aequi bonique facio, si quid in me ab amante peccatur; sed tuos mores, quibus nihil desit ad laudem, dedecet officii neglegentia. queri me opinaris, quod nihil scribas, et refellere mendacium paras, quia te aliquid scripsisse meministi. ego vero minimum animi angerer, si taceres, prae ut hoc est, quod mihi et patri unas atque eas oppido breves litteras detulisti. ita tibi ambo digni singulis paginis non videmur? tui, inquies, honoris interfuit, ut iungereris parenti. 2
alia sunt, quae cum illo nobis vel communia opto vel paria: amor mihi meo nomine deferatur. abstine igitur epistulis, quae sunt instar edicti: facessat omne fastidium, ex quo nascitur cura conpendii. sed longum de his loqui cautio est, ne tibi molestior sit prolixitas querellae nostrae, quam mihi brevitas epistulae tuae. quod superest, deos quaeso, ut nos plenos gaudii quam primum revisas. facile erit angustias scriptorum tuorum multiloquio repensare. vale.

LI (XXXXV) a. 383?

SYMMACHVS AGORIO PRAETEXTATO.

Statueramus in externis adhuc morari; sed labantis patriae nuntius destinata mutavit, cum mihi in communibus malis decolor videretur securitas mea. ad hoc sacri pontificalis administratio curam de me et officium stati mensis exigit. neque enim fert animus in tanta sacerdotum neglegentia sufficere collegam. fuerit haec olim simplex divinae rei delegatio: nunc aris deesse Romanos genus est ambiendi. vos Etruria quousque retinebit? iam querimur esse aliquid, quod tamdiu civibus praeferatur. sit licet ruris status mitior, non potest bene defrui otio, qui suis absentibus timet. vale.

---

2 *om.* *VM*   3 ut cuius *Π*   4 indicibus] *V*(*Γ*), indiciis *M*(*Π*)   5 auctoritate producunt *Π*   6 inpedio *V*   animique sacrificiis *V*   7 piatur ostentum] (*Π*), piatus ostentum *V*, ostentum piatum est *M*   8 octauam aetatio *V*   11 uale *om.* *V*

13 *om.* *VM*   14 ego quidem] *V*(*Γ*), equidem (*Π*), ego quod *in ras.* *M*   bonique] *VM*(*Γ*), boni (*Π*)   15 tuis *V*   17 prae ut] *VΦ*, pre id *M*, precor quid (*ΓΠ*)   18 brebis *V*, probas *M*   21 fastidium] *VMΦ*, studium (*Π*)   22 compendiis *V*   24 plenus (*Π*)   angustias] *M*, angustia *V*, angustiam (*Π*)

27 *om.* *VM*   28 labentis *V*   30 adnistratio cura *V*   stati] *Φ*, statim *VΠΓ*, *om.* *M*   mensis] *VMΓΦ*, mentis *Π*   32 delatio *ΓΦ*   *fort.* Romanis   33 querimus *V*

LII (XXXXVI) a. 376?

VMΠ SYMMACHVS AGORIO PRAETEXTATO.

Orationem meam tibi esse conplacitam nihilo setius gaudeo, quam quod eam secunda existimatione pars melior humani generis senatus audivit. adiecisti sacramenti pondus et in bona verba iurasti, ut qui scires in suspicionem gratiae venire amantium iudicata. nam ubi certa est amicitia, ibi fides laudis incertior. ergo securus examinis
PVM tui nihil moror sententias ceterorum. quid si adfuisses | tam bonae voluntatis auditor? ne ego digito, ut aiunt, supera convexa tetigissem. erit alias fortasse nobis optatior praesentiae tuae copia. nunc testimonio epistulae tuae fruimur, tunc adiumento favoris utemur. vale.

LIII (XXXXVII) ante a. 385.

SYMMACHVS AGORIO PRAETEXTATO.

Otio et venatibus gloriare. est haec quidem iucunda iactatio sed ludo magis a te prolata quam serio. nam remissa tempora et ab negotiis publicis feriata libris veterum ruminandis libenter expendis. aliis igitur dabis verba, qui te congressu primore noverunt. ego *cum* actus, quos pernox et perdius curae tibi habes, tum coti-
2 diana ingenii tui pabula de litterarum, quas mihi tribuis, sapore coniecto. nisi forte in silvis Apollinem continaris, ut ille pastor Hesiodus, quem poetica lauru Camenalis familia coronavit. nam unde est haec in epistulis tuis sensuum novitas verborum vetustas, si tantum nodosa retia vel pinnarum formidines et sagaces canes omnemque rem venaticam meliorum oblitus adfectas? quare cum scribis, memento facundiae tuae modum ponere. rustica sint et inculta, quae loqueris, ut venator esse credaris. vale.

LIIII (XXXXVIII) a. 380.

SYMMACHVS AGORIO PRAETEXTATO.

Maestitiae meae solacium grande tribuisti. nam ut dudum tibi fama fecit indicium, fratris obitu vulneratus continuo animi dolore discrucior. non mediocre tamen inter praesentes curas levamen accepi, quod te conperi secundum communia optata salvere. superest, ut tu istiusmodi officiis frequentem operam digneris inpendere, quae perspicis medicinam quandam mihi infortunii et maeroris adferre. vale.

2 *om.* *VM* 4 secundam existimationem *V*, secundum tuam existimationem *M* 6 laudes *V*, *om.* *Π* 7 tam bonae *incip.* *P* 8 super *V*, *om.* *M* tegissem *P 1 m.* *V* nobis fortasse *V* 9 testimonia *P 1 m.* epistole *P*

12 *om.* *VM* 15 expetendis *V* 16 cum actus] *ego*, coactus *V*, actus *PM* abestum *V*, abaestum *P 1 m.* cotidianus *V* 18 continaris] *P 1 m.* *VΦ*, contionaris *P 2 m.* *Γ*, ferre conaris *M* amenalis *VM* 19 epistolis *P* 20 omnem quem *P* 22 sunt (*Γ*)

24 *om.* *VM* 25 mestitiae *PVM* fecit] fe *P* 28 saluare *P 1 m.* *V*, saluari *M* 29 respicis *VM* in fortunis *V* meroris *P 1 m.* *V*

LV (XXXXVIIII) a. 383—384.

SYMMACHVS AGORIO PRAETEXTATO. *PVM*

Scio germani amoris esse, quod suades. sed reconciliatio eum requirit auctorem, quem habuit iniusta dissensio, ne noxam meruisse videatur, qui abiuratas amicitias quasi nihil passus adfectat. quare oblatam concordiam non refuto, *sed* sequestrata consideratione fortunae redeat in gratiam, qui movit offensam. tibi pro nostra amicitia satis gratulor, cuius labor saluti publicae commodabit. de quo interim parcius loquar: res enim, quae ad omnes pertinet, numquam uno teste contenta est, et mihi magnopere convenit ita meminisse gloriae tuae, ne verecundiae oblitus existimer. vale.

AD PROBVM. *PVMF*

LVI (L) a. 368—383.

SYMMACHVS PROBO.

Et tibi publicis negotiis occupato brev*es* litterae demunt fastidium lectionis, et mei officii adsiduitas, quidquid scribendum videbatur, exhausit. merito salutatione librata frugi epistulam necessario stringo compendio. alia est enim protestatio amoris, alia linguae ostentatio. atque ideo mihi antiquior fuit obsequendi opera quam loquendi. copiosi videbimur, si abunde seduli iudicemur. vale.

LVII (LI) a. 368—383.

SYMMACHVS PROBO. *PVM*

In praesentia, quantum satis visum est amicitiae munerandae, cum tuas occupationes tum festinationem tabellarii contemplatus exhibeo: alias mihi et usus veniae et cura non deerit epistulae longioris. dii modo optata fortunent, salutem reipublicae in solido locent! tum mihi volu*n*tas promptior erit et ad scribendum, quae tu libenter accipias, et ad legenda, quae tu animo vacante rescripseris. vale.

LVIII (LII) a. 379—380.

SYMMACHVS PROBO.

Sit tibi animus aequus et patiens muneris imperati. saepe usu venit, ut in secundos labores virtus probata reparetur. quid tu? libenter Atilio factum putas, quod fascibus aratra mutavit et in medio sementis opere anhelos boves statuit rusticus magistratus? quisque bonae frugis est, in publicum commodum vindicatur. pone illas in-

2 *om. VM* 3 suadis *P 1 m. V* 4 adiuratas *V* 5 concordiam oblatam *VM* sed *inser. Suse, om. PVM* 6 amititia *V*

10 explic̄ ad agoriū p̄textatū incipit ad probum *P, om. VMF* 12 *om. VMF* 13 breuis *PV* lectiones *V* 15 epistolae *F* stringor *F* 16 atque *om. M*, ideo *om. V* antiquior mihi *F* loquendi copia. si uidebimur habundi iudicemur seduli *F*

19 *om. VM* 22 derrit *P 1 m.* epistolae *P* 23 tumihi *P 1 m.* uoluntas] *M*, uoluptas *PV*

26 *om. VM* 29 mutabit *PV* mutauit? at in medio — magistratus. quisque *Suse* anhelas *VM*

PVM terim cogitationes felicis otii tui: 'quam bene urbana opera novis fastigiis excitabam! ubi ager noster vel ille autumno omnis copiae ferax vel ille hieme apricus, aut qui vere anni primus rosas humo exuit, aut qui sub aestivo sole de nemore et fonte frigescit?' sed quid a proposito excidi? dum medicinam facio querellis tuis, ultro desideranda suggessi. esto, ut es, curarum omnium tolerans, et debitam operam solve principibus, qui rationem magis meriti tui quam voluntatis habuerunt.

LVIIII (LIII) a. 368—383.

SYMMACHVS PROBO.

Mones, ut amicitiae bonum scriptis frequentibus excolamus. placet hortatio invitatrix religionis, et ut verum fatear, decus mihi est haec voluntas tua: amor enim maximus plus requirit. sed quod ais, me potius, qui sim vacuus publicae rei, istiusmodi vigiliam debere sortiri, aequum esse dissentio. iamprimum quod homo licentis otii scrutari vices commeantium non laboro, tuus honor vecturam litteris, nisi invenit, facit; dehinc quod mihi iners desuetudo oblimat ingenium, tibi inpigro iamdiu negotio levatur usus loquendi. ergo quo tu ad scribendum maiore copia, hoc ego dignior venia raritatis. satisne videar his causis munitus in posterum? memineris volo, quidquid a me sermonis acceperis, obsequii esse non otii.

LX (LIIII) a. 368—383.

PVF

SYMMACHVS PROBO.

Scio te non fortunarum sed meritorum habere dilectum. Romanus familiaris meus aulicis etiam nunc paret officiis utpote sacri administer aerarii, sed instrumenta probitatis in quemvis usu*m* publici honoris excoluit. quare dignitas illi est promisc*ua* cum plurimis, honestas aequa cum paucis. quod eo memorandum putavi, ut a te quoque pro ratione vitae non pro gradu militiae censeatur. fac periculum maximis in negotiis, fac in seriis remissisve muneribus: reperies hominis tectam fidem pa*t*entem religionem prudentiam liberam verecundiam liberalem. cui ego propterea factum volo, ut mei testimonii fides clareat, tibi amicus limatae probitatis accedat.

LXI (LV) a. 368—383.

SYMMACHVS PROBO.

Ais te multiiugis necessitatibus impediri, quo minus naviter amicorum carissimos adloquaris. notae rei cesset adsertio. nam et qui procul absumus, curas ac vigilias

---

1 opera *om. VM* nouus *V*, *om. M* 3 primas *VΓΦ*, primo *M* umo *P* qui sub] *Scioppius*, quis uua *P 1 m. VΦ*, qui sub uua *P 2 m. Γ*, qui sitiua *M* 4 quaerellis *P* 6 uale *add. V*, ualete *add. M*

8 *om. VM* 9 hortatio *corr. ex* ortatio *P* 11 maxim⁹ plus *P*, maximi plus *VΦ*, maxime epistulas (= eplas) *ego* publice *P 1 m.* 12 quod] quia *VM* 13 uires commeandum *V*, uires meas commeantum *M* inuenit] *VM(Π)*, *periit in P* 14 negotii *Scioppius* 15 *praetulerim:* maior es copia 17 esse non otii] *P 2 m. M*, non esse otii *P 1 m. V*

19 *om. VF* 22 in quemuis usum publici] *ego*, inquem uisu sub publici *P*, in quem uisi sub publici *V*, sub publici usu *F(Γ)* promiscua] *ed. Veneta*, promissa *PVF* 23 pluribus *F* 24 periculum *corr. ex* periclum *P 1 m.* 25 muneribus *delet Iurctus* repperies *P*, repperies *V* patentem] *Schottus*, parentem *VF*, .. ntem *P*, parentum *Π* 26 fautum *F* 27 limate *P 1 m.*

29 *om. VF* 30 multis iugis *V* carissimus *V*

tuas communis patriae copiis et satietate sentimus. mutasti igitur officium, non negasti. antiquior enim tibi fuit, ut esse debuit, salus civium quam salutatio. nunc sane et desideramus et exposcimus litteras tuas largiter congesta fruge in proximae hiemis inpendium; quamquam scio necdum tibi hanc partem nimis tutam videri. numquam enim securus est amor patriae, et quamvis magna remedia conquirat, semper illud putat imminere, quod timuit. vale. *PVF*

AD CELSINVM TITIANVM GERMANVM SVVM. *PVM*

LXII (LVI) ante a. 381.

SYMMACHVS CELSINO *TITIANO* FRATRI.

Bonae spei plenus, postquam mihi adventus vestri fecistis indicium, calcar quoddam suppingo properantibus. et in eam rem tuum munus inploro, ut parentum studia hortator adceleres. stabit apud me memoria beneficii tui nec umquam tacita erit, si fratrum delegata curaveris. vale.

LXIII (LVII) ante a. 381.

SYMMACHVS CELSINO TITIANO FRATRI.

Longum loquantur pro incognitis aut alienis verba facturi: mihi haec opera desinenda est, cum litteras nostras Saturus frater communis accipiat, quas non commendationi eius praestiti, sed nostro circa vos amore functus emisi.

LXIIII (LVIII) a. 380.

SYMMACHVS CELSINO TITIANO FRATRI.

Commendari a me episcopum forte mireris. causa istud mihi non secta persuasit. nam Clemens boni viri functus officium Caesaream, quae illi patria est, conciliata maximorum principum pace tutatus est. fando acceperas, rebellione barbarica quot auri, quot argenti, privati *et* publici, sacri et profani Mauretaniae fuit direptione hostium lancinatum. evenit ea tempestate, ut etiam fisci depositum belli iure raperetur. quod 2 a summatibus civitatis, quos reliquos fuga fecerat, ius aerarii reposcebat. misera et acerba condicio, nisi iustitiam temporum Clementis cura movisse*t*, quem ego non minus famae saeculi quam civium securitati dixerim commodasse. quid enim praeter invidiam referret aerarium, si opes ab inopi curia poscerentur? habes ordinem rei. quod restat enitere, ut voti tui adspiratio vela faciat impetratis.

---

3 proxime *P 1 m.*

7 explicit ad probum incipit ad celsinum titianum fratrem *P*, *cf. p. 32 v. 25* explič ad titianum germanum suum *P*, *om. VM* 9 symmacus celsino fratri *P*, *om. VM* 12 adceleris *P 1 m.*

15 *om. VM* symmacus *P* 16 ·ongum *P* 18 prestiti *P 1 m.*

20 *om. VM* 21 episcopum] *VM*, eplm (*i. e.* epistulam) *P* 22 demens *P* 23 rebellionem barbaricam *V* quod auri quod *PV* (*Γ*) 24 et publici] *ego*, aut publici *PVM* mauritaniae *PVM* 25 fisci] *VΓM*, fitei *P 1 m.*, fidei *P 2 m.* 26 ius] uis *P 1 m. V* 27 acerua *PV* conditio *PVM* elementis *P 1 m. V 2 m.* (*ΓΦ*) mouisset et *PV*

LXV (LVIIII) a. 380?

PVM SYMMACHVS CELSINO TITIANO FRATRI.

Scire postulas, quid de lacessentibus sentiamus. nolo consilium suscensentis expectes neque in eius noxam labores, quem vides abundare peccatis. ipse causas dabit, quas non videaris optasse. sed de illo satis habeo dictum. veniam, quo me ducit adfectio. inmane quantum a litteris desidetis neque metuitis, ne vos talione silentii mordeamus. quid hiems faciet, quae terra et mari morabitur commeatus? cogitate vestri officii necessitatem nostrae sollicitudinis vicem eamque adripite diligentiam, quam de nobis mutuo flagitatis. vale.

LXVI (LX) a. 380.

SYMMACHVS CELSINO TITIANO FRATRI.

Gelasius, cui factum volo, imperialis domus curam recepit, quod negotium ei aliquid adtulit dignitatis, etsi plus habet honoris in moribus. medicinam eum primis nostrae aetatis exercuit. inde est illi via facta meritorum. nam summates aulae, quibus iuvanda salute profuerat, testes potius habuit quam patronos. absit, ut tibi usus veniat artis eius, cum cetera honestamenta sanctissimi viri possint pro illo ferre suffragium. ergo ama Gelasium mihi iam dudum placitum, tibi me spondente placiturum. vale.

LXVII (LXI) ante a. 381.

PVF SYMMACHVS CELSINO TITIANO FRATRI.

Commendarem tibi Anysium laudabilem virum, nisi in amicitiam meam te auctore venisset. quando igitur nihil est, quod illi meus sermo conciliet, beneficii loco habebo, si in eum sancti animi tui gliscat adfectio. nam ubi amoris rudimenta praeventa sunt, secundae gratiae locus est, ut augmenta poscantur. vale.

LXVIII (LXII) a. 380.

PVM SYMMACHVS CELSINO TITIANO FRATRI.

Rufus pontificalis arcarius prosequitur apud te mandata collegii, cui prae ceteris retinendi Vaganensis saltus cura legata est. effice, oro te, ut divinitus videatur oblatum tui honoris auxilium, et utriusque te sacerdotii antistitem recordare. quidquid

---

2 *om. VM* 3 suscensentes expectis *P 1 m.* 4 ḥabundare *P* 6 neque] *VM(Γ)*, anque *P 1 m.*, anquę *P 2 m.* ne uastalione *V*, nouos talione *P* 7 cogite *P*

11 *om. VM* symmacus *P* 12 fautum *VMΓΦ* 13 in moribus medici. nam eam primis nostrae *V*, in moribus medici. nam id in primis suae *M* 14 fata *P 1 m.* summatis *PV* aule *P 1 m.* 15 iuuanda salute] *ΓΦ*, u^{i}uenda salute *V*, uiuenda saluste *P* quamquam *V* patronus *P 1 m. V* 16 eueniat *VM*

20 *om. VF* 21 commendare *F* ansium *VF* uirum non ansim nisi in meam amicitiam *F* 22 est *om. V* habeo *F*

26 *om. VM* 28 retinendiṣ *P* uagiensis *M*

publicus vigor aut privata poscit industria, oratus exequere. multum in gratiam tuam publica utilitas promovebit. habes summam petitionum. singula autem tibi vel commonitorii series indicabit vel Rufus expediet, cui maturum praestabis effectum, ut sequestratum paulisper officium regressus adripiat. vale. *PVM*

LXVIIII (LXIII) a. 380.

SYMMACHVS CELSINO TITIANO FRATRI.

Potuit frater meus Acutianus suo nomine, quod poscit, adipisci, ut qui sit non minus tibi quam mihi familiaris, sed interfuit officii mei, ut ei voluntariam operam commodarem. iuvat autem desiderium illius iustitia postulati. nam germanos suos Nicasium et Rogatianum negotium commune curantes vel ad disceptationem Numidici consularis remitti postulat, vel quod ei antiquius est, te potissimum cognitore mavult quam primum molestiam litis absolvi. quare si et illius apud te grande momentum est, et a legibus causa non discrepat, et interventus meus libram tui favoris inclinat, anniti aequum est, ut optimo viro ex sententia procedat optatum. vale.

LXX (LXIIII) ante a. 381.

SYMMACHVS CELSINO TITIANO FRATRI.

Fratrum nostrorum Magni atque Magnilli petitio est, quam prosequendam recepi, quibus inpendio curae est, ut homines Eutychiae clarissimae feminae iudiciorum praesidio fulciantur. intellegis eas esse personas, quibus haec gratia magis ex suo merito quam ex meis litteris debeatur. nec mireris, ipsos super ea re scribere noluisse, cum reverentia mei fecerit, ut nostro suffragio potius uterentur. vale.

LXXI (LXV) ante a. 381.

SYMMACHVS CELSINO TITIANO FRATRI.

Caecilianum virum honestum Laurentum Lavinatium defensorem susceptum commendat officium. cui si nihil conciliationis cetera vitae honestamenta praestarent, interventus meus gratiam tuam deberet adquirere. ama ergo hominem placitum mihi et religiosae civitatis commodis obsequentem. amoris autem tui sumemus indicium, si eos, quibus negotium familiare mandavit, adiuveris.

LXXII (LXVI) ante a. 381.

SYMMACHVS CELSINO TITIANO FRATRI.

Amicorum desideriis operam non negamus, dum iusta credimus, quae petuntur; ut nunc mihi usu venit, qui Bassum optimis viris placitum non putavi suffragio de-

---

2 petitionis meae *VM*(*Γ*) 3 indicauit *PV*, *om. M* cui] qui *V* praestabilis *V*

6 *om. VM* symmacus *P* 7 accutianus *M*, accotianus *V* 10 rogationum *V* 12 molestia *Lectius*

16 *om. VM* 18 eutyciae *P*, euticiae *V*, ęuticiae *M* 19 intellegit *P 1 m.* gratiam agens *P 1 m.* (*ΓΦ*) 20 ea re scribere] *VM*, ea restituere *P* 21 reuerentiam eis *V*, reuerentia eis *M*

23 *om. VM* 24 cecilianum *VM*

30 *om. M*, sym̄. *reliquis om. V* 32 basum *V*

PVM serendum. salva igitur mea existimatione, qui bonis credidi, meritum tibi hominis dies longior indicabit. mihi satis est, si illi primus aditus spem tui dederit pleniorem. vale.

LXXIII (LXVII) ante a. 381.

SYMMACHVS CELSINO TITIANO FRATRI.

Quando eam dii potestatem dederunt, ut amicis ac necessariis meis usui esse possis, confido Romano optimo viro, quocum mihi iam diu familiaritas est, in tuo praesidio paratam bonae spei copiam. duabus enim commendationibus, quarum tibi antiqua cura est, adiuvatur, mei testimonii praerogativa et sui meriti conscientia. nam sedulo audeo iudicare, dignum esse, quem pensi habeas, et ne longum loquar, cuius amicitia non graveris. spectata mihi est in eo quies animi officii diligentia; nemo in amicos fide utitur promptiore. haec ita esse, si quid mihi tribuis, velim credas, si *h*aeret animus, hortor examines. vale.

LXXIIII (LXVIII) ante a. 381.

PVF SYMMACHVS CELSINO TITIANO FRATRI.

Est aliquid in querellis Fasganiae filiae meae, quod mihi ex voto fateor accidisse; nam nisi futuras sibi usui litteras poposcisset, ad scribendum mihi defuisset occasio. praelibo igitur salutationem, quae meum spectat officium; reliqua pars paginae ad causam clarissimae feminae pertinebit, quae sibi ab hominibus tuis nescio quid agrorum deflet ereptum. id ego loci et meriti tui conscius servili ausu clam te opinor admissum, atque ideo filiae meae correctionis facilitatem spopondi, si ad te familiaris conquestio genus iniuriae pertulisset. quaeso igitur, ut temeratae possessionis statum iubeas reformari. si quid autem controversiae est, in pignoris nostri praesentiam differatur, quae secura iustitiae tuae recusat alios cognitores.

AD HESPERIVM.

LXXV (LXVIIII) a. 376—380.

SYMMACHVS HESPERIO.

Quotiens viris militiae notis testimonia deferuntur, decet operam verborum facere conpendii, quia nihil*i* negotium est rebus cognitis inmorari. pro Caesario nosti omnia facere, quae probantur. hunc ut pensi habeas, sperare magis debeo quam rogare. si quid ultra expetis, in alias litteras conferemus; nunc mihi multiloquio temperandum est, cum satisfactum esse videatur et illius voluntati et tuo honori et meo muneri. vale.

5 *om. VM* 6 eam *om. VM* 10 audio *V* quaeinpensi *P 1 m.* 11 spectata quidem mihi *V*, spectata siquidem mihi *M* quies *om. VM* 13 haeret] *Scioppius*, haec heret *P 1 m.*, haec hęret *P 2 m.*, haeret haec *V*, heret hic *M* examine *V*
15 *om. VF* 16 iniquae relis *V* 19 femine *P* 22 conquesto *P 1 m.* 23 differatur praesentiam *F*
25 expliĉ ad titianum germanum suum. incipit ad hesperium *P*, *om. VF* 27 *om. VF* 28 quottiens *V* 29 nihili] *Latinius*, nihil *PVFΓΦ* cesario *P 1 m.* 31 expetitis *V* mihi *om. P*

LXXVI (LXX).

SYMMACHVS HESPERIO. *PVF*

Natura rerum est, ut qui balbutiunt, plus loquantur; adfectant enim copiam pudore defectus. hoc exemplum me expetit, cui magna est scribendi inpatientia, cum desit oratio. duobus enim pariter commeantibus non putavi officio convenire, ut unis litteris gemina expenderetur occasio. erit super hoc iudicatio tua, garrulusne iustius dicar an sedulus. vale.

LXXVII (LXXI) a. 376—380.

SYMMACHVS HESPERIO.

Amicorum orata curare bonae frugis officium est, praecipue si non refragetur aequitas postulatis. quorsum spectet hoc anteloquium breviter explicabo. Sabinianum clarissimum virum ita magnifacio, ut quos maxime colo. huic per inpressionem nequaquam patior a fratris sui liberis tutelae munus inponi. duobus enim privilegiis amolitur iniuriam, maturitate aevi et numero filiorum. ea res publicis designata monumentis necdum a proposita obstinatione deducit pervicacem petitionem. nunc quia secundante fortuna in te huius negotii spes recumbit, quaeso, ut ei virtute, qua celsus es, factum velis, cui vel in meam gratiam praestandus est favor vel ad tuam gloriam iuris praerogativa servanda est. vale.

LXXVIII (LXXII) a. 376?

SYMMACHVS HESPERIO. *PVM*

Vnus mihi adhuc supereras ex omnibus . . . . litterarum viris, cui probari orationem meam laudis avarus optarem. res cecidit ex voto: utor teste, quo volui. iam mihi comici adulescentis voce clamandum est: q u i s m e e s t f o r t u n a t i o r v e n u s t a t i s q u e a d e o p l e n i o r? nisi forte amor mei stilum tuum coegit in gratiam. fit enim saepe, ut iudicii severitatem frangat adfectio et amicorum facta dictaque ea indulgentia censeamus, qua plerumque singuli etiam vitia nostra diligimus. sed haec 2 merito dicerentur, ni tecum faceret existimatio omnium, quibus sermo noster auditus est; non quo sententiae tuae ex aliorum consensu quaeratur auctoritas, sed quia non patet suspicionibus iudicatum, a quo nemo dissentit. videro tamen, utrum fides tua an amor illas litteras scripserit. mihi in alterutra condicione aeque summus est honor, sive ita magnifice de me iudicas, ut gratificatus esse videaris, sive ita es mei diligens, ut secus iudicare non possis. vale.

23 Terent. Hecyr. 848.

---

2 *om.* *VF* 3 balbuttiunt *P* 4 est *post* inpatientia *colloc.* *F* 5 enim] igitur *F* unil (*sic*) *V* 6 expenderet *V*

9 *om.* *VF* 10 praecipuę *P* 11 postulantis *VF* quassum *V* spectet hos *V*, hoc spectet *F* 12 ita magnifacio] *VF*, ****** magnifacio *P* quas *V* 13 a *om.* *VFΓΦ* liberorum *F* tutele *P* mihi poni *V 2 m.* 14 maturitatem *V* 15 necdum⁹ a *P* 16 negotiis pes *P* fautum *F* 17 suam *P* uiris *P 1 m.*

20 *om.* *VM* 21 supereras] *PΦ*, superas *VΓ*, superes *in ras.* *M* omnibus **** litterarum *P*, omnibus litterarum *VM* probationem meam orationem *V* 22 excidit *V* uolo *VΓM* 23 me est] *P 1 m.*, me hodie *M*, me est hodie *P 2 m.* *V* uenustatis quae *P* 25 fata *P 1 m.* 27 auditus *P* 30 conditione aequae *PV*

LXXVIIII (LXXIII) a. 377—380.

PVF SYMMACHVS HESPERIO.

Praesumptum aut conpertum tenes, quanta mihi sit tuae laudis antiquitas. eapropter nihil fieri patior, quod actuum tuorum gratiam devenustet. Priscianus frater meus cum primis philosophorum litteratura et honestate censendus senatu auctore salarii emolumenta consequitur. super eius annonis dicitur orta dubitatio, cui si nihil talis conpendii optimatium voluntas ante tribuisset, eruditio tua fructum ferre deberet. scis enim bonas artes honore nutriri atque hoc specimen florentis esse reip., ut disciplinarum professoribus praemia opulenta pendantur. quaeso igitur, ne hac inquietudine aut illius minuatur utilitas aut amplissimo ordini censendi auctoritas derogetur. interest famae et gloriae tuae, ut confirmandi magis quam negandi commodi causa de philosophi salario dubitasse videaris.

LXXX (LXXIIII).

SYMMACHVS HESPERIO.

En tibi secundas litteras meas et adhuc prioribus vicissitudo debetur. dices viandi negotio impeditam diu operam scriptionis et alia forsitan multa causabere. ego prae tui amore hanc veniam non gravabor, sed eodem amore postulo, ut cum erit otium, mora necessarii silentii officio voluntario suppleatur.

LXXXI (LXXV).

PVM SYMMACHVS HESPERIO.

Vitalianum clarissimum virum mei potius officii gratia quam in adiumentum suum credo litteras poposcisse. nam cum ipsi ad promerendum tuum amorem nihil ultra possit accedere, id tantum videtur egisse, ut mihi ex hoc munere conciliatio tui uberior proveniret. cape igitur delibatam cursim salutationem, cui si facundia largiore responderis, in exemplum copiae ingenii mei maciem provocabis.

LXXXII (LXXVI).

PVF SYMMACHVS HESPERIO.

Sum quidem silentii tui vehementer inpatiens, quod genus querellae amantibus familiare est, sed proximis litteris tibi desiderium meum expletum esse confiteor. itaque habeo gratiam multoque opere te obsecro, ut scriptioni frequenter indulgeas. haec enim officia nullum faciunt de adsiduitate fastidium.

---

2 *om. VF* 6 horta *P*
14 *om. VF* 15 uicissitudo prioribus *F* dices] *Lectius*, dicis *PVF* 16 scribendi *F* pro *F* 17 ueniam dare non *F* 18 silenti *V*
20 *om. VM* 21 adiuuamentum *V* 22 poposcise *P 1 m.* tuum honorem *V*
27 *om. VF* 28 quaerellae *P* 30 haec enim sola officia *VF* 31 faciunt *om. V*

LXXXIII (LXXVII) a. 380.

SYMMACHVS HESPERIO. *PVF*

Religionis indicium est, quod me taciturnitatis incessis. sed velim credas, infortunii fuisse non voluntatis, quod diu officio scriptionis abstinui. nec puto ignorare te, quatenus in nos fortuna saevierit, quae me amantissimo atque optimo fratre privavit. proinde, si dies longior sensum tanti doloris exemerit, familiaribus litteris sollemnis cura praestabitur.

LXXXIIII (LXXVIII).

SYMMACHVS HESPERIO.

Quotiens tua sumo conloquia, quaedam mihi ante oculos praesentiae tuae imago versatur, atque ideo uberiorem capio voluptatem. quod et tui officii et mei meriti sentio vigere mo*m*entum. sed ut promptior circa me huius muneris diligentia perseveret, etiam ipse curam deferendi sermonis adripui, frequenter expertus dilectum religiosi animi incentivo vicissitudinis provocari.

LXXXV (LXXVIIII).

SYMMACHVS HESPERIO. *PVM*

Tandem bonae valetudinis compos, quae a me hucusque dissenserat, nunc te societate meae commoditatis impertio, quem praeteritae sollicitudinis participem habere vitavi; etsi scio, ne illo quidem tempore, quo officium meum morbus inh*ib*ebat, ab huiusmodi munere temperatum. restat, ut observantiam vicissitudine munereris. ea namque res et tuam curam probabit et refectioni meae adiumenta sufficiet.

LXXXVI (LXXX).

SYMMACHVS HESPERIO. *PVF*

Vtrum Mediolani etiam nunc tibi posito pagina ista reddenda sit, in ambiguo conloco. peccari tamen in amicitiae fidem credidi, si litteris tuis referre honorem mutuum destitissem. nihil ergo cunctatus commisi eventui sollemnem hanc et simplicem dictionem salutis; quae si in manus venerit, fac oro, ut pervenisse litteras meas sermonis tui recursus ostendat.

---

2 *om.* *VF* 3 uelim — 4 quod diu *om.* *P* 5 quantum *F* priuabit *P 1 m.* *V* 7 prestabitur *P 1 m.*

9 *om.* *VF* 11 uoluntatem *V* 12 momentum] *Iuretus, cf. III, 4,* monumentum *PVΓΦ*, augmentum *F* 13 delectum *P 1 m.*

16 *om.* *VM* 17 bene *V* 18 praeterita *V* 19 inhibebat] *M*, inherebat *P 1 m.* *V*, inhęrebat *P 2 m.* 20 munereris] muneris *V*

23 *om.* *VF* 25 si *om.* *V* mutuum honorem *F* 26 *fort.* distulissem 27 si in] sunt *V* 28 recusus *V* uale *add.* *VF*

LXXXVII (LXXXI).

PVM

SYMMACHVS HESPERIO.

Si facultas mihi ad scribendum saepe suppeteret, voluntas numquam deesset officio. huius rei evidens certumque documentum est, quod ubi primum amici communis fida adfulsit occasio, libens scribendi munus adripui. intellexi enim iucundiores fore litteras meas, si has tibi familiarior tabellarius tradidisset, qui non solum epistulam sed insinuationem quoque actuum meorum tibi fideliter exhibebit.

LXXXVIII (LXXXII).

PVF

SYMMACHVS HESPERIO.

Numquam in me parcam, quin tuo animo obsequar. novi, quam sis mei sermonis exoptans. propterea decrevi cum animo nihil supersedere litteris porrigendis nec expectare vicissitudinem, ne scribendi tardior fiam. sed ut ipse metui, ne mihi foret flagitio, si tacerem, sic velim tu quoque caveas culpam dissimulatae familiaritatis acc*e*dere. quod te curaturum liquido habeo conpertum, quia non minus ingenium tuum quam meritum meum cogitans nequeo tui amoris esse diffidens. vale.

PVM

AD ANTONIVM.

LXXXVIIII (LXXXIII) a. 370—375.

SYMMACHVS ANTONIO.

Non incognito quidem nobis eloquii splendore nituisti, sed magnis rebus adcommoda*m* et maiestatis scriptis aptatam gloriam. quam magisterio ante quaesisti, recens auxit oratio. nam praeter loquendi phaleras, quibus te natura ditavit, senile quiddam planeque conveniens auribus patrum gravitate sensuum verborum proprietate sonuisti. denique etiam hi, quorum Minerva rancidior est, non negant, facundiam tuam curiae magis quam caveae convenire: at illi, quos cothurnus altior vehit et structurarum pigmenta delectant, neque tristem soliditatem neque lascivum leporem consona laude
2 celebrarunt. haec sunt enim condimenta tui oris et pectoris, quod nec gravitate horres nec venustate luxurias. sed ratione fixus ac stabilis germanos colores rebus obducis. nolo igitur exspectes iudicium meum, ne amore delinquam. quid varia ingenia senserint, intimavi. fuit enim in illa oratione, quod unusquisque diligeret et pro ingenii sui qualitate laudaret. quare sequere coepta felicia et te in omnibus aemulare. nobis ad testimonium religionis satis est non siluisse sententiam ceterorum. vale.

---

2 *om.* *VM*

9 *om.* *VF* 10 qui in *P 1 m.* sermonis mei *F* 11 supersidere *P 2 m.* 12 scribendo *F* ut] et *V* 13 sic] si *VF* 14 accedere] *Iuretus*, accendere *PVΓΦF* quoniam *F* 15 quam] quod *V*

16 explicit ad hesperium incipit ad antonium *P*, *om.* *VM* 18 *om.* *VM* 19 eloqui *V* accommodam *M*, adcommoda *PV* sed magnis rebus adcommodo et maiestatis scriptis apto; tamen gloriam *Suse* 20 sriptis *V* aptatam] *VΓΦ*, ad totam *P*, aptam *M* 21 faleras *PV* 22 planequae *PV* 24 euenire *V* ad *P 1 m.* coturnus *PVM* structurarum] *P 2 m.* *M in ras.*, histructurarum *P 1 m.* *VΓΦ* 25 picmenta *V* dilectant *P* 27 luxorias *P 1 m.* 29 ratione (*Γ*) 30 laudaret et *V*

LXXXX (LXXXIIII).

SYMMACHVS ANTONIO. *PVF*

Etsi amore convenior, ne sim circa te avarus officii, nunc tamen libentius quam saepe alias scribendi munus insisto; primo quod abitio fratris nostri Marii quodam viatico carere non debuit, dehinc quod litteras meas putavi plusculum commendationis habituras, si tibi per eum, quem sancte atque efflicte diligis, redderentur. fit enim plerumque, ut levia rerum portator festivus exornet. alia quoque de causa studii mei 2 ardor incanduit, quod tecum super talis viri laude gratulandum putavi, qui e provincia suburbana tantum reportat publici desiderii, quantum reliquit exempli. non dicam dolo utpote subpalpandi nescius: viget in eo vena fraterna, eoque magis factum est, ut discessum eius inpatienter feramus, qui in uno frui videbamur ambobus. vereor protelare testimonium meum, ne magis laudi eius obsecutus iudicer quam pudori; nam quorum mens honesta est, eorum inbecilla frons est. tu conice plura de paucis, quae nunc insinuare non decuit, sed per alium scribere non pigebit.

LXXXXI (LXXXV).

SYMMACHVS ANTONIO.

Dudum te, mi frater, silentio indulgere mirabar. ea res inpendio augebat dolorem, quod ipse minime scribendi observantiam neglegebam. simul atque accepi litteras tuas, animum subiit laetitia, querella deseruit. amicitia enim cito sanatur officio. tu quoque ita paginam melle eruditissimi oris obleveras, ut quaelibet offensa tamquam Lethaeo poculo mergeretur. verso igitur stilo gratiam fateor, qui expostulare meditabar, adiciens postulatum, ne umquam supersedere litteris perseveres. quod si scribenda defuerint, mihi satis erit, ut tibi gratuler sospitatis.

LXXXXII (LXXXVI) ante a. 379.

SYMMACHVS ANTONIO.

Dulce certamen est familiaris officii, et ideo iure ambo cavimus, ne alternis epistulis vinceremur. gratulor igitur, pares nos esse non solum adfectione mentium sed etiam vicissitudine litterarum. curabo tamen posthac, ut obsequii mei trutina et libra praeponderet, ne videatur inertiae quoddam esse conludium semper aequa lance censeri. itaque scribam saepius, modo facultas commeantium non desit optanti. ita fiet, ut et ipse laudem sedulitatis adfectem, et te curis publicis occupatum ad rependenda conloquia adsiduitate sollicitem.

---

2 *om. VF* 3 rarus *F* 5 qd *P* 6 efflictę *P 1 m.*, affliete *VF* 7 leua *V* portitor *F* 8 putaui gratulandum *F* qui e] que *V* 10 ut pute *VF* 11 feram *V* 13 tu de paucis conice plura *Iuretus*

16 *om. VF* 19 quaerella *P* sanabitur *F* 20 ita] istam *VF* 21 letheo *PVF* 22 meum quam supersidere *P 1 m. V*, meum quo insistere *F* perseueris *P 1 m. V*

25 *om. VF* 27 igitur] enim *F* affectionem gentium (*corr. 1 m. in* mentium) *V* 29 lance] laude *V* 30 scribam *om. F* 32 assiduitatem *V*

LXXXIII (LXXXVII).

PVF SYMMACHVS ANTONIO.

Sanctum Zenonem commendare non debeo, quem scio ad clientelam tuam et amicitias pertinere: sed tanta in eo morum probitas est, ut laudes eius silere non possim. itaque virum bonis omnibus merito suae sedulitatis acceptum quaeso etiam me precante propensius fovere digneris, praestaturus et tuae famae, quae debet omnium ore celebrari, et interventui meo, ut has litteras sibi intellegat profuisse. vale.

PVM

AD SYAGRIVM.

LXXXIIII (LXXXVIII) a. 379?

SYMMACHVS SYAGRIO.

Laudentur incogniti, ut eorum merita in occulto sita testimonii splendor inradiet: mihi inpraesentiarum supersedendum est huiusmodi scriptione, ne incepti frustra sim. si fratrem meum Palladium spectatum bonis omnibus facundiae atque eruditionis adstipuler. dehinc cauto opus est, ne inpar tanto viro praedicatio neque eum, cui defertur, aequiperet et meam operam devenustet. quiesco igitur has partes et hoc unum persuasum tibi volo, mereri facundiam Palladii, ut doleamus, quod urbi negatus est, mereri amabilitatem eius, ut quod accitus est, gaudeamus.

LXXXXV (LXXXVIIII) a. 379.

SYMMACHVS SYAGRIO.

Quod nullas sumpsi litteras tuas, cum mihi a principibus aeternis legenda in concilio patrum delegaretur oratio, scio non fuisse fastidii tui. nam bonae et exploratae amicitiae, vel si cesset officium, satis tutae aestimationes sunt. propterea talionem referre vitavi veritus, ne quod tu invitus feceras, ego offensus crederer reddidisse. longe enim diversa condicio est fortuiti quam adfectati silentii. res quidem una neglegitur,
2 plurimum tamen refert, quis eam quasi occupatus, quis quasi iratus omiserit. sed de hoc satis habeo dictum. nunc, si me amas, vel quia me amas — nam referri mihi confido, quod defero —, contestare apud invictos principes gaudium meum, qui humanae voci divinas litteras crediderunt, quorum victorias ex mei oris promptario senatus audivit. fac veniat in mentem, quis ille mihi inluxerit dies, quo ego quasi ex media
3 profectus acie auribus et animis omnium salutarem nuntium primus infudi. olim cum res Romana adoreae militaris potita est, Polluces gemini apud Iuturnae lacum proelii secunda vulgarunt. eos quippe priscorum voluminum fides tradidit, anhelis equis

---

2 *om. VF* 4 laudis *PV* 5 suae *om. F* precante] *P 2 m.*, peccante *P 1 m.*, petente *VF* 6 prestaturus *P 1 m.*

8 explicit ad antonium incipit ad syagrium *P*, *om. VM* 10 *om. VM* 11 in occulta sitis testimoniis *V* 12 frustra sim si] *V*, frustra *P 1 m.*, frustrer *P 2 m.*, frustrer si *P 3 m.*, fruster *** si *M* 13 facundie *P 1 m.* 14 praedicatione quae *P 1 m. V* 15 equiperet *P 1 m.* 16 supersuasum *P*

19 *om. VM* 20 concilia *V* 21 deligaretur *P 1 m.* facti dii *V* 22 uel sic esset *PV(Γ)* tute *P 1 m.* aestimationis *Suse* 23 reddidisset *V* 25 quisque si iratus *V(ΓΦ)* 27 humane *P 1 m.* 28 promtario *V*, promptuario *M* 30 salutarem *P* primis *V*, *om. M* 31 adorae aemilitaris *P* iuturne *P 1 m.* proeliis *P 1 m. VM* 32 anhellis *P*

plenos sudoris et pulveris fama belli post tergum relicta iudicium adfectasse victoriae. *PVM* idem nunc mihi sacro iudicio factus est honor. ita quantum gratiae Castores adepti sunt, tantum principes praestiterunt. haec pro me copiosius et ornatius, quantum es 1 linguae melior, apud auctorem beneficii prosequeris. habes summam voluntatis meae; cui si quid commendationis inspiraveris, ceteris ornamentis animi tui adicietur decus praesentis officii.

LXXXXVI (LXXXX) a. 376?

SYMMACHVS SYAGRIO. *PVF*

Studium, quod scribendis orationibus exhibebam, praemio laudis auxisti. vetus quippe sententia est, artes honore nutriri. quis autem tam cumulatus est honor quam palma dicendi? ergo etsi intellego, . . . quod amore fallaris, titulum tamen praeclari testimonii albo calculo veterum more signabo. non enim mihi ex ore ieiuno tributa laudatio est, sed de facundiae penu boni iudicii fructus adrisit. vereor indulgere verbis praeconii tui, ne gratificandi operam mutuam credamur adniti. vale. et ut es nostri diligens, religiosam observantiam persevera.

LXXXXVII (LXXXXI).

SYMMACHVS SYAGRIO.

Meae litterae, quoniam tibi acceptae sunt, crebrius commeabunt, nam ut respondeas, non laboro. siquidem videtur iniurium flagitare officia, quae sponte religiosus animus pollicetur. vale.

LXXXXVIII (LXXXXII) ante a. 383.

SYMMACHVS SYAGRIO. *PVM*

Dudum mihi nullus litteris tuis honor factus est. quererer de silentio tuo, si de religione dubitarem; sed quia amicitia usu credita et expensa documentis a periculo suspicionis aliena est, intellego quidem per occupationes publicas inhibitam diligentiam scriptionum tuarum, verum quaeso, ut intermissum munus instaures. stabit apud me gratia tributi officii, quasi nulla negati culpa praecesserit. vale.

LXXXXVIIII (LXXXXIII).

SYMMACHVS SYAGRIO. *PVF*

Si quando mihi apud amicum testimonii dictio est, cohibeo operam plus loquendi. nam quid religio agit, ubi desideratur oratio? fero igitur ad te nudum de familiari meo Ponticiano sed fidele iudicium, quem nisi amore nostro dignum probassem, minime

---

1 sudores *P 1 m. V* 4 linguaę *P*
8 *om. VF* 9 praemia *V* hauxisti *P* 11 intellego∗∗∗quod *P*, intellego quod *VF* 13 est laudatio *F* iudicii *om. F* 14 credamus *VF* 15 diligens *om. P*
17 *om. PVF* 18 *praecedenti epistulae cohaeret in PVF, divisit Iuretus*
22 *om. VM* 23 quaererer *P* 26 et stabit *V* 27 legati *P*
29 *om. VF* 31 ait *V* 32 Ponticiano] *cf. V 32*, pontigano *PVF(Γ)*

PVF tuo traderem. mens eius in aperto est, vita spectat ad laudem. scis certe, numquam me faciliorem favoris esse quam veri. horum omnium fidem confirmabis, cum in illo plura reppereris.

C (LXXXIIII) hieme 380/1?

SYMMACHVS SYAGRIO.

Instaurant dolorem sera solacia, et ideo mutuum silentium calamitatibus nostris praestare debemus, ne fortunae vulnera, quae cicatricem processu temporis ducunt, intempestive contrectata crudescant. in alia potius sermo vertendus est, quae te ad curam sanitatis hortentur. omnis quippe internus corporis dolor hiemali crescit iniuria, ac nisi iter apricis diebus et auris salubribus egeritis, male metuo, ne vitium
2 contemptus exaggeret. nunc ea, quae remedio adcommoda credidisti, vel quae nobis commendavit utendi exploratio, ad te misi inter votorum summa constituens, ut remediorum talium necessitatem spontanea incolumitate praevenias, aut si quae morbi reliquiae fuerint, ut his curationibus tergeantur. satis autem muneris communi amicitiae dabis, si eam sollicitudinem, quae mihi ex aegritudine tua oborta est, prosperiore nuntio nihil moratus exemeris.

CI (LXXXXV) a. 380.

PVM SYMMACHVS SYAGRIO.

Video, consul amplissime, quantum mihi amor tuus honoris inponat. iubes, ut te adeam et coram defruar magistratus tui gaudio. quo pacto istud possum negare, nisi ea religione ignoveris, qua vocasti? nam quid agam fortunae dubius, cum hinc
2 inv*i*ter a*d* obsequia honoris tui, hinc luctu amissi fratris impediar? duae mihi simul personae dispares offeruntur. qui fieri potest, ut os unum contrariis adfectionibus induamus? proinde animi aequus huius operis facito mihi gratiam. fortunati sellam tuam laeto agmine prosequantur; auspiciis tuis quivis fati integer amicus intersit: me sinito
3 interim tempore aut ratione decoquere amissi fratris crudum dolorem. quid quod etiam parentes mihi in communi maerore solandi sunt? quorum aerumna geminabitur, si illis tam inmaturae . . . . . . peregrinationis meae cura iungatur. esto igitur promptus ad veniam. certe si putas arguendum esse, quod desumus, fortunae meae potius irascere. illa iniecit manum, illa invitum retraxit. ita tibi non persuadeat, ut est eadem inpotens, me noluisse proficisci. vale.

---

1 tuo] tibi *F*

5 *om. VF* 7 prestare *P* 8 intempestiuae *P* crudescant *corr. ex* crudescunt *P 1 m.* 9 omnes *P 1 m.* internos *P 1 m.* 10 egerit *F* 11 accommodare *VF(Γ)* credidistis *F* 13 necesitatem *V* sique *P 1 m.*

18 *om. VM* 19 *fort. scrib.* inpertiat 20 te *om. V* possim *Iuretus* 21 fortune *P 1 m.* 22 inuiter ad obsequia] *ego*, inueteralo (?) obsequia *P 1 m.*, inueterato obsequio *P 2 m. VM* 23 induamus] *P(Γ)*, induatur *VM* 24 operae *Mommsen*, oneris *Mercerus* sella *V* 25 fati] *P*, satis *VM* 26 dequoquere *P* 27 merorae *P* solidandi *V* 28 inmaturae *P* *lacunam indicavi. sensus hic fere fuit:* si illis tam inmaturae mortis luctibus peregrinationis meae cura iungatur 31 uoluisse *V*

CII (LXXXXVI).

SYMMACHVS SYAGRIO. *PVM*

Mediolani te agere ante litteras tuas fama pertulerat, quae nihil ignorari de conspicuis viris patitur. sed quid iuvat desiderantes, quod pervectus in proxima nobis negaris? aequius ferebam longinquam tui separationem; spes enim praesentiae tuae magno intervallo negata cessabat. nunc expectationem nostram viciniae facilitate sollicitas, nec te excusare collegis interventus Alpium potest, eo quod iustior nobis ad querellam facta est via, qua tibi ad veniam causa deterior. sed dolori meo faciendus est modus. saltem posthac epistulae tuae Romam frequentent Hyblae aut Hymetti favis iucundiores, quarum me in maximo fenore perceptio iuvat. solutio defetigat. vale.

CIII (LXXXXVII) a. 381.

SYMMACHVS SYAGRIO.

Quidquid in praesentes muneris contulisti, officio eorum videtur esse delatum: nos, qui consulatui tuo varia occupatione defuimus, amicitiae honore adfecti sumus non mercede praesentiae. ago igitur tibi *pro* oblatione consulari gratias uberes, sed pro bona mente maiores, et nisi verecundia tua verbis meis poneret modum, latius evagarer; atque ideo erit de hoc sermo interim parcus, memoria vero prolixior.

CIIII (LXXXXVIII) ante a. 381.

SYMMACHVS SYAGRIO.

Tuae equidem virtutis est omnes, qui palatinis stipendiis enitescunt, iuvare praesidio: sed specialis a me viro optimo Romano cura debetur amicitiae gratia, quae inter nos longa adolevit aetate. quare si quid testimonio meo tribuis, nolo dubites, dignum esse, quem diligas, et quem maximis officiis munereris. certe si examen de eo habere digneris, pronuntiabis meis litteris defuisse, quae in illius meritis invenies redundare. vale.

CV (LXXXXVIIII) a. 376?

SYMMACHVS SYAGRIO. *PVF*

Ne me otiosum penitus arbitreris, committo eruditioni tuae vigiliarum mearum testem libellum, quo nuper in senatu sustuli civium secunda suffragia. vides, quo

---

2 *om. VM* 3 mediolaniae agere *V* 4 perfectus *V*, profectus *M* 5 tui rationem *P* 7 collegis] *P 1 m.*, collegiis *P 2 m.*, sodalibus colligis *V*, sodalibus *M* eoque *M* 8 quam *P*, quia *V*, quo *M* 9 posthac] *P*(*Γ*), posthaec *VM* epistolae *P* hyble *P*, *///*biblae *V*, ille *M* inhumecti *V*, thimeti *M*

12 *om. VM* 13 in praesenti *corr. ex* in praesentē *P*, in praesentis *V*(*Γ*), presentibus *M* 14 consulatuį *P* 15 pro *inser. Latinus Latinius*, *om. PVM*

19 *om. VM* 20 enitiscunt *V* 21 specialis *corr. ex* speciales *P 1 m.* internus longa *P 1 m.* 22 meo *om. V* 23 dę eo *P 1 m.*

27 *om. VF* 28 me tuarum *V* 29 tristem *VF* quo] *Γ*, quod *PV*, quem *F* sustulisti *F*

PVF praeiudicio antevertam gravissimi examinis tui severitatem. non stili mei praetendo meritum sed ordinis iudicatum. communis mihi et auditoribus meis causa est. scient omnes aut consensum tuae de nobis sententiae aut contumelia*m* suae. vale.

CVI (C).

PVM SYMMACHVS SYAGRIO.

Possem aliquid de vestris amicitiis aestimare. hinc spes oritur amicorum meorum, quae Theophilo clarissimo viro tuam opem de meo sermone promittit. quid igitur eius commodo velimus, in aperto est. effice, oro te, ut eum fiducia mei non videatur esse frustrata.

CVII (CI) a. 380—382.

PVF SYMMACHVS SYAGRIO.

Alexander vir ornatissimus sortitus provinciam praesidalem putat honori suo incrementa praestari, si tuo amore potiatur. quare desiderii sui me adscivit interpretem, sciens apud te tantum loci esse litteris meis, ut haec commendatio maximi testimonii instar habeatur. vale.

LIBER SECVNDVS.

AD FLAVIANVM.

I ante a. 395.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Hic ille est Paralius, cui accusator pater, quantum discriminis movit, tantum laudis paravit. multis enim quaestionibus et, quod est potissimum, principis ore purgatus senator arguere non potest parentis impiam voluntatem, quae illi praestitit innocentiam clariorem. hunc si amare postulas, imperatoris nostri testimonium lege, ut advertas feliciter factum reum, quem sic videas absolutum. vale.

II ante a. 395.

PVM SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Taceat prodiga laudis vetustas, quae Apelle*m* et Zeu*x*in vel *h*orum similes, ut quemque aetas tulit, voluminum honore dignata est. mihi erga Lucilli praedicationem

1 gratissimi *VF* tuae *V* 3 contumeliam] *Lectius*, contumeliae *PVF*

5 *om. VM* 6 posse aliquid amicitiis aestimor *Iuretus; fort.* posse me aliquid de uestris amicitiis aestimant 7 clarissimo tuo uiro (uiro tuo *2 m.*) tuam *V* 9 frustrato *V*

11 *om. VF* 13 desideriis *P*

16 XIII. q̄ aur̄ symmachi. uc̄. lib. I. explic̄. incipit eiusdem lib̄ II. ad flauianum *P*, *om. VF* 18 *om. VF* 19 est ille *F*

25 *om. VM* 26 appellem *M*, appellent *V*, appellant *P* et zeuxin uel horum similes] *Cuiacius*, et gens in bellorum similes *PV(ΓΦ)*, et id genus inbellorum silens *M* 27 quem *V* dignatum *V* ergo lucilli *P*

sermo parcior, fides maior est. quid enim iuvat indulgere verbis, cum rem liceat experiri? sit igitur de hoc tua existimatio, qui bonarum artium spectator semper fuisti; ego Lucillum modestiae merae atque honestatis adstipulor. videturne tibi dignus esse, quem diligas, cuius gravitas sponsore me nititur, ars et eruditio te ipsum iudicem non veretur? vale. *PVM*

III ante a. 395.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI. *PVF*

Fratrum negotia velle cognoscere pia et honesta curatio est. libens igitur respondebo quaesitis. Coram multo imbre pervenimus. hic triduum commorati ad levandum laborem Terracinam prius et postridie Formias continuato petemus excursu. fors fuat, an possit biduo tenus eiusdem nos praedii annona retinere. vos interea peracto, quod Romae agere destinastis, Appiam diis auspicibus inchoate ea dimensione, ut iter nostrum proximis vestigiis urgueatis. vale.

IIII a. 383.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI. *PVM*

Volo quiescas et curarum vacuus otieris. nam mihi vir honestus Antonius fecit indicium, legationis Africanae consilium torpuisse. accessit ad fidem nuntii, quod nihil ad me super hoc negotio recentes amicorum litterae pertulerunt. num est aliud, quod scire postules? immo vero, ut mea fert opinio, vel primum hoc tibi debuit indicari.
2 ubi e Cumano navem solvimus paene albente caelo, maiore ope remigum quam ventorum favore Formianum litus accessi; iam sol meridiem fregerat. amicorum, quos minor navis accepit, tardior navigatio fuit, incertum vento obstante an per neglegentiam ministrorum. haec interim ratio scribenda suggessit. curabo, ut frequentibus litteris merear de te similis officii diligentiam.

V a. 383.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Delati Formias post multam partem diei, cum vos eius rei sollicitos crederemus, percontationem vestram scriptione praevertimus. nec vos magis de navigatione fuistis anxii, quam trepidabamus nos, ne diu essetis incerti. quod igitur responderi posset litteris vestris, prior sermo consumpsit. nunc aestimate, quanto nostra de vobis melior fuerit iudicatio quam vestra de nobis. contemplati enim sumus magnitudinem sollicitudinis vestrae, priusquam litteras mitteretis, cum vos eas ideo miseritis, quia scripturos nos nisi admonitos non putastis. vale.

---

3 merae] *Iuretus*, meae *PV*   4 sponsorem enititur *P 1 m. VM*, sponsorem nititur (*ΓΦ*), sponsore me enititur *P 2 m.*

7 *om. VF*   8 pia et (a et *in ras.*) *P*   9 quae satis *P 1 m.*   Coram] *ego*, capuam *PVF; de Symmachorum praedio Corano cf. I 8; VI 61*   10 petinimus *P 2 m.*   11 fuit *V*, flat *F*   pacto *F*

15 *om. VM*   16 ociens *V*   20 remigium *V*   21 *praetulerim:* Formianum litus accessi, cum sol meridiem peregerat   24 uale *add. VM*

26 *om. VM*   28 praeuereimus *V*, preuenimus *M*   29 nos trepidabamus *P*   ne diuersetis *V*, ne diuersum iremus *M*   32 qua *P 1 m.*   33 putatis *VM*

VI a. 383.

PVF SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Emensi haec quoque litora, quae post Formias in Axyrim porriguntur, navem ac remiges non moramur. sed diis opus est, ut hic reditus noster nihil reperiat paenitendum. frequens enim sermo est, tenui victu in turbas plebem moveri, nec ulla spes
2 datur, praesentibus angustiis copiam posse succedere. annus ubique ad famem proximus; classis in alios conversa cursus; aestas prope decessit autumno. diis me hercule, ut praefatus sum, deleganda est huius incerti administratio; hominum autem remedia diu dissimulata iam sera sunt. vos valete et litteras sperate meliores, si fortuna urbis nostrae secundis amara mutaverit. vale.

VII a. 383.

PVM SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Fortunatum te cumprimis hoc in tempore iudicarem, quod exemptus patriae incommodis otiaris, nisi scirem bonos cives et tui similes gravius adversa ferre, quae non vident. ea quippe rerum natura est, ut quidquid ab altero cognoscitur, asperius et maius habeatur. adde, quod integer animus putat innocentiam suam minui, si
2 periculosis desit suorum. haec ego, non ut celerem reditum tibi suadeam, sed ut noveris in communibus malis nihil esse, quod *properes*. quid enim iuvares curam publicam, quamquam omnium prudentissimus, si redires? iam primum consilio locus nullus est, dum in deliberando persona censentium pondus sententiis facit. quando resistitur potiori, quando ceditur pari? dehinc praesens status non sapientiam sed
3 fortunam requirit. defectum timemus annonae pulsis omnibus, quos exerto et pleno ubere Roma susceperat. fac, ut his remediis convalescamus: quanto nobis odio provinciarum constat ista securitas? dii patrii, facite gratiam neglectorum sacrorum! miseram famem pellite! quamprimum revocet urbs nostra, quos invita dimisit! plura tecum loqui, quam necesse est, de adversis communibus non libet. cura ut valeas, et quidquid humana ope maius est, diis permitte curandum.

VIII a. 382.

PVF SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Redditae sunt mihi primae litterae tuae tam breves, tam festinatae, ut iter tuum viderentur imitari. sed si mihi credis, non est in illis desiderata prolixitas. omnia enim, quae de amplitudinis tuae prosperis nosse cupiebam, succincta enumeratione conplexus es: quanta valetudine vigeas, qua celeritate pervectus sis, quid in aeterno principe serenitatis inveneris. ausim dicere, uberiorem rebus quam verbis fuisse illius

---

2 *om. VF* 3 quoque haec *F* cyrim *P* porriguntur] *P 2 m. F*, proriguntur *P 1 m. VΓ* naues *F* 4 remiger *V* morantur *F* sediis *P* repperiat *P 1 m. V*, inueniat *F* 6 ad famem proclinus *Gruter*

12 *om. VM* 17 periculosis *P*, periculis *VM (Γ)* 18 noueri *V* properes] *Mommsen*, praeferas *PVM* iuuares *om. P 1 m.* ouram *V* 20 personam *P 1 m. V* 25 famam *V* reuocet urbs] *VM*, reuocetur *P* 27 uale *add. VM*

29 *om. VF* 33 uigeus *P 1 m.*, uigeres *P 2 m.* celebritate *F* perfectus *V*, prouectus *F*

epistulae paginam; *t*am multa erant, quae gaudere deberem, cum essent pauca, quae legerem. *PVF* tu tamen post haec memento, etiam familiares chartas rigare facundiae 2 tuae copiis. neque enim te exhaurit, quod adeuntium preces indefesso absolvis adfatu, quod venerandi principis mentem loqueris oraculis. sint ista prima nec tamen sola. tantum namque publico usui a te patior inpendi, ut nihil solaciis meis detrahat.

VIIII ante a. 395.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI. *PV*

Et tui cultus et mei officii gratia quaelibet ad scribendum amplectenda esset occasio; tantum abest, ut eam praeterire debuerim, quam civis ingessit. agnoscis enim de septem montibus virum et domi cognitum bonitate generis et foris aetate militiae. pro quo mihi apud te loqui longum non est necesse. commendatio enim praestari debet incognitis, huic vero ad conciliationem gratiae tuae sufficit, quod et Romanus et amicus est.

X ante a. 395.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI. *PVM*

Iustitia quidem suffragium non requirit, sed amicitiarum plerumque respectu causarum celeritas adiuvatur. quorsum istud, inquies? ut noverit eximia dignatio tua, sperare quidem virum laudabilem Carissimum ex comitibus de negotii qualitate, quod optatum exitum pos*s*it adipisci, sed intellegere, cessurum sibi aliquid ad promerendum studium cognitoris, si meis litteris fulciatur. quaeso igitur, ut eius, quem fraterna adfectione conplector, orata promoveas. quae ideo commendanda suscepi, quia mores petent*is* expendens aequa esse praesumpsi.

XI ante a. 395.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Ad idus Novembres Romam regressus — nam te quoque idem putavi esse facturum — adventum tuum inpatienter opperior. et sane scio litteras meas tibi haud longe ab urbe reddendas. nam sanctus Patricius, quem praesulem itineris tui esse voluisti, brevi te adfore nuntiavit. dii vertant bene! pro tempore pauca libavimus, sed fabulis plura servamus.

---

1 tam] *Scioppius*, iam *PVΦ*, nam *F* 2 posthac *P 2 m. F* cartas *PVF* 3 exhauserit *F* adenuncium *V*, cupientium *F* 4 quid *P* mente loqueris et *F* sunt *F* 5 namque] quae sic *F* 6 detrahas *VF*(*Γ*) uale *add. V*

8 *om. V*, *totam epistulam om. M* 10 ciues *PV* 11 reptem *Γ*, septe *PVΦ* mentibus *P* 13 incognitis (in *in ras.*) *P* 14 uale *add. V*

16 *om. VM* 20 possit] *M*, poscit *PV* *fort. scrib.* accessurum 23 mores] *Cuiacius*, maiores *PVM*(*ΓΦ*) petentes *PV*, petente *M* uale *add. VM*

25 *om. VM* 27 aut *P 1 m. V* 29 breuitate *V* nuntiabit *P 1 m. V* 30 uale *add. VM*

XII ante a. 395.

PVM SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Spatiari in foro urbis nostrae post acceptas a me litteras plerosque cognovi, et sic nimis vereor, ne quid in nos fraudis admiserit simulata ante properatio. merito a*p*ographa epistularum mearum simulque hominum nomina vel legenda tibi vel relegenda subieci. tu vicissim de singulis mihi aut impleti officii fidem nuntia aut violati prode perfidiam. non minore sane cura cupio cognoscere, an omnes obsignatas epistulas meas sumpseris eo anulo, quo nomen meum magis intellegi quam legi
2 promptum est. nihil autem fuisse, quod metuam publicari, decursis exemplaribus iudicabis. nec est ulla inter nos causa secreti. aperto pectore officia pura miscemus. nihil in conscientia latet, quod scriptorum cuniculis occulatur. sed aequum est, ut simplicitati nostrae non sinamus inludi. neque enim diligentia mea debet admittere proditorem, quia cautio praestitit, ne timerem. vale.

XIII a. 389.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Cum civiles et bellicas laudes domini nostri Theodosii stili honore percurrerem — magis enim contigisse me omnia quam satisfecisse singulis fateor —, etiam leges eius bonis pacis adiscui, quas ut noveram priscis ademisse admirationem, ita reservasse nobis parem gloriam non putabam. verum haec recens sanctio de fideicommissis et codicillorum commodis ab optimo principe in aeternum repudiatis tantum claritudine egreditur lucem superiorum, quantum augustius est regen*ti* s*ibi* quam subditis modum
2 ponere. atque utinam privata avaritia mentem latoris intellegat et mores de legibus trahat! neque enim latet, quid sponte ceteros velit facere, qui suspecta conpendia primus exhorruit. ego certe vereor, ne improborum sitis ad se existimet pertinere quaestum caducum fiatque innocentium causa deterior, si ad eos tantum falsi redeat occasio, qui neque lege neque pudore cohibentur. ergo quia dominorum condicio
3 restricta est, privatis cupiditatibus medicina iuris occurrat. frigent ia*m*diu apud homines criminosos vetera decreta, quorum vigor cum latoribus suis occidit. tantum denuo legibus severitatis addendum est, quantum flagitia creverunt. alioquin, si maioris partis deseritur emendatio, frustra se asperis sanctionibus solus imperator adstrinxit, qui semper bonus et integer moribus fuit. vale.

19 Cod. Theodos. IV 4, 2 dat. Mediolani X k. Febr. Timasio et Promoto coss.

---

2 *om. VM* 3 et sic] *ego*, etsi *PVM* 5 aprografa *P*, ac prografa *V*, ac pro gracia *M* 6 subiectu uicissim *V* fide *P 1 m. V* 8 summiseris *V*

15 *om. VM* 16 theodosi *P 1 m.* 17 legis *PV* 18 ei *P* pacis (cis *in ras.*) *P* adimisse *P 1 m.* seruasse *VM* 19 nonis *Iuretus* fidei commisisset *V* 20 ab *om. P*, *fort. scrib.* optimo principi 21 regenti sibi] *Iuretus*, regendis *PVMΓΦ*, regiis *Mommsen* 22 latores intellegat *P 1 m.*, intellegat latores *V* 23 lateat *V* suspecta] *P*, suscepta *VMΓΦ* 24 ergo (*Γ*) satis *P* 27 iuris *in ras. P* frigent iamdiu] *Iuretus*, frigentia diu *PVM* 28 criminosus *P 1 m.*

XIIII ante a. 395.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI. *PVM*

Aurelianum filium meum, qui nunc cohortes urbanas gubernat, in amicitiam te iubente suscepi. unde factum est, ut ei commendationem, quam prius de te meruit, non negarem. neque enim tibi videtur oneri fore, quod ipse fecisti. petitio autem pudentissimi iuvenis de infortunio soceri sui nata est, cuius iste non factum tuetur, sed lapsum desiderat sublevari. facito, quod soles, rogantis intuitu, et si quid negotio iustitiae deest, remitte pietati. vale.

XV ante a. 395.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Modestissimis et tui amantibus viris Marcello et Romano magis ex usu amicitiae quam in effectum commendationis litteras dedi; nam qui*d* apud te adicere*m* iam probatis? nosti hominum verecundiam, dilig*i*s studia, de officiorum veritate non dubitas. quis ergo locus testimonio meo superest, cum tuo de illis iudicio nihil possit accedere? et tamen, si cumulum sibi addi plen*a* patiuntur, quaeso intellegant, meis precibus auctam circa se tuam gratiam. ita fiet, ut mihi quoque acceptum referant, quod ipsi a te sine adstipulatore meruissent.

XVI ante a. 395.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI. *PVF*

Si necdum filii mei Nicasii laudabiles mores et honestum institutum didicisti, accipe pro eo locupletissimum vadimonium, meum Promotum virtute et humanitate conspicuum, cui iamdiu praenota*b*il*i* familiaritate sociatur, et bona optimi iuvenis de illius expende iudicio. iusta enim coniectura est, quae de amicorum pondere et aestimatione colligitur. nam meae adstipulationis minor causa est, cum superioris persona praeponderet. cuius honori tribuendum est, ut a te non ut novus subdendus examini sed ut iam probatus habeatur.

XVII a. 382.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI. *PVM*

Solet generalem salutationem familiaris sermo praemittere. hanc ego impensius tibi voto optare studeo quam stilo dicere. ergo ad vicem verborum sollemnium scitu digna conplectar. filii nostri in sinu aviae etiam nunc morantur. da veniam, si annis

---

2 *om. VM* 3 cohortis *P* 7 solis *P 1 m. V*
10 *om. VM* 12 quid] *M*, quia *V*, qui *P* adicerem] *Iuretus*, adicere *PV*, adiceretur *M* probastis *V* 13 nostis *V* uerecundia *V* diligis] *ego*, diligens *PVM* 14 accedere] *P 2 m.*, adcidere *P 1 m.*, accidere *V*, adici *M* 15 muculum *V* plęna *M*, plenum *PV* 16 cirsa *V* tuțam *P* 17 uale *add. VM*
19 *om. VF* 20 nicasi *PV* 21 pro eo *om. Γ* 22 praenotabili] *ego*, praenotalis *P*, praenatalis *VF*, natalis *ΓΦ* iubenis *P 1 m.* 25 est a te *P* exanimi *P 1 m.* 26 uale *add. V*
28 *om. VM* 29 mittere hanc — 30 studeo quam *om. P 1 m.*

PVM gravis et interim solacio tuo carens femina tenaciter retinet secundum levamen aevi
2 ac solitudinis suae. nos tamen alteri eorum viae instrumenta, alteri in societatem consilii comitem praeparamus. tibi peregrinationem senio esse, invitus audivi vel, quod est dictu dignius, parum credidi, cum patriae bona et pignerum gaudia in optimi principis dignatione possideas. quare abice Baianas cogitationes et virtuti infructuosam quietem. omni otio labor hic tuus laetior est. amplectamur moneo sub amante militiam. vale.

XVIII a. 382—383.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Ita votis in te meis felix eventus adrideat, ut ego graviter fero fratrem Hephaestionem per te mihi cognitum, per se probatum nescio quid amaritudinis incidisse. et quia virtutum tuarum contemplatio facit, ut illius fortunae adplicem, quod apud te minore momento est, ad preces versus, ut tibi respondeas famamque cogites, rogo.
2 praesta hoc contubernio, praesta iudicio tuo, ut tibi non desit patientia, si illi modus defuit. nolo videaris despectu amici satisfacere cuidam nuper Romam regresso, cuius apud nos querella auxit gloriam tuam. certe Eusebius medicorum potissimus obsequio tuo a me traditus et ad leniendas oportunus offensas iam poterit amara condire: de cuius facetiis duo spondeo, nec Hephaestioni temperamentum nec tibi defuturum esse solacium. vale.

XVIIII a. 382—383.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

En tibi filium nostrum, quem solacio decerpsimus nostro, dum desiderio tuo cedimus. tandem fultus caro levamine redi in gratiam *cum* priore laetitia. sed si accedis sententiae meae, ubi primum animum paternum visu pignoris foveris, utilia antepone iucundis iuvenemque nostrum ad civiles fasces contende dimittere. quo tibi in castris? coram duobus haec mei consilii forma est; facies ipse, quod prudentia maiore delegeris. plura enim videt, qui coram de rerum condicionibus iudicat. ego quod loquor, votum est: tu de adpositis adsume iudicium. vale.

XX a. 382—394.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Succurre fidei, quae officiis amicorum debitorem me diutius esse non patitur. fratres mei Romanus atque Magnillus clarissimi viri iamdudum me religionis meritis nexuerunt, et quamvis praemia non reposcant, quae solet minor expectare fortuna, acrius tamen animum meum †saepius honestate conveniunt. mentiar, si mihi ad

4 pignorum *VM* 5 possideat *P* 6 //labor *P* laetior est] laetiores *V*, preciosior *M*
9 *om. VM* 10 efestionem *PV*, efestiuatione *M* 14 praesta *corr. ex* presto *P 1 m.* 18 efestioni *P*, effestioni *V*, effectione *M*
21 *om. VM* 22 E//bi *P* 23 cum *addidi, om. PVM* laetitia tenti sed *V* accidis *P 1 m. V* 24 ubi] tibi *V* usu *V* 25 iuuenem *V 1 m.*, que *add. 2 m.* demittere *P 1 m. V* quo] *P*, quod *VMΓΦ* 26 coram] *P(Γ)*, curam *V(ΓΦ)*, cura est de *M*, *hoc quoque loco lacunam latere suspicor, quam explererim hoc modo:* quo tibi in castris cor anxium de duobus? haec *et q. s.* deligeris *V*
30 *om. VM* 31 saepius] *PVM*, *fort.* obsequii?

praestandum deesse tempus allegem, quia potentia mea de tui honoris viribus aestimatur. fac oro,, ut effectu honoris sui sentiant, pro concordia, quae mihi tecum est, quidquid defertur uni, ab utroque deberi. *PVM*

XXI ante a. 395.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Officii mei ratio suasit, ut scriberem, quando ea est persona litteras redditura, ut plus de iudicio tuo quam de meo speret auxilio. itaque omnia, quae mos est litteris explicare, ipsi potius narranda delego, a quo amplitudo tua, et quae de me cognitu digna crediderit, et quae ipsius fortuna poscit, accipiet.

XXII a. 382—383.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI. *PVF*

Reparationem . . . . iamdiu corpusculi mei valetudinem, si frui agrorum salubritatem potuissem. sed nunc intuta est latrociniis suburbanitas, atque ideo praestat macerari otio civitatis, quam pericula ruris incidere. tuis tamen litteris proficere sanitatem meam sentio, quibus beneficia domini nostri Theodosii frequenter enumeras et urgueri merita tua magnis praemiis adseveras. et illi quidem ad agendas gratias 2
tua lingua sufficiet: ego pro mediocritate ingenii mei viro excellentissimo nostrique in Flavianum voti socio vicem laudis exsolvi. sed iam tempus est, ut ipsum illum redire patiaris, pro quo obligati sumus. quousque magistratum longinquae provinciae solacio tuo vindicas? nulla de uxoris utero causatio est, cuius expectationem maturus partus absolvit.

XXIII a. 382—383.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI. *PVM*

Putabam tot monitis atque exhortationibus meis aliquid animo tuo accessisse tolerantiae, *at* enimvero etiam reverendas necessitudines nostras peregrinationis conquestione sollicitas. sed quid promovet ista confessio? non ferunt inpatientiam tuam, quibus reditus in voto est. vident enim sub quibusdam aemulis civibus excessum celerem nihil laudis habiturum. quin adsume constantiam, et quid deceat magis, quam quid libeat, expende, praecipue cum ipse fatearis, in amore domini nostri Theodosii venerabilis principis omnium te carissimorum pignerum gratiam repperisse.

---

1 aestimatus *V* 2 c̄concordia *V*

5 *om. VM* 9 reddiderit *VM FΦ*)

11 *om. VF* 12 reparationem********iamdiu *P*, reparassem iamdiu *VΓ*, sperassem iamdiu *F* 13 salubritate *VF* potuissem] *VF*, potiri *P* 14 odio *Φ* quan *V* periculis *F* tuis] uel uis *V* 16 urgueri *P* adseueras magnis praemiis *V*, magnis asseueras praemiis *F* ad] *P*, cum *V*, cum ad *F* 17 sufficiat *F* 18 sotio *P 1 m.* 20 tua uuindicas *V*

23 *om. VM* 24 accesserit *Γ* 25 at enimuero] *ego*, enimuero ut *PVFΦ*, enimuero *M* etiam *euerendas *P 1 m.* conquestiones *V* 26 fuerunt *V*, fugerunt *M* 27 ualent *P* sub] scilicet *Latinius* quibus aemulis *P 1 m.* excessu incelerem *P* 29 factoris *V FΦ*, feceris *M* 30 te *om. V* uale *add. VM*

XXIIII a. 383.

PVM

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Simplicinm agentem in rebus paene in porta Flaminiae retentavi, ut ad te pauca et non omittenda dictarem. filius noster Flavianus Romam pridie Kalendas Martias venit, et brevi iter in Asiam secundis auspiciis ordietur, quod ideo par fuit indicari, ut sollicitudinem, quam de mora eius hucusque tolerasti, spes promissa detergeat. vale.

XXV ante a. 395.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Abundas quidem consiliis in omnem rei usum paratus, et sapientiae cultus artibus monitore non indiges: sed fas est, ut †a meas quoque vigilias aliquid privatis negotiis tuis conferri patiaris. quare si quid praemeditatum utrique nostrum stilus fraternus ingesserit, constantius exequere tamquam duobus probatum; si quid tibi adhuc novum legeris, a te inventum puta, quod ab amante suggeritur. subieci capita rerum, quia conplecti litteris fastidii fuga nolui. tuum erit insinuata trutinare. ita enim meo officio functus sum, ut tibi iudicium reservarem. vale.

XXVI a. 385?

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Baiarum solitudine vehementer offensus Puteolis malui commorari. iuvat enim nos istius loci salubris habitatio. dehinc, si adiutu dei optata processerint, Capuam paramus excurrere totumque hunc mensem Novembrem diversis Campaniae locis atque
2 urbibus deputamus. haec est nostri summa propositi. sed ut animus alacrior destinata promoveat, vestris adloquiis erigendus est; quandoquidem sanitatis vestrae et felicitatis indicio nihil antiquius aestimamus. verum hoc pro insigni religione sponte facietis, atque ideo non est necesse voluntariis officiis aculeos exhortationis adhibere.
3 interea quod te, mi frater, adfore polliceris, vehementer amplector. atque utinam te domus tota comitetur! ut et nobis laetitiam pleniorem tribuat adventus omnium, et tibi causa non sit citius in patriam recurrendi desiderio et amore remanentium.

XXVII a. 365—366?

PVF

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Quamvis litteras meas fama praevenerit, quae exoneratum te publicis necessitatibus nuntiavit, tamen quo fidelior esset adsertio, scriptis confirmo rumorem. sed licet publicae rei absolutione laeteris, volo te adversum incerta muniri: videlicet ut sub

---

2 *om. VM* 3 poene *P* portam *P 1 m. V* 5 breuiter *V*, in breui *M* fit *V*
8 *om. VM* 9 rei usum] *P 2 m. VMΦ*, re -sum *Γ*, re iussum *P 1 m.* 10 non *om. P 1 m.* ameas] *P 1 m.*, admeas *P 2 m. V*, meis *Φ*, uigilans *M* uigiliis *Φ*, *om. M* 11 conferre *Φ*, ut meas quoque uigilias aliquid priuatis negotiis tuis conferre patiaris *cod. Cuiac.*, *fortasse* ut a me, sis, quoque uigiliarum aliquid *et q. s.* 13 subiecit *V* 14 fugam *P* 15 reserualem *P 1 m.*
17 *om. VM* 18 uehemter *P* offensis *V* 19 diei *V* 21 nostri] *VM*, enim *P* 23 pro] oro *VM* insigna *P 1 m.* 24 adibere *P 1 m.* 26 pulcriorem *V* 27 uale *add. VM*
29 *om. VF* 30 exhoneratum *P*, exhonoratum *V* 32 laeteris] litteris *P 1 m.*

actorum confectione vel tuorum, si adhuc retines potestatem, vel vicariae praefecturae, quae tibi poscenti aequa non deerit, diligentiae tuae ratio digeratur, quae possit ostendere, quot numero animalia conlocaris, et quo apparatu instruxeris mansiones, et quantum in titulis fiscalibus exigendis tua cura promoverit. hoc enim testimonio adversum omnes vel fortuitas querellas vel adfectatas insidias protegeris. *PVF*

XXVIII a. 389?

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI. *PVM*

Argue, ut vis, rerum consilia post exitum et mihi vitio verte, quod contemptum sui praefectura conquesta est. facile accusatur desertus auxilio; atque ideo in me recipere malo erroris confessionem, ne aut amicos neglegentiae aut adversatos asperitatis incessam. fuerit fortunae non conscientiae meae, ut victus viderer, qui needum coeperam litigare. at etiam scribis, causis similibus abstinendum. vides, quantum liceat eventui. oblitus es morum meorum. ego vero solitae verecundiae ignavum quoque iungam timorem et litteris tuis agam gratias, quae me deposita iuris et amicorum fiducia ad omnium iniuriarum silentium cohortantur.

XXVIIII ante a. 395.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI. *PVF*

Pro optimis viris quisquis intervenit, non magis illorum videtur iuvare commodum quam suum commendare iudicium. quare in eo, quod fratris mei Maximi desideria litteris prosequor, non tam illi usui *sum*, quam mihi laudi est. est enim vita atque eruditione liberalium disciplinarum pariter insignis neque ulli praestantium philosophorum secundus ac propterea tua familiaritate dignissimus. cuius tibi negotia cum in rem missus absolverit, quaeso, ut humanitate, qua clarus es, iustas petitiones ingravato auxilio prosequaris.

XXX a. 389.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI. *PVM*

Quo animo acceperim Siciliense negotium vulneratum, facile coniectas, qui me noveris, in alienis quoque iudicatorum iniquitate morderi. quin etiam consilii a te inprudentis accusor ob amissam . . . . recte agis! cur enim speravi contumeliam sacri auditorii vindicandam? cur de amicis legitima et iusta praesumpsi? et quo redacti sumus! iustitiam perdidi, dum expecto vindictam. iam illud quo pacto diluam, 2
quod Probus mitior iudicatur, qui in praeiudicium vel invidiam possessionis meae

---

2 poscentiae aqua *V* 3 quot] quod *P* 5 omnes fortuitas *F* uale *add. VF*
7 *om. VM* 8 contemptu *P 2 m.*, contemptis *P 1 m.* 9 suiṣ praefecturaẹ *P* accusatus *V* 12 ad *P 1 m. V* uideo *Suse* 13 uero *om. V* 15 coartantur *V*, coartant// *M* uale *add. VM*
17 *om. VF* 19 in eo *delet Mommsen* quid *P 1 m.* fratres *V* 20 illi usui sum quam] *ego*, illius uiquam *P*, illius inquam *V*, illius quam *F* meae *F* laudis *VF* 22 praeterea *P 1 m.* cum admissus *F*
26 *om. VM* 29 amissam recte *PV*, amiss. recte *Γ*, amisan recte *Φ*, amissa recte *M* 30 auditorii] *M*, auditoris *P*, auditoris *corr. in* auditorii *V* psumsi *P* et quo] *PVMΓΦ*, en quo *Iuretus* 31 diligam *V* 32 pro bubus *V*, improbus *M* qui in] quin *V*

PVM parvi agelluli retentione recessit, cum illi tota mulierculae promitteretur hereditas? nam referendi haec sola praefecto urbis ratio fuit, non ut receptarum appellationum poenam Siciliae rector exsolveret, sed ut iniuriam suam sacri auditorii cognitor vindi-
3 caret. nunc rescriberetur in causam post victoriam meam contra sententiam praefecturae, cui pars adversa consentit, si relatio ad fortunam negotii pertineret et supplementa vel re*f*utatorios iurgantes dedissent. rogo, de quibus actionibus iudicabitur? quas in Sicilia post appellationem meam pars una deprompsit? quibus tyrannicorum temporum gesta sociata sunt? tanti est invidia mei et grata est aliquibus nostra re-
4 prehensio? cede adversantium voluntati et domino nostro invictissimo principi Theodosio semper Augusto dignare suggerere, non pluris apud me divitias valere quam famam. bonum de me iudicium parentis publici conservatoris mei cuivis antepono patrimonio. si placet, ut omni mea hereditaria possessione decedam, lex mihi erit, quidquid omnium dominus placata auctoritate censuerit.

XXXI SYMMACHVS HOC MANV SVA SVBTER ADIECIT: Scio te amicum iustitiae et amantem mei, et vereor, ne suscipias ullum pro absentis existimatione certamen atque in te aliqua odia detorqueas. peto igitur, ut quiescas. erit fortasse copia mihi adserendae quandoque apud aeternum principem dominum nostrum Theodosium veritatis, cuius erga me favor fecit, ut aliquid interim moliretur invidia. non puto eam causae meae bonis temporibus condicionem futuram, quae sub tyranno fuit, cuius litteris ad Marcellini suggestionem datis homines meos scis esse multatos. quod in panegyrici defensione non tacui.

XXXII a. 389?

PVF SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Reddet tibi litteras meas, qui tuas mihi debuit exhibere: neque enim nobis eadem silentii excusatio, quae tibi suppetit. te multiplex actuum publicorum cura circumsonat: ego ab negotiis omnibus feriatus triste otium tero, et quod tui honoris gratia ante faciebam, nunc meo adsumo solacio. levatur quippe aegritudine animus, quotiens in officia amica dirigitur. me ex vero non ad gratiam meam loqui, secessio mea
2 testis est. nam cum dolore saucius aestuarem, sedem dominae meae communis parentis quasi fanum aliquod dei salutaris accessi. nunc ex eius consilio in cicatricem vulnus meum convenit. illius adquiesco monitis, ex illius ope respiro. adsunt etiam ceterae venerabiles necessitudines tuae, et quod me prae ceteris iuvat, tui cottidie blandam commemorationem sermo noster exercet. qua de re intra Campaniae terminos maior mihi pars ae*s*tatis agitabitur, quando et praesentia place*n*t, et ea con-

---

1 retentionem *P 1 m. V* cessit *Scioppius* promitteretur] *Lectius*, praemitteretur *PV*, permitteretur *M* 2 praefecta *V*, profecto *P 2 m.* orbis *P* 3 auditoris *P* 4 nunc rescriberetur *om. VM* *fortasse:* nunc rescribetur in causam post uictoriam meam contra sententiam praefecturae, cui pars aduersa consentit, quasi relatio ad fortunam negotii pertineret *et q. s.* 5 et *om. VΓM* supplimenta *P 1 m.* 6 refutatorios] *Iuretus*, reputatorios *PVM* 10 plures *P 1 m. V* 11 cuius *VM* 12 omni mea] *Φ et in ras. M*, omnem mei *V*, homines mei *PΓ*, hominis mei *Mommsen* hereditaria] *PΓΦ*, hereditariam *M*, hereditariam *V* possessione] *ΓΦM*, possessionem *P*, possessionem *!...! V* decedam] *PVMΦ*, decedant *Γ* 13 uale *add. VM*

14 Symmachus — adiecit] *PΓ*, *om. VM* hic *Γ* manum *P* 19 conditionem *P 1 m.* sub] stili ? *P 1 m.* 20 scis esse] scisse *P 1 m.* 21 uale *add. VM*

23 *om. VF* 26 gero *F* 27 leuatus *P* 28 gloriam *F* 30 accessit *P* in] an *V* uulnus meum in cicatricem *F* 31 ope] *P 2 m. F*, opere *P 1 m. VΓΦ* 32 cottidie *P* 34 aestatis] *cod. Pithoei*, aetatis *PVF* agitabatur *Γ* et *om. F* placent] *Suse*, placet *PVF*

dicio est patriae. ut qui excludi per inprobos possumus, abesse interim velut ex nostro arbitrio debeamus. vale. PVF

XXXIII a. 382—383.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI. PVM

Relatio viri spectabilis fratris nostri vicarii indignitatem deprehensi sceleris eloquetur, atque ideo non est necesse, ut dictu et auditu nefaria noster sermo percenseat. unum est, quod et mea petitio et ceterorum vota desiderant, ut pro iustitia tua inultum esse non sinas, quod exemplo gravissimum erit, nisi ausus aliorum vehemens poena conpresserit.

XXXIII A a. 383—394.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Fama est, quod Ampelium et quosdam alios de Sardinia, ut adseritur, senatores in crimen adductos forum conpetens observare praeceperis. hos nunc audio ad aliud iudicium esse translatos. quare si ipse ita a te reminisceris iudicatum, aequum esse arbitror, ut statutis tuis adesse digneris.

XXXIIII ante a. 390.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Adornare te reditum, quod sacra De*um* Matris adpeterent, arbitrabar: tu in Daunios iter promoves nosque et patriam post tergum relinquis. inlude, ut vis, amicorum facilitati, quos si haec morderet iniuria, in vicem malae gratiae saltem litteris abstinerent. nunc vero officiis mulcemus abeuntem et blanda animo tuo fomenta suggerimus, cum tu omnibus curam rei familiaris anteferas. nam recordaris, hoc te prae- 2 famine epistulam texuisse, nihil hac aetate tractandum pensius domesticis rebus. quod ego, dum contemplor venam morum tuorum, scio ludo esse conceptum. quando enim sublimitas ingenii tui curis vilioribus flecteretur? censeo igitur aliis dare verba mediteris, qui sanctum penetral animi tui nesciunt. mihi uno genere satisfacies, si remotis epistularum defensionibus ipse remeaveris.

XXXV ante a. 395.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI. PVF

Ego quoque in scribendo formam vetustatis amplector nimisque miror, quod mihi librarii error obrepserit, qui solitus epistulis meis nomina sola praeponere, usum sim-

---

1 neluti *F*
4 *om. VM* 6 recenseat (*F*) 7 et petitio mea *V*, peticio mea *M*
11 *om. PVM* 12 *hanc epistulam cum praecedenti coniungunt PVM, divisi* quodam pelium *PV*, quendam pelium *M* 15 uale *add. VM*
17 *om. VM* 18 te reditum] e reditum *P 1 m.*, ereditum *V* Deum] *Mercerus*, deae *PVM* tu in Daunios] *ego*, tu inda unius *VFP*, tuenda unius *P*, *om. M* 19 postergum *in ras. P* 20 uice *P* 21 suggeremus *P 1 m.* 22 familiaris rei *V* 23 texisse *VM* hac] ac *P 1 m.* 27 remeaueris (ue *in ras.*) *P*, remouearis *V* uale *add. VM*
29 *om. VF* 30 quod — 31 error *om. P 1 m.* 31 usum simplicem *om. V*

PVF plicem novella adiectione mutavit. sed id casu potius quam consulto factum liquebit. si recorderis, numquam superiores litteras meas istiusmodi titulo sorduisse. et tamen utcumque ista res accidit, gratulor novi aliquid oblatum, quod me ab solito respon-
2 dendi genere vindicaret. quousque enim dandae ac reddendae salutationis verba blaterabimus, cum alia stilo materia non suppetat? at olim parentes etiam patriae negotia, quae nunc angusta vel nulla sunt, in familiares paginas conferebant. id quia versis ad otium rebus omisimus, captanda sunt nobis plerumque intemptata scribendi semina, quae fastidium tergeant generalium litterarum. iuvit igitur me culpa, quam dilui, et si non fallor, tibi quoque viam dedit inusitata referendi.

XXXVI a. 385.

PVM SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Ergo adeo conplacitum est communi parenti, ut te longius, quam vellem, necesse sit detineri? an tibi urbanarum tanta vitatio est, ut exspectationem meam pia causatione frustreris? et revera nihil hic agitur aut dicitur, quod bonus animus et sincera natura possit amplecti. sed utcumque ista sunt, si Romae ageres, adiutu inter nos mutuo fortasse mitescerent; nunc graviores rerum omnium offensiones utpote
2 solus experior. exempli causa unum accipe, de quo reliqua coniectes. Praetextato nostro monumentum statuae dicare destinant virgines sacri Vestalis antistites. consulti pontifices, priusquam reverentiam sublimis sacerdotii aut longae aetatis usum vel condicionem temporis praesentis expenderent, absque paucis, qui me secuti sunt, ut eius
3 *effigiem* statuerent, adnuerunt. ego, qui adverterem, neque honestati virginum talia in viros obsequia convenire neque more fieri, quod Numa auctor, Metellus conservator religionum omnesque pontifices maximi numquam ante meruerunt, haec quidem silui, ne sacrorum aemulis enuntiata noxam crearent inusitatum censentibus; exemplum modo vitandum esse rescripsi, ne res iusto orta principio brevi ad indignos per ambitum
4 perveniret. ne longum loquar, ipsa verba ad te misi bonis probata sed numero fortasse vincenda, licet in decretis pontificum non sit eadem forma, quae curiae est. sed hoc quoque parvi faciet inscientia. quod si tu adesses, multum duorum sanitas promoveret. quare ubi primum ex incerto morbi parens communis emerserit, redde te mihi, ut nobis aequiorem vitae cursum faciant participata solacia.

XXXVII ante a. 395.

PVF SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Nequeo definire, quae potissimum mihi rescribendi forma conveniat. ea quippe iamdiu intemperantia vexor rumorum, ut de his neque decipere falsis neque sollicitare veris amantissimos mei debeam. spes tamen, quae rerum semper adversarum patien-

1 consultu *F* 3 absoluto *P 1 m. VF* ∗∗∗pondendi *P 1 m.* 5 blaterauimus *P*, latrauimus *V* adolim *P* 7 amisimus *Suse* 8 fastigium *P 1 m. VF* iuit igitur ne *V* 9 delui *P* inusitate *P* uale *add. VF*

11 *om. VM* 12 rogo ergo *V*, rogo *M* 14 accusatione *VM* nihil] mihi (*Γ*) 15 ageris *P 1 m. V*, egeris *M* 16 mittescerent *P* 17 causuum *P 1 m.* coniectis *V* pretaxato *M* 19 prius quod *V* sublimi *V* 21 effigiem] *ego*, officium *PVΓΦ*, *om. M* 23 maximinum quem *V* silui ne *in ras. P* 24 crearent] *Iurctus*, crearem *PV*, crearet *M* 28 quoque] quippe *V* 29 reddet *P 2 m.*, sed de *V* 30 solatia *P 1 m.* uale *add. VM*

32 *om. VF* 33 deffinire *V*, diffinire *F* 34 uexorumorum *P 1 m. V* (*ΓΦ*), uexor morum *F* dehinc *Gruter* 35 spesque tamen rerum *V*

tiam suadet, in tuto est, et si aliquid commoditatis adtulerit, nequaquam morabor index esse meliorum. *PVF*

XXXVIII a. 375?

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI. *PVM*

Filii mei Parthenii adventus nullis commendationis lenociniis postulat adiuvari, sed accessurum gratiae eius existimo, quod praesentiae eius etiam meus sermo coniungitur. ex ipso Romae gesta noscetis, licet scriptum fama praevenerit. neque enim res magnae et insperatae in secreto se esse patiuntur. in bonam partem plebs nostra *P* mutata est, adeo ut iugiter seditiosorum poena poscatur et iam terga dederint insolent*es*. multis non opus est. neque enim quicquam narrandis debeo derogare. qui rerum plenitudinem venturo ad vos indic*i* reservavi. vale.

XXXVIIII ante a. 395.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI. *PF*

Horus philosophus vita atque eruditione praecipuus iamdiu mihi carus et amicus est et inter prima numerat dona fortunae, si optimis quibusque iungatur. studens igitur ad effectum desiderium eius adducere quaeso te, ut et sui meriti gratia et in honorem commendationis meae inter familiarium tuorum praecipuos atque honorabiles censeatur.

XXXX ante a. 395.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI. *PVF*

Ignatio meo gratulor, quod nostra in eum diligentia tuo amore vincatur. factum est, quod volebam; nam parciorem de illo testimonii cautionem promiseram, quam sentire coepistis. nunc apud te, si qua actuum meorum scire postulas, explicabit. tanta illi est utriusque nostrum ex familiaritate fiducia, ut et de me nihil possit ignorare et apud te nihil possit occulere.

XXXXI a. 383—394.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI. *PF*

Voluntaria beneficia tua petitione praevenio, ut quae tu sponte tribuis, ego videar impetrare *e*t bonum naturae tuae in gratiam meam transeat. Nicagoran clarissimum

1 *fort.* adfulserit 2 uale *add. VF*

4 symmacus flaui frī *P*, *om. VM* 7 nascetis *V* 8 magnae et inspe *V*, *omittuntur reliqua; sequitur epist. V, 78*, magnae et insperatae possunt occultari. uale *M*, *sequitur epist. V, 81* 9 insolentis *P* 11 indicere seruaui *P*(*ΓΦ*)

13 *om. F* symmacus *P* 14 orus *P*, erus *F* 16 sui] *P*(*Γ*), ipsius *F* 17 meae] mae *P 1 m.* famulos tuos praecipuus atque honorabilis *F*

20 *haec epistula in VF post III, 42 legitur* *inscriptionem om. VF* 21 iguacio *P*, in ocio *V*. Egnatio *Mommsen* in eum] meum *V*, in eo *F* 22 *fort.* nam parcior de illo testimonii cautione promiseram praemiseram *F* 23 coepisti *F* explicauit *P 1 m. V* 24 posset *V* 25 uale *add. VF sequitur in V IIII, 21*

27 *om. F* 28 tua sponte (*Γ*) 29 et] *Iuretus*, ut *P 2 m. F*, in *P 1 m.* neagoram *F*

PF virum Siciliae fascibus functum sub custodiam adesse iussisti. hunc tibi et suae vitae integritas et merita fraterna commendant. accedit illi ad praerogativam precatio mea: qui etsi spero, probitati eius responsuram beneficentiam tuam, sedulo tamen postulo, ut sanctissimo iuveni in bonum vertat exhibitionis occasio. vale.

XXXXII a. 383—394.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Commendaveram tibi dudum Macedonii clarissimi viri filium, cum foro tuo nomen dedisset. credo eam rem pro studio meo iuveni commodasse: sed quia parentibus nihil satis est et efficacior quibusdam videtur petitionis iteratio, rogatus denuo postulatum retexo, non ut *novam* causidico benevolentiam praestes, sed ut iam tributam digneris augere. meo autem nomine quaeso te, ne sic desiderium repetitum esse conicias, tamquam me prius impetrasse diffidam. vale.

XXXXIII a. 379—394.

P

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Merita Sexionis, qui antehac Calabriam re*x*it, multi in bonam partem loquuntur eaque propter, ut suffragio tuo a me committeretur, orarunt. est humanitatis et consuetudinis tuae aliis quoque placit*os* amore dignari. ergo si nihil est, quod resistat precantium voluntati, effice, oro te, ut Sexioni apud te prosint et mea verba et vota multorum. vale.

XXXXIIII a. 364—365.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Palatinos iniuriae reos, quos de Brittiis celsitudo tua praecepit exciri, miles de praetorio missus exhibuit. sed cum sacro auditorio eadem causa competeret, dominus meus parens noster praefectus urbi auctoritate iuris et fiducia tui personas sibi ad negotium vindicavit. quod eo scribo, ut noveris apparatori iustam subesse rationem, qui et parenti tuo cessit et legibus.

XXXXV a. 382—394.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Qui deum beneficio potiuntur optatis, venerari ipsos coram datores bonorum gratiae instar existimant: ut nunc frater meus Paeonius vadatus opimo testimonii tui munere adire properavit parti honoris auctorem. commendarem tibi optimum civem,

1 custodia *F* 2 accidit *PF* 3 beneficientiam *PF*
6 *om. F* 8 commodasse] *P 2 m. F*, commendasse *P 1 m.* 9 efficatior *PF* uideatur *P* iteratio *in ras. P* 10 nouam] *Lypsius*, bonam *PF(Γ*Φ*)* beniuolentiam *PF*
15 rexit] *Scioppius*, redit *P Γ*Φ 17 placitos amore] *Scioppius*, placitus amore Φ, placitura more *P*
24 ac negotium *Lectius*
29 qui deum] quid cum *Γ* benefitio *P 1 m.*

si posse*s* parvi facere, quem dudum altius protulisti. supersedendum est igitur *i*is verbis, quae suffragari proficiscentibus solent: neque enim vana spes est, validiora fore apud te merita praesentis, cum absentem favore respexeris. vale. *P*

XXXVI a. 393.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Ferunt Socraten, si quando exci*dit* cupitis aut destinatis, id sibi utile, quod evenerat, aestimasse; nam meriti sui securus interpres ea coniectabat esse meliora, quae casus dabat, quam quae animus adpetebat. sequor sapientis exemplum et in bonam partem traho, quod Saxonum numerus morte contractus intra summam decretam populi volu*p*tatibus stetit, ne nostrae editioni, si quid redundasset, accederet. nam 2
quando prohibuisset privata custodia desperatae gentis impias manus, cum viginti et novem Saxonum fractas sine laqueo fauces primus ludi gladiatorii dies viderit? nihil igitur moror familiam Spartaco nequiorem velimque, si *i*ta facile fact*u* est, hanc munificentiam principis Libycarum largition*e* mutari. nam gladiaturae idoneos communi 3
cura . . . . prospiciet, quae pars in apparatu quaestorio prior est, ut auctoramento lect*os* long*us* usus instituat. nostros, quibus ursorum lectio et comparatio iam pridem credita est, pervectos ad te temporis aestimatione non ambigo. sed si cursualium praepositorum avaritia retardantur, erit beneficentiae tuae moras, quibus tenentur, absolvere. vale.

XXXVII a. 385.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Ope deum secunda navigatione et facili itinere ad destinata pervenimus. adpetebat commodum tempestiva hora convivii. ubi curare corpora cibo coepimus, adcurrit, qui mihi amabiles litteras tuas simulque †tuae captas e mari copias exhiberet: quae nobis esui mox fuere. nam libuit indulgere genio, postquam parvulum nostrum periculo exemptum spes optata respexit. habes omnem rem. cura, ut valeas et patriam tui amantem quam primum revisas bona parentis, ut spero, venia, cui mox peracta lustrali sollemnitate redderis.

XXXVIII a. 385.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI. PF

A. d. tertium nonas Octobres primo lucis respondi litteris tuis, quas pro interiectu itineris, quo nunc distinemur, a*n*te meridie*m* sumere debuisti. sed ut scripta ad vesperam mihi reddita prodiderunt, meum officium tuamque curam tabellarii lentitudo

1 possis *P* parbi *P 1 m.* his *P*
6 si quando excidit] *Iuretus*, si quandoxcitis *P 1 m.*, si quando excitis *P 2 m.* 7 meritis *P* 10 noluptatibus] *Iuretus*, uoluntatibus *P* obstitit *Mommsen* 12 sino *P 1 m.*, suo *Mommsen* 13 uelim quesita *P* factum *P* 14 lybicarum *P* largitioni *P* 15 cura prospiciet *P*, *lacunam indicavi* 16 lectos longus] *Gruter*, lectus longos *P* 18 beneficientiae *P* tentur *P 1 m.*
22 itenere *P 1 m.* 24 tuae] *P*, a te *Φ*, tum *Mommsen*
30 *om. F* 31 ad tercias nonas octobris *F* 32 destinemur *P*, distamus *F* ante meridiem] *Gruter* (*Γ*), a te meridie *P*, a memeridie *F* 33 meamque curam *F*

PF suspendit. ego tamen huic morae suscensere non possum. defuisset enim tibi causa sermonis iterandi, si mature responsa nostra legisses. quae, ut confido, iam tradita sunt; nisi forte denuo aliquis ex urbanis divitibus insessor viarum scripta nostra furaverit. dii illos mentibus suis puniant! nunc ad quaesita redeamus.
2 humor, qui parvuli nostri pectus obsederat atque inportunam tussim ciebat, magna parte tenuatus est; itaque spiramenta faucium libera nihil iam stridulum sonant. deum benignitas velit processum sanitatis eius in solido conlocare. nos ut a metu praesentium respiravimus, ita voto futura munimus.

XXXXVIIII ante a. 395.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Scribere hucusque non libuit obstrepentibus inbecillitatum querellis, quas indicare vitamus. hinc factum est, ut officium nostrum tua adloquia praevenirent. postquam divina ope sanitatis bono frui coepimus, redit cura sermonis. sume igitur litteras seras quidem sed voto tuo et proposito congruentes; quae ut diu dilatae sunt, ita desiderium sui indicio meliore pensabunt. vale.

L ante a. 395.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Iter in patriam diis auspicibus ordiemur, quod tibi et ante conpertum est. sed religio monuit, ut diei quoque certior reddereris. cras igitur viam nobis disce relegendam, et quia promissi servantissimus es, fac memineris ad publicum sollemne contendere.

LI ante a. 395.

PVF

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Emiseram prior scriptum, quod in manus tuas dudum praesumo venisse. haut multum processit horae, cum aderat, qui a te mihi litteras exhiberet. decursa oculis pagina requiri a me conperi diem coeptando itineri destinatum. sed ego hanc curam spontaneo sermone praeveneram. ergo respondenda consumpsimus. quid superest, nisi ut gratuler nobis animos esse cognatos? nam quae te scire velle praesumpsi, priusquam quaereres, indicavi. vale.

---

1 ago *P* more *P 1 m.* Γ, morem *P 2 m.* 3 insessor] *Lypsius*, incessor *P*, incensor *F* furaretur *F* 4 nunc] nos *F* amor *P 1 m.* ΓΦ 6 spiramentum *P 1 m.* 7 praecessum *P* 8 uale *add. F*

10 *om. F* 13 dono diuino sanitate frui *F* cura redit *F*

17 *om. F*

22 *haec epistula in VF colloc. est post III, 40* 23 *om. VF* 27 respondendo *P* 28 gratules *V*, gratuleris *F* 29 quaereris *V* *sequitur in V III, 41*

LII a. 383.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI. P

Reditus ac recursus in patriam, qui semper omnibus gratus est, festinationi nostrae nequaquam pro *ex*pectatione respondit. causas si desideratis, accipite. iam primum, ut communia domesticis praeferamus, rem frumentariam nostrae urbis nulla auget invectio. spes ipsa, quae in adversis alere animos solet, recusat effugium polliceri, cum sterilis annus ne semina quidem terris commissa reddiderit. dehinc ut 2
apud vos familiarem curam loquamur, urget Ostiense praedium nostrum militaris inpressio. nos legum inane nomen vocamus. dii viderint exitum causae. interea mordemur non metu damni sed aequitatis iniuria. collegarum tractatus, qui me exciverat, aeternis principibus legandorum in Africam virorum reddidit optionem. †cessat ergo patrum deliberatio non vocemur.

LIII ante a. 395.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Fungeris boni fratris officio, sed desine memorem commonere. notae nobis sunt caerimoniae deorum et festa divinitatis imperata. nisi forte me solum exequi vicem tuam postulas, et ut adsolet res divina mandari, mihi tuum munus iniungis. fruere deliciis copiosis; nos mandata curabimus. sed memento exactis feriis participes facere luxuriae tuae, quos tantopere laborasti consortes habere ieiunii.

LIIII ante a. 395.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Gratiosa est expostulatio, quae requirit officium. sed cum in scribendo numquam residem gesserim voluntatem, frustra neglectae familiaritatis accusor. utor in ea re testimonio hominum tuorum, qui dudum sibi epistulam traditam tabellarii vitio distulerunt. volo igitur apud te servatae amicitiae mihi constare rationem. nam vehementer iniurium est, ex alieno peccato naevum violatae religionis adtrahere.

LV a. 385—386.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Spe bonae valetudinis mari vicina delegimus, sed necdum auras salubres ventis obluctantibus experimur. hinc pigrior est matronae ad sanitatem recursus: cui si quid refectionis dies melior adiecerit, optatum de ea indicium non morabor. urbanis negotiis, ut insinuare dignatus es, inquies monitor securus inludit. alieno enim periculo 2
in . . . . efficax et copiae nocitura temptatur, ut cum vilitatis metus in angustias coegerit civitatem, tunc opum validis quaestum augeat avara venditio. hoscine homines arbitreris,

4 expectatione] *Iuretus*, spectatione *P*   11 legandorum] *Φ*, legendorum *P*   12 deliberatio non] *P*, deliberatione non *Φ*   cessat ergo patrum deliberatio, num uocemur *Mommsen*, cessante ergo patrum deliberatione uacamus *Suse*
18 curauimus *P 1 m.*, curat unus (*PΦ*)   19 luxoriae *P 1 m.*
21 symmacus *P*   24 quia *Suse*   tabellari uitio *Mommsen*
31 ea *in ras. P*   33 inefficax *P*, res inefficax (*Γ*), in penuriam res efficax *Mommsen*

P qui plus amicis consilio nocent, quam inimicis odio obesse potuissent? sed nos publico dudum opere perfuncti, aliena sileamus. dii meliora procurent! neque enim gaudere dignum est, si qua mihi laus ex alterius errore proveniat. vale.

LVI ante a. 395.

PF SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

In maximis quidem rebus, quid mihi studii atque amoris inpendas, frequenter adverti; sed haec quoque crebri sermonis officia utpote ex intimo adfectu deprompta conplector; quorum adsiduitas cultum circa te meum pari lance conpensat, iucunditas vero tanta est, ut fatear me adloquio tuo potius incitari ad desiderium quam repleri. ea quippe rerum omnium ratio atque natura est, ut cuncta, quae humanis sensibus
2 blandiuntur, nequeant adferre fastidium. itaque cum solvendis atque agendis gratiis par esse non possim, facio, quod solent inprobi debitores, qui adhuc alieno aere depressi cupiunt secundo nexu fenoris obligari. quare etsi numerosae sunt litterae tuae, non ut ingratus sed ut muneris tui cupidus postulo crebriores. facile autem conici potest, quam vicem conloquii otiosus ipse pollicear, cum ab occupato huiusmodi officium inpatienter exposcam.

LVII ante a. 383.

P SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Diu domo abesse decreveram, iucund*um*que otium cum familiaribus nostris in suburbano, cui Arabianae nomen est, exigeba*m*. sed quia fors versat humana nec semper ex voto destinata succedunt, praefecti litterae ruperunt otium meum, quae bonae spei sollicita miscebant. speciatim praesentiam meam per ambigu*um* poposcerunt.
2 non differo expectationem tuam. †coactu in tractatu senatum commoneri sed et oblationem faciendam scriptis secretioribus indicavit. nihil publicatum, nihil lectum est. quantitas postulatae rei excessit opulentiam. re cognita vastum silentium cunctis stu-
3 por subitus imperavit. quo longius prodeunte placuit in tempus aliud deliberanda produci, ne omitterentur absent*es*. quamvis ipse dixerim, Romae aut in proximis posit*os* vel evocari debere vel consuli, quorum non debet ob eam cautionem futuram ut statutis ordinis polliceantur adsensum. habes omnem rem, de qua quid sentiam, satis nosti. tibi etiamsi causa communis est, procul tamen abesse ad solacium proficit.

LVIII (LVII) ante a. 395.

PF SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Paulo ante litteras dedi, nunc reddo responsa; quia illis necessaria continentur, his salutatio sola praestringitur. valemus, ut verum est . . . . *si* tibi omnia prospere f*l*uunt. †scriptione fide bonum mecum commune participat. vale.

---

5 *om. F* 12 possum *F* 15 ipse *om. F* pollicetur *F*

19 iucundoque *P* 20 exigebam] *Lectius*, exigebat *P* 22 speciatim *corr. ex* spectatim *P* ambiguam *P*, ambigua *Mercer* 23 coactum in tractatum senatum commoueri *Gothofredus ad c. Th. VI 2. 5.* collegarum tractatu senatum commoueri *Scioppius. omnis reliqua pars epistulae lacunis misere lacerata est* 25 re cognitam *P* 27 neç omitterentur *P*, ne committerentur *Φ* absentis *P* 28 positus *P* quorum non debet euocatio temptari: ob eam cautionem futurum, ut *et q. s. Mommsen*

32 *om. F* 34 ut uerum est tibi *P*, si tibi *F* 35 fluunt] *Iuretus*, fruunt *P*, succedunt *F* scriptione fide] *P*, scriptionis fide *F* participat] *P*, participa *F* scriptione id bonum meeum commune participato *Mommsen*, scriptiones fidae bonum mecum commune participent *ego*

LVIIII (LVIII) ante a. 391.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI. P

Suburbanum praedium, quod viae Appiae adiacet, incolebam, cum mihi litteras
tuas in hoc missus exhibuit. nos*t*i rura, quae loquimur, ubi magnas aedes in an-
gustis finibus conlocavi. hic dulce otium — si qui*d* ab*s*que te dulc*e* est — paulisper
exegimus. nunc Vestalis festi gratia domum repeto incertus, maneamne cum civibus,
an rursus in vicina concedam. tu quid agere decernas — nam certe iusto diutius 2
afuisti —, debeo cognoscere. vocat enim te in curiam nostram diis auctoribus quam-
primum candidati mei designatio, cui supra omnes ornamento eris, qui nos vel ad-
finitatis vel amicitiae officiis prosequentur.

LX (LVIIII) ante a. 395.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Vacui apud Neapolim soli quod mihi ex tuo adiacet, ut aedes novas molirer,
optaveram; tu mecum opera Lucullana parti*ri*s, et ne verecundia refutet oblatum,
negas tu*i* iuris videri, quod ego meum fateor non fuisse. patere, ut saltem gratiam
tibi debeam. neque enim fas est mala fide me recuperare, quod possum bona sumere.
adicis praeterea lenocinia, quibus morbum fabricatoris inrites: geminam porticum so- 2
lido et incorrupto opere curvatam multis in longitudinem pa*ss*ibus explicari: vicina
esse, quae construo, et parvo aedificationis negotio, quod intervenit, posse misceri. quid
laboras adversum verecundiam meam? ego quoque facio, quod recusas: gratus sum
muneri tu*o*. sed vereor ne accedent*e* sumpt*u*, dum vetera novis nitimur aemulari,
intellegam maiora te velle concedere, quam me posse reparare.

LXI (LX) ante a. 395.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Et habitus et crinis indicio [est] Serapammon litterarum peritiam pollicetur, cuius si se meminisset exortem, numquam philosophis congruentem sumpsisset ornatum. sed de hoc vestra aestimatio sit, qui talium rerum profitemini notionem. mihi religio fuit, non negare verba poscenti. facie*s* rem morum tuorum, si ope atque humanitate fortunam peregrinantis adiuveris.

LXII (LXI) a. 390.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Postquam Gaudentio apparatori tuo in*d*icem peracti a me itineris epistulam dedi, agens in rebus mihi adportavit sacras litteras spei et desiderio congruentes, quibus

4 nosti] *Iuretus*, nr̄i *P* 5 si quid absque te dulce est] *Gruter*, si quis atque te dulcis est *P*
14 Lucullana] *Φ*, lucullnna *P* partiris] *Scioppius*, partires *PΦ* 15 tui] *Iuretus*, tu *P*
17 fabricaturis *Φ*, fabricaturus *P* 18 passibus] *Scioppius*, partibus *P* 21 tuo] tu *P* accedentem sumptum *P*
25 ut habitus (*Γ*) est *delet Iuretus* 28 non *delet Gruter* faciens *P*
32 indicem] *Lectius*, innicem *P*

P cognoscerem, clare in aures publicas designationem consulatus mei debere proferri. 2 quid igitur eximio animo tuo laetitiae plenus exoptem, nisi ut simili mox fruamur etiam de te gaudio. quod spero dominum nostrum Theodosium venerabilem cunctis et praecipue bonis solita in amicos dignatione facturum. siquidem dignum est, ut angustissimus honorum nostrorum patronus aequet dignitatibus, quos scit mentibus convenire. vale.

LXIII (LXII) a. 390.

PF SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Cresconio amico meo amorem tuum multa conciliant. primo quod sacras litteras, quibus consulatus mei designatio tenetur, exhibuit; dehinc quod eum patria Africa non minus tibi quam mihi cara commendat. cuius mores cum primo loco censere debuerim, malui tuo examini reservare. suscipe igitur, oro te, notum militiae virum, qui se apicem felicitatis credit habiturum, si eum patrocinii tui splendor inluminet.

LXIIII (LXIII) a. 390.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Exercet me quidem votivis ac felicibus negotiis praeparatio consulatus; sed ut litterae tuae frequenter indicio sunt, tua pro me cura praeponderat. hortaris, mones, cogis, ut quidquid potissimi magistratus functio quaerit, adcelerem. et cum sis meae 2 exactor industriae, nihilominus omnia sollicitudini tuae vindicas. eritne tempus optatum, quo istam mentem paribus pro te officiis districtus aequiperem? spero actutum florente re publica et propagato in aevum domini nostri Theodosii principatu virtutes tuas fascibus munerandas. tunc epistularum stimulos non requiram nec expectabo monitorem. a te enim didici sponte suscipere, quidquid pro fratre curandum est.

LXV (LXIIII) ante a. 395.

P SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Adstipulatorem praeclara merita non requirunt: siquidem virtus sua luce conspicua aversatur auxilium commendationis alienae. ergo cum dominum et fratrem meum Licinium celebrem fecerit ad normam veteris disciplinae gubernata res publica, quid potest ei dignitatis adicere privata laudatio? hac igitur prae*ter*missa parte optimae in amicos fidei ac diligentiae virum praecelso animo tuo opt*o* sociare: non quod iudicium tuum serum atque difficile sit ad colligenda ingenia et explorandas voluntates bonorum, sed ne brevis inter vos usus et festinata discessio neget iustum tempus examini.

3 de te] *F*, laete *P*
8 *om. F* 9 amorem meum *F* 13 credidit *P* uale *add. F*
15 *om. F* 18 coges *P 1 m.* 20 distructus *P 1 m.* actuum *P 1 m.* 22 monitore *P*
27 ali.enae *P* 29 praetermissa] *Suse*, praemissa *P* partem *P* 30 opta *P* 31 atque] *P*, ac *F*

LXVI (LXV) ante a. 395.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI. *P*

Si amicitiae semper ratio deposcit, ut mutua negotia alternis iuvemus officiis, quanto inpensior utilitatibus propinquorum cura debetur, quorum nobis bona et adversa communia sunt? quid quod saepe causae bonitas cohortatur, ut quod debemus generi, tribuamus promptius aequitati? quae me non minus pro Illo quam necessitudo com- 2
movit, ut ipse etiam conperto ex relatione Victoris spectabilis viri negotio indicabis. nam quo res notior fieret, publicae epistulae malui exempla sociare, ne quid †fiducia dicere per gratiam indicarer. nunc, si tibi voluntas mea cordi est, praesta huic quaestioni maturam securitatem, quam pro iustitia etiam me silente deferres.

LXVII (LXVI) ante a. 395.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Parva est commendatio scriptorum meorum, si Leontium familiarem meum innocens vita bonis quibusque conciliat. suo igitur praeditus merito commendationis adminicula non requirit, et tamen abstinere non debeo tali genere litterarum, magis ut amicitiae satisfaciam, quam ut ei aliquid opis conferam. tu tamen pro dignatione, qua clarus es, facito noverit, gratiam sui meo quoque nomine esse geminatam. vale.

LXVIII (LXVII) ante a. 395.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI. *PF*

Brevem necesse est esse sermonem, qui properanti repente committitur. quare et officio satis est et brevitati temporis congruit, ut circa te salutationis honore perfungar. vicissitudinem vero efflagitare non debeo, quam mihi arbitror a viro amicitiae servantissimo etiam sine admonitione referendam. vale.

LXVIIII (LXVIII) ante a. 395.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI. *P*

Vt silere non possum, quotiens stilum invitat occasio, ita si desit causa longioris adloquii, seriem paginae stringo conpendio. loquax enim copia est, quae in re usitata atque sollemni verborum redundat eluvie. have igitur dico et vicissim peto, ut me prosperorum tuorum indicio munereris.

---

3 si amicitiae (si a *in ras.*) *P*   6 *fort.* pro Magnillo   8 fiducia] *P*, ficticium *Gruter*, fiducia tui *ego*
19 *om. F*
28 haue] hanc (*ΓΦ*)

LXX (LXVIIII) ante a. 395.

PF SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Humanitatis interest commendationem deferre poscentibus, in Zenobio autem talis officii causa propensior est, cum sit familiaris meus atque ideo illi debeatur potius quam praestetur adfectio. huic patrocinium . . . . . . tui cupio provenire. nam primum est, ut meo suffragio diligatur, secundum erit, ut sua honestate conplaceat. vale.

LXXI (LXX) ante a. 395.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Considerans, quid mihi amoris digneris inpendere, arbitror Cyriaco domestico meo has litteras profuturas, quibus quaeso, ut commoditatem eius prompto favore respicias.

LXXII (LXXI) ante a. 395.

P SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Vir clarissimus Honoratus cum primis mihi vitae honestatisque conplacitus est. credo iudicium meum tibi aspernabile non videri. id si ita est neque me opinio frustrata habet, futurum reor, ut ex praerogativa istius testimonii ad familiaritatem praeclarae unanimitatis tuae quasi tibi etiam sedulo spectatus accedat. vale.

LXXIII (LXXII) ante a. 395.

PF SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Delectat eos frequenter adfari, quorum animum mei amantem documentis habeo conprobatum. cape igitur litteras meas, quas ideo libenter emitto, quia religionis tuae vicissim pascor adloquiis. quae res acuere debet ad officia promptiora, cum tibi incommodi fenoris largior usura respondeat. vale.

LXXIIII (LXXIII) ante a. 395.

P SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Valentinianus protector dudum patrocinio culminis tui per me traditus adque commissus domesticis occupationibus adtinetur atque ideo magnopere poposcit obeundum sibi aliquod negotium per suburbanas provincias impetrari. quare, decus nostrum, familiari meo desideratum munus excude aut impetra commeatum, quo possit a militari nota sub hac impetratione defendi. vale.

---

2 *om. F* 4 adeo (*F*) 5 patrocinium tui *PF*, *lacunam indicavi*, *fort.* culminis tui *ut II. 71*
8 *om. F* 9 arbitror *corr. ex* arbitro *P 1 m.* ciriaco *F*
18 *om. F* 22 incommodi] *P 1 m. FΦ*, in commodo *P 2 m.*, in commoda *F*
28 exclude *FΦ*

LXXV (LXXIII) a. 383—394.
SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI. P

Cum in iudicio praefecturae famosa causa penderet, Dyscolius, qui furti detulerat actionem multosque nostri ordinis viros criminatione perstrinxerat, occulte cum reis inita pactione non sine disceptatoris invidia elusit examen. ad huius investigationem missus apparitor, si praetorianorum adminiculum sortiatur, proclivior ei facultas retrahendi accusatoris eveniet. interest igitur publicae disciplinae simulque ad famam pertinet cognitoris, ut eum summo studio conquisitum reduci in iudicium sub custode praecipias, ne innocentiam senatorum obnoxia rumoribus suspicio decoloret.

LXXVI (LXXV) a. 393.
SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Amor tuus in Domitium notus et validus ademit mihi commendandi eius laborem,
pro quo hoc tantum dixisse suffecerit, mihi quoque eundem prisca familiaritate con-
iungi. quae res illi incrementum patrocinii tui, ut spero, praestabit. probabiliorem
quippe eum tibi faciet communis similitudo iudicii. interea nos ursis saepe promissis 2
et diu speratis sub ipso articulo muneris indigemus. vix enim paucos catulos mace-
ratos inedia et labore suscepimus. et de leonibus fama conticuit, quorum adventus
posset efficere, ut ursorum defectum congressio Libyca repensaret. unciam panis ma- 3
litiose et temere restitutam spontanea voluntas populi redegit in copiam conditorum.
tuta igitur omnia atque secura sunt, quae animum tuum iure mordebant. atque uti-
nam sollicitudines quaestorias par successuum felicitas mitigasset! vale.

LXXVII (LXXVI) a. 393.
SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Editioni muneris nostri et usitata a te et insolita conferuntur; ita omnia ad conciliandum quaestori nostro plebis favorem et sollemnium rerum largus et novarum repertor excogitas. ut nunc septem Scotticorum canum probavit oblatio, quos praelusionis die ita Roma mirata est, ut ferreis caveis putaret advectos. ergo et huius rei causa et praeterea munerum ceterorum, quantas maximas possum tibi gratias ago, licet in iis, quae studiose fratribus pro magnitudine animi tui tribuis, beneficium te non putes praestare sed sumere.

LXXVIII (LXXVII) a. 394.
SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Pars hominum [alii] conpendiis et quaestibus gaudent, me votiva delectat expensio. itaque avidus civicae gratiae quaestoriis filii mei sumptibus studeo aliud genus largitatis adicere, ut curulibus stabulis urbis aeternae etiam quina mancipia lar-

3 discolius *P* 4 uiros] *Γ*, uarios *P 1 m.*, uaria *P 2 m.*, *fort.* uiriosa criminatione 6 apparator *P 1 m.*
18 lybica *P* 19 copiam] *Latinius*, copia *P* 21 parș *P*
28 gratias tibi (*Γ*) 29 his *P*
33 alii *del. Iuretus*, aliis alii *Haupt*, mali conpendii quaestibus *Mommsen* conpendii *P 1 m.*

P 2 giamur. et quoniam servorum per limitem facilis inventio et pretium solet esse tolerabile, quam maxime te deprecor, ut per homines strenuos viginti iuvenes praedicto negotio congruentes iubeas conparari. in quam rem . . . . solidos ad te misi habita aestimatione hominum, quorum non forma sed aetas et sanitas eligenda est.

LXXVIIII (LXXVIII) ante a. 395.

PF SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Fratri nostro Andromacho omnes bonae artes familiares sunt, sed prae ceteris fides, qua spectatus mihi tuum quoque optat iudicium demereri. itaque dum te expetit, iter inbecillis grave gracilitatis suae oblitus intravit. haec illi maxime fuit causa pro vi-
2 ribus, ut solet plerumque animus spe et gaudio morbum levare. advertis igitur, quam prompto et patulo amicitiae sinu receptandus sit, qui tui desiderium valetudini suae praetulit. quid plura? adpetendus tibi foret, nisi te sponte sequeretur. ergo adcurrenti religiosam manum porrige, ut qui te novit virtutibus superiorem, communitate parem sentiat.

LXXX (LXXVIIII) ante a. 395.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Commendatum mihi a fratre meo Hilario virum devotissimum Titianum quo alio possum beneficio munerari, quam ut eum sancto pectori tuo non aspernandus precator insinuem? et spero petitioni meae cessuram facilitatem, quando eo studio atque proposito es, ut instar gratiae habeas, si tibi probabilis amicus accedat. vale.

LXXXI (LXXX) hieme a. 393/4.

P SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Filius noster Symmachus peracto munere candidato offert tibi dona quaestoria et ceteras necessitudines nostras pari honore participat. quaeso igitur, ut eius *nomine* diptycha et apophoreta suscipere dignemini, qui apparatui eius plura et praeclara
2 tribuistis. pr*ae*terea domino et principi nostro ad referendam largitat*i* eius sedulam magis quam parem gratiam, auro circumdatum diptychum misi. ceteros quosque amicos eburneis pugillaribus et canistellis argenteis honoravi. tuae igitur potestati tuoque arbitrio committo, ut oportune singulis, quae missa sunt, offerantur.

---

2 iuuenis *P* 3 rem solidos *P*, *excidit numerus; fort.* rem M solidos 4 deligenda (*F*)
6 *om. F* 7 andromaco *P* 8 qui spectatus *F*, qua expectatus *P* mereri *F* 10 pleraque *F* morborum *F*
16 *om. F* 17 hylario *F* 18 munerare *F* ut] *P 2 m. F*, eit *P 1 m.* sancto *om. F* 19 ppetitioni *P* praeposito *P 1 m.*
24 nomine] *Iuretus*, homine *P* 25 dyptica et apoforeta *P* 26 praeterea] *Iuretus*, propterea *P* largitatis *P* 27 dypticum *P*

LXXXII (LXXXI) ante a. 395.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI. P

Multi a me conciliationem litterariam poposcerunt, sed quorundam meritis, aliorum precibus parem gratiam dedi. nec tamen vereor, ne tibi civium ignota distinctio sit *iu*dicium de his commune recolenti. dabis igitur in quibusdam verecundiae meae veniam, quae cessit orantibus, sequeris autem, quod scis de singulis utrumque sentire. puto ex his verbis, quo in numero filium nostrum Attalum spectabilem virum 2
censeam, facile dinosci. namque ista libera et aperta discretio ei tuto credita est, qui non fuit in parte cogentum. quare tuo ac meo nomine amicitias adcurrentis amplectere, ut huic in fructu sit cult*us* bonorum, pravis dolori, quod *dis*similiter diliguntur. vale.

LXXXIII (LXXXII) a. 393.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Iampridem domino et fratri meo Alypio comitatum sacrum visere atque adire cupienti sera quidem occasio sed laeta successit, ut eum consul acci*r*es, et ideo in conspectum tuum alacer occurrit, ut beneficiis votiva reddat officia et sancti animi tui fretu nubem invidiae superioris abstergeat. quod illi arbitror ex voto esse cessurum. neque enim famae eius aliquid deesse patieris, qui securitati cuncta tribuisti. vale.

LXXXIIII (LXXXIII) a. 393.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Recte et probabiliter iudicasti, fratrem nostrum Tatianum spectabilem virum consulatui tuo interesse debere; siquidem aequitas postulabat, ut voti sui voluptate frueretur. nulli umquam nostrum tui amore cessit, quin immo semper primas sibi erga te partes observantiae vindicavit. itaque testem alium non requirit. scit enim sibi plus esse loci apud tuum animum, quam posset meo sermone conquirere. relinquo igitur eum fiduciae suae, quia nihil potest esse cumulatius, hoc tantum subicere contentus, me quoque tibi eius nomine, si quid gratiae ceperit, obligandum.

LXXXV (LXXXIIII) a. 393.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Facilem fratrem nostrum Helpidium ad proficiscendum traxisset adfectio, nisi †eteume unici cura retineret. tantum quippe est in eo sinceritatis atque dulcedinis, ut illi sol*ae* necessitudines praeferantur. hunc ita spectatum mihi atque coniunctum

2 symmacus *P* 5 indicium] *Scioppius*, indicium *P* 9 partem *P*, partem *Φ* adcurentis *P 1 m.* 10 cultos *P* dissimiliter] *Latinus Latinius*, similiter *PΓΦ*
15 accires] *Iuretus*, acciperes *P* insconspectum *P*
23 amore//cessit *P* super *P 1 m.* 26 qua nihil *Susc* 27 coeperit *P*
29 symmacus *P* 30 facilem *P* fratrem] *Γ*, patrem *P* elpidium *P* 31 eteume (?) *P* *fort.* facile in fratrem nostrum Helpidium ad proficiscendum traxisset adfectio, nisi contra me unici cura retineret retinere *P 1 m.* 32 solae] *Latinius*, soli *P*

P iussis tuis negare non potui, quia in talibus causis maior apud me cedendi voluptas est quam fruendi. suscipe igitur amantissimum nostri eo animo, quo rogasti, et aestima de gaudio adventantium, negari a te non oportere residentibus, quod praestatur accitis. vale.

LXXXVI (LXXXV) ante a. 395.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Peregrinari mihi tecum videor, si quando cursus ac recursus tuos luculentus narrator insinuas. ita cogitationes nostras religione allicis et nitore sermonis inluminas, ut quidquid explicat adfatus tuus, id noster quodammodo visat adfectus. pro qua re
2 firmam valetudinem tuam tenemus reditumque felicem votis ingiter conprecamur. nam qui amorem in nos tuum aequiperare non possumus, solvimus votis, quod nequimus officiis. salve igitur, mi domine inimitabilis, nosque et generaliter cum ceteris, ut nunc facis, et speciatim cum carissimis, ut solebas, his muneribus oris ac pectoris tui benignus inlustra.

LXXXVII (LXXXVI) a. 382—383.

PF

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Vox iuris et legum est, bonae fidei contractum non posse rescindi. huius sententiae exsecutionem frater noster Helpidius optat adipisci, cui post venditionem Hispaniensis praedii sui partem pretii emptor abiurat, cum ad soliditatem transcriptae in novum dominum possessionis cuncta ex more celebrata sint. haec summa est postulati, quae meis quidem verbis sed illius meritis adiuvatur, ut aequitate, qua clarus es, aut pudorem refragantis privata obiurgatione confundas, aut contumaciam frangas publici auctoritate iudicii. vale.

LXXXVIII (LXXXVII) ante a. 390.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Et honoris tui, quo nunc auctus es. . . . . . et continuo in me amore delector. volo igitur, ut communia pignora curae mihi esse non dubites, quae magis merita tua quam scripta commendant. supererat, ut adsiduum stili tui munus exposcerem; sed redundantis est operae bona spontanea postulare, ne meus stilus extorquere videatur, quod tui animi spondet humanitas.

---

3 aduentium *P 1 m.*

6 symmacus *P* 7 aerecursus *P 1 m.* 9 adfatus] *luctus*, adfectus *P* idur! qdā!modo *P virgula supra* a *2 m.* 11 quia *P 2 m.*

16 *om. F* symmacus *P* 18 elpidius *P* 19 pretii *om. Γ* adiurat *P 1 m. Γ* 21 sed] et *F* *post* adiuuatur *inser.* quaeso *P 2 m. F* 22 refragantes *P 1 m.* obiurgatione! *P*

25 *om. F* 26 auctus ·· et *P 1 m.*, auctus es et *P 2 m. F*, *supple:* indicio *vel* nuntio 28 tui *om. Γ* 29 sedred undantes *P 1 m.*

LXXXVIIII (LXXXVIII) ante a. 395.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI. *PF*

Paulo ante litteras dederam, sed debitam tibi salutationem geminare non piguit. namque amor officiorum modum non tenet. praeterea notitia commeantium postulavit, ut commendationi eorum pagina adiecta proficiat. responsa non postulo securus praeclari animi tui, qui mihi sine admonitione sermonem voluntarium polliceatur.

LXXXX (LXXXVIIII) ante a. 395.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Semper mihi auctor es ingentium gaudiorum; at nunc supra vota processit, quod me expetendi plane et exambiendi viri familiaritate decorasti. neque hoc suspicione conlecto. nam Patricii sermo fecit indicium, diligentiam in me suam te praesule provocatam; quare *cum* ceteris benefactis tuis etiam hic titulus procedet in numerum, qui solus quamlibet voti avaritiam possit explere. vale.

LXXXXI (LXXXX) ante a. 395.

SYMMACHVS FLAVIANO FRATRI.

Quotiens parentum beneficiis obligamur, necesse est ad heredes nexum debiti pertinere. ad filium meum Senatorem praeclarum atque ornatissimum virum pertinet praefata generalitas: cuius pater omnibus rebus inlustris et mihi eximia veneratione recolendus plurimum domui meae honorificentiae et religionis exhibuit. cuius ego devinctus officiis filio opto persolvere, quod de parente contraxi. sola autem me potest magnificentia tua contractu gratiae liberare, si posteritatem eius adiuverit, praecipue in his rebus, quae iustitiae patrocinio fulciuntur. siquidem queritur agros suos 2
contra iudicatum vestrum magna parte mutilari. grave hoc et inpetibile posset videri, nisi etiam consensus partium frustrationibus luderetur. minus est enim alienam sententiam spernere quam a propria discrepare. est igitur in manu tua in tam absoluto et probabili petitionis genere servatis legibus et aequitatis intuitu aliquid etiam meae deferre personae, cuius interventum fastidio longae litis, non diffidentia negotii postulavit.

---

2 *om. F* 4 postulabit aut *P 1 m.* 5 pagina dicta *F* 6 polliceatur] *P(Γ)*, pollicetur *Γ* 8 *om. F* symmacus *P* 12 quare cum] *ego*, quae recte *P*, recte *F* 15 *om. F* 17 praefata pertinet *F* 19 et *om. P* 23 magnam partem (*Γ*) 24 census *P 1 m.* lauderetur *P*, *fort.* laederetur 25 ad propria *P* 26 atque probabili *F* 27 diffidentia/ *P* postulaui uale *F*

PF

LIBER TERTIVS.

AD IVLIANVM RVSTICVM.

I ante a. 388.

SYMMACHVS IVLIANO.

Ruri hucusque obversatus, postquam me ad urbanam sedem recepi, repperimus optabilem litterarum tuarum salutem, quae post diuturnum silentium tam multum apud nos gratiae et honoris habuerunt, ut in *i*is sola brevitas displiceret. nam ieiunas aures meas et praeclari eloquii tui satis superque sitientes adfatus largior debuit uberare. et mihi quoque curae fuit artare paginam limite parciore, ut te, mi frater, scribendi talione morderem, quamvis ita mihi sim conscius arentis infantiae, ut quantum doloris accipio, cum breves epistulas sumo, tantum tribuam beneficii, cum pauca respondeo. vale.

II ante a. 388.

SYMMACHVS IVLIANO.

Ruri positus vectigal tibi sollemne dependo. nullum enim tempus esse patior ab hoc munere feriatum, nec locorum intercedente divortio in oblivionem familiaritatis adducor. qui si me vicissitudinis stimulo faceres promptiorem, numquam profecto linguam desidem continerem. et tamen enixe meum fungor officium, ne*c* cessationis transducor exemplo, atque hoc silentium tuum difficultatibus publicae occupationis adscribo, quia satis est mihi ad amicitiae fiduciam, quod me credo redamari. vale.

III ante a. 388.

SYMMACHVS IVLIANO.

Hunc scribendi morem superstitio vetusta constituit, ut ad peregrina digressi priorem sibi locum vindicent cum absentibus conloquendi; sed adfectus moris inpatiens scribendi vices regione mutavit. itaque rupta lege reticendi sermonem tuum festinatione praevenio, adiciens sedulae salutationis officiis commendationem viri inter optimos quosque numerandi, quem dudum a parentibus clarum et aulicae dignitatis splen-
2 dor excoluit et amplissima curia non accepit ut novum sed recepit ut debitum. quae tamen in fratre nostro Philippo secundo loco et honore censenda sunt, quia plus habet laudis in moribus magisque probitate conspicuus est, quam fortunae muneribus gloriatur. plura dicerem, si aut pudor eius sineret aut prolixa laudatio epistulae conveniret. certe illud spondeo, multa eximietatem tuam coram in eo reperire posse, quae tacui. nulla ex his desideraturum esse, quae scripsi. vale.

1 .q. aureli. symmachi. u̅c̅. consulis. ordinarii. epistolarum lib̄. II. explic̄ editus post eius obitum a q. fabio memmio symmacho. u̅c̅. filio incipit lib̄. III felicit ad iuliannm rusticum *P*, *om. F* 3 *om. F* symmacus *P* 4 obuersatus] *P 2 m.*, aduersatus *P 1 m. FΦ*, conuersatus *F* repperi *F* 6 his *PF* 7 si scientes *P 1 m.*, scientes (*FΦ*) 9 morderem *corr. ex* moderem *P 1 m.* sum *P* 10 breuis *P*
13 *om. F* 15 neque *F* deuortio *P* 16 quia *F* 17 nec] *Iurctus*, ne *PF* 18 transducar *F* 19 credo *in ras. P*
21 *om. F* symmacus *P* 23 moris] *P* (*FΦ*), more *F* 24 religione *P 2 m.* 29 glorietur *F* 31 quoram *P 1 m.* repperire ṭe *P* 32 ex his deesse quae *F*

IIII ante a. 388.

SYMMACHVS IVLIANO. *PF*

Decet, ut litteras meas frequenter efflagites, nec tamen convenit, ut de silentio grave quidpiam suspiceris. oblitum me tui, quod in hanc diem silueram, censuisti. an ita vel mei animi fides †clara est vel tui meriti angusta momenta sunt, ut huic de me opinioni locus esse debuerit? quare amicitia communis plus accepit iniuriae ex tua suspicione quam ex silentio meo. minus est enim necessitate officium deserere quam voluntate praepropera iudicare. putas me sollemni genere defensionis levare 2 peccatum: 'diu afui, longa otia in secessu ruris exegi, tabellarii defuerunt'. haec si vera plerumque sunt, tamen adsiduitate detrita in invidiam mendacii reciderunt. meae occupationes ab usu remotae nihil mediocre protendunt, cuius rem familiarem nova incessit adfinitas contra rationem legum felicitatem temporum consensum parentum pacta maiorum. sed reprimam me neque his querellis ulterius immorabor, quas tabellarius, si veritati amicus est, explicabit. ita fiet, ut et tibi cognitio gestorum plena proveniat, et ego excusationem meam potius indicasse videar quam dolorem.

V ante a. 388.

SYMMACHVS IVLIANO.

Aiunt, qui callent rhetoricam disciplinam, nihil esse controversiae, ubi eadem partium iussa sunt. imaginem propositae rei postulas? mitto decantatas meditationum iudicialium fictiones et *in*ania simulacra causarum: vel haec nostri silentii diuturnitas materiae talis exemplum est. obicies mihi dissimulati officii neglegentiam: in *te* haec refertur oratio. ergo quia pares sumus, dulce conludium est, ut cum altero neuter 2 expostulet. veniam cum dederis, impetrasti. sed cur aequis tecum condicionibus ago iam melior causa [est], qui prior emendo utrinsque delictum? videro, quae tua futura sit in referendo sermone curatio. ego in v*i*am reduxi amicitiae nostrae fortuitum stuporem, neque ex ea re adfecto gratiam. satis mihi laudis est invidiam silentii diluisse. vale.

VI a. 380.

SYMMACHVS IVLIANO.

Solet quidem aegritudines animi ratio mitigare, sed fortunae nostrae tantum vulnus est, ut ei ne tua quidem d e l e n i f i c a e t s u a d a f a c u n d i a cicatricem possit obducere. fors fuat, an dies longa quandoque hebetet laxatum dolorem; siquidem

31 Ausonius apud Symm. epist. I 32, 1.

2 *om. F* 5 an] *F*, ant *P 1 m.*, haud *P 2 m.* clara] *PF*, clauda *ego*, inclara *Lypsius* 7 meo silentio *F* 8 praepropera] *P 2 m. ΓΦ*, praepropara *P 1 m.*, propria *F* 10 si] etsi *F* 14 explicauit *P 1 m.*

17 *om. F* 18 eandem *F* 19 iussa sunt] *PΓΦ*, *om. F*, iura sunt *Iuretus*, commissa sunt *Mommsen* postulant *F* decantata *P 1 m.* 20 inania] *Iuretus*, annia *P*, omnia *F* 21 dissumua *P 1 m.* in te] *Mercer*, inter *PF* 23 conditionibus *P 1 m.* 24 est *uncis inclusi* dilectum *P 1 m.* uideo *F* tuae *P* 25 in uiam] *Iuretus*, inuidiam *PΓΦF* 26 affecto mihi *F*

29 *om. F* 31 ne] nec *F* 32 fiat ut dies *F* habet et *P*

PF malis omnibus finis de tempore venit. interim frigent verba solantium neque aures
2 adplicat consiliis bonis surdus ex iniuria animus. tertius hic mihi de optimis fratribus luctus est. post tot miserias quis me non putet didicisse patientiam? at ego, quanto inbecilliores nos iste casus invenerit, magis doleo. nunc et illa crudescunt, quibus stuporem diuturnitas fecerat. ictus enim novissimus etiam veteres plagas dolore re-
3 scindit. nec ignoro multa invicti animi exempla posse referri. Pericles amissis recens liberis venit in curiam: sed patria causa cogebat; Anaxagoran physicum gravis de filio nuntius a disputationibus non retraxit: sed philosophiae deferebat calamitatis suae neglegentiam; *M. Horatius* morte pignoris sui cognita cadaver *ef*ferri iussit: sed hac
4 constantia esse debuit, qui Capitolium dedicabat. vides qui mihi sit animus; et tamen vita ducenda est. amor enim lucis a natura datus fulcit infirmitatem doloris. paene praeterii, quod inter prima fuerat conlocandum. cumulatissimas gratias ago, quod Proiectum familiarem nostrum avuls*um* contubernio tuo meo solacio deputasti. ex hoc
5 intellego, quanta necessitas fecerit, ne venires. ego tamen, qui te ipsum videre non potui, vidi animum tuum, cui satis non fuit medicinam fortunae nostrae per epistulam facere. addidisti enim quandam legationem, quae sui adsiduitate vim mali frangeret, quia noveras solacia litterarum cum lectione finiri. progressum *in* laudes tuas vi*ta*mus, cum ipse religionem magis ad conscientiam referas quam ad gloriam. ergo habeat modum sermo, quem numquam circa te habebit adfectio. vale.

VII a. 376?

SYMMACHVS IVLIANO.

Arbitrum te adsumo *in*ep*ti*arum mearum. cape, si quid ab re publica vacas, oratiunculam nostram, cuius edendae fiduciam mihi favor civium dedit. nam spes saepe alitur exemplis, et placiturum esse praesumimus, quod aliis iam placuisse gaudemus. nunc tuarum partium erit respondere. cum legeris, an debuerit me senatus animare. certe mihi duci vitio non potest, quod tam bene de tuis auribus speravi, quam simpliciter priorum suffragiis credidi. vale.

VIII ante a. 388.

SYMMACHVS IVLIANO.

Nuntium tibi reditus mei, cumprimum fida p*a*tuit occasio, exhibere non differo; scio enim te prospera quaeque de nobis velle cognoscere. mihi quoque par cura est de salute atque actibus tuis laeta et optata noscendi, atque ideo dignaberis, quotiens fors dederit facultatem, officia circa nos mutuae adfectionis implere.

---

3 didicisse] *F*, et didicisse *P 1 m.*, edidicisse *P 2 m.* pacientiam *P 1 m.* at] et *P 1 m.* quando *P 2 m.* 4 ipse *F* 5 rescindit *P* 7 lineris *P 1 m.* anixagoran *P 1 m.*, anaxagoram *F* 9 M. Horatius] *Lypsius*, *om. PF* mortem *P* sui *om. F* efferri] *ed. Veneta*, fieri *PF* 13 auulso *PF* 14 ueniret *P 1 m.* 16 quandam] *F*, quando *P(ΓΦ)*, *fort.* quodammodo 17 lectioni finiri *P 1 m.*, lectione finire *P 2 m.* progressum in] *Suse*, progressum *PΓ*, progressi *F* uitamus] *Suse*, uidimus *PΓΦF* 18 cum] *PΓF*, quam *Φ* regionem *P*
21 *om. F* 22 ineptiarum] *ego*, epistolarum *PF* 26 dici *P*
29 *om. F* 30 patuit] *Iuretus*, potuit *P*, potuerit *F* differam *F* 32 dignaueris *P 1 m.*

VIIII ante a. 388.

SYMMACHVS IVLIANO. *PF*

Tanta animi voluptate sumpsi litteras tuas, quas mihi post longum silentium detulisti, ut me fatear querellae prioris oblitum, quia memoriam praeteritae intermissionis antiquavit gratia recentis officii. deinceps, si tibi cordi sum, frequenter operam scriptionis admitte vicissitudine remunerandus et sermonis et amoris. vale.

AD NAVCELLIVM.

X.

SYMMACHVS NAVCELLIO.

Expectas a me litteras largiores. delector indicio tuo; laus enim est ingenii, cum desideratur ubertas. sed velim tibi verborum copiam displicere. nam quid agat, quo se vertat, ubi inmoretur cassa rebus oratio? odi in parvo corpore longa velamina. illa vestis decenter indutui est, quae non trahit pulverem nec in humum demissa calcatur. scribe ergo aliquid, quod rescribendo producam; quamquam religione decipior, qui tibi uberes epistulas audeo polliceri. videro, qui*s* sit futurus eventus sententiae tuae. tu memento non electionem me tibi sed copiam spopondisse. vale.

XI.

SYMMACHVS NAVCELLIO.

Sumpsi pariter geminas litteras tuas Nestorea, ut ita dixerim, manu scriptas. quarum sequi gravitatem laboro. trahit enim nos usus temporis in plausibilis sermonis argutias. quare aequus admitte linguam saeculi nostri et deesse huic epistulae Atticam sanitatem boni consule. dignum est, ut haec ipsa apud te culpae confessio prosit mihi ad veniae facilitatem. quodsi novitatis inpatiens es, sume de foro arbitros, 2
mihi an tibi stili venia poscenda sit. crede, calculos plures merebor, non ex aequo ac bono, sed quia plures vitiis communibus favent. itaque, ut ipse nonnumquam praedicas, spectator tibi veteris monetae solus supersum: ceteros delinimenta aurium capiunt. stet igitur inter nos ista pactio, ut *me* quidem iuvet vetustatis exemplar de autographo tuo sumere, te autem non paeniteat scriptorum meorum ferre novitatem. non silebo alterum munus opusculi tui, quo priscam rem publicam cuiusque †huius ex 3
libro Graeco in Latium transtulisti. arma a Samnitibus, insignia ab Tuscis, leges de

30 Sall. Catil. 51, 38.

2 *om. F* 3 uoluntate *F*, uoluntatem *P 1 m.* 4 quaerelli *P 1 m.* 5 sim *F* 6 adnitere *Suse*
7 VIIII explicitae ad iulianum incipit ad naucellium *P*, *om. F* 9 *om. F* symmacus *P* 14 decipiar *F* 15 uberis *P* uideo *F* quis] *Lypsius*, quid *P*, qui *F* 16 spopondisse sed copiam *F*
18 *om. F* 19 geminatas *F* dicam *F* manus *P 1 m.* 20 in argutias plausibilis sermonis *F* 21 aequos *P*, equos (*ΓΦ*) 22 bonim *P* 23 quid? si *Suse* 24 uenia poscenda sit] *ΓΦF*, ueniam poscendo sed *P* 26 supersum] *F*, semper sum *P* dilimenta *P* 27 me *om. PF* 28 autografo *P* 29 cuiusque huius] *PΓF*, cuiusque nationis *ego*, cuiusque gentis *Mommsen* 30 latinum *ΓF* legis *P*

PF lare Lycurgi et Solonis sumpseramus: tuus nobis posthaec addidit labor peregrina monumenta, quae iam sui nesciunt. nunc vere civitas nostra †populum omnium parens facta est; docere enim singulas potest antiquitates suorum. ipsa vero *per se* materia digna laudari quanto verborum stellatur auro? nescias cultu an rebus magis
4 voluminis honor gaudeat. de mea aegritudine nequaquam te rumor fefellit, sed iam — modo mihi venia dicti sit — convalescentiae portus aperitur. carminum tuorum codicem reportandum puero tradidi, et quia eglogarum confusus ordo est, quem *de*scripsimus, simul misi, ut et correctio a te utrique praestetur et aliorum, quae nunc pangis, adiectio. vale.

XII.

P

SYMMACHVS NAVCELLIO.

Si tibi haec una, ut ais, frequentandi stili causa est, ut a me vicem sermonis excudas, magnum silentii nostri in litteris tuis pretium est. vide igitur, ne me validus a scribendo revocet fructus tacendi. quia si saepe respondeam, fortasse plura remittes ut iam victor optati. mane ergo in proposito adsiduae scriptionis etiam post
2 epistulam meam, quamvis malim reditum tuum quam paginas impetrare. sunt quidem illae Tulliano segmentatae auro, sed de praesentibus amicis bona plura sumuntur. ipsa etiam verba melius ex oris fontibus fluunt quam mandantur textis papyri. quin ergo eluctatus longi otii cariem Caelium nostrum *r*evisas. sat *t*emporis Spoleti*o* dat*um*, bonae urbi et optimorum civium matri, intellegenti tamen, quod nostrae curiae viros usucapere non possit.

XIII.

PF

SYMMACHVS NAVCELLIO.

Binas ad me litteras pedisequus tuus detulit: fraudis arguerer, nisi totidem reddidissem. utrisque te rediturum Romam, si per annos liceat, spopondisti. saepe numero idem scripseras; nihil iam moror syngraphas tuas. iterare promissum fallaciae meditatio est. scio lentos ad capessendum laborem senes fieri, sed quia crescunt vitia cum tempore, in *cras* es mihi adtrahendus, priusquam iustiorem veniam faciat longior
2 dies. nullam certe Nestor tertio aevi sui saeculo militiae vacationem poposcit, nec Achilli excusavit aetatis suae frigus senex monitor. et certe haud multum itineris interiacet. Spoletium suburbanitas nostra est. dum carmina tua ruminas, dum epigrammata oblatis lucis aut *a*mnibus facis, fallitur doctis cogitationibus sensus laboris.

1 lygurgi *P*, ligurgi *F* 2 monimenta quae iam senescunt *F* populum] *P*, populorum *F*, *fort.* propalam 3 enim *om. F* potest singulas *F* per se materia] *ego*, pars materia *P*, pars materiae *F* 4 stillat *F* 5 sed iam mihi uenia indicta est *F* 7 descripsimus] *Iuretus*, de eo scripsimus *PF* 8 misimus *F*

13 silentii/ *P* uide ne *P* ualidius *Lectius* 14 parumper remittes *Mommsen* 15 remittens *P* 19 reuisas] *cod. Cuiacii*, seuisas *P* satemporis *P*(*ΓΦ*) Spoletio datum] *Iuretus*, spoletium dato *P*(*ΓΦ*) 20 obtimorum *P 1 m.*

23 *om. F* 24 pedissequus *P 2 m.*, pedissequens *ΦF* 25 numero *om. F* 26 syngrafas *P* 27 quia] qua *P* 28 in cras es] *ego*, ingrates *P*, ingratus *F* adtrahendus est *F* 29 aeui sui] aetatis suae *F* 30 achillem *F* 32 oblatis — amnibus *om. F*, oblatis locis aut hominibus *Mommsen* amnibus] *Scioppius*, omnibus *PΓΦ* facis] *PΓ*, componis *F*

XIIII.

SYMMACHVS NAVCELLIO. *P*

In meo aere duco, quod te adornare optatum reditum nuntiasti. sed male metuo, ne hoc studium tui negatio habitationis impediat; quam peto, ut in bonam partem voti erga te mei certus accipias. deos enim faci*o* testes, has domus, quarum alteram postulasti, iamdudum a me hospitibus esse decretas. quaeso igitur, ut sacramento commodes fidem, qui vel animo tantum meo credere debuisses, et in aedes tuas festinus recurras. siquidem domus, quae tibi prius ambitios*o* per aetatem iuventae et habitanti cum liberis satisfecit, senilem moderationem distributis in alias domus filiis non debet offendere. vale.

XV.

SYMMACHVS NAVCELLIO. *PF*

Petis, ut respondeam: litteris meis denuntiatio ista certaminis est. sed unde mihi quamquam procedenti in annos graves senile illud et comicum, quo tu veteres aemularis? nec tamen de*stit*uet voluntatem tuam stili mei desperatio. quis enim pudor est vinci post confessionem? illud quoque me ad rescribendum coegit, quod timui cessationis exemplo quandam tibi silentii formulam dare plusque in me rediturum fraudis adverti, si tua offensio imitaretur tacentem, quam si ausus meus superiorem. 2
aestimabis ipse, quanto hoc tui amore adversum verecundiam meam fecerim. interea, quod vales, dulce est. quamvis adieceris, cauto esse opus, ne forte reditum nostrum aevi tui subita praevortant. nolo annos ad calculum voces: fiducia salutis in viribus est. quas cum vitet expendere tutela morum tuorum, spera confecturos deos, ut maneas vitae integer in metas, quas veterum definitio dedit saeculo. vale.

XVI.

SYMMACHVS NAVCELLIO. *P*

Fortasse arguas diuturnum silentium meum. *n*olo adplices hanc moram neglegentiae. continuatio enim longi itineris stilo obstitit. tandem Formianum litus accessimus, quod mihi esset acceptius, si una loc*i* istius voluptate frueremur. sed quia hoc per annos et valetudinem tuam non licet, edocer*i* saltem mutuis litteris peto, quantum corpusculo vigoris adieceris. inesse enim tibi temperantiam ceteraque tuendae senectutis praesidia non ambigo. vale.

---

4 negotio *P 1 m.* 5 deus *P 1 m.* facio] *Lectius*, facies *P* 8 ambitioso] *ego*, ambitiosa *P* iuuentae (a *in ras.*) *P*

12 *om. F* 13 meis] *PΓΦ*, tuis haec *F* ista *om. F* 14 tamquam *F* quo tu] *PΦ*, quoniam tu *F* aemulares *P 1 m.* 15 destituet] *Mommsen*, defuet *PΓΦ*, defruet *F* 16 scribendum *F* 17 exemplum *F* quantam *P 1 m.*, aliquam *F* 20 ualet *P* creditum *P* 22 quos *P* 23 saeculo] sc̄lo *P*

26 nolo] *Iuretus*, uolo *P* 28 loci istius] *Modius*, locis tuis *PΓΦ*, loci et tui *Mercer* 29 edocere *P*

PF

AD GREGORIVM.

XVII a. 378?

SYMMACHVS GREGORIO.

Habeo expostulandi tecum probabiles causas, quandoquidem pontificio litterati honoris auctus nullum mihi indicium communis gaudii praestitisti. sed nolo primas litteras meas felle obiurgationis imbuere, ne animum tuum contrahant amara sermonum. quare decedo querimoniis et tecum hanc veniam sic paciscor, ut in reliquum pensi
2 habeas amicitiae diligentiam. sit inter nos frequens honesti us*us* officii, sint adsiduae scriptorum familiarium vices. quippe tacita concordia instar odiorum est. ideo litteras adfabra rerum vel natura vel industria peperit, ut numquam muta esset adfectio, et si quando absumus, linguae ut operam fungerentur signa verborum. haec in praesentia satis dicta sunt: opto deinceps materiam mihi ad respondendum dari gratia muneris tui non dolore fastidii.

XVIII a. 379.

SYMMACHVS GREGORIO.

Abundas quidem naturae bonis et ingenii facultatibus, sed continui silentii culpam tibi quoque purgare difficile est. quid enim vel ex vero vel ex comment*icio* dici potest? itinera me, inquies, longa tenuerunt: sed saepe cessatum et aliquando perventum est; vigilem operam publicis rebus inpendo: sed vicibus otii negotium omne distinguitur. restat, quod minime volo, ut fatearis amicitiae neglegentiam. nam
2 officia si plerumque deseras, occupatio est, si semper, oblivio. *irasci* m*e* putas? hoc si fieri posset, tacerem. inludis ergo patientiae meae? atqui intellegas, aequum animum maiore pretio munerandum. indignius laeditur, quem religio non permittit offendi. et certe interfuit sollicitudinis tuae exerere aliquid verborum familiarium, cum mihi de scriniis tuis profecta delegaretur oratio. de qua te interim suspensum tenebo tum demum tibi iudicii publici facturus indicium, cum exoraveris, cum merueris, et quia tanti litteras tuas duco, cum scripseris. vale.

XVIIII a. 380.

P

SYMMACHVS GREGORIO.

Diuturnitatem silentii aliquando rupisti, sed mehercule frequentibus inpulsus officiis: ego tamen non minore adficior gratulatione, quam si litteras sponte tribuisses. germani mei vicaria potestate gaudeo, tamquam mihi decus honoris accesserit. vestro

---

1 explicit ad naucellium incpit (*sic*) ad gregorium *P*, *om.* *F* 3 *om.* *F* graegorio *P et ita deinceps* 4 iterati *F* 6 ne *om.* *P 1 m.* 8 honesti usus] *ego*, honestius *PΓΦ*, honor *F*, honos istius *Modius* 10 naturae *P* industriae *P* 11 operam *P*, operum *F* 12 praesenti *F* sunto *Mommsen*

15 *om.* *F* 16 abundans *PF* 17 uel ex falso uel ex commentato *F* commenticio] *ego*, commentato *PF*, commento *Mommsen* 18 sed] si *F* 19 rebus] negotiis *F* negotium omnem *P*, omnem negotium *F* 21 obliuio irasci me] *Haupt*, obliuio trans crimen *PΓΦ*, obliuionis crimen *F* 22 aut qui *P 2 m.* 23 remunerandum *F* 24 sollicitudini *F* exaerere *P*, exercere *F* 26 exoraberis *P 1 m.* 27 duco litteras tuas *F*

30 rupistis *P* 32 germini *P 1 m.* uicaria potestate] *Iureti ed. 2, quod e codice aliquo (Pithoeano?) haustum esse, vel ea re apparet, quod Iuretus ipse non intellexit, h. l. de Celsini Titiani vicariatu Africano sermonem esse, sed vocem* germani *pro nomine proprio accepit*, uice *P*

quoque in eum favore delector, tamquam aliquid ipse praestiterit. cum quo inlustrem virum Syagrium fides certa est operam bonae frugis adnisum. quod eo *ad* te scribendum putavi, ut gratiam nostram adsertor sedulus exsequaris. *P*

XX.

SYMMACHVS GREGORIO. *PVM*

Elegisti materiam proniorem. adcommodatior est enim querellae oratio humana quam gratiae. qua causa factum puto, ut me taciturnitatis incesseris, cum perpetem curam dandae et reddendae salutis aduitar. quod quidem me libente fecisti. nam qui alteri culpae ducit officii neglegentiam, pollicetur de se operam promptiorem. expostulatio igitur tua instar est sponsionis. non meditabor nova verba, non excogitabo sententias: si peccatum silendo contraxeris, tuis tantum litteris argueris. vale.

XXI a. 380.

SYMMACHVS GREGORIO. *PVF*

Vellem te legato uti apud optimum consulem purgandae atque excusandae absentiae meae, si scirem, quod tu mihi in ea re primus ignosceres. nam cum amorem vestrum cogito, vereor, ne ut me aeque ambo diligitis, ita similiter arguatis. quis igitur mihi huius causae defensor adhibendus est? fortuna scilicet mea. cuius ut misera ita iusta purgatio est. neque enim fas sinit laeta officia obire lugentes. fortasse etiam vestram hilaritatem mea tristitudo contraheret: siquidem semper fieri amat, ut habitum mentis de amicorum ore ducamus. quare ignosce, quod desumus, et apud egregium virum consulem fave absentiae meae. cuius honore gloriari nostrum est, auspiciis interesse felicium.

XXII.

SYMMACHVS GREGORIO.

Tantum tibi suppetit uber eloquii, ut prioris silentii veniam cum praesentis facundiae laude merearis. quae enim pars litterarum tuarum vel inventionum prudentia caruit vel novitate sensuum vel antiquitate verborum? cum igitur tibi supellex larga non desit, innitere, quaeso te ut non minus religione quam oratione probatus habearis, ut sicuti oratione mirabilis es, ita religione lauderis. faciet hoc crebritas epistularum tuarum, quae non solum tibi parabit gratiam, verum etiam me faciet promptiorem.

---

2 fruges *P 1 m.* ad te] *Mercer*, ante *P*

5 symmachus gregorio *in V sequitur post VII, 39; eodem loco haec epistula legitur in M, qui inscriptionem omisit* 7 quae causa *PV*, quod *M*

13 *om. VF* 14 absentiae] sententiae *V* 15 uestrum amorem *F* 16 neut meae quae *P 1 m.*, ne ut me quem *V*, ne me quem *F* 18 enim *om. F* 19 siquidem quod semper *F* 20 ut *om. F* habitu *P 1 m.* (*ΓΦ*), habita *V* 21 uerum *P 1 m.* 22 uale *add. VF*

24 *om. VF* 25 ubere loqui *V*, uberis eloquii *F* silentii *corr. ex* silentie *V 1 m.*, silentia *P 1 m.* 27 antiquitate (antiqui *in ras.*) *P* supplex *P 1 m.* 28 initere *P 1 m.*, nitere *V*, annitere *F* ut — 29 habearis *del. Iuretus* 29 laudaris *P 1 m.* faciet et *P 1 m. V* 30 parauit *P 1 m. V* 31 uale *add. V*

PVF

AD MARINIANVM.

XXIII.

SYMMACHVS MARINIANO.

Nos hic in otio rusticamur et multimodis autumnitate defruimur. nam postquam doliis nova vina commisimus, quae calce et prelo subacta fluxerunt, trapetis teritur baca Sicyonia, ut praecox olea in usum olivi viridis mulceatur. interea loci ferarum domus indago sollicitat, ut incertus agricola in officia diversa discurrat. alii scalis ad arborum summa perrepunt; plerique condita musta defaecant; nonnulli aprorum
2 odora vestigia canum sagacitate disquirunt. sed haec omnia, si nobiscum ageres, plus placerent. tenet te eruditio Scaevolarum, dum forenses ra*bu*las pervigil doctor instituis. quare accurre perniciter. ut feriarum reliquiae laboris fasti*di*um tergea*nt*, *vel* certe, si tibi ergastuli istius amor tantus est, adesto inpiger, ut ad dicendum promptior revertaris. vale.

XXIIII.

SYMMACHVS MARINIANO.

Quod fortunae tuae pollucibiliter floruerunt, meum duco conpendium, quando ita animatus sum, ut amicorum prospera meis commoditatibus externa non arbitrer. et re vera quo*tus* quisque homini dies laetus est sua tantum secunda numeranti? latius gaudet, qui et alterius bonis pascitur. qua me igitur gratulatione adfectum putas, cum tibi comperi iugales deos matrem familias copulasse atque ex ea filiolam tem-
2 pestivo dedisse proventu? nam, ut scis, intervallo maris atque terrarum, quo distinemur, non prius coniugem tibi quam subolem accessisse cognovi. quippe unis litteris et nuntium filiolae recens editae et nuptialem sportulam detulisti. quae quidem bona tibi dispertita temporibus acciderunt, sed meum pectus pariter ingressa sunt. cedant gaudia divisa coniunctis: uberiorem mihi fructum praestitit mora. iam non queror, quod epistulae tuae serae sunt: iucunda dilatio est, quae simul bona plura restituit. vale.

5 Verg. G. II 519.

1 explicit ad graegorium incipit ad marinianum *P*, *om. VF* 3 *om. VF* marino *P 1 m.* 4 multis modis *F* fruimur *F* 5 tapetis *PV* 6 naca *P 1 m. V*(*ΓΦ*) sycioni aut *PVF* 7 domos *F* 8 arborem *P 1 m.* 9 ad ora *V* disquirunt *om. P* 10 sceuolarum *PVF* forentes *P 1 m. V* rabulas] *Schottus*, rauolas *PVF*(*ΓΦ*) 11 reliquie *P* fastidium] *F*, fastigium *PV* tergeant uel certe] *ego*, tergeatur certe *PV*, tergeant denique *F* 12 *fort.* docendum 15 *om. VF* 16 pollicibiliter *P*, bene *F* 17—19 et re uera — pascitur *om. F* 18 quotus] *Iuretus*, quod ut *PV*(*ΓΦ*) secundam *P* 19 putas *om. P 1 m.* 20 filio iam *P 1 m.*, filium iam *P 2 m.* tē/pestiuo *P* 21 quodestinemur *P 1 m.* (*Γ*), quod est intuemur *V*, quo destitnimur *F* 24 temporibus dispertita acciderant *F* 26 delatio *P 1 m.* bona *om. F* 27 uale *om. V*

XXV.

SYMMACHVS MARINIANO. *PVF*

Plenae atque inveteratae inter nos amicitiae nihil adici posse credideram: invenisti tamen, quo perfectam diligentiam tui in fastigium tolleremus. amabili enim fiducia *u*sioni tuae praebenda mandasti, quae peregrinatio hiberna poscebat. tu vero abundas omnibus, sed studio dandi beneficia excogitasti causam petendi. sed dedisse te ex hoc gratiam satis constat, quia plus accepit, de quo aliquid sibi alterius amor vindicat. uno tantum lapsu — fas sit dicere — amica vindicatio claudicavit, quod 2 remunerandum me de Galatia polliceris, ubi ad patrium larem veneris. noluissem constantiam boni facti in haec trepidae verecundiae verba descendere. sed praetereo laudatae epistulae levem fascinum; neque enim me tantae gratiae obligatio sermonum esse interpretem sinit. cur autem multa loquimur parva missuri? descriptio tradendarum tibi vestium secundam paginam tenet. quid de mediocritate †parum sentias, ipse videris, qui *h*iemi magis quam cultui apta indumenta voluisti. vale.

XXVI.

SYMMACHVS MARINIANO.

Securus, ut video, scribendi ad me vices neglegis; scis enim tibi istiusmodi culpam sine talione cessuram. quotiens tibi minatus sum par silentium, si a litteris temperasses? vincor tamen adfectione et delector tali mendacio meo. ex quo intellegere potes, quam constanter te diligam, qui tam inconstanter irascor.

XXVII.

SYMMACHVS MARINIANO. *PVM*

Desideratas mihi litteras sero hominis mei adventus exhibuit, quae nobis gratum admodum salutis tuae indicium praestiterunt. atque utinam facilitas commeatus copiam daret frequentioris officii.

XXVIII.

SYMMACHVS MARINIANO.

Expectatae mihi tuae litterae contigerunt, quibus promptior ad vicissitudinem reddar officii. nec mireris, quod tibi sermo noster sero tradetur, cum aliquid occupationes sibi vindicent, nonnumquam desit facultas, tabellariorum quoque neglegentia susceptam operam plerumque frustretur. desine igitur animum nostrum epistularum severitate me*t*iri, cum rebus potius quam verbis spectetur adfectio. vale.

---

2 *om. VF* 4 tui in — enim *om. P 1 m.* 5 usioni] *Suse*, ausoni *P 1 m.*? *VF*, ausioni *P 2 m.* 6 habundans *VF* sed *om. F* beneficio *P 1 m.*, beneficii *P 2 m. F* 8 una *P 1 m. V* 9 galacia *VF*. Gallaecia *ed. Veneta* nollem *F* 10 praetoreo *V* 11 leue *F* 13 parum] *PVΓΦ*, *om. F*, earum *Scioppius* ipse sentias *Φ* 14 hiemi] *Sirmondus*, emi *PVΓΦ*, enim *F* indumentum *Φ* 16 *om. VF* 17 secures *P 1 m.* uicis *P 1 m.* istiusmodi tibi *F* 20 uale *add. VF* 22 *om. VM* 23 serus *V* 24 comeatus *V* 27 *om. VM* symmacus *P* 29 serio *V* 31 frustetur *VM* 32 seueritate] *VMΓΦ*, seueritatem *P*, seritate *Gruter*, raritate *Mommsen*, sedulitate *ego* metiri] *Gruter*, mereri *PVMΓΦ*

XXVIIII.

PVF

SYMMACHVS MARINIANO.

Factum nuntias, quod spe et opinione ante percepi, ut tibi amicitiam bonorum primus congressus aperiret; namque hoc nobis et tui mores et illorum iudicia promiserant. facile enim probitas delata ad virtutum arbitros placet. verum ista pars gaudenda mihi potius quam producenda est; illud mallem latius praedicare, si aequaret oratio rei magnitudinem, quod vestimenta de nobis usui tuo vindicas. nihil hoc amore sincerius: scias fiduciam de simplici adfectione surgentem genus esse virtutis. sed quid ego huic puritati dignum rependam? stetimus officiis religionis hactenus pares: nunc tibi sine cunctatione cedimus. puto tibi sufficere ad vicem tantae gratiae victi confessionem. vale.

AD AMBROSIVM.

XXX ante a. 398.

SYMMACHVS AMBROSIO.

Sallustio amico meo multa sponte tribuisti. nunc adice, quae supersunt, ut ego quoque partem beneficii adeptus existimer. supplementa autem desiderii eius a tabellario epistulae suggeruntur, quae stilo persequi supervacaneum duxi. aptius est enim negotiis intimandis vivae vocis indicium.

XXXI ante a. 398.

SYMMACHVS AMBROSIO.

Itero postulatum pro Sallustio amico meo et, ut ipse adseverasti, a te quoque in curam dudum recepto. non quo metuam, ne tutelam forte eius oblivione destituas, cum familiare sit constantiae tuae fideliter exequi recepta mandata, sed quia diligentiam meam fortuna amici saepe sollicitat et laborantibus commendatio una non sufficit. licet tenaciter memorem rursus admoneo. praestabit beneficii tui celeritas, ne sit mihi necesse idem saepius facere.

XXXII ante a. 398.

PVM

SYMMACHVS AMBROSIO.

Fratres mei Dorotheus et Septimius laudabiles viri unam tuam epistulam pertulerunt. sed mihi religio fuit istiusmodi captare compendium, ut et tibi geminata officii responderet usura, et singulis honor debiti testimonii proveniret. nam etsi tibi Doro-

2 *om. VF* 3 praecepi (*F*) 4 moris *PVF* promiserunt *F* 6 illud latius praedicares mallem aequaret ratio *V* latius *om. F* 7 de nobis *om. VF* 8 adfectionem *P* 9 hac puritate *F* rependam dignum *V* actenus *P 1 m.* 11 uale *om. V*

12 vii explicit ad marinianum inc̄ ad ambrosium *P*, *om. VF* 14 *om. VF* 15 salustio *VF* 17 suggerentur *Schottus* superuacuaneum *P* 18 uale *add. VF*

20 *om. VF* ambrosi *P* 21 salustio *VF* 22 quod *Iuretus* 23 persequi *F*

28 *om. VM* 31 proueniret *corr. ex* praeueniret *P*

thens frater noster probatus est, cupio tamen, ut eum in maiorem modum iudicii mei praerogativa conciliet, quod futurum esse non ambigo, cum adfectio boni animi capax sit augmenti, quotiens meritis provocatur. *PVM*

XXXIII a. 395?

SYMMACHVS AMBROSIO.

Licet arbitrer, superiores litteras meas, quibus, ut fratrem meum Marcianum ab iniuriis vindices, postulavi, in manus tuas esse delatas, abstinere tamen etiam secunda petitione non debui, ut necessitatem viri optimi sed invidia tyrannici temporis involuti precatio geminata testetur. quare rursus te ad amici defensionem exhortor, cuius tenuitas orta ex integritate non patitur, ut anno*na*rum pretia possit exsolvere, quae iam multis eiusdem temporis iudicibus imperialis clementia relaxavit. erit igitur tibi facilior ad impetrandum via, cum meritorum tuorum opitulatio aliorum iuvetur exemplis. vale.

XXXIIII a. 392—393.

SYMMACHVS AMBROSIO.

Naevi instar est, ut frater meus Magnillus vicaria potestate per Africam functus testimonio omnium publice privatimque conspicuus variis in e*a* provinci*a* retardetur obstaculis. nosti optimi viri maturitatem ceterasque artes bonas, quibus etiam tuum amorem, cum Liguriam gubernaret, adtraxit, et ideo apud te redundantis est operae laudare compertum. quare inpendio peto, ut cum a baiulo litterarum causas morarum eius acceperis, religiosum pro eius reditu interventum digneris adhibere, quo tandem patriae restitutus longae peregrinationis iniuriam desiderata quiete commutet.

XXXV ante a. 398.

SYMMACHVS AMBROSIO. *PVF*

Ex usu venit, ut opem desiderant*e*s ad suffragia probata confugiant. horum unus Eusebius est, qui adulescentiae prolapsus errore notatusque iudicio exploratissimum remedium veniae imperialis implorat. sed ut ei celeriter adrideat effectus optati, deferri in curam tuam spem petitionis optavit; cuius haec summa est, ut iudicati remissione famae suae vulnus excludat.

---

1 indicii *PV* 3 uale *add. VM*

5 *om. VM* 6 martianum *V* 7 manus tuas *P* deletas *P 1 m. M* 8 tyranrici *P 1 m.* 9 rursus *P* 10 huorta *P* annonarum] *ego*, annorum *PVM*

15 *om. VM* 16 neui *P*, eni *V*, aeui *F*, equi *M*, ne aeui *Lectius* affricani *V* 17 testimonium *P 1 m. V* in eam prouinciam *PVM*, *fort.* intra eam prouinciam 18 mataritatem *P* bonas artes *V* 19 ligoriam *V* redundantes *P 1 m. V* 20 baiolo *PV* mores *V*, et mores *M* 21 internentinm *P*, intuitum *VM* 22 uale *add. VM*

24 *om. VF* 25 desiderantis *PV* 27 optatidem ferri (tati *in ras.*) *P*, optati defero *F* 28 optauit *om. F* 29 uale *add. VF*

XXXVI ante a. 398.

PVF

SYMMACHVS AMBROSIO.

Filius meus Caecilianus vir clarissimus, qui nunc communis patriae gubernat annonam, certo cognovit indicio, adversarium suum Piratam nomine vel eius procuratorem spem tui favoris hausisse. negavi solere te recipere in tuam curam pecuniaria*s* *actiones*. ille tamen, ut est hominum supervacua plerumque trepidatio, consentaneas sanctis moribus tuis de me litteras postulavit. non abnui operam meam facilia et iusta poscenti. summa est igitur impositi mihi muneris: contra absentem civem simulque districtum publicis curis non sinas quidquam de iustitia tua sperare praesidium. sunt leges, sunt tribunalia, sunt magistratus, quibus litigator utatur salva conscientia tua. vale.

XXXVII ante a. 398.

SYMMACHVS AMBROSIO.

D*us*a*r*ius clarissimus vir, qui inter professores medendi summatem iure obtinet locum, adfinem suum eundemque cognominem tradi patrocinio tuo meo optavit oratu. libens amicissimi viri desiderio satisfeci, ut una via et te excolerem salute dicenda et illius usui commodarem. fac igitur oro, ut commendatum tuearis auxilio, me sermone vicario munereris. vale.

PVM

AD HILARIVM.

XXXVIII a. 397?

SYMMACHVS HILARIO.

Cum has ad te litteras darem, lectulo aeger tenebar iam quidem a periculo vindicatus sed adhuc inops virium, quae subinde incertis febribus deteruntur. inter haec tamen mala valetudinis meae amicis negotium dedi, ut pignus commune consultu patrum viris consularibus iungeretur. habita est ratio meritorum tuorum; nihil enim gratiae meae dico delatum. acta amplissimi ordinis Datiano honesto viro tradidi, quae ubi in manus tuas venerint, amicitiae me satisfecisse pronuntia*to*. nihil enim malo quam honesti officii diligens iudicari. vale.

---

2 *om. VF* symmacus *P* 3 cecilianus *P 1 m. VF* 4 annonam] coronam *V* paratam *P* 5 pecuniarias actiones] *Lectius*, pecuniariam sanctionis *P 1 m. VΓΦ*, pecuniarias sanctionis *P 2 m.*, pecuniariam sanctionem *F* 6 illa *V* plerumque superuacua *F* 7 de me *ante* sanctis *coll. F* 8 petenti *VF* mihi *om. V* 9 praesidii *P 2 m. V*

13 *om. VF* 14 Dusarius] *Mommsen*, dysanus *PV*, lysanus *F* 15 eodem *F* cognomine *VF* 16 liber *P* et *om. F* excolorem *V* salutem *P 2 m.* dicendam *P 1 m.* 17 me] ne *V*, et me *F* 18 remuneres *F*

19 explicit ad ambrosium incipit ad hilarium *P*, *om. VM* 21 *om. VM* 22 tenebrariam quidem *V* 23 inobs *P 1 m.* 24 ualetudines *P 1 m.*, ualitudines *V* pigniis *P* 26 daciano *V*, dona *M* 27 pronuntiato] *ego*, pronuntiant *PV*, prouunciabt *M*

XXXVIIII a. 397?

SYMMACHVS HILARIO. *PVM*

Valetudinis meae vigor coepit adsurgere: fas est, ut iam de me scribendi adsiduitas exigatur. maneat tantum sanitatis fides, quam plerumque sollicitat hiemis iniuria. nimis enim tenera atque inbecilla est ratio convalescendi, et ante medicas manus opem caeli clementioris expectat sanitas. ne tibi videor medendi artem morbi †diuturnitatem dedisse. volo enim, ut memoriam malorum ioci venustate frangamus. sed iam aliquid etiam de Repentino optimo iuvene dicendum est, cuius ego adsiduitatem desideravi; quam mihi, ut arbitror, verecundia eius negavit, cum fiducia ex te sumpta praestare debuerit. erit tamen copia melior, qua intellegat, non se debuisse deserere, quem frequenti testimonio tuo de se noverat credidisse.

XXXX.

SYMMACHVS HILARIO. *PVF*

Recte valeo. hoc enim scribendi debet esse principium, quod maxime expetunt vota lecturi. aeque tibi oblatum vigorem nimis gaudeo; nam me indicio tali nuper hilarasti. illud quoque in summam pono laetitiae, quod te memorem mei honorificentia proximae scriptionis ostendit. cuius rei gratiam silere non debeo, ut hoc invitamento ad perseverantiam litterarii muneris provoceris.

XXXXI.

SYMMACHVS HILARIO. *PVM*

Mentis tuae est pia et iusta mandare. quod ideo praeloquor, ut et implesse me noveris, quae pro filio *Baeb*iani viri clarissimi iusseras, et probasse. supervacua igitur fuit postulatio litterarum tuarum; moneri enim me de hoc oportuit non rogari. quid quod etiam mihi cum illo summa familiaritas fuit? unde factum est, ut aequ*i*tati petitionis favor amicitiae iungeretur. quid multa? venient in manus tuas commenta*ria* curiae nostrae super eius absolutione confecta, quae indicent tuae voluntati et Baebiani reverentiae delatam cupitorum celeritatem. †ad huius opere peto litteras crebriores, quarum tibi pro facundiae tuae opibus facilis liberalitas erit, mihi pro cultu mutuo pretiosa perceptio.

---

2 *om. VM* 6 uidear *P 2 m. M* ne tibi uidear hoc sentire, medendi artem morbo diuturnitatem dedisse. uolo enim *et q. s. Mommsen*, ne tibi uideor medendi artem morbi diuturnitate declinasse! inrideas simplicitatem meam. uolo enim *et q. s. ego* 9 uerecundiam *P 1 m. V* fidicia *V* ex te sumpta] exterum ita *P(ΓΦ)* 11 quem] fidem *V*, fidem quam *M* frequentịs *P*

13 *om. VF* *eadem epistula alio nomine inscripta V, 1* 14 principum *P* 15 lecturiae quạe *P 2 m. V*, lectiriae quae *P 1 m.* 16 mei] me *P 1 m.* 18 pronocemus *V* uale *add. VF* *sequitur in V II, 51*

20 *om. VM* *haec epistula sequitur in V post II, 51* 21 praeloquar *P 1 m. V* 22 habeniani *P*, habemani *V*, auiani *M* 24 aequitati] *M*, aequalitati *PV* 25 iungeretur ut quid *P* commentaria] *ego*, commenta *PVM* 26 bebiani *PV*, auiani *M* 27 ad huius opere] *PV*, ad haec opera *M*, *scribe:* sat huius operae! peto *et q. s.* 28 liberalitatịs *P*, liberatis *V*

XXXXII.

PVF AD HILARIVM.

Denuo obligo fenore litterarum bonae fidei debitorem. recepta enim salutationis vice, quam mihi proxime reddidisti, nexu istius muneris te vacare non patior. hoc autem mihi solum praestabit iste contractus, ut *indicia* prosperorum, quae de me accipies, tuorum bonorum volu*p*tate conpenses.

PF

AD SIBVRIVM.

XXXXIII a. 376.

SYMMACHVS SIBVRIO.

Fortunae tuae gaudia in meo aere duco atque huius sententiae te nobis indicem
capio, qui animum meum spectatum habes, cum tuum consulis. debebatur hoc teneris
temporum bonis, ut consilio publico vir laudatus accederes. ergo quia res sese ex
voto omnium dedit, perage operam iudicio tanti principis congruentem. urguet te ex-
pectatio bonis semper onerosa. *nam* etsi dignos respicit, periculo tamen proxima est,
2 dum sibi amplius pollicetur. habes saeculum virtuti amicum, quo nisi optimus quis-
que gloriam parat, hominis est culpa non temporis. vides certe: ut ille ipse, qui
Romanis rebus antistat, ad bonum publicum natus est, non tibi adverso nunc amne
nitendum est: secundo, ut ita dicam, cursu probae artes et virtutes feruntur. sed
3 haec tibi plenius tuus animus quam stilus noster expediet. ego amici functus officium
admonentis potius quam docentis personam recepi et spero actutum fore, ut expecta-
tione, quae de te magna est, maior habearis. nec ego istiusmodi scriptum recepissem,
nisi apud me liqueret, quod emendato pectori bona verba mandarem. quod restat,
memento salute referenda et tuum munus exequi et mei officii diligentiam provocare.

XXXXIIII.

AD SIBVRIVM.

Concedo in leges tuas et ἀρχαϊσμὸν scribendi non invitus adfecto. tu tamen fac
memineris, illud potius simplex nonnullis videri, quod sequentis aetatis usus recepit.
vis, ut epistulis nostris more maiorum nuda nomina praeferantur? si tibi vetustatis
tantus est amor, pari studio in verba prisca redeamus, quibus salii canunt et augures
avem consulunt et decemviri tabulas condiderunt. iamdudum his renuntiatum est, ut
2 successio temporum placita priora mutavit. an si nobis scribenda sit forensis oratio,

31 Serv. ad Aen. XI 301.

2 *om. VF* 3 oblego *PVF* litterarum oblego foenore *V*, litterarum fenore oblego *F* 4 nexu istius *corr. ex* nexiustius *P* nexu muneris huius *F* non *om. F* 5 iste contractus *om. F* indicia] *F*, in iudicio *PV* 6 accipis *P* uoluptate] *Iuretus*, uoluntate *VF*, uoluntatem *P* compensas *V*, capessas *F* uale *add. V* *sequitur in VF II, 40*

7 explicit ad hilarium incipit ad siburium *P*, *om. F* 9 *om. F* 13 perge *P* 14 nam etsi] manet si *PF* 21 concepissem *ego*

25 *om. F* 28 uis *om. F* 29 tantum *P* alii *P 1 m. F* *post* canunt *sequitur in F III, 51, finis epistulae post III, 48 coll. est* 30 ut] et *F*

Iovem deosque ceteros Catonis lege praefabimur, ne nobis vitio detur vel neglegentia antiquitatis vel inscitia? atqui praestat Tullium sequi, qui ignorata maioribus usurpat exordia. sed quid ego de hoc plura, cum sim tibi dicto audiens atque herbam dederim voluntati tuae? ut saepe scribas, nequaquam mihi orandus es. efficiet adsiduitas litterarum mearum, ut mutui admonearis officii. *PF*

XXXXV.

SYMMACHVS SIBVRIO.

Vera res est, famam esse velocem: sed *non ultra* adsentior Mantuano, qui eam putat in malis debere numerari. nam quid hac praeclarius, cum laetis nuntiis rigat aures et mentem bonorum? mihi certe oppido grata est, postquam purgationis tuae prima vexit indicium. ruri eram maestus animi ob amissam parentem; eo me secuta fama curis, quas de te gerebamus, absolvit. nec fides defuit. ilico enim credidi verum esse, quod noveram et tuae innocentiae et aequitati temporum convenire. 2
accesserunt etiam litterae tuae tam lepidae ac venustae, ut in re iam cognita novum mihi putarem de te gaudium nuntiari. erat in illis fiducia conscientiae bonae sed cum laude iustitiae publicae. nam et principibus maximis gratias ut absolutus egisti, et de sola fortuna ut innocens questus es. verum quid ultra? quando Romam, quando ad urbanum otium, quando ad legendi et scribendi solacia reverteris? spero velociter; siquidem res postulat, ut tibi peregrinationis iniuria desiderium commendet quietis.

AD EVTROPIVM.

XXXXVI.

SYMMACHVS EVTROPIO.

Ex sententia mihi cupita succedunt, si quando perfrui datur salutis tuae cognitione adloquii munere. . . . . ego liquere apud te satis habeo compertum. quid enim mihi amoris inpenderes, si de me incertus esses? atque utinam scripta haec tua, quam sunt honoris plena, tam crebra sint. gravis est enim sitis rerum bonarum, cui sola fruendi adsiduitas medicinam facit. ergo indulgentius abutere munificentia scriptionum. nam quo plus est in litteris tuis, quod gaudeam, hoc magis superest, quod requiram. vale.

XXXXVII a. 378.

AD EVTROPIVM. *P*

Noxae vacuus otiare et liberis remissus invigila. quando ita volvenda attulit dies, ut d. n. Gratiani fortissima simul ac felicissima manu nutantia reip. pondera fulciantur.

8 Verg. Aen. IIII 174. Fama, malum qua non aliud velocius ullum.

2 atque *P 1 m.* 3 uerba *F* 4 orandus es mihi *F* 5 muitui *P* 7 *om. F* syburio *P* 8 non ultra adsentior] *ego*, adsentior *PΓΦ*, dissentio *F* 9 laetus *P* nuntius *P 2 m.* 12 credebam *F*(*Γ*) 15 putarem *post* nuntiari *colloc. F* 17 conquestus *F* 21 explicit ad siburium inc. ad eutropium *P*, *om. F* 23 *om. F* 24 frui *F* 25 munere ego *PF*, *lacunam indicavi* 26 inpenderis *P* 27 bonarum rerum *F* 28 utere *F*

P videorne tibi πανηγυρικώτερον locutus, quam mos epistulae sinit? sic se habet ratio, ut res maximae magnos hiatus oris requirant. sed haec stilo exequenda tibi ante alios, cui pollet Minerva, concedimus; nos ad familiaria revertamur. diu a me bona valetudo dissensit. inhorruisti paululum, scio. pone sollicitudinem! iam valemus. nunc refectione opus est, cuius mihi copia sermonis tui pabulo, si annueris istiusmodi operam, poterit provenire.

XXXXVIII.

PF AD EVTROPIVM.

Superforanei laboris est commendare conspicuos, ut si in sole positis facem praeferas et accensu luminum claritudinem diei gestias adiuvare. ideirco inpraesentiarum nihil moratus testis officium salutationi tuae stili operam dedicavi. tu tamen Postumianum fratrem nostrum iuvenem de summatibus meo quoque nomine velim diligas, ut intellegat, istam veluti omissionem laudis suae plus honoris habuisse.

XXXXVIIII.

P AD EVTROPIVM.

In gravi dono habeo, quod amicitiae meae viros edecumatae honestatis adiungis. facis hoc pro cetera erga me diligentia tua, nec umquam desistis operam, quod mihi ex usu accidat, consulendi. quid si tibi etiam fratris mei Sabini nomine gratias agam? qui a te in bonam partem creditus tantum praerogativae attulit, ut si foret omnibus iam probatus. dignus plane talis viri testimonio, quod cum illi ad commendationem sui tribueris, existimaris hoc aliis, quibus commendatus est, praestitisse. vale.

L a. 379?

AD EVTROPIVM.

Cum tu Romam commodum repetis, ego me in secessu anteurbano adserui lectioni. diu quippe ab hoc negotio cura obstrepente desedimus. nunc ubi tu abes pars antiquior amicorum meorum, vicem sermonis tui veterum scripta funguntur. haut olim tamen urbem rure mutaveram, ut aestas mihi Praenestino Algido frangeretur. *et* interventus familiaris negotii rupit otium meum. ergo iam viam lego depositis, quae legebam. si quid praeterea scit*u* opus est, meus Palladius indicabit, quem ego non minus doleo abductum a iuventute Romana, quam gratulor in spem sui honoris accitum.

---

1 πανετυρικωτερον *P* finit *P*, sit (*Γ*)
8 *om. F* 9 superuoranei (*ΓΦ*) pacem *P 1 m.* 10 praesentiarum *P 1 m.*, in presenti *F* 11 officio *F* 12 ut intelligat, hic honori suo aliquid accessisse. uale *F*
16 in graui dono] *Lectius*, in grauido non *P*
24 cum tu Roma comitatum repeteres *Suse* 25 habes *P* antiquior] *Γ*, antiqua *P* 26 haut] *Iuretus*, aut *P* 27 ut *P 2 m. in spatio vacuo* aestas] *Iuretus*, aetas *P* et] *ego*, sed *P* 29 scitu] *Iuretus*, scito *P* (*Γ*)

LI.

AD EVTROPIVM. *PF*

Ago quidem studio tuo uberes gratias, quod mihi familiaritatem probatissimi cuiusque concilias. sed frater meus Hyperechius iamdudum institutione Romanus est. cur igitur mihi bona nostra commendas? cedo alios usu incognitos emendatione consimiles! si tamen raritas virtutum admiserit, ut unum aut alterum aeque edecumatae honestatis invenias. illos ego amicos beneficio tuo adquisitos putabo, quos nescio; at istum mihi reddidisti potius quam dedisti.

LII a. 387.

AD EVTROPIVM. *P*

Mediolani interim dego ad obsequia auspicii consularis d. n. Valentiniani evocatus, ac cito, *quam* mihi fors dedit, exercendi circa te stili copiam libenter, ut honor amicitiae postulabat, amplexus salutem tibi defero. quam, si bene contemplor familiarium religionem, frequenti usu vicissitudinis repensabis.

LIII.

AD EVTROPIVM. *PF*

Ausonianus v. c. admirator tuus scripto a suis ex Asia nuper adlato. mutilari agros suos, qui tibi coniunguntur, accepit. eam rem cum mihi amicitiae nostrae gnarus familiariter indicasset, principio suasi, ne ad fidem tanti mendacii hominum suorum levitate traheretur; dehinc poscenti litteras officii huius operam non negavi sciens, mutuae diligentiae convenire, cum inter nos, quae ad integritatem famae nostrae attinent, conferamus. quaeso igitur, ut in bonam partem, quae a me scribuntur, accipias, et aut fallaciam temerati iuris alieni celeriter expurges, aut si quid te ignorante turbatum est, iubeas reformari.

AD RICOMEREM.

LIIII ante a. 394.

Meus mos est semper adloqui praestantiam tuam. qui tuus? litteris abstinere. facimus, quod solemus: ego scribo, tu retices. sed scio in amandis amicis maiorem virtutibus tuis inesse constantiam quam in neglegendis epistulis voluntatem, atque ideo animi tui securus cultum tibi debitum mente et sermone non desero, nequaquam reposcens, ut scriptorum mihi vicissitudo respondeat, cum in amore reddatur.

---

2 *om. F* 3 tuo (o *in ras.*) *P* 4 yperecius *PF* 5 cedas (*Γ*) 6 et decumatae *F*
11 *ediolani *P* ad *in ras. P* 12 quam *inserui, om. P*
16 *om. F* 17 musonianus (*Γ*) uir consularis *F* a suis *om. F* mutalari *P 1 m.*
19 familiariter *om. F* finem *P 1 m.* 21 integritatatem *P*
25 explicit ad eutropium inc̄ ad ricomerem *P*, *om. F* 27 tuis *F*

LV a. 382—391.

P SYMMACHVS RICOMERI.

In suburbano praedio fovens otium sumpsi litteras tuas. cur enim Romae te *dis*cedente remanerem? ager autem, qui me interim tenet, Tiberim nostrum iuncto aquis latere prospectat. hinc libens video, quid aeternae urbi indies frugis accedat, qui*d* Romanis horreis Macedonicus adiciat commeatus. nam paene, ut recordaris, cessante Africa fames in limine erat, quam clementissimus et ad salutem publicam genitus imperator praevenit indebitis alieni soli copiis.
2 iam portum nostrum — conperi prim*us*! — classis salutat; iam securitate saturamur; iam dicimus nostrum esse, quidquid ubique bono principi nascitur. haec eo scribo, ut et domino orbis effectum beneficii sui nunties et ipse fructum gaudii communis usurpes. ego paulo post abire longius paro, nec tamen *d*andis ad te litteris abstinebo. erit cura nostris in urbe remanentibus et meum sermonem tibi per idoneos mittere, et mihi pari fide, quae scripseris, exhibere.

LVI ante a. 394.

PF AD RICOMEREM.

Possem silentium tuum ferre patienter morem tuum cogitans, nisi me aegritudinis, qua laboras, dudum nuntius perculisset. metuo igitur, ne sollicita magis quam consueta cessatio sermonis tui munus impediat, atque ideo quaeso, ut curas meas fraterno amore susceptas scriptis aut mandatis digneris absolvere. nam cum sim cupidus litterarum, in secundis tamen pono solaciis, ut animus meus pro te anxius, si nondum epistulis, saltem nuntiis erigatur.

LVII ante a. 394.

AD RICOMEREM.

Vltro in me arguo culpam silentii, si quando usum officii mei quaelibet dierum intervalla remorantur. nulla enim purgatio subpetit.....io, cum multum familiaritatis publico actui frequenter interseras. sed idem, qui peccatum vito desidiae, aeque in scribendo longus esse desino. nam licet sciam, animum tuum nequaquam obnoxium esse fastidio, adverto tamen pro condicione curarum tuarum ponendum verbis modum: quia ut desid*e*nti prolixitas grata est, ita displicere non poterit brevitas occupato.

LVIII a. 382.

AD RICOMEREM.

Amo et suspicio virtutes tuas; sed accidit, quod tibi etiam amicus invideam. Flaviano meo aliquamdiu solus frueris. accipe planius, quid velim dicere: ad te

---

3 descendente *P* 5 qui *P* 7 dementissimus *P* 8 primus] *ego*, primas *P* 9 quicquid *P 2 m.*, quid *P 1 m.* 12 curae *Wingendorp*
15 *om. F* 18 inras *P* (i *in ras.*)
23 *om. F* 24 utro *P 1 m.* 25 subpetit iocum multum *PΓF*, *fortasse:* subpetit feriato, cum tu cultum *et q. s.* 28 aduero *P 1 m.* conditione *P 1 m.* 29 desidenti] *ego*, desideranti *PF*
31 *om. F* 32 etiam] *F*, ut iam *P* 33 aliquandiu *P* *fortasse:* ad te migrauit, quidquid Romae optimum fuit. accipe planius, quid uelim dicere: Flauiano meo aliquamdiu solus frueris

migravit, quidquid Romae optimum fuit. et vobis quidem societas vestra dabit mutuum gaudium: mihi quid solacii erit? quem et ille deseruit, et tu minus desiderabis, quia unus tibi pro utroque sufficiet. *PF*

LVIIII a. 385.

AD RICOMEREM. *P*

Alius fortassis existimet serum esse munus, quod anni superioris consul exol*u*at: ego sentio me atque alios, qui procul degimus, amicitiae fiducia ad hoc locorum esse dilatos, illis vero continuo satisfactum, quorum tamdiu memor esse non posses. nam qui statim munificus est, ipsis quodammodo magistratus sui fascibus admonetur: qui ex intervallo reddit officia, testatur eos se maluisse differre, quorum oblivionem dies longior non posset obducere. †video igitur, an se quispiam credat ordine aliis aut honore postpositum: ego me intellego pura adfectione praelatum. 2 neque enim satis amicus est, cui sollemne aliquid statim redditur: honestior est illa securitas, quae putat sibi deforme non esse, si quid diu familiaribus debeatur. quare velim credas, moram quoque ipsam mihi in*cu*ndam fuisse. sic iudico, sic interpretor, quae dudum aliis ex more delata sunt, nobis amore servata.

LX ante a. 391.

AD RICOMEREM.

Optatus adventus fidissimam mihi optulit facultatem officii deferendi. nam dominus et frater meus Eugenius, cum mihi sui copiam praestitisset, sumendae epistulae beneficium rogatus adiecit: qua tibi honorificentiam salutationis exhibeo et obnixe deprecor, ne me diutius silentio tuo suspensum esse patiaris.

LXI a. 385.

AD RICOMEREM. *PF*

Dudum responsa tradideram, quae testarentur, grata mihi fuisse amplissimi consulatus tui munera. sed denuo nanctus Eugenii v. c. fratris mei copiam scripta duplicavi haud veritus, ne fastidium tuum crearet sermo geminatus. ex meo quippe animo metior. amicitiam non posse sentire officiorum satietatem. sint quamvis illa crebra et continuis similia, semper tamen ut rara et diu desiderata sumuntur. huic opinioni meae fidem faciet adsiduitas epistularum tuarum. insitum quippe est bonis mentibus, ut quae copiosa ex aliis optamus adipisci, ea ipsi largiter deferamus.

---

1 quidem] quippe *F* 2 desiderabilis *F* 3 sufficiat *F*

6 exoluat] *ego*, excolat *P 1 m.*, excoluit *P 2 m.*, excolostat *Γ*, exsoluit *Lectius* 7 locarum *P 1 m.* 9 munificatus *ΓΦ* 11 uide *Mommsen*, uidero igitur, an se quispiam credat, ut ordine aliis, ita et honore postpositum *ego* 15 iucundam] *Lectius*, iuuandam *P* si cui dico *P*

19 optatus aduentus] *ΓΦ*, optatui gientus *P*, optatus euentus *Modius* 20 sumenda *P 1 m.* 21 obnoxae *P 1 m.*

24 *om. F* 25 fuisse *om. F(Γ)* 26 uiri consularis *F* 28 sentiri *P* satietate *P* sint quam *P*, quamuis sint *F* 31 copiose *P 2 m.* ab aliis *F*

LXII ante a. 391.

P AD RICOMEREM.

Mandatis tuis perfunctus apparitor, ubi ad destinata pervenimus, testimonii nostri vacuus abire non debuit, praecipue ne studium circa me tuum male locatum putares, †si gratiam relatus sermo solvisset. have igitur dico et praemitto iam petitionem, ut cum iter in patriam relegere coeperimus, eluctandis difficultatibus adminicula uberiora decernas.

LXIII a. 387.

PF AD RICOMEREM.

Otium patriae laeta peregrinatione mutavi. nam iussu d. n. Valentiniani cum multis amplissimae curiae proceribus accitus ad vicem quietis domesticae fruor publicis gaudiis. quod cum ad te posset fama perferre, dignius visum est me indice nuntiari. ipse ad respondendum benignitatem tuam moremque servabis: siquidem litteras tuas non minus quam meorum conspectus et verba desidero.

LXIIII ante a. 391.

AD RICOMEREM.

Quid mihi litterae tuae iucunditatis attulerint, tibi aestimandum relinquo, cui, si bene arbitror, vicissim meus sermo tribuit voluptatem. perge igitur, ut iam facere dignatus es, et amicitiam munerare adfectu religionis et adsiduitate conloquii. ego in referenda vicissitudine par esse curabo. nam qui ab alio poscit officia, sui quoque studii frequentem operam pollicetur.

LXV ante a. 394.

AD RICOMEREM.

Scio praestantem animum tuum salutis meae et reversionis indicia cupide, ut amicitia postulat, opperiri, et ideo expectationi tuae revectus in patriam satisfeci, meque agere ex sententia atque esse memorem tuae circa nos humanitatis insinuo; simulque deprecor, ut adfectionem, quam mihi et praesenti dependere et absenti dignatus es polliceri, litterarum munere, quotiens usus tulerit, non graveris augere.

LXVI a. 382.

AD RICOMEREM.

Nosse dignaris, quanta sit in d. m. Flaviano pectoris mei portio. amicitiam adventantis amplectere, ut duos obliges. ambo idem sumus; nam hoc dici a me patitur

5 si] *PΓΦ*, nisi *Suse*, gratiam nullam *Mommsen*, dilatus *Scioppius* habe *P 1 m.* 6 relegare *P 1 m.*
9 *om. F* 10 domini ualentiniani *F* 12 fama posset *F* *finis epistulae inde ab voce indice deficit in F* indicem *P*
16 *om. F*
23 *om. F* 26 sentia *P 1 m.* 27 dependere et absenti *om. Γ* 28 granaris *P 1 m.*
30 *om. F* richomerem *corr. ex* ricomerem *P 2 m.* 31 domino flauiano *F*

ille, qui melior est. plura scriberem, si aut tu diu velles rogari, aut tanti viri merita commendationem desiderarent. ergo sat est, quod accepisti voti mei indicia. ambitu et labore non opus est, cum ex natura veniat, ut a te moribus tuis proximus diligatur. *PF*

LXVII ante a. 394.

AD RICOMEREM.

Firmum domesticum meum militiae stipendiis cum honestate perfunctum testimonio meo decuit adiuvari, ut faciliore aditu ad tuam notitiam perveniret. porrige igitur, oro te, adiutricem manum legitima praemia ex more cupienti. huiusmodi quippe veteranis praerogativa debetur, ut illis protectorum dignitas tamquam pretium longi laboris accedat. quod Firmo incunctanter eveniet, si tuus favor vota hominis ad consueta nitentis adiuverit.

LXVIII ante a. 394.

AD RICOMEREM. *P*

Meritorum tuorum iusta ratio deposcit, ut familiaribus litteris operam frequenter impendam, expertus quippe, non perire officia delata sapientibus. fungor igitur salutatione, quae sola curam testatur absentium, tuamque oro praestantiam, ut amicitiae bonum, sicuti facere soles, et sermone excolas et mente custodias.

LXVIIII a. 383.

AD RICOMEREM. *PF*

Dominum meum et fratrem nostrum Flavianum celsum virtutibus et honoribus virum iustitiae tuae exsortem esse non patior. merito pro honoribus eius, quae causa poscit, allego sciens sine tua auctoritate commissa, quae sub obtentu tuo a quibusdam scaevis dissignata dicuntur. unde mihi maior fiducia, posse rem graviter vindicari, cum tua quoque fama pulsata sit. querellae autem genus hominum eius suggestio, si iusseris, *per*sequ*e*tur, quia multiplex iniuria modum epistulae familiaris excedit. non minora etiam filius inlustris viri, et ipse iam honoris et meriti, in sua proconsulari 2
possessione toleravit, quae ad unius quidem pertinent noxam sed ad utriusque contemptum. ergo ut mos est tibi, auditis eorum allegationibus, qui tuentur absentium facultates, primo famam, quae optimo cuique pretiosa est, tunc amicitiam fidei indicem, postremo leges, pro quibus excubas, dignare defendere, ut ad inlustrem virum, qui per absentiam suorum nescit incommoda, prius gratia beneficii tui quam suorum dolor et querella perveniat.

3 est opus *F*
5 *om. F*   10 quid *P 1 m.*   firmio *F*
17 sermoneṣ *P*
19 *om. F*   20 et *post* meum *om. F*   21 *fort.* pro hominibus eius   eius quae causa poscit (possit *P 1 m.*) allego *P*, eiusque causa posita lego *F*   23 designata *F*   est *post* fiducia *add. P 2 m. F*   24 hominum eius] *ΓF*, hominis me ius *P 1 m.*, hominis melius *P 2 m.*   25 persequetur] *Mommsen*, prosequitur *PF*   excidit *P 1 m.*   26 et ipse etiam *F*   29 cuiquique *P*   tum *F*   31 absentiam *in ras. P*

PF

AD TIMASIVM.

LXX ante a. 399.

Saepe adloqui praestantiam tuam non piget, quamvis nihil invicem sermonis accepi. ipse enim mihi pro te sponte respondeo, quod inter castrenses curas locum officia otiosa non habeant. atque utinam tibi adsiduitas adfatuum meorum non videatur obstrepere! prope est, ut referri mihi litterarum gratiam putem, si sciam, quae scribo, non adferre fastidium.

LXXI ante a. 399.

AD TIMASIVM.

Ad scribendum me relatu vicissitudinis incitasti. ea quippe rerum natura est, ut officiorum diligentia fructu vicissitudinis incalescat. sume igitur salutationem, simulque indicium sospitatis meae laetus amplectere, redditurus voto atque animo meo reciproca gaudia similium de tuis actibus nuntiorum.

LXXII a. 384—387.

AD TIMASIVM.

Vrgeo te frequentibus scriptis et animi affectione non desero. est autem sequester sermonis mei Felix probabilis honestate vitae et exercitatione militiae; cuius ut considerationem habeas, commonere non debeo, cum tua aequitas tantum pro eo possit efficere, quantum favor meus posset optare.

LXXIII a. 384—387.

AD TIMASIVM.

Petitio domini et fratris mei Stemmatii monitorem magis apud te quam precatorem requirit. nam cum tanta sit tibi eius antiquitas, ut votum nostrum favore praecurras, laborem rogandi in lucro habere debemus. breviter igitur, ut tui . . . . . . poscat, adverte. subsidia vitae, quae bona dici solent, ubi census uberior est, infortunio proscriptionis amisit. haec in magno reip. gaudio tuis potissimum meritis repensanda committit. suscipe, oro te, plenum bonitatis negotium et amici inopiam, cui miserae valetudinis casus accessit, rei familiaris integratione solare.

---

1 explicit ad richomerem inc̄. ad timasium *P*, *om. F* 3 accepissem *F* 4 quod] quoniam *F* 5 tibi *post* meorum *coll. F* 6 puto *P*
9 *om. F* 10 ut *om. P 1 m.*
15 *om. F* 16 defero *P 1 m.* sequenter sermonis mei *P*, sermonis mei frequentator *F* 18 debeo] *F*, deo *P 1 m.*, audeo *P 2 m.* 19 possit *F*
21 *om. F* 22 titio *P* stemmati *P 2 m. F*, stemma *P 1 m.* 24 ut tui poscat *P*, quid poscat *F*, *lacunam indicavi* 26 reip.] spei *F* 27 oro] *Lypsius*, pro *PF*

AD PROMOTVM. *PF*

LXXIIII ante a. 392.

AD PROMOTVM.

Multa in te virtutum natura congessit; quae si quis trutinet pensiore iudicio, nesciat, utrum in te bona fortitudinis magis *an* mentis excellant. sed alterius tibi laudis adstipulator est princeps generis humani, officiorum vero familiarium nos testes esse debemus. quo tibi religiosum studium nequimus aequare . . . . . . tamen in hoc 2 te mei amore progressum, ut mihi falsis laudibus blandiaris, cum ais aliquid te ex nostri oris desiderare promptario, quod tibi inter rauca cornua †eorum strepitus blandiatur. est quidem familiare virtuti delenimenta exercitii sensibus admovere. nam et Achillen vatum maximus refert, aegrum *animi* curas fidibus resolvisse. sed nos et musicae facundiae inopiam confitemur. et nutrimentum loquendi eorum litteris aucupamur, quos haerere comitatui et fama loquitur et tua scripta testantur.

LXXV ante a. 392.

AD PROMOTVM. *P*

Satisfaciet quidem tibi ad omne gaudium conspectus tuorum, sed ego hanc hilaritudinem cumulari posse coniecto, si noster sermo quoque iungatur. nam cum prae ceteris tibi domestica bona cara sint, proximum sibi gradum iure amicorum cura defendit. ergo ubi desiderio tuo piae necessitudines satisfecerint, ad nostras quoque litteras oculi conferantur: quarum haec summa est, ut me valere cognoscas. nolo enim te a conloquiis tuorum pagina longiore producere.

LXXVI ante a. 386.

AD PROMOTVM.

Duo mihi grata proveniunt. quotiens a me litterae postulantur, et quod te honore salutationis inpertio, et quod operam commendationis praesto poscentibus. cum igitur ad Africam reditum Paregorius cliens noster instrueret et huiusmodi litteras inpendio flagitaret. desiderio eius effectum libenter inpendi, sciens apud amantem mei nec illius petitionem beneficio esse carituram, nec meum inefficacem futurum esse sermonem.

LXXVII ante a. 392.

AD PROMOTVM. *PF*

Nec quidem prioribus litteris meis vicissitudinem reddidisti, sed mei officii fuit scripta geminare, ne tam fida occasione fraudarer, maxime cum amicus communis

10 Hom. Il. VIIII 185.

1 .q. aur̄. symmachi. ūc̄. explic̄ ad timasium īīīī. inc̄ ad promotum *P*, *om.* *F* 3 *om.* *F* 5 an] *F*, ac *PF* 6 humani generis *F* 7 quod ibi *F*, quoniam tibi *F* aequare tamen *PF*, aequare. miror tamen *editio Veneta* 9 moris *P*, moris *F* *scribe:* inter rauca cornua et armorum strepitus 10 delinimentum *F* admonere *P* 11 animi] *Lypsius*, amici *PF* 13 quoserere *P 1 m.*

18 cara] *F*, cura *P* gradum] *P*, gaudium *F*

30 *om.* *F*

PF Auxentius accessurum sibi aliquid gratiae ex meis litteris indicaret. quem tibi propterea commendare non debeo, quia illi [apud te potius, quam] apud alios testis esse consuesti.

LXXVIII ante a. 386.

SYMMACHVS PROMOTO.

Haerentem me litteris inpulisti, ut amicitiam, quam dudum tacitus optabam, nunc provocatus excolerem. amplector futurae inter nos familiaritatis auspicem voluntatem, et quamvis praeventus voto tuo enitar, ut potero, ne vincar officiis. has enim mihi partes video reservatas, ut religio, quae te hortante sumpsit exordium, me aduitente sumat augmentum.

LXXVIIII ante a. 386.

AD PROMOTVM.

Primis quidem litteris tuis vicissitudinem mox rependi. sed quia novae familiaritatis auspicibus plus debetur officii, excolere amicitiam litterario munere persevero, ut perspicias bene cum *i*is misceri foedus animorum, qui cumulatiorem gratiam religionis referre noverunt.

LXXX ante a. 392.

AD PROMOTVM.

Beari me multis bonis iudico, quotiens sermonis tui honorificentia et splendore delector; idque ut merear, etiam ipse non desero diligentiam frequentis officii. stet igitur inter nos, ut animorum fida sinceritas, ita huius muneris amica certatio.

AD RVFINVM.

LXXXI a. 382.

Suscensebam silentio tuo: sed postquam mihi indicium de fratris honore fecisti, vicit offensionem voluptas, et in eam condicionem res rediit, ut ei agam gratias, quem pie obiurgare meditabar. tu vero sub hac pactione, dum voles, retice, modo ut postea bonis epistulis redimas stili tui ferias. o nuntium voto tuo similem! nullum decuit
2 haec scribere nisi eum, quem constat optasse. ne tamen praeter gaudium, quod de processu fratris adquiro, etiam indicium tuum admodum decolorem! solus enim tibi visus sum reparatis virtutum praemiis posse gaudere. sed quod ais exclusis inprobis spem bonis redditam, non ut insolitum vel inchoatum recens gratulor. nam sollemne est d. n. Theodosio in suos exercere censuram morumque agere dilectum et singulos
3 ut novos semper expendere nec consuetudini condonare iudicium. inde est, quod

2 apud — quam *uncis inclusi*
5 *om. F* 9 ortante *P 1 m.*
12 *om. F* 15 his *PF* religioni *Iuretus*
18 *om. F*
22 .q̄. aur. symmachi explic̄ ad promotu inc̄ ad rufinum *P*, *om. F* 24 suscensebam (usc *in ras.*) *P*
25 conditionem *P 1 m.* redit *P* 26 sub ac *P 1 m.* petitione *PF* dum uoles *om. PF*
27 redimas bonis epistolis *F* 32 domino theodosio *F* 33 ut] et *F*

sincerissimos mores tuos beniguius respicit, quos severe et diligenter inspexit. quid PF
quod etiam longe intendit oculos et per immensum requirit venas bonorum nullosque
avidius trahit quam nihil desiderantes? ut Flavianum meum atque ideo tuum nuper
excivit, quem adhuc verecundia tegeret, nisi clara merita prodidissent. haec sunt, 1
quae mihi pro tempore laetitia dictavit. nunc ut amantissimum fratrem, vel quod est
verius, partem mei diligas, rogo sponte facturum. ama in eo studia tua et quidquid
agnoveris virtutibus tuis proximum. mihi ut est curae, quod a fratre discernor, ita
solacio erit, si eum sciam vere in te Symmachum repperisse.

LXXXII a. 382—391.

AD RVFINVM.

Adhuc siles: sed loquacitas mea non cohibetur exemplo, et est otium mihi ad
verborum copiam nimis commodum. nam ruri sum, nec tamen rusticor. tantum de
ripa Tiberis — nam per fines meos fluvius elabitur — onusta specto navigia non iam
sollicitus, ut ante, de fame civium. versus est namque in gaudia publicus *ex inopia*
metus, postquam venerabilis pater patriae Macedonicis commeatibus Africae damna
pensavit. quem nunc omnes ut altorem generis humani deum diligunt. nihil enim 2
passus est austris contumacibus adversum Romam licere. ergo de agri mei specula
peregrinarum navium numero transcursus, et gaudeo victum populi Romani non fato
provinciarum sed voto principis regi. scio haec in aures eius esse ventura devotione,
qua soles non occulere bonum publicum. merito parcius loquar tuae facundiae relin-
quens, ut haec ornatius, si ita placebit, insinues. quae nos inculta veritate narravimus.

LXXXIII ante a. 396.

AD RVFINVM.

Iter, ut opinione metior, expedisti, quod solum tibi ad silentii veniam suffragabatur. nunc stativa requies stilo et animo tuo scribendi ad nos usum reformet, licet oris tui facultas, et cum viam carpseris, luculento potuerit adfatu sitim nostram rigare. sed fuerit tibi adversum culpam taciturnitatis de labore purgatio: nihil iam suffragii restat, cum tibi et facundia, quae nec ante inpediebatur, supersit, et otium, quod desiderabatur, accesserit.

LXXXIIII ante a. 392.

AD RVFINVM. P

Sequor te litteris, quia mente et adfectione non desero. nec videor mihi cito haec arripere solacia, cum adhuc apud nos recens iucunditas tua vigeat. sentio enim

1 quicquid etiam *F* 2 uenias *P* 6 sua (*Γ*) 7 curae est *Γ* discerner *P*

10 *om. F* 12 nimis *om. F*(*Γ*) 13 ciberis *P 1 m.* 14 uersus est namque ex inopia in gaudia publicus metus *P*, ex inopia namque publicus metus uersus est in gaudium *F*, *transposui* 17 aduersus *F* 18 peregrinarum *om. F* p̄ r̄ *P*. rei publicae *F* 19 regi *om. F* 20 partius *P* loquor *P 2 m.* 21 ornatui *P*

23 *om. F* 24 silentium suffragabatur (*om.* ueniam) *Γ* 25 statino *F* 26 carperis *P* poterit *F* 27 de *om. F* laboriosa *F*

32 qua *P 1 m.*

P bonorum separationem statim diuturnam videri. quod si, ut praesumo, etiam tuus animus expertus est, fac noverim festinata scriptorum vice, te quoque hoc intervallum dierum longum putare.

LXXXV ante a. 392.

AD RVFINVM.

Mos et ratio flagitavit, ut mansurus domi veniam de augustissimo principe impera*t*i mihi itineris postularem. excusationis causam litteris indicavi, quas favor tuus molli aditu et blanda recitatione commendet. nihil enim meorum sine boni cuiusque auxilio placeret. rem loquor omnibus notam, mihi numquam tacendam. hoc amici, hoc aemuli sciunt, quorum alii gaudent, esse apud te locum meritis, alii dolent, non esse divitiis.

LXXXVI a. 382—383.

PF

AD RVFINVM.

Intellegebam non esse de nihilo, quod diu a litteris temperabas. tandem patuit inpedito per aegritudinem visu officiorum stetisse sollertiam. itaque ego ille de silentio sollicitus probare me fateor, quod asperae nuntium rei usque ad sanitatis tuae gaudia distulisti, ne de te ante caperem exorti incommodi sollicitudinem quam securitatem remoti. nunc quia tecum valetudo in gratiam redi*t*, indulgentioribus paginis amicitiam munerare; alioquin cessantibus epistulis simile aliquid rursus timebo. sed
2 de hoc satis verborum est. Flavianum, pectoris mei dominum, tui socium, haerere animo tuo usque ad inproborum dolorem nimis gratulor, nam saepe apud me de tali amicitia gloriatur. hoc ego futurum ante prospexeram virtutes utriusque considerans, quarum similitudo concordiam fecit, et ideo plus gaudii quam miraculi capto teque oro, ne quid in tales amicos fascino liceat. ille enim mihi non est rogandus, cui aliud velle non expedit.

LXXXVII ante a. 392.

P

AD RVFINVM.

Longo orationis ambitu commendentur incogniti; Severiani autem c. v. merita annosae militiae probata documentis elaboratum testimonium non requirunt. principem locum regendis praefecturae urbanae cohortibus nuper obtinuit, in ordinem senatorium lege transcriptus est. restat, ut post dignitatem curiae, quae honoribus maior est, etiam reip. provinciali specimen sui praebeat: quod futurum arbitratur, si domini mei praefecti urbi super hoc litteras promptus *ad*stipulator *i*uveris.

---

6 imperati] *Mercer.* impe rari *P 1 m.*, impetrari *P 2 m.*

13 *om. F* 15 uisu *P* illo *Mommsen* 17 exorti] *P 2 m. F.* exortu *P 1 m.* 18 ualitudo tecum *F* redit *PF* 23 capito *P* 25 suppetit *Mommsen*

33 adstipulator iuueris] *ego*, stipulator adiuueris *PF*. stimulator adiuueris *Iuretus*

LXXXVIII ante a. 396.

AD RVFINVM. *P*

Silentium meum de excessu civis emeriti lepidissimo argumento epistulae momordisti. nam quid excogitari facetius potuit ad castigationem suppressi a me nuntii, quam *ut* Caelii montis habitator adventiciis litteris Romae . . . . . cognoscerem? sed mihi iudicii tui spectata gravitas indixit religionem. metui quippe tibi huiusmodi indicio laetus videri. scis humanitatis hanc esse rationem, ut parum probatis et ante discordibus ad vicem doloris, quem mors incutere solet, reverentiam saltem silentii deferamus. quare parce oblique stilo caedere, quod displicere auribus tuis timui: 2
quin immo age circumspectioni meae gratias, quae tuis salibus locum fecit. atque utinam saepe epistulas ioco scribas, quas negas serio. quid avare uteris ingenii tui copiis? vereor ne mihi posthac utilius sit mittendis litteris abstinere; nam proximam de te paginam offensione taciturnitatis elicui. et ideo praestabis forsitan culpae meae, quod non reddis officiis.

LXXXVIIII a. 382—383.

AD RVFINVM.

Commendarem tibi Flavianum filium meum, nisi te volente esset accitus. nihil igitur tuo beneficio derogabo. satis est inveni meo ad argumentum grati circa te animi, quod de litteris parentis non requirit auxilium. puto tamen convenire pietati, ut me quoque eius nomine tibi fatear obligatum. ex quo fiet, ut plura in eum congeras studii tui munera, pro quo tibi non unus obnoxius est.

LXXXX a. 383.

AD RVFINVM. *PF*

Saepe mihi auctor laetitiae aut primus aut solus es: quaestorem antehac fratrem, nunc rectorem praetorianum litteris nuntiasti. in omnibus ergo litteris tuis magna aliqua gaudii mei causa est. quid quod ipsa verba luxuriant et animi *tui* alacritatem stili nitore testantur? haec cum paribus officiis aequare non possim, voto divina convenio, ut fortuna optimorum virorum semper felicitati tuae grata sit.

LXXXXI ante a. 396.

AD RVFINVM.

Probitate et honore pollentibus viris nihil aliena addit oratio: sua enim luce conspicui precariis testimoniis non iuvantur. qualis igitur quantusque sit dominus et frater meus . . . . ., in aperto est. merito eius laudibus nostrum cedit ingenium. hoc unum tamen praetereundum non puto, summam mihi cum illo esse officiorum

---

5 quam ut] *Iuretus*, quamuis *PΓΦ* romae cognoscerem *P*, *scribe:* Romae gesta cognoscerem *vel simile quid*, Romana cognoscerem *Suse* 14 redis *P 1 m.*

23 *om. F* 25 in hominibus *P 1 m.* 26 sui *PF*

30 *om. F* 33 in aperto — ingenium hoc *om. P 1 m.*, *praeterea nomen quoque commendati desideratur*

PF familiarium societatem; quae res tibi etiam minora merita plerumque commendat. unde arbitror ex abundanti promptam fore in eum praeclarae mentis tuae adfectionem. quam illi et decus proprium et meae amicitiae praerogativa conciliat.

LIBER QVARTVS.

AD STILICHONEM.

I.

SYMMACHVS STILICHONI.

Diu siluisse me fateor, ut mihi fiduciam scribendi tuus sermo praestaret. sed cum perspicerem, necdum me ullo invitamento officii provocari, prior in verba salutationis erupi plurimum rogans, ut exempli istius imitator esse digneris.

II a. 382—383?

P CS. CS.

Abundat Flavianus filius meus ad promerendam conciliationem bonorum suis paternisque suffragiis, sed interest amoris, quem vere pignori meo debeo, ne, dum meritis illius nihil deesse contemplor, officium parentis omittam. facio igitur, quod redundet, et cumulum inpono perfectis; sed hoc ad coniungendum Flaviano meo praestantiae tuae animum multum credo valiturum, quia mihi pro beneficio intellegis inputandum, quod illi solo iudicio detulisses.

III.

CS. CS.

Vir spectabilis Rufinus et in ordinis nostri lectissima parte censend*us*, cum in obsequia debita tibi pergeret, invidere se mihi credidit, nisi nostra susciperet. igitur a me reddendam defert salutationem, quam tibi saepe deferrem, si esset facile similes invenire. rarus igitur est sermo, quia rara est talis occasio. de ipso nihil dicimus. meriti enim proprii conscius suspiciones gratiae fugit, et in examen tuum veniens non vult sui commendationem testi magis debere quam iudici.

IIII VII a. 399.

PF AD STILICHONEM.

Agendis tibi gratiis pro Flaviano filio meo usquequaque me inparem sentio, et cum sint verba rebus faciliora, beneficii tui magnitudinem dictis aequare non possum. neque enim mea tantum gratulatio est, quod cum illo honor amissus revertit in gra-

---

2 tuae mentis *F*

4 q̄ aur̄ symmachi ū c̄ cons̄ ordinarii epistolarum lib̄ III. inc̄ IIII. ad stilichonem. feliciter *P*, *om.* *F*
6 *om.* *F* 8 officii *om.* *F*

11 c̄s cs *P*, *fortasse:* q(ui) s(upra) c(ui) s(upra)

20 censend̄ *P* 21 credidit *om.* *F*

27 *om.* *F*

tiam: senatus bonique omnes inter se hanc laetitiam partiuntur. quocirca arduum est, *PF*
ut unius sermo conpenset, quod tantorum contraxit adfectio. dabis igitur veniam pro
re pauca dicenti. maius quiddam est honorem restituere quam dedisse; illud enim 2
fieri fortuna consentit, hoc contra ipsam praestat humanitas. praemiserat alia exempla
clementiae receptus caelo principum parens et Flaviano meo multa casibus detracta
reddiderat; reservatus est unus et potissimus bonitatis titulus heredi, quem magnitu-
dinis tuae monitu paternis beneficiis d. n. Honorius adiecit interpretatus scilicet, divo
principi tempus non animum defuisse. nunc perfecta sunt a successore consimili inter-
rupta fato opera clementiae. fastigium quoddam lenissimus et augustissimus princeps
coeptis genitoris inposuit, cui ad vicem gratiae te ac tui similes opto monitores. nam 3
summis imperii moderatoribus pia et decora suadentes instrumenta sunt boni saeculi.
est quidem rectori nostro divini fontis ingenium et omnium virtutum cursu prompta
natura; sed ut imagine uti mihi liceat, optimos gubernatores haut mediocriter etiam
manus remigum iuvat. te vero famae eius amiciorem cum fides militiae tum necessi-
tudinis reddit adfectio. hinc est, quod illi promerendi undique amoris vias invenis et
maioribus occupatum mones privata fata respicere. humani casus in fugam versi sunt 4
nihilque in senatu maestum resedit. aliis tributus, aliis integratus est honor. uni
familiae debetur, quidquid singuli sumus. sed iam servabo epistulae terminos. vereor
enim ne haec ipsa adferant fastidium praeclarae verecundiae tuae, cum aequare non
possint vicem gratiae. illa te potius gaudia munerentur, quae meritorum securitas
parit. nolo ex verbis cuiusquam speres tanti beneficii solutionem. prae ceteris nosti,
solum conscientiae bonae praemium satisfacere posse magna praestantibus. unum
tamen tamquam inmoderatus adicio, ut iugiter in Flaviano meo beneficia tua diligas.

V (IIII) a. 397.

AD STILICHONEM. *P*

Quid de Afrorum dolore et militarium virorum querellis consultus praecepto sacro
amplissimus ordo censuerit, plene atque aperte gestorum curialium inspectione cog-
nosces. sed quia me quoque familiariter indicem gestae rei esse iussisti, summatim,
quae decreta sunt, non tacebo. lectis d. n. Honorii Aug. litteris atque sententiis de- 2
cursisque omnibus paginis, quae Gildonis crimina continebant, par bonorum motus
erupit. consulti igitur in senatu more maiorum — neque enim sine legitimo ordine
iudicii auctoritas stare potuisset —, ingenti causae devotis sententiis satisfecimus.
adiecta est post rei damnationem pro alimentis populi R. supplicatio. in metu enim 3
sumus, ne obsit commeatibus annonariis medii temporis mora et perturbatio plebis
oriatur. veniet in manus tuas, quid pronuntiaverim. reperies et facti huius me ad-
seruisse iustitiam et apud d. n. Arcadium causam publicae egisse concordiae.

---

1 hanc inter se *F* idcirco *F* 2 unius] *Lectius*, unus *PF* 3 illud *et* 4 hoc *permutat Lectius* 8 interrupta (p *in ras.*) *P* 9 fatu *P 2 m.* 10 coeptis (s *in ras.*) *P* te auctui *P* 12 diuino fortis *P 1 m.*, diuini frontis *P 2 m.* et ad omnium uirtutum cursum *Scioppius* cursum *ΓΦ*, *om. F* 13 aut *P 1 m.*, haud *P 2 m.* 14 cum] tum *F* miliciae *P 1 m.* necessitudines *P 1 m.* 17 attributus *F* 18 namque uereor ne *F* 19 *praetulerim:* cum aequare non possint uicem gratiae. nolo ex uerbis cuiusquam speres tanti beneficii solutionem: illa te potius gaudia munerentur, quae meritorum securitas parit. prae ceteris nosti *et q. s.*

26 affrorum *P* 29 honori *P* 31 senatum *P* 35 repperies *P* 36 archadium *P*

VI (V) a. 398.

P

AD STILICHONEM.

Commendationem non desiderat, qui ad agendas gratias pergit, et ideo Flavianus filius meus fretus culminis tui beneficiis levat istiusmodi labore curam parentis. restat, ut scribam, quod illius coram gratulatio sequetur, nihil esse ad integrandas fortunas
2 hominum virtutibus tuis promptius. reddideras inclinato pristinum statum et putabaris consumpsisse praestanda: nunc adiecta est ei honorabilis evocatio, quam testimonii tui iuvit auctoritas. novos beneficiorum gradus invenis et inconstantem puta*s* amorem, qui incrementa non accipit. o felicis ingenii benignitatem! quid Flaviano meo amplius velim, nescio, cum tu sponte praecurrens inpudentes no*s* facias aestimari, si adhuc aliquid optamus.

VII (VI) a. 399.

AD STILICHONEM.

Evectiones impetrasse me gaudeo, quibus praeturam filii mei virtute, qua polles, iuvare dignatus es. restat, ut cumules, quae magnifici animi consuetudine praestitisti, et familiares meos in Hispanias missos ob equorum curulium coemptionem transcurrere protinus iubeas, quia tempore futurae editionis urguemur. illud autem de te petere non audeo, sed tuo relinquo iudicio, an effectum desiderii mei datis ad amicos litteris praecipias adiuvari.

VIII a. 401.

AD STILICHONEM.

Intellego ex mora et cunctatione rescripti atque . . . . . . divini, aliquid in his, quae praetoria filii mei supplicatio conprehendit, incongruum vel dubium iudicari, atque ideo denuo tibi petitionum mearum debeo praestare rationem. de equis ob natalem d. n. Honorii . . . . et invictissimi principis largiendis, licet hoc anno obsequii istius tempus effluxerit, opinor votum meum non potuisse reprehendi. aquae vero theatralis et holosericarum vestium impetratio etiam aliis ante me plerumque delata
2 est et ideo iuvatur exemplis. amphitheatrum *in* spectaculum, quod editioni filii mei propter capacitatem loci opto concedi, etiam ludicris quaestorum praelusionibus non negatum, testimonio sunt rescript*a* . . . . privilegio solis patere consulibus. sciat a me dudum rei istius processisse principium, non ut fastigio consulari, quod pro*xi*me tui culminis felix et olim debitus magistratus ornavit, ex hoc aliquid adderetur — neque enim praecipuus honor rerum talium requirit augmenta —, sed ne populus Ro-
3 manus adpetentior istiusmodi voluptatis minoris loci urgueatur angustiis. ceterum quid

5 *fort.* exequetur 8 inuenisset *P* putat *P* 10 nos] *Iuretus*, non *PΓΦ*
16 ob/equorum *P*
22 more *P 1 m.* atque diuini *P*, atque oraculi diuini *Lectius* 25 honori et inuictissimi *P*, *insere:* clementissimi *vel* augustissimi *vel* felicissimi 26 potuit se *P 1 m.* 27 theatralis et holosericarum uestium *om. Γ* oloseriearum *P* 28 amphitheatrum in] *ego*, amphiteatrium *P*, amphitheatrum ire *Φ*, amphitheatrum *Γ* 29 praelusionibus non negatum] *ΓΦ*, praelationibus negatum *P* 30 rescripto priuilegio *P*, rescripta. priuilegio nego solis patere consulibus *Mommsen*, *plus deesse suspicor* 31 proxime tui] *Modius*, pro metui *P* 31 uoluptati *P 1 m.*, *fortasse* uoluptatum quid id praerogatiuae *Mommsen*

praerogativae habeat, non video. cum etiam censuales absentium munera illic soleant exhibere, quorum mediocritatem volumus aemulari. haec eo scribo, ne videar iniquitatis aut insolentiae argui, si aliquid denegetur, sed eminentissimae et semper mihi reverendae sublimitati tuae expendendum relinquo, quid merito existimes convenire. de me enim opinio hominum iudicabit, si iusta non impetrem, cum tuae censurae animus soleat magna praestare. *P*

VIIII a. 402.

AD STILICHONEM.

Cum sublimi excellentia tua legationem mihi amplissimus ordo mandavit, *ad* quam suscipiendam me et necessitas inpulit patriae et tui culminis provocavit auxilium. pervectus igitur ad comitatum domini et principis nostri Honorii in notitiam magnificentiae tuae deferre non distuli adventus mei causam. de censurae enim tuae pendet arbitrio spes communis officii. quaeso igitur, ut lectis amplissimi ordinis petitionibus, quarum exempla coniunxi, inter felices magnitudinis tuae actus super hac quoque parte expectationem meam litteris digneris instruere.

X.

CS. CS.

Itane sublimem animum tuum mei cepit oblivio, ut tamdiu exortem conloquii tui me esse patiaris? an existimas neglectum familiaris officii aequanimiter a me posse tolerari? quin age, ut mos est virtutibus tuis, et amicitiam scriptorum celebra re*latu* simulque aestima, qu*anto* uberior ac promptior litteris tuis a me cura referenda sit. quae etiam tacenti iugiter exhibetur.

XI.

AD STILICHONEM. *PF*

Saepe ad te litteras dedi, quas credo suppressas. quando enim vir servantissimus amicitiae multisque animi bonis praeditus dignationem mihi officii tui denegasses? fuerit hoc eorum, quibus in reddendis paginis defuit fides. nunc eventus optabilis veterum morum sequestrem scriptis meis praestitit. igitur diligentia, quam mihi proficiscentis fidelitas pollicetur, erga te cultum salutationis instauro. responsa tua facient, ut usum stili per verecundiam sero repetitum. vicissitudine provocatus frequenter exerceam.

XII a. 400.

AD STILICHONEM. *P*

Consulatum [meum] liberalitate continu*as* et ut publicus parens in futuros etiam magistratus imperialem provocas largitatem. quo ergo mihi ore celebrandus es, qui

9 ad *om. P, inser. Lectius* 11 nostri] *P 2 m.*, n̄ *P 1 m.* honori *P* notitiam] *ΓΦ*, notitia *P*

17 *fort.* q(ui) s(upra) c(ui) s(upra) 20 celebra relatu] *ego*, celebrare *P* 21 quanto] *ego*, quo *P* 24 *om. F* 26 praedictus *P* 28 ueterum] uirum *P 2 m.* diligentiae *F*

34 meum *uncis inclusi*, mecum *Mommsen* continuas] *Iuretus*, continuus *P*

P fastigio honorum iure conspicuus praetorios quoque instruis apparatus? cogitas enim
2 ceteris saeculi bonis etiam privatorum munia debere congruere. itaque d. n. Honorio divinae stirpis Augusto benefaciendi semper addis calorem docesque invictum principem senatoriam mediocritatem muneribus incitare. cui pro me agere gratias solus omnium potes, qui tanti beneficii auctor fuisti. ego in filii mei editione testabor, cum Romanam caveam leopardorum cursus impleverit, cui iustior plausus et laeta vocum
3 suffragia debeantur. longius pergerem, nisi tuus nobilis pudor par virtutibus ceteris laudis onera vitaret. ero igitur verborum modicus, dum singulari verecundiae tuae obsequor, sed praecelsa sublimitas tua teneat definitum, meam gratiam, quae parca sermonis est, in animo redundare.

XIII a. 402?

AD STILICHONEM.

Ad patriam redisse me nuntio needum conpotem sanitatis. sed si tuus adventus adriserit, spero in gratiam mecum bonam valetudinem mox esse redituram.

XIIII.

AD STILICHONEM.

Cum filios nostros iugali foedere sociare vellemus, primam super hoc magnificentiam tuam meditatio nostra consuluit, ut coepti felicis auspicium a parente publico sumeretur. effectum nuptialibus votis deus praestitit. nunc honor sportulae suscipiendae culmini tuo et more et amore solvendus est. quaesumus recipiendo obsequio manum atque animum benignus admoveas. hunc enim laetitiae adhuc apicem festa nostra desiderant, ut is, qui nobis auctor ante omnes esse dignatus es iungendae per filios necessitudinis, aeque maneas adprobator.

PF

AD BAVTONEM.

XV a. 385.

Non cadit in te ista suspicio, ut consulto amicitiae neglegens fuisse credaris. est tibi animus tenax fidei, et ut in recipiendis familiaritatibus circumspecta cautela, ita in retinendis firma constantia. quapropter nec ante opinatus sum, exemptum me numero ceterorum, quibus principio anni munus consulare tribuisti, et nunc amplius quam reliquis mihi credo delatum. nam quod illis generalis oblatio dedit, nobis specialis
2 cura restituit. qua in re his quoque suscensere non debeo, qui me exortem prioris honorificentiae esse voluerunt. neque enim mihi aliter evenire potuisset, ut quod fraus aliena subtraxerat, *b*is mererer. stabit igitur apud animum meum iugis tua gratia, et memoria constantis officii nulla oblivione tenuabitur. sive error istud seu dolus fecerat, docuisti omnes nihil ulterius ad destruendas amicitias callidum cogitare, quas vident insidiis suis crescere.

---

1 fastidio *P 1 m.* 2 ceteri *P 1 m.*

19 suspiciendo culmini tuo *Suse* 22 ḥis *P*

24 .q̄. aur. symmachi. u c. cons. explic ad stilichonem XIIII inc̑ ad bautonem (*corr. in* bauthonem) *P*, *om. F* 31 exortem] ex *P 1 m.* 33 bis] *Lypsius*, his *PF* 34 istaṭ *P* fecerit *Iuretus* 35 alterius *P*

XVI ante a. 395.

AD BAVTONEM. *PF*

Inter praecipua gaudiorum numero litteras tuas scilicet fraterni animi testes et vere religionis interpretes. eas quanto saepius sumo, tanto inpensius uberiusque desidero. difficilis est enim satietas rerum bonarum, et tunc maxime animos iucunda quaeque sollicitant, cum videntur explere. scribe igitur, ut facis, saepius, nec metuas, ne experiaris ingratum, quem vides et amoris et sermonis tui esse tam cupidum.

AD PROTADIVM.

XVII a. 380?

Sum quidem nimis aeger animi et prae tanto luctu obeundis inpar officiis, sed numquam fortunae in me tantum licebit, ut honorem tuum victus maerore dissimulem. quin immo his delenimentis remedia vulneri meo facio. quae etsi pro magnitudine doloris invalida sunt, medicinam tamen mihi efficacissimam tui sermonis *ad*ferunt. quid expectem, vides. redde operam, si videtur, amicitiae debitam, aegro animo profuturam.

XVIII a. 396.

AD PROTADIVM. *P*

Falso apud me venandi studio gloriaris, cum thymum facundiae spirent litterae
tuae. ne mihi os subleveris! alia otii, alia negotii signa sunt. *a*cres *h*erbas olet
rusticus, vino anhelus est ganeo, nautam sequitur gravedo: *v*os amici Camenarum
flore*s* ructatis Heliconis. quas tu nobis indagines leporum, quos natales canum dies, 2
quae venatica festa mentiris? ce*nse*n posse me retrahi a voluminum studio in eas artes,
quas tibi adrogas? ne primaevus quidem, cum ferret aetas, Amyclaeos aut Molossos
alere curavi: tantum abest, ut haec annis in senectam vergentibus velim, candidior
postquam tondenti barba cadebat. sed fac velle me obire nonnumquam rusticas 3
voluptates: cui tandem primorum senatus tanta vacationis felicitas suppetit, ut inter
patriae curas respiret opere silvestri? conperisti haud dudum frumentarias magnae
urbis querellas: successit huic olei penuria, et adhuc manet de fruge causatio. hinc
rerum fessi viros curiae oratum remedia legavimus, et spes est, clementissimum divinumque principem salutari ope consulturum petitis. interea laborantium murmure

24 Verg. Ecl. I 29.

2 ad bauthonem *P*, *om. F* 5 difficilis // est *P* bonarum rerum *F* 7 quem uides *om. F* esse *om. F* cupide *P 1 m.*

8 expliĉ ad bauthonem. II. inĉ. ad protadium *P*, *om. F* 13 sint *Iuretus* adferunt] *Latinius*, quaerunt *Mercer*, auxerunt *PF* 14 redde *om. Γ* uidebitur (*Γ*), *fort.* redde operam, quam tibi detuli

18 tymum *P* 19 subleuaris *P 1 m.* acres herbas olet] *Mercer*, haec res uerba solet *PΓ*, haeres uerba solet *Φ* 20 anhellus *P* est] *PΦ*, ructat *Γ* ganeon autam *Γ*, ganeon nautam *Φ*, ganeon autem *P* uos] *Mercer*, suos *PΓΦ* amicitiam *Γ* 21 florē fructatis *P*, florem fructatis *Γ*, florem ructatis *Φ* dices *P* 22 censen] *Lectius*, cessent *P* 23 amycleos *P* 25 uelle me] nellem *P 1 m.* 30 murmure] *Φ*, murmur est *P*

P 4 strepit civitas. tu nunc, amice, venaris et nimis anxios deliciarum tuarum iactatione sollicitas. sed qui fieri potest, ut talem tantumque te perscrutandis cubilibus leporum credam vacare? unde ergo est, quod iisdem litteris a me poscis historiam, quibus canum tuorum festos ac profestos dies praedicas? dissimulari studia vera non possunt;
5 nam fateris invitus inter figmenta ludicra morbum legendi. non ibo longius. priscas Gallorum memorias deferri in manus tuas postulas. revolve Patavini scriptoris extrema, quibus res Gai Caesaris explicantur, aut si inpar est desiderio tuo Livius, sume ephemeridem C. Caesaris decerptam bibliotheculae meae, ut tibi muneri mitteretur. haec te origines situs pugnas, et quidquid fuit in moribus aut legibus Galliarum, docebit.
6 enitar, si fors votum iuvet, etiam Plinii Secundi Germanica bella conquirere. tantisper esto contentus fide operis oblati, et fratrem nostrum Minervium scriptorum meorum doctissimum et benignissimum iudicem — cur dicam iudicem, quem malo plausorem? — fac socium lectionis. quamquam hoc a te scio nequaquam petendum; nihil enim bonae rei inter vos dividi amor aequus ac mutuus sinit.

XVIIII a. 395.

AD PROTADIVM.

A prosperis ordiendum est; quapropter in prologo, ut ita dixerim, litterarum salutem valetudinemque dico. dehinc meorum subicio postulatum: Flavianus vir inl. commune pignus diu eluctatus fortunae aspera, sed divi principis beneficio in tranquillum reductus, solvere salarium patris iussus est, taxatione pretiorum graviter aggerata,
2 neque census exilis tanto oneri convenit. fac igitur, si quid in te opis est, ut adflictae domui pia temporum parcat humanitas; alioquin integrata per indulgentiam bona vel auctione . . . . fenoris detrahentur. sequetur, ut spes est, paterna benefacta iuvenis Augustus, ad quem sicuti successio imperii u*na cum* fratre pervenit, ita bonitatis imitatio.

XX a. 395.

PF

AD PROTADIVM.

Hilarasti mihi diem litteris, quae testatae sunt, vigere apud te nostrae amicitiae diligentiam. multum pectori meo voluptatis inlapsum est. et sane statueram scriptis antevertere officium tuum, si te Mediolanium venisse didicissem. dederam quippe hanc provinciam germano tuo, cuius tibi amore non cesserim, ut adventum tuum propere nuntiaret; sed conludio quodam moratus indicium tibi ordiendae salutationis priorem locum praestitit. neque ego moleste fero, quod apud te gratia . . . . . . fratris antistat.
2 interea respondendum est inquisitioni, qua scire postulas, quibus actibus vitam colamus. dum filius meus Graecis litteris initiatur, ego me denuo studiis eius velud aequalis adiunxi. repuerascere enim nos iubet pietas, ut litterarum dulcedinem liberis nostris labor participatus insinuet. tuae res non in germine, sed in fruge sunt; cuius

3 hisdem *P* 8 biblioteculae *P* 10 plini *P* 12 et benignissimum] (*Γ*), *om. P* mallo *P* 13 sotium *P 1 m.* 14 ac *om.* (*Γ*)

18 inl] *P*, in *ΓΦ* 21 exillis *P* onere *P* 22 uel auctione fenoris detrahentur] *P*, exactione fenoris *Mercer*, uelatione fenoris *Mommsen*, *scribe:* uel auctione uel grauitate fenoris distrahentur 24 at quem *P* una cum fratre] *ego*, ū ē a fratre *PΓΦ*

27 *om. F* 33 gratia fratris *PF*, *supple:* quod apud te gratia festinati officii astu fratris antistat *vel simile quid*, quod apud uos gratia fratris antistat *Mommsen* 36 repuerascere (cere *in ras.*) *P* iuuet pietas *P 1 m.*, pietas iubet *F*

eloquentissimus iuvenis, ut fando comperi, proximis facundiae calcibus urguet parentem. *PF*
o te beatum, amice, si vinceris! nostra adhuc institutio molitur florem creare, nec 3
imperari potest unico labor. itaque inter metum meum et diligentiam lentus pignoris
nostri profectus adolescit. plane, ut arbitror, quaesitis satisfecimus. nunc vicissim
rerum tuarum ordinem cupio cognoscere. facilis autem tibi, si me litteris dignum
putes, commeantium copia est, cum tabellariis in aula positi fratris utaris.

XXI a. 396.

AD PROTADIVM. *PVM*

Post urbis nostrae exitiabilem famem re frumentaria in tranquillum redacta oram
Campanae regionis accesseram. commodum adfuit Marcianus intimus vester et mihi
per vos amicus adportans litteras tuas: quas ubi laetis oculis percucurri, aucta est
apud me celebratorum litorum gratia. fit enim plerumque, ut ex bonis accidentibus
honor et voluptas crescat locorum et . . . . amoris signa praeferet. nam nemo 2
flagrantius amicitiam colit, quam qui irascitur neglegentiae. quod ita accipias volo,
ut causa officii mei salva sit. nullum quippe delictum curae erga te frigentis agnosco.
quid quod proxime teste fratre communi, quem magistratus urbis amplectitur, geminam
tibi salutem per epistulas dixi? num fraternitati tuae etiam commeantium fidem debeo?
cogita in longinqua raras aut occultas hominum profectiones, adde perfidiam mandata 3
frustrantium: non accusabis absentis, ut spero, desidiam, si consideres, et in emitten-
dis epistulis alienam requiri occasionem et in reddendis alienam fidelitatem. sed quid
ego his testimoniis diligentiam in te meam nitor adserere? ipsum fratrem nostrum
Marcianum credo tibi sedulo prodidisse, quanta memoria et praedicatio tui in ore ac
pectore meo vigeat. ego vero iam, quid de scriptis meis vel silentio sentias, non re- 4
quiro; siquidem minus est te frequenter adloqui quam de te iugiter loqui. quid ergo
scripta postulas, quibus saepe male creditur? hoc liberius, hoc verius est, quod de-
fertur absenti. itaque, ut vis, gloriare stili frequentia: ego officium vinco iudicio.

XXII a. 396?

AD PROTADIVM.

Geminus pariter in manus meas a te sermo pervenit, dum multiiugis officiis amicitiam nostram pergis excolere. quo exemplo, licet omnis adfectio modo non *numero* censeatur, reddo tibi binas litteras, quarum alias frater noster Eusebius pars pectoris mei, has vero frugis optimae iuvenis Martyrius exhibebit, simulque convenio, ut fidem solutionis istius memineris aemulari, cum te coeperit frequentium paginarum vicissim fenus urguere.

---

2 ueatum *P 1 m.* 3 imperare *F* meum metum *ΓΦ* 6 fratris positi *F*

8 ad protadium *denuo incip. VM, inscriptionem om. M* 9 re — tranquillum *om. V* ora *V* 10 commodum fuit *V* martianarum *V*, martianus *M* 11 litteras 'as *in ras. P* percurri *Γ* 12 literum *V*, *om. M* enim fit *V* 13 et amoris *PVM; in lacuna, quam indicavi, querella Protadii de longo Symmachi silentio commemorata erat, quam noster* amoris signa praeferre *laetatur* 14 qui *om. M. inter lineas add. V 1 m.* 15 erigentis *P 1 m. V ΓΦ* 16 gemmam *P 1 m.* 19 absentes *V* 21 istum fratrem martianum nostrum *V*, martianum nostrum *M* 24 de iugiter *V* 25 creditis *VM* 26 officium] *PM*, officium tuum *V Γ*)

28 ad protadium] *PV*, *om. M* 30 modo non *om. M* numero] *Latinius*, munere *PV*, eminere *M* 34 uale *add. VM*

XXIII.

PVM

AD PROTADIVM.

Observatio quaedam me hucusque cohibebat, ne litteras primus emitterem. hunc enim morem quaedam institutio vetusta constituit, ut eorum ante recurrat adfatus, quos a proprio lare peregrinatio longa disterminat. ago igitur atque habeo uberes gratias, quod et te languore discusso rectius valere cognovi, et *mi*hi ad scribendum
2 *ianu*a*m* quodammodo intellego esse reseratam. pro qua re meliores tibi opto processus. nam etsi secundum mores ac natales tuos honorum culmen indeptus es, necdum tamen perfectum praemium debitamque mercedem t*ibi* fortuna restituit. quae etsi in te magna contulerit, numquam tamen aequabit meritum tuum. nunc redeo ad verba sollemnia, quibus tibi salutationis officium de more persolvens mutuum munus exposco. intellegis enim vicissitudine scribentium animos incitari.

XXIIII ante a. 395.

AD PROTADIVM.

Extant in monumentis Sallustianis Africani litterae, quas Iugurtha post excidium Numantinum testes ad Micipsam decoris sui pertulit. has ego in praesentia fratris nostri Florentini nomine ad verbum mandandas paginis puto, quia ut ambo in negotiis
2 suis pari gloria splenduerunt, ita utriusque virtuti idem testimonii honor congruit. et illum quidem Scipio regi Numidae volens reddidit: nos inviti tanto ornamento tibi cedimus. fatendum quippe est, in gratiam tuam factum, ut hunc abire pateremur. de me, si quid pro amicitia postulas edoceri, erit quaesitorum index, qui rerum mearum arbiter fuit. tantum epistulae meae crede, quod valeam tuique diligentiam colam, quam mihi de te invicem fides aemula pollicetur.

XXV.

PVMF

AD PROTADIVM.

Desideravi litteras tuas adventantibus multis, quos mihi sermonem tuum praesumpseram tradituros. sed ubi expectationem meam spes ista frustrata est, ultro te adloqui studui, ut te exemplo officii ad curam similem provocarem. quaeso igitur, ne amicitiae munia frigere patiaris, quae inpatienter requiro, licet noverim diligentiam circa me tuam, etiam cum scripti abstinens sis, fido animo contineri.

15 Sall. Iug. 9.

2 *om. M* 6 langore *P* mihi] *Mercer.* his *PVMΓΦ* 7 ianuam] *ego*, manum *PM*, magnum *V* 8 ac] et *VM* adeptus *V* 9 tibi] *M*, tua *PV* 10 sollemnia (nia *in ras. 2 m.*) *P*
14 ad protad *V*, *om. M* 15 salustianis affricani *V*, salutacionis affricani *M* 17 paginas *V* 18 gloriam induerunt *P* 19 uolens (n *in ras.*) *P* 21 quaesitori *VM*
25 ad protad *V*, *om. MF* 28 exemplo beneficii uel officii *F* 30 uale *add. VM*

XXVI.

AD PROTADIVM. *PVMF*

Amplissima redundo laetitia, cum video litterariis officiis meis honorem parilem non negari, atque ideo exercendi stili amore destimulor. neque enim fas est torpere studium, quod aequa benignitas conpensatione gratiae muneratur. plura vellem, sed verecundiam tuam nimio laudis excursu non oportet onerari. vale et amicitiam, sicuti facis, in exemplum tuere. nos etsi elegantia sermonis inpares sumus, constantia religionis pares esse nitemur.

XXVII.

AD PROTADIVM. *PVM*

Vt desidem me scribendi saepe accusas. quid doleam magis, nescio: sermo omissus amicitiae neglegentiam videtur arguere, parcus infantiam. malo tamen, ut ingenio convicium quam moribus meis facias, quibus, quamdiu mei ipse sum memor, obicere oblivionem tui non potes. castigasti item, quod te fratribus tuis dicenda salute consociem. sum quidem loquendi pauper et tenax chartulae, sed te mihi dare 2
vitio non oportet, quod illos constat amplecti. facit autem lex curiae nostrae, ut maioris apud me numeri antistet auctoritas. quid si vos una ad mensae genialitatem vocarem? nolles eodem cum fratribus toro accipi? nec invideris, si unius epistulae credit*o*r quaestum quodammodo de vobis usurae triplicis exerceo. nihil enim mihi a singulis pro altero solvitur. aut cur mea officia dividi postulatis, qui ad exprobrandum vestra coniungitis?

XXVIII a. 395—402.

AD PROTADIVM. *PVF*

Ingenia humana prompta ad arguendum esse omnibus liquet. sed tu, qui inter bona rara numeraris, omitte sectari per naturam faciliora et defensionem longi silentii mei suscipe, quae abundat plurimis iustitiae patrociniis, si contempleris ad viciniam Rheni, a qua nunc et optimus princeps et magistratus potissimus abest, nullum nostrarum partium commeare. fors fuat, an quis tantum viae ob rem privatam mihi ignora*tus* adripiat. tibi proficiscentium Romam maior facultas: primo quia in commune im- 2
perii caput undique gentium convenitur: tunc quod clementissimum principem in hac parte degentem varia omnium desideria vel necessitates sequuntur. et tamen, cum tabellarios tibi plures causae offerant, aeque a stilo temperas nec ulla a nobis expostulatione perstringeris. facit enim securitas mea, ut diligi me etiam a tacente non am-

2 ad protad *V*, *om. MF* 4 distimulor *P 2 m. MF* torpere] tpre (*i. e.* tempore) *V* 7 simus et instantia *V*

10 *om. VM* 11 *praetulerim:* ut desidem me scribendi saepe accusas. sermo omissus amicitiae neglegentiam uidetur arguere, parcus infantiam. quid doleam magis, nescio; malo tamen *et q. s.* 14 obliuione *V* potest *P* item] me *VM* 15 cartulae *PVM* 17 maiores *P 1 m.* quod *V* 19 creditor] *Lectius*, creditur *PVM*

23 *om. VF* 26 habundat *P 1 m. VF* patrocinus *P 1 m.* contempseris *VFΓΦ* uiciniam] *PVΓ*, uicina *Φ*, uicinitatem *F* 27 a *om. V* nullumque *F* 28 fiat *VF* ignoratis *PV*, ignoranti *F* 29 facultas fuit *F* 30 capud *P 1 m.* tum *F* 31 secuntur *P 1 m. VF*

PVF bigam. ergo amicitiae nostrae fiducia non ex litteris pendeat. illarum intervalla fors
3 faciet. fides autem mutuae diligentiae indignatur linguae adsertionem. ad hoc etiam prolixas epistulas petis tamquam facturus periculum, quantum in scribendo cana aetate profecerim. semper quidem similis arentibus rivulis laxiores ripas refugi, ut inopiam brevitas adfectata celaret. nunc graves quoque anni, si quid de pectore meo stillabat, biberunt. praeterea nihil *argu*menti suppetit ad propaganda, quae scribimus. nosti otium meum. de quo apud te largiter loqui utriusque fastidium est: magis nego-
4 tiis plura verba conveniunt. nobis idem sit linguae modus, qui fortunae est. mallem Aboriginum more dictionem salutis alternae ligno aut corticibus scribere: Aegyptus papyri volumina bybliothecis foroque texuerit. sufficiat aliquando celebrandae amicitiae: si vales, bene est. opto has ipsas, quas tu breves quereris, salutationum vices, dum absumus, inter nos longum manere.

XXVIIII a. 396—397.

PVM

AD PROTADIVM.

Spero te, ut fando didici, ad vicina venturum. fors fuat, an vera conpererim. ego tamen vel tradendas coram tibi a fratre nostro Minervio duas oratiunculas meas vel mittendas in patriam fidelitati eius ingessi. parcus esse in hac epistula debeo;
2 illis enim, quae legenda suscipies, amor avarus explebitur. commoneo tamen, ne orationis unius titulo mutetur de me existimatio tua. nam repudiata censura gravat nos principio sola argumenti inspectione, sed ubi dicta legeris, cum sententia mea in gratiam reverteris. hanc partem: 'quae tempestate resecata est' totius ordinis nostri antetulit auctoritas, ne sub specioso nomine fores inpotentiae ambire solitis panderentur. plures utilitatis et honestatis adsertiones in ipso corpore orationis invenies. de utroque opere meo iudicium tuum cura nostra desiderat.

XXX a. 396—397.

PVF

AD PROTADIVM.

Silentii inter nos simile scis esse delictum. atque ideo mihi iniuste culpae datur, quod utrique commune est. et tamen defensio mihi suppetit: quia nec profectiones commeantium notae sunt et tu non iisdem sedibus inmoraris, dum aut Treviros civica religione aut Quinque Provincias otii voluntate commutas. mihi Romae iugis est statio et maior nunc causa residendi, ex quo me viri excelsi germani tui praesentis et cura retinet et iuvat gloria. una igitur via sociare scripta potuisti, quae frater et fratri
2 aequandus acciperent. quod a te gaudeo vel sero curatum. nec tamen, cum a litteris temperares, ullam decessionem diligentiae in me tuae factam putavi. tanta est enim securitas verae amicitiae, ut de sua fide aestimationem mutui amoris adsumat. plura in hunc modum dicere piget. quare transeo ad eam sermonis tui partem, quae ora-

---

2 fidem *V* indignatus *V* linguae *om. V* 4 laxores *V* 5 grauis *P* 6 argumenti] *Iuretus*, largementi *Φ*, largae menti *VF*, large mentis *P*, largae mentis *Γ* appetit *P* 10 bybliotecis *P* amiticiae *V* 11 est *om. V*

14 *om. VM* 15 fiat *V*, fuerat *M* 18 enim] eram *P* 21 reuertaris *P 1 m.* quod *V* resecta *V*, *om. M* 22 inpatientiae *P 1 m.*, impotentiae *P 2 m.*

26 *om. VF* 27 iniusta culpa *F* 28 perfectiones *P* 29 notescunt *V* isdem *PVF* 30 uoluptate *P 2 m.* 31 germini *P 1 m.*

tionum mearum desiderium videtur attingere. ais in manus tuas scripta nostra venisse *PVF*
fratre nostro Minervio proditore, qui frivolis meis litterata potius curiositate quam
iusta delectatione non abstinet. si tibi tantum otii est, ut *ad* fastidium detergendum
nonnulla etiam *insu*lsa conquiras, quidquid stilo elaboravimus, exhibebo securus veniae,
quam mihi spondet animi tui caritas. paene praeterii, quod loco principe accusare 3
debueram: itane epistularum nostrarum simplex usus interiit, ut paginis tuis lenocinia
aevi praesentis anteferas? redeamus quin ergo ad infucatos nominum titulos, et cum
dicitur aut redditur salus, nihil ipsis vocabulis nostris honoratius aut blandius esse
ducamus. exemplo certe tibi sit epistula mea, quam si spreveris aemulari, et adrogantiae notatus videbor et ceteris adgregatus, quorum magnus suspectus in verbis
est, nullus cultus in sensibus.

XXXI a. 400.

AD PROTADIVM. *PVM*

Mediolanium te idem, qui me, consul acciverat. speravi, quod nos in unum votiva causa conduceret, sed ubi per valetudinem defuisti, aegerrime expectati gaudii dispendium tuli. nunc peractis super omnium magnanimitatem consularibus festis Romam revertor, quo se amplissimus magistratus venturum protinus genero adstipulante promisit. quam vellem, si in solidum redit sanitas, conpensares adventu veniam superiorem, atque una via et senatui deferres officium voluntarium et consuli debitum solveres. sed unde mihi optare tantum, cum frustra fuerit sperasse leviora? quando tu venatui togam praeferes?

XXXII a. 396?

AD PROTADIVM. *PVF*

Crescere inter nos cotidie amoris debitum volo, sed epistulis tuis nihil opto debere, quae mihi plerumque exprobrantur ut desidi. ergo geminis litteris tuis non
simul mihi redditis pari numero, sed coniuncta emissione respondeo. valemus, quantum aetas admittit declivis in senium. raro nobis ager visitur, sed multo rarior est
apud me usus legendi. tibi et rusticari et erudiri plurimum licet. inde est, quod 2
nos frequenter adloqueris, quia omne tempus, ut quaeratur ingenio, otio vindicatur.
sed fiduciae tuae audacia nostra non cesserit. haurias licet monumenta priscorum et ipse paginis ediscenda committas: sollicitabo te arentibus verbis . . . . scriptis tuis, quae et amore et iudicio legere me necesse est, ut conpensem illorum damna, quae neglego.

---

2 fribus *P 1 m.* 3 ad] *F, om. PV* 4 insulsa] *Lypsius*, salsa *PVΓΦ*, falsa *F* exhibeo *F* 6 epistolarum tuarum simplex *V* 7 ante fores *P 1 m.* 9 tibi certe *V*

13 *om. VM* 15 et gerrime *V* 16 supra *VM* 17 genere (*Γ*) 18 quem *V*, quod *in ras. M*

23 *om. VF* 25 tuis *om. F* 28 me *om. V* 31 uerbis scriptis *PVFΓΦ*, *lacunam indicavit Lectius, supple:* ut subuenias ingenio meo scriptis tuis *vel simile quid* 32 me legere *F* 33 nec lego *V*

XXXIII.

PVM

AD PROTADIVM.

Delectaris epistulis meis. credo! hinc est, quod eas et saepe et ardenter efflagitas. sed non statim mereor desidis notam, si nequeo tui amoris in me avaritiae satisfacere. an interlabi amicitiae memoriam per silentium putas? cave talia de animis opinari, quorum aeterna iudicia sunt. habet enim plurimum sui ponderis fides
2 et allegata voluntario sacro stili admonitione non indiget. haec a me tibi non semel scripta sunt, nec tamen deseris inveteratam querellam. quid si praestat longum tacere? non vides oracula olim locuta desisse, nec ulla in antro Cumano litteris legi, nec Dodonam loqui frondibus, nec de spiraculis Delphicis ullum carmen audiri? patere igitur, ut homullus Promethei manu fictus mandare cessem papyro, quae dudum in
3 vatum foliis non leguntur. nolo tamen denuntiatum tibi a me silentium suspiceris. tenebo in scribendo tantam mensuram temporis, quantum inter nos locis absumus. tu quoque inpatientiam vince ratione, quae non sinit, ut tibi cottidie litterae meae in vicinia Rheni posito a nostro Albula deferantur.

XXXIIII a. 395.

AD PROTADIVM.

Magni sunt quidem fructus, quos de litteris tuis capio, sed fiunt uberiores, dum communium fratrum manus transeunt. singuli enim scriptis tuis de suo aliquid adponunt. tibi igitur acceptum fero quidquid ex omnium ore conquiro. sed rursus expende, quanto labore respondeam tot ingeniorum sublimium varietati. nam pares estis, nec tamen similes. ergo non minorem mihi rependenda adferunt difficultatem quam
2 accepta dulcedinem. hanc omnibus humanis gaudiis legem natura dixit, ut curae voluptatem sequantur. natae subolis primus parentes dies hilarat, mox pii metus brevem gratiam fugant: honor in exordiis laetus est, dehinc animos laborum aestus ingreditur. longum fiat, si pergam similia contexere. et iam mihi ad ea devertendum
3 est, quae fas sit de tanto viro dicere. temere iurasti. mandari enim periturae chartae epistulas quereris et allegasti sacramento enorme iudicium. itane me ludos facis, ut quae apud te incuriosius loquor, †in stili caudices aut tiliae pugillares censeas transferenda, ne facilis senectus papyri scrin/a corrumpat? et Marciorum quidem vatum divinatio caducis corticibus inculcata est, monitus Cumanos lintea texta sumpserunt:
4 tu etiam sericis voluminibus Achaemenio more infundi litteras meas praecipis. magna sunt auctoritatis tuae pondera, nec possum gratiosum putare, quod tu iuratus allegas:

---

2 *om.* *VM* 3 et audenter *M*, ut emendentur *V* 4 statim non *VM* 5 INlabi (IN *in ras.*) *P* de amico *VMΦ* 7 alligata uoluntario sacramento *Wouweren* 8 praestet *V*, praestes *M*, praestas (*Γ*) 9 ullas *P 2 m.* *VM* litteras *P 2 m.* *VM* 10 dodonam (odo *in ras.*) *P* delficis *PM* 12 locuntur *V* suspiceris *corr. ex* suspicaris *P* 13 tanta *P 1 m.* 14 inpatientia uince rationem *V* 15 uicinia] *P 2 m.*, uicina *P 1 m.* *VM* nostra *V*

17 *om.* *VM* 19 per communium *VM*(*Γ*) 21 parestis *P 1 m.* 22 rependendi *VM* quam *om.* *P 1 m.* 24 subolis] *ΓΦ*, suboli *M*, suboles *PV* prima parentes die *P 2 m.* 26 fuat *V* mihi ad eadem uertendum est *VM*, ea mihi aduertendum est *Γ* 27 cartae *P 2 m.* *VM*, certe *P 1 m.* 28 et *om.* *P* enorme] in//me *P 1 m.* 29 *fort. scrib.* in citri caudices; *de 'quadam immortalitate materiae', quae in citro laudabatur, cf. Plin. h. n. XIII, 101* caudices *P* 30 nec *P* senatus *VM* scrinia] *ego*, scrinta (?) *P 1 m.*, scripta *P 2 m.* *VM* martiorum *VM* 32 siricis *V*, syricis *M* achemenio *V*, achymenio *M*

sed dum me rursus inspicio, labascit fides et refragatur testimonio conscientia. ita *PVM* quod credibile persona iudicis facit, diffidentia respuit audientis. tu igitur solus ambigua summovebis, si amorem tuum posthac parcius loqui de laudibus meis iusseris.

AD MINERVIVM. *PVF*

XXXV ante a. 397.

Obrepsisti verecundiae meae, ut prior scriberes. vadatum me tibi hoc munere velim credas. sed non fero, ut aedes quodammodo amicitiae nostrae novus salutator adisse videaris. iamdudum virtutes tuas pares fratribus in pectoris mei possessionem recepi. crevisti etiam pro parte legitima paternae in me familiaritatis successione*m*, licet singulis vobis soliditas mei amoris accesserit; quae bona animi, etsi spargi in plures putantur, unicuique tamen plena et indivisa proficiunt. praeterea cum palatinae eloquentiae militares, porrexi amicitiae tuae dexteram. quare tot tantisque pignoribus adnexi, non aestimemus de epistularum tirocinio caritatis aetatem. nam ut animus celerior est litteris, ita prius fuit amare quam scribere.

XXXVI a. 396.

AD MINERVIVM. *PVM*

Postquam te Mediolanium venisse adseveratio commeantium palam fecit, speravi de proximo litteras tuas; sed ubi elusa est expectatio mea nec successit ullum spei pretium, praesumptum de te officium meo operi vindicavi. auxit praeterea scribendi causam vir spectabilis frater meus Bassus, qui paulisper avulsus a nobis transponi a me in pectus tuum debuit. adieci alteram paginam reddendam germano tuo, cum tibi 2 fors in patriam reditum secundaverit. asperserat nos ille iamdudum facundiae suae floribus, et sibi Galliarum prisca monumenta iuvando otio exscribenda mandaverat. optato accidit, ut ei per te utrumque reddatur, honor epistulae meae et expetitae fructus historiae.

XXXVII a. 398—399.

AD MINERVIVM.

Paulus amicus meus iamdiu aerario sacro militat, sed non pro gradu militiae spectandus tibi; nam probitate morum suorum mediocritatem vincit officii. nec despexeris hominem, si numerum stipendiorum eius examines; sed tardiores processus habet verecundia, quae facit, ut intra merita honoris sui haereat. nec tamen paenitet longum stetisse; tuo enim iudicio reservatus est, sub quo emergere maximum morae pretium est. cum igitur illi vitae integritas, militiae aetas suffragium ferat, dignum est, ut ad debitos fructus me precatore, te auctore perveniat.

---

1 sedum *P 1 m.* 3 sumouebis *P 1 m.* posthac *om. V*
4 explicit ad protadium incipit ad mineruium *P*, *om. VF* 6 oppressisti *V* uatum *P 1 m.* 8 pares fraternis *Iuretus*, parens fratribus *ego* possessione cognoui *F* 9 recepi — successionem *om. F* successionem] *Mercer*, successione *PVΓΦ* 11 indiuersa *V* 12 militarem *F* pigneribus *V* 13 tyronicio *V* 14 ita fuit prius fuit *V*
16 *om. VM* 17 facit palam *V* 21 pagnam *P 1 m.* 22 sors *P* secunda ueritas perseuerat *P*, secunda ueritas perseuerat *V*, secundum persuaserit *M* 23 momenta *VM*
27 *om. VM* 29 dispexeris *P 1 m.* 31 aereat *P 1 m.* paenitet *om. V*

XXXVIII a. 398—399.

PVF

AD MINERVIVM.

Gaudentius amicus meus in gremium patrocinii tui confugit, vir omnibus rebus amari dignus. genus ei senatorium est, mens et modestia origine sua ac stirpe nobilior. si fuco gratiae infectum testimonium meum non putas, suscipe diligendum. longa obsequiorum eius faciet inspectio, ut me iudices minora dixisse.

XXXVIIII a. 398.

AD MINERVIVM.

Ama Flavianum dominum et filium meum, quantum me velle interpretaris, et si fieri potest, certamen mecum de amore eius ingredere. gaudebo, si viceris. sed hoc mihi tunc proba*bi*tur, cum et ipse te colere supra mensuram diligentiae meae coeperit. nam si amicitia de mutuis constat officiis, facile erit, ut ex illius animo tuum metiar.

XXXX a. 398—399.

AD MINERVIVM.

Si consideres, quanta sit innocentium raritas, amabis Desiderium filium meum in paucorum electione numerandum. de quo non falli iudicium meum statues, cum in examen tuum venerit. interim quaeso, ut illi per me amicitiae tuae sacrarium recludatur, et praestes aurem benignam causarum suarum iusta narranti. si quid in eum bene consulueris, absolvetur fides mea, quae apud illum spem beneficientiae tuae in se recepit.

XXXXI.

AD MINERVIVM.

In absolvendo Rustico nostro votum tibi detuli, opem filius meus Caecilianus exhibuit. non est igitur verecundiae meae rapere gratiam laboris alieni. ambo ipsi acceptum feramus, quod agi tua cura praecepit, exequi mea valetudo non potuit.

XXXXII a. 397—402.

PVM

AD MINERVIVM.

Scio quid de me sentias; sed certus iudicii tui [non] recuso laudari. aemulare certe, quod te tacitus admiror, quia plus habet ponderis tecta veneratio. relinquamus verborum blanditias novis inter se amicis; illos iuvent alterna praeconia usque

---

2 *om.* *VF*

8 *om.* *VF* 9 domnum *P* 10 ingredere de amore eius certamen mecum *V* 11 probabitur] *Lypsius*, probatur *PVF* te ipse *V* 12 metiare *F*

14 *om.* *VF* 15 consideras *V* desiderio *V* 16 electionem *VF* munerandum *P 1 m.* 19 spe *V* in se recepit] *P*, fideliter persoluit *VΦF*

22 *om.* *VF* 23 cecilianus *VF* 25 si exsequi *V*, si *in ras. quinque fere litterarum*

27 *om.* *VM* 28 non *del. Lectius* 29 tecta] *V*, recta *PM* ueneratione *V*, ueneratio sed *M*

ad fidem foederis: nostra caritas adyto pectorum recondatur. ipsa habitatio cordis in *PVM*
operto est; inde me tua cura respiciat. sed non est meum formam scribendis litteris
dare; illud tantum cogites volo, cum sis ad praedicandum liberalissimus, parum mihi
videri posse, quod a te laudor, nisi amplius obligor. praeterea scire postulo, cur 2
servata in praemissis nominibus nostris vetustas defuerit litterarum contextioni. iuvet alios titulo sublimitatis adtolli, ego magnificentiae appellationem recuso. nisi forte me inprobum putas, quod honori tuo eadem delenimenta non defero. amor fictus in illa verba summittitur; amicitiae cultus ingenuus est. alba velamina non segmentati amictus fidem vestiant. quo mihi altus reverentiae gradus? amari a fratre malo quam suspici.

XXXIII a. 397—398.

AD MINERVIVM.

Eusebius familiaris est meus: idem vetus privati miles aerarii diu morbo obstante obsequio tuo defuit. orandus mihi es, ne inter resides adnotetur. sed impetratio veniae non manebit, nisi illi aliquid beneficii propitiatus adieceris. quaeso igitur, flagitandis per Etruriam debitis publicis sollicitudinem navare iubeatur, ut longae absentiae culpam commendatione aliqua laboris amoveat.

XXXIIII a. 397?

AD MINERVIVM.

Semper quidem mihi salutatio a te profecta gaudium creat, sed ea praecipue, quae familiaribus adportanda committitur. adicit enim scriptis digna quaesitu et de te tradit auditui, si quid defuit lectioni. velut nunc Sebastius vester post epistulam tu*a*m redditam quantam mihi, satin ex voto ageres, sciscitanti imaginem praesentiae tuae praestitit! idem nunc de otio meo, quae velis nosse, narrabit, nam me in silvis Laurentibus continatus est rurali inhaerentem quieti. quid enim magis adsectandum est mihi, sarcienti nonnumquam valetudinem, declinanti saepe *t*urbas, litterarum semper innocentiam diligenti?

XXXV a. 396—397.

AD MINERVIVM.

Fiducia mihi stili atque ingenii mei nulla est, sed tua benignitas ausus meos provocat. misi igitur ad eruditionem tuam duas oratiunculas nostras, quarum una ad Polybii filium pertinens ex recenti negotio nata est, altera dudum, cum res in senatu agitaretur, a me parata nunc opere largiore aucta processit. huic argumentum est repudiata censura, quam tunc totius senatus fugavit auctoritas. nolo mireris gravissimum ordinem magisterium respuisse. in oratione nostra non leves causas vitatae huius potestatis invenies.

2 meum est *V* 8 submitti *V* ingenuum *V*
12 *om. VM* 13 familiaris est] familiarissimus (*Γ*)
19 *om. VM* 23 tum *PV* quam tam *Γ*, quantum *Φ*, quam *M*, quandam *Scioppius* 24 nelissnosse *P* narranit *V* 26 curbas *PV*, curas *Kiessling*
29 *om. VM* 32 polibii *VM* exercenti *P* 33 hinc *V* 35 respuissem *V* in *om. VM* uitate *V*, *l*anitate *P*, in tali re *M*

XXXXVI hieme 394/5?

PVM AD MINERVIVM.

Spectatae frugis viros apud te debeo commendare, quia praecipuum munus est, ut tuis amicitiis inserantur. suscipe igitur, quaeso te, ortu et moribus facile summates eosque in primore congressu penetrali familiaritate dignare. legationem illis Campanorum provincialium commune mandavit . . . . habent oranda. iustitia negotium, personas mea cura commendat. advertis duas esse causas exercendae in eos benignitatis, pro quibus publice aequitas petitionum, privatim non gratiosus laudator intervenit.

XXXXVII.

PVF AD Q. S.

Vidi Romae Protadium filium nostrum, cuius commendationi nihil ex familiae vestrae ornamentis praeter litteras tuas defuit. quas cum desiderassem, de citeriore Gallia imperatum sibi a socero iter te procul agente respondit. excusationem iuvenis non libenter accepi; cetera morum probavi. satis est hoc auribus patris, cui nolo in me gratiosum videri testimonium brevis experimenti. simul vereor, ne quid amori tuo in filium derogem, quem non decet iuvari apud te per suffragium conciliationis alienae.

XXXXVIII.

PVM AD Q. S.

Litteras nonnullis humanitate praestamus: has autem domino et fratri meo Basso, qui sororis fortunas tuetur, iusto amore detulimus. petitio ab aequitate non discrepat, quin potius iure . . . . . . atque iustitiae munitur auxiliis. nam rebellem servum sibi poscit adduci, ad cuius investigationem nec praecepti caelestis auctoritas nec Africani comitis vigor potuit pervenire; siquidem facti audacis conscius imminentem poenam latebrarum vitavit effugio. cum igitur super eius facto atque nequitia ad te vir laudabilis Africae comes scriptum publicum dedisse dicatur, erit iustitiae et benignitatis tuae in favorem clarissimi viri divinum provocare iudicium, ne ulterius innocens domus commentis feralibus vilis mancipii terreatur.

XXXXVIIII a. 400?

PVF AD MINERVIVM.

Et cum Mediolani degerem, cultum circa te salutationis exercui, et nunc remenso itinere sedulam operam litterario muneri non negavi. expectas credo, ut gratiam

---

2 *om. VM* 3 fruges *V* 4 ortii *V* 5 primo *VM* 6 communem *V*, communis *M* mandauit habent oranda *PVΓΦ*, mandauit necessitas horum *M*, *supple:* in curam tuam recipe, quae habent oranda *vel simile quid* 7 exerendae *V* 8 publice] *Lectius*, publica *PVM*

11 ad $\overline{\text{qs}}$ (*i. e.* ad quem supra) *P*, *om. VF* 14 innenis *P I m.*

20 *om. VM* 21 autem] enim *V*, *om. M* 23 iure atque institiae *PV*, iuris atque insticiae *M*, *supple:* nititur *vel simile quid* 25 facti facti *V* 28 fauorem clarissimi uiri] *Clason*, fauorem cum *P*, fauorem $\overline{\text{cn}}$ *VΦ*, fauorem nostrum *M*, fauorem *Γ*

31 *om. VF* 33 litteralio *V* negau *P*

repetam scriptionis. illam plane mihi non mea efflagitatio sed tua adfectio pollicetur. *PVF*
exigant stili vicem, qui animi non merentur.

AD FLORENTINVM. *PVMF*

L a. 395.

Diu super adventu fratris postulatum a me indicium distulisti, credo, ut nos salu-
tationis honorificentia praeveniret. agnosco religiosa conludia nec tamen cedo, et ultro
in certamen scriptorum familiarium solus duos evoco. otium tibi, inquies, hanc offi-
ciorum fiduciam praestat. quid quod te magis quaesturae honor et condendarum
sanctionum usus excoluit? cum illo autem mihi privatae vitae condicio communis est.
atque utinam boni principis circumspectio ipsius quoque operam sibi vindicet! feren-
dum! ambo devotione placeatis, si circa me litteris ambo cessetis.

LI a. 395.

AD FLORENTINVM. *PVF*

Omnia te facere ad salutem Flaviani viri ornatissimi pignoris mei rebus ex-
perior. hinc mihi spes oritur atque animus adsurgit, posse cetera eius incommoda
te medico sanari. adeptus enim divi principis lenitate, quae magna sunt, uno adhuc,
ut *ita* dixerim, nodo infortunii strangulatur, quod homo tenuis et nunc labe patrimonii
graviter exhaustus paterni salarii aestimationem iubetur exsolvere. ergo per te ac tui 2
similes amoliri postulat imminentem ruinam. nec res inpetratione difficilis est. nam
quod plerisque sua invidia laborantibus imperialis remisit humanitas, id patris nomine
postulatum multo aequior venia relaxabit. proficiet ista concessio etiam temporum
gloriae, si quod beneficiis principis deerat, pius successor adiecerit.

LII a. 395.

AD FLORENTINVM. *PVM*

Verbis nequeo conplecti, quot gaudia mihi pariter dies unus invexerit. agnoscis
credo causam, cuius auctor fuisti. nam geminas fratrum communium litteras in cumu-
lum extulit tertius honor scriptorum tuorum. itaque ut rerum bonarum difficilis electio
est, paulisper haesi, *quam* primam paginam recenserem; tantum apud me erat desi-
derium singularum. mox omnes arguto legendi transitu percucurri, ne inspectionem 2
residentis morarer. nec semel legisse suffecit, ut si quid aviditas prima perstrinxerat,
inculcaret iteratio. erat in verbis uniuscuiusque varius elocutionum lepos, quo solo

---

1 rescriptionis petam *F* afflagitatio *P* effectio *P 1 m. V*

4 explic̄ ad mineruium xv inc̄ ad florentinum *P*, *om. VMF* 5 iudicium *V* 6 credo *Γ*) 7 aduoco *P* 8 honore *V* concedarum *P* 10 sibi *om. V* ferendum] *P 1 m. ΓΦ*, ferendam *VMF*, ferenda *P 2 m.* 11 certetis *MF*

13 *om. VF* 16 medio *P* adepta *F* magna est *F* 17 ut ita] *F*(*Γ*), ut *PV* infortunii modo *F* 18 exsoluere (e *supra* o) *P* 19 postulat] *VF*, portabat *P 1 m.*, portebat *P 2 m.* 21 relaxauit *PVF** 22 si *om. P 1 m.* quid *VF*

24 *om. VM* 25 quod *P 1 m.* 27 ut rerum tuarum bonarum *V*, ut bonorum tuorum *M* 28 haesi quam] *Mercer*, hac si cum *P*, hesi cum *VM* 29 p⁹cucurri *V* 30 sufficit *V* auditas *P 1 m.* praestrinxerat *Kiessling* 31 quos *P*

PVM litterae discrepabant; nam omnes mens una dictaverat. possem bona fide adicere maiora, sed tuae aures, licet fratrum laudibus gaudeant, communionem tamen gloriosi
3 testimonii per verecundiam non ferunt. restat, ut tibi reditum meum sub quadam curiae invitatione poscenti pauca respondeam. ad idus Novembres, modo eventus adiuvet destinata, recurrere *in* conspectum vestrum paramus. si promissi dies serus videtur, legationem senatus per me nolo differri, quae dudum viris inlustribus credita
4 et instructa mandatis neque personarum neque petitionum requirit adiectionem. decet igitur stare dispositis, nec fas est exemplo proximae dissensionis per novos tractatus confirmata subverti. haec ante me, ut scribis, etiam ipse vidisti; quo magis placitis inhaerendum est, quae mihi commendat auctoritas tua. tibi noster adsensus.

LIII a. 380—382.

AD FLORENTINVM.

In eum militiae gradum labore venisti, ut Benedicti amici mei fortunam debeas adiuvare, quem nulli obnoxium crimini fortunae iniquitas loco depulit et honore privavit. huic ad promerendum favorem tuum non solum ipsius probitas sed etiam commendatio mea aditum debet aperire. credo enim tanti apud te litteras meas esse momenti, ut effectum sperare fas fuerit, etiamsi ardua postularem. quod ideo commemorandum putavi, ut intellegas, vel quid de animo tuo atque amicitia sentiamus, vel quantum prodesse huic debeat vel adesse iustitia.

LIIII a. 397.

PVF

AD FLORENTINVM.

Purgas, quod hucusque siluisti. communis haec culpa est. nam me quoque ab tali commercio diu infirma valetudo revocavit. inhorruisse te puto, postquam de me cognitu amara legisti. redi in habitum animi laetiorem: diis quippe auctoribus sanitatem refovi. facilis igitur litterariae cessationis utrique venia sit. ambo nobis in-
2 vicem remittamus, quod ambo deliquimus. sed quid mihi insusurras frugis Africanae tenues commeatus? absit, ut praesens annus imitetur fortunam superiorum! intercludet, ut spero, providentia tristes casuum vias sacris auribus edocendis et castiga-
3 tione iudicum, quos alimentaria spectat invectio. nec spem dies obstruit; nam mare adhuc iustis cursibus patet et nondum in hiemem praecipitat autumnus. placet tamen inter haec, quod inaestuas et pio metu antevertis necessitatem. remunerabitur curam tuam melior eventus, et laudis tuae fructus efficiet, ut sit tibi postea dulce timuisse.

4 pauca poscenti *VM* 5 recurrere conspectum *PV*, reuisere conspectum *M* 9 indisti *P 1 m.* 12 *om. VM* 14 nulla o^{n}boxium *V* depulicet honore *P 1 m.* 18 intellegam *P 1 m.* uel *ante* quid *om. V*

21 *om. VF* 24 cognito *V* animi *om. F* deo quippe auctore *VF* 25 litteraliae !!!!!!!cessationis *V* uticem *V* 26 quod] quia *V* deliquemus *P 1 m.* frugis *om.* (*Γ*) 27 intercludet (t *postr. in ras.*) *P* 28 sacris *om. F* 29 inuectione spem *P* 30 praecipitatur *F* 31 in/aestuas *P* 32 ut tibi sit dulce postea (*Γ*), ut sit tibi posthaec dulce *F*

LV a. 398—402.

AD FLORENTINVM. *PVM*

*Di*ctam mihi a te salutem pari honore conpenso. vellem utrique nostrum saepe alternandi stili usus veniret. sed quia hoc longinqua non sinunt cadere pro voto communi, *in*patientiae ratio satisfaciat. debet certe prompta esse inter nos morae mutuae venia. non eadem tamen facilitate purgabis, quod filii nostri Minervii nuptias aliorum potius relatu quam litteris tuis conperi. an veritus es, ne a te nomisma auro cusum desiderarem? potuit iacturam sportulae tacere verecundia mea, negationem gaudii amor nescit *i*gnoscere. et tamen, *ut* su*m* placi*do* in meos animo, spondeo remissionem tibi huius offensionis, cum de nepote suscepto anteveneris scripto nuntiorum celeritatem.

IN COMMVNE FRATRIBVS MINERVIO PROTADIO ET FLORENTINO. *PΓF*

LVI (LVII) a. 402?

Et vestra concordia et mea per hos dies inbecillitas facit, ut vos unius paginae salutatione coniungam. erit hoc aut probabile pro consortio vestri amoris aut ignoscendum pro statu mei temporis. aestimabitis autem virium nostrarum fatigationem, cum vos in subscriptione istius epistulae precaria manus moverit. ad hoc filii nostri Nemesii pia ad larem *p*atremque properatio magis contestationem de me sollemnis officii quam satisfactionem desideravit. res postulat, ut salute praefata florentissimae 2 indoli eius testimonium feram, sed vereor, ne ostentare operam meam videar. quae plus iuveni bonarum artium contulisset, nisi fraternus casus fregisset cursum duorum. hoc tamen sincerissima fide dixerim, minutam quidem de altero parentis eius felicitatem, sed posse istum suorum gaudio pro utroque sufficere.

LVII (LVIII).

SYMMACHVS MINERVIO PROTADIO ET FLORENTINO.

Relegite viam dissimulati hactenus moris me officiorum familiarium praesule, qui prior rupi commune delictum. nec pro numero vestro epistulas peto, quamvis hanc vicissitudinem mihi singulorum amor debeat. magnae indulgentiae res est, ut fenus, quod vobis solus exhibeo, alterna remuneratione solvatis.

---

2 *om. VM* 3 dictam] *Lectius*, actam *P*, accitam *V*, adcitam *Φ*, missam *M* 4 quia hoc] qui enim *V*, quod humus *M* 5 inpatientiae] *Suse*, patientiae *PVM* 7 nomisṣma *P*, nummisma *M*, norma *ΓΦ* 8 potuiṭ *P* anuerecundia *P* 9 amore *P 2 m.* noscit *V* ignoscere] *Mercer*, agnoscere *P 2 m. VM*, ag//scere *P 1 m.* et] *PΓ*, *om. VM* ut sum placido in meos animo] *Scioppius*, ut sub placito in meos animo *Γ*, tum (tunc *M*) sub placito in meos animos *PVM* 10 celeritate *V*

11. 12 expliē ad florentinum. VI. inē in commune fratrib; mineruio protadio et florent *P*, explicit ad florentinum: incipit in commune fratribus mineruio protadio et florentino (*Γ*), *om. VF* 14 et uestra *in ras. P* 15 hoc] enim *V* 16 mei *om. VF* temporis (po *in ras.*) *P* uestrarum *F* fatigatione *V* 18 nemesi ipsa ad *P*, themesil pia ad *F* patremque] *Iuretus*, fratremque *PV*, fratrumque *F* 21 duorum] *PΓF*, tuorum *VΦ*

25 *om. VF* 29 solus *om. F*

PVF

AD EVPHRASIVM.

LVIII (LVIIII) a. 399.

Annuos gaudii fructus ex litteris tuis capio: hunc reditum mihi, has opes pendit Hispania. itaque ubi pulsa hieme patescunt navium viae, paginas tuas commendo ventis, quas mihi iste annus frequentes quidem, seras tamen reddidit. nam decedebat autumnus, cum homines tui Tiberina tetigerunt. hinc factum est, ut haererent apud nos defectu navigationis. suadeo igitur, eorum moras pro tua iustitia boni consulas.
2 quamvis prius nomine meo venia poscenda sit, quod de curulibus equis quattuor datum mihi a te *i*us electionis omiserim. velim credas, hanc abstinentiam non fuisse fastidii, sed quia nullum eorum iugo alacrem vel dorso mitem probavi. optio meritis non excitata cessavit frenata. oportunum videtur diligentiam tuam precibus ambire, ut in praetoriam filii mei functionem visu et cursu nobiles praeparentur. gemina ante editionis claritudine in os hominum venimus: satisfaciendum videtur expectationi, quae
3 crevit exemplis. quare amori tuo laudis nostrae commendo causam, quae paulisper censuram vitae tuae gravitatemque animi ad populares auras debet inflectere. domo pretium adportabitur tuo arbitratu nobilium quadrigarum dominis inferendum: solam de amicitia tua electionis curam requiro factu facilem, cum sit dives equini pecoris Hispania et magnus gregum numerus copiam praestet examini.

LVIIII (LX) a. 398.

AD EVPHRASIVM.

Sum quidem sermonis tui nimius flagitator, sed silentii intervalla non arguo *nec* suspicor aliquid amicitiae nostrae ex alloquii raritate decedere, qui sciam in pectoribus esse sedem religionis, levamen desiderii ex ore proficisci. priores igitur litterae meae magis desiderium sermonis tui quam castigationem taciturnitatis habuerunt, et ideo elaborandum tibi non est, ut mihi amoris tui fidem faciat. nam tui animi de meo sumo indicium: siquidem nullus verior aestimator est amoris alieni, quam qui de
2 suo sumit exemplum. his ita positis, quia in re aperta piget esse prolixum, designatum tibi ad urbanam praeturam filium meum nuntio. intellegis, quid sibi hoc indicium velit: quadrigarum curulium nobilitas praeparanda est. nos pretium proxima abhinc aestate mittemus, sed iam necessitatem praecurrat electio. multum enim valet in rebus eiusmodi longior diligentia. quapropter accingere, ut quaestoriam quondam filii mei magnificentiam, cui per te inlustris fama quaesita est, secundus eiusdem superet magistratus. verus quippe et maximus laudis profectus est, quotiens sequentibus priora vincuntur.

---

1 expliċ ad cōmune frib; II. inċ ad eufrasium *P*, *sed* 20 euprasium *et p.* 121. 12 eupraxium, eupraxio *Φ*, *om. VF* 3 capio honoreditum *P 1 m.* hassiopes *V* 5 quis *V* frequentis *P* 6 tyberina *VF* herent *P 1 m.* 8 nomini *F* curilibus *V* quatuor a te datis omiserim *F* 9 ius] *Iuretus*, eius *PV* non esse *F* 10 quia] qui *V*, quod *F* 12 uisu] ausu *F* ante *P*, antehac *VF* 13 in hos *P*, mos *V* 14 amari *V* 15 aures *P*(*Γ*)

20 ad euprasium *P*, *om. VF* 21 sed] *PΓΦ*, *om. VF* nec] *Suse*, sed *PVF* 22 alloqui *P 1 m.* 23 sedem esse *F* 27 exemplum (em *in ras.*) *P* 28 sibi *om. V* indicium *V*

LX (LXI) a. 399.

AD EVPHRASIVM. *PVF*

Praeturam filii mei, si fors dictum iuvet, proximus annus exspectat. equorum mihi curulium paranda nobilitas est, ut expectationi populi Rom. mea pecunia, tua cura respondeat. hoc me crebris litteris postulasse meministi. nunc mihi admonitionis verba, non *p*etitionis adhibenda sunt; et tamen, cum voluntas in nos tua ambitum non requirat, in tantum me votiva sollicitant, ut anxias auribus tuis tamquam novus
petitor ingeram preces. vincenda est enim mihi fama exemplorum meorum, quae post 2
consularem munificentiam domus nostrae et filii mei quaestoriam functionem nihil de nobis mediocre promittit. haec igitur petitionis meae summa est, ut me diligentia tua praeteritae gloriae parem faciat. pretia pro tua aequitate numeranda familiares mei incunctanter exsolvent. tui beneficii erit, ut quidquid ad curule certamen generosum
gignit Hispania, vel domo praebeas vel de aliorum gregibus excerpas. non vereor 3
inter haec, ne me adpetentem plebeiae laudis existimes. scis enim pro tua sapientia, magnae urbis magistratibus angustos animos non convenire. hoc etiam Tullius tuus praecipit luxum in privatis negotiis arguens, in publicis magnificentiam probans. quare ex summis opibus iuva Romani animi speciosum calorem venturus in partem popularis mecum favoris, si bonis ex tuo beneficio celebrior fama provenerit.

LXI (LXII) a. 398—402.

AD Q. S. *PVM*

Tuentius tuus in utramvis aurem somnum capessat; nihil enim magna dignitas a paupere petit. sit fortasse plerisque ipsa inopia gravis, habet tamen alieni oneris exceptionem. adice, si placet, securitati eius sacerdotii privilegium et unius hominis munimenta multiplica. mihi videtur validior esse omnibus vacationis remediis exhau-
sta fortuna. sed velim noveris, quaesitores glebae senatoriae protinus adfuturos spe- 2
randamque Tuentii veniam pleniorem, si fidem paupertatis eius exploratio ratam fecerit. interea tutus prioribus gestis agat liberum. nihil novabitur post inlustris viri Felicis pro illo iudicationem, modo ut allegatas dudum senatoris angustias adstruat examinis
diligentia. nunc mihi tu amice obiurgandus es, qui cum vicina itinera perstrinxeris, 3
flectere ad nos habenas longum putasti. dedisset Hispania Romae posito morae veniam; novit enim summittere desideria sua cunctarum provinciarum parenti. nec ita avara est, ut nobis propria bona nolit ostendere. quare fraudati gratia tua secundos amicitiae fructus sedulo postulamus, ut quotiens fors copiam dederit, legamus saltem, quem videre maluimus.

15 Cic. pro Flacc. 12, 28

2 ad eufrasium *P*, *om. VF* 4 nobilitas curanda est *F* romae *V* 5 hunc *P 1 m.* 6 petitionis] *ego*, repetitionis *PVF* 10 nobis *om. V* 16 praecepit *VF* negotiis] officiis *V* probas *V* 18 nobis *Lypsius*

20 ad qs (*i. e.* ad quem supra) *P*, *om. VM* 21 utramuis///aurem (uis *om. 1 m.*, *add. 2 m.*) *V*, ultroneus (*in ras.*) aurae *M* magni *Susi* 22 honoris *P 1 m.* 27 agit *P* faelicis *VM* 28 dudum *om. V* 31 prouintiarum *P* 32 nollet *V*

LXII (LXIII) post a. 390.

PVM

AD EVPHRASIVM.

Et amicitia nostra in ore multorum est, et laus equorum tuorum longinqua penetravit. hinc fit, ut suae quisque patriae magistratus meae commendationis opem postulet, gregum tuorum famam secutus. †eo propterea summates Antiochensium missi ad mercandas quadrigas iuvari apud te sermonis nostri conciliatione voluerunt. an*n*ue, oro, longum peregrina*t*is et electionis et pretii iustam benignitatem, quae homines opinionem blandam secut*o*s de tuo studio meoque merito verum sperasse confirmet.

LXIII (LXIIII) a. 400.

PVF

AD EVPHRASIVM.

Fas sit dicere, equorum curulium cop*ia* iam non egemus; sed incitat nos praeturae mora ad desiderium numeri largioris. si igitur dulcis est, ut solet, mandati mei executio, quattuor ex grege Laudicianorum quadrigas, quas tua defloret electio, ad me opto deduci, cum primum mare navigatio verna patefecerit. ego pretium, quod signaverint litterae tuae, in rem missis renumerabo. quamquam hoc spondere non debui,
2 quia fides amicitiae syngrapham non requirit. credo mireris, cur non potius de gregibus tuis postulem, qui potissimos Hiberorum nobilitate praevertunt. fastidium patitur uniformis spectaculi civitas nostra, cuius satietas mihi varietate vincenda est. tuae modo diligentiae sit adhibere iudicium et ex alienis stabulis aequare laudem tuorum. nam cum res amici agitur, hos quoque proprios debes putare, quos eligis.

LXIIII (LXV).

PVM

AD EVPHRASIVM.

Nemo umquam pervector epistularum tuarum vacuus eiusdem muneris mei ad te revertit; tu tamen infrequentiam nobis vitio ducis et ultro curam tuae adsiduitatis exprobras. facis hoc amantium more, apud quos officiorum talium, etiam cum redundant, sitis magna est. nec tantum epistulas meas poscis, sed oratiunculas quoque
2 nostras nondum tibi editas deferri in manus tuas praecipis. quae res videtur ostendere, quid iudicii habeas de *h*is, quas ante sumpsisti. nullum enim desiderium ad secunda progreditur, si priora displiceant. misi igitur ex recentioribus oratiunculis meis quinque numero, quarum mihi iam fiduciam fecit publicus favor. sed post sen-

2 ad eufrasium *P*, *et ita deinceps*, *om.* *VM* 3 laus *om.* *VM* 5 eo propterea] *PVM*, *nomina Antiochensium h. l. latere videntur*, *e. g.* eo Prosper et Chaerea summatis anthiocensium *PV* misi *V* 6 noluer̄ *P 1 m.* annue oro] *Kiessling*, an uero *PV*, annue quaeso *M* 7 peregrinatis] *Iuretus*, peregrinantis *PV*, peregrinantibus *M* 8 secutus *PV*

10 *om.* *VF* 11 copia iam] *Mommsen*, copiam *PV* 12 muneris *VF* 13 laudacianorum *V*(*F*), laudatianorum *F* deploret *VF* 14 pretium tuum quod *V* 15 in remissis *VF* remunerabo *F*, renunciabo *V* 16 syngrafam *PV* 17 potissimus *P*

22 *om.* *VM* 24 uitio] iudicio *V* exultro *P 1 m.* tuae curam *V*, curam meae *M* 26 satis *P 1 m.* 27 edita *P 1 m.* 28 his *PVM*

tentiam de illis gentis togatae adhuc expectatione iudicii tui pendeo: quod volo iuratus *e*mittas, quia convenit vinciri sacramento fidem, si quando amicitia in suspicionem venit gratiae. *PVM*

LXV (LXVI).

AD EVPHRASIVM.

Iamdudum in expectatione eram litterarum tuarum incertus animi, quid sibi vellet tam longa cessatio, sed ubi compotem desiderati *me* muneris reddidisti, cura vertit in gaudium. et revera ita natura partum est, ut expetiti diu officii querella decedat, si potiamur optato. ergo magno inpensu gratulor, integratum mihi esse pignus religionis. praestabis, ne huius opinionis frustra sim, cum diligentiam mei continuo amore servaveris.

AD EVSIGNIVM. *PVF*

LXVI (LXVII) ante a. 388.

Videro, quid iustitia temporum, quid causae nostrae bonitas, quid cura tua, si tamen tibi cordi sum, possit efficere. ego in fratre meo Eusebio c. v. votum servatae circa nos moderationis amplector eiusque probitatem mente colo, sermone commendo. et licet ille boni propositi praemium non requirat, nos tamen ei honestam vicem de tua amicitia optamus exsolvere. feceris rem tam meae voluntati acceptam quam tuis moribus consentaneam, si advertat vir prudentissimus, quidquid mihi tribuit, id se omnium bonorum gratiae detulisse.

LXVII (LXVIII) a. 384—387.

AD EVSIGNIVM.

Et temporum clementiae congruit et sancto ingenio tuo familiare est opis indigos sublevare. hinc mihi fiducia oborta est pro fratre nostro Stemmatio supplicandi, cui dudum cuncta dempsit invidia fortunae praeter amorem bonorum. neque enim potest ambigi, quid de optimo quoque mereatur, qui nuper a principibus invictis, ne per indulgentiam liberaretur, accitus est magisque honore quam venia fatum triste mutavit nec tam ereptus est quam desideratus. unde spes certa est, etiam principem nostrum 2
lenitate venerabilem iusti parentis et pii fratris exemplo supplementa meliora fortunae eius daturum, si modo vestra insinuatio iuvet exhausti senatoris oratum. duo enim factu facilia sed ad gloriam praestantis magna deposcit, reddi curiae testimonio sacro et recuperatione modici argenti ab inopia vindicari. haec ut favor tuus aliorumque optimatium te hortante promoveat, interest boni saeculi, *cui* laudem perennem pia facta conciliant.

2 emittas] *Iuretus*, omittas *PVM* 3 uenerit *M*, conuenit *V* gratiae *om. M*
5 *om. VM* 7 me] *ego*, *om. PVF* uertitur *V*, uersa est *M*
12 explic̄ ad eupraxiū (*sic*) VIII inc̄ ad eusignium *P*, *om. VF* 14 uidebo *F* 15 tamen] tam *F* 18 facies *F* 19 mihi tribuit] bene facit *F*
22 *om. VF* 23 indigitos *P* 24 nostro] meo *V* 25 demsit *P 1 m.* 28 nostrum] n/// *P* 29 supplimenta *P 1 m. VFΦ* meliori fortunae *Susε* 32 ut *om. F* 33 optimatuum *V* cui] *Lectius*, tui *PVF* 34 concilient *F*

LXVIII (LXVIIII) a. 386—387.

PVM

AD EVSIGNIVM.

Etiamsi petitio domestica et amica cessaret, publicus vigor iusto desiderio deesse non posset. quid enim tam familiare institiae, quam ut circumscriptor clarissimae et laudabilis feminae parentis meae astutiae su*ae* privetur effectu, ne commodis inludat alienis provincialium patronorum fretus auxilio? quorum inpotentia conpulit, ut ma-
2 trona litium fugitans ad iudicium praetoriani culminis convolaret. res autem, qua de agitur, eiusmodi est: ante paucissimos menses ille a parente mea horrea in Aquileiensi sita et clarissimae feminae propter longinquitatem itineris incognita tenui mercede conduxit, atque his ita abusus est, ut parvo licet tempore iisdem locis labem consulto intulisse dicatur. hunc ubi saepe convenit, ut conductione decederet, contemptu ho-
3 minis et interventu quorundam frequenter elusa est. nunc opis indiga geminum beneficium vestri favoris exoptat: primo ut inprobissimus inquilinus locorum *de*tentione pellatur; dehinc ut habita deterioratae rei aestimatione sumptum iustae instaurationis agnoscat. cum igitur aequa poscamus, credo confore, ut utilitatibus parentis meae favor vester adrideat.

LXVIIII (LXX) a. 387.

PVF

AD EVSIGNIVM.

Benigne, ut mos est tibi, recursum nostrum misso apparitore invisti; quem progressus ad Appennini superiora dimisi adiecto officio litterarum, ut gratiam, quam rebus aequare non possum, saltem verborum honore conpensem. quod superest itineri, spero praefata dei venia sine labore peragendum. minus enim molesta sunt, quae perveniendi spem proximam pollicentur.

LXX (LXXI) a. 387.

PVM

AD EVSIGNIVM.

Discedenti mihi curam legare dignatus es amicitiae congruentem, ut famae atque actibus tuis accommoda non silerem. causa igitur postulante fungor iniunctis. video enim basilicae pontisque rationem recte quidem Bonoso praesidali viro esse mandatam, cui et vigilantia superest ad luminandas publicae rationis ambages et fides ad persequenda, quae examen invenerit: sed vereor, ne ludificationibus res iniuncta frigescat obluctante eo, quem socium disenssionis accepit, atque ideo clam te esse non patior, eo rem deduci, ut labes magna sumptuum publicorum studio certaminis oc-
2 culatur. quid enim sibi vult ista coniunctio in ea praesertim discussione, quae ipsum quaesitorem videtur adstringere? quare huic tan*de*m parti adhibenda correctio est et

2 *om. VM* 4 circumscriptos *P 1 m.* 5 laudibilis *P* suae] *Iuretus*, suo *PVM* nec commodis *Suse* 6 consulit *VM* 7 spes hoc qua de *V*, res de qua *M* 8 ad parentem *P* aquileinsi *V* 9 ē f *PV* 10 hisdem *VM*, *l*isdem *P* 11 hinc *V* 13 exoptet *V* detentione] *Mercerus*, intentione *PVM*

18 *om. VF* 19 apparatore *P 1 m.* qquem *V* 20 dimissi *V* 21 aequare] optare *V* itineris *F*

25 *om. VM* 30 ne] *VM*, in *P* 32 eo rem *om. VM* 33 discussion/ *P* 34 tandem] *ego*, tantum *PVM*

ad unum, quem sponte delegeris, inquisitionis summa referenda adiectis vestrae ap- *PVM* paritionis auxiliis, quo minora officia fidem praebitorum vel invectorum cogantur aperire. probabit exitus, quantum reip. tua cura prospexerit, cum cohibitis sumptibus novis consummationi operum satisfecerit summa reliquorum.

LXXI (LXXII) a. 397?

AD EVSIGNIVM.

Summo gaudio, quotiens scribis, adficior, et tum maxime, cum abest amaritudo querimoniae. nunc stilus tuus ab usitata iucunditate dissensit. arguebat enim falso iniquitatem quandam pignoris mei, cum quo tibi limitum nulla certatio est. itaque litteras contra ius amicitiae ad eum missas repressi, ne amantem tui dolor iustus offenderet. fuit autem matri eius cum procuratore tuo finalis in Sicilia quaestio, quam disceptatio non, ut scribis, Venusti, sed alterius rectoris absolvit. ergo in utraque persona error suggerentis retectus eam pignoris mei ex*im*et invidiam. advert*es* ergo 2
pro singulari verecundia tua, cui potissimum parti satisfactio debeatur. et nihil de praesenti fortuna istius loquor, quae scribentem debuit temperare. adde, quod pecuniarias causas usque ad detrimentum amicitiarum non oportet extendi. sed quid haec pluribus? posthac opto sermonem tuum placidiorem mereri et constantiam veteris erga me observantiae tuae porrecto etiam in meos amore colligere.

LXXII (LXXIII) ante a. 388.

AD Q. S. *PVF*

Frequens usus ostendit et clara animi tui documenta testantur, exempla verae amicitiae de te esse capienda. neque enim quisquam constantiam firmiorem familiaribus inpendit officiis, in tanta praesertim publicarum mole curarum, quae alterius studium possit hebetare, nisi obstrepentes necessitates adfectio fraterna superaret. quod solum igitur verecundiae convenit, cedo praestantissimae religioni meque inparem referendae vicissitudini pudenter agnosco. nec vereor, ne diligentia tua tali laude lentescat; quin potius spero benivolentiam tuam, si quid pleno potest adici, largiorem; quia bonis familiare est studia benigna cumulare, quorum gratiam sentiunt non perire.

LXXIII (LXXIIII) a. 384—387.

AD EVSIGNIVM. *PVM*

Facio, quod suadet humanitas, ut amicitiae tuae viros bonae frugis adiungam. horum unus est Felix honorabilis gradu atque exercitatione militiae. cui si quid amoris inpenderis, ad meam gratiam pertinebit.

---

3 rei pro tua *V*, rei tua *M* 4 reloquorum *P 1 m.*
6 *om. VM* 7 gaudeo *P 1 m.* 8 ab abusitate *V* 10 dolor iniustus *Suse* 11 autem] hoc *V*, *om. M* 13 eximet] *Suse*, exemit *PVM* advertes] *Kiessling*, aduertis *PVM* 14 satistacio *V* 16 haec de pluribus *V*
20 *om. VF* 22 amititiae *V* 24 posset *P 2 m.* 28 benigna] bona *F* 29 uale *add. F*
31 *om. VM* 33 faelix *VM* tui *V*

LXXIIII (LXXV) a. 383.

PVM AD EVSIGNIVM.

Mirabar, quid esset rei, quod amicitiae observantissimus diu scribendis litteris abstinebas; sed epistulae tuae series indicavit, quod tristium rerum index esse vitaveris, quas longiore silentio contineri nec religio familiaris nec communis causa permisit. nam plerumque utile est in publicam proferre notitiam, quod velis esse correctum, ut denuntiatione futuri periculi ad consulendum cunctorum cura moveatur.
2 magna igitur necessitate futuri anni inopiam protestatus es. quid enim spei reliquum est, cum provinciis Africanis nec ad victum tenuem frugum tritura responderit et adportata ex aliis terris semina vicinus annus expectet? iure igitur ad aeternorum principum providentiam provincialium sollicitudo confugit. interea dum maior ab illis salubritas petitur, humanitas tua foveat exhaustos et tamquam particeps doloris alieni persuadeat laborantibus, sibi accidisse, quidquid provinciae pertulerunt. ego valeo, quamvis animus aeger bonum sanitatis ignoret, sed ut aliquid solaminis capiat, oro indulgentius scribas et me ad respondendum exemplo tuae adsiduitatis invites.

PV

LIBER QVINTVS.

AD HIEROPHANTEM.

I.

Recte valeo. hoc enim scribendi debet esse principium, quod maxime expetunt vota lecturi. aeque tibi suppetere optatum vigorem nimis gaudeo, nam me tali indicio nuper hilarasti. illud quoque in summa pono gratia, quod te nostri diligentissimum familiaris stili frequens usus ostendit; cui rei laudem referre consilium est, ut hoc invitamento memoris animi ad perseverantiam provoceris.

II.

PVM AD HIEROPHANTEM.

Opulento me adficis bono, quotiens amicitiam nostram salutis tuae indicio muneraris. deos igitur conprecor, ut te pro tanta in nos religione fortunent. vicissitudini autem litterariae parem diligentiam libenter inpendo, ut ad officia promptius inciteris, cum videas apud memorem scriptorum gratiam non perire.

2 *om. VM* 3 obseruatissimus *V* 6 publica *V* 8 futuri] *P 2 m. M*, profuturi *P 1 m. VIΦ* 11 prouinciarum *VM* conuenit *VM* 13 prouinciae *om. V* 14 capiam *VM(Γ)* 15 vIIII *add. P*
16 q̄. aur. symmachi ū. c. c/ ordinari epistolarū lib. III / incip̄. lib. ·v· editus post eius obitu a q filio memmio symmacho feliciter *P*, *om. VM* 17 *epistula deest in M* *eadem epistula ad Hilarium data III, 10* ad efrophantem *P*, *om. V* 20 oratum *V* 22 curei *V*
25 ad ierophantem *P*, *om. VM* 27 pro] *M*, prae *PV* religio fortunae *P* uicissitudini autem] uicissim tum enim *V*, uicissitudinis huius *M*

III.

AD HIEROPHANTEM. *PVF*

Scriptum mihi tuum Probatius nuper exhibuit, atque ex eo mihi plurimum gratulationis accessit, quod tibi pro voto omnia superesse cognovi. id ut saepe facias, monere non debeo, cum spontanea officia stimulo exhortationis non oporteat incitari.

AD THEODORVM.

IIII ante a. 390.

Bonorum frequens adstipulatio de sanctis moribus tuis in hoc me desiderium provocavit, ut amicitias tuas inpatienter exoptem. nam qui omnium sermone celebrantur et probitatis laude conspicui sunt, incognitos quosque ad amorem propriae familiaritatis invitant. ergo si haec voluntatis meae non aspernaris indicia, repende, quaeso, conloquium, ut et facti mei confirmatione delecter, quamvis mutuae adfectionis iam teneam sponsionem.

V a. 398.

AD THEODORVM.

Spectata est, ut arbitror, tibi amicitiae meae veritas. hinc factum est, ut me in consortium festorum tuorum consul accires. praestetur, oro, his litteris eadem fides, quae nos evocatione dignos probavit. diu inter desiderium tui et unici mei curam dubius electionis pependi. tuus honor suadebat profectionem, illius institutio praetendebat obvias manus. tandem secutus sum, quod ipse fecisses. officia enim illa laetitiae sunt, ista pietatis. tuae amplitudinis curulem stipabunt obsequia multorum: huic in solo patre totum est. plura pro nobis indulgentissimus in suos animus tuus tecum loquetur; cui ego excusationis meae iniungo partes, quia verbis agenda non sunt, quae melius interpretatur adfectio.

VI a. 398.

AD THEODORVM. *PVM*

Filium meum Flavianum consulatus tuus revocat in lucem. nescio, an eum commendare tibi debeam, cui summi gaudii auctor fuisti. serva igitur, oro, depromptae in eum benignitatis tenorem: etsi hoc a constantia tua sperandum magis quam postulandum est. in dubium enim voluntarii amoris fides non venit.

---

2 ad ierofantem *P*, *om. VF* 3 plurimum mihi *V*

6 explic̄ ad ierophantem ad theodorum *P*, *om. VF* 8 honorum *F* onoribus *corr. in* moribus *P* 9 sermone] ore *F* 11 quero *V* 12 et *om. VF*

15 *om. VF* 17 adscires *VF* 18 probauit] iudicauit *F* diu inter] diuinitus *VF* 19 lectionis *VF* perpendi *F* 21 stipabant *P* 22 animos *P 1 m. V* 23 lequetur *P 1 m.* non *om. F*

26 *om. VM* 28 reserua *VM* oro *om. V*

VII.

PVM

AD THEODORVM.

Ipse mihi rescripti huius baiulum praestitisti. duplici igitur nomine gratiam debere me fateor; nam et a te profectus est, qui litteras exhiberet, et per te mihi, qui referret, oblatus. maneant, oro, inter nos officiorum talium vices, et inter alias laudes tuas continuatae in amicos religionis titulus censeatur.

VIII ante a. 390.

PVF

AD THEODORVM.

Gaudeo mihi sermonis tui primitias contigisse et inpendio postulo, ut humanissimum inceptum religiosa cura non deserat. his enim maxime nutrimentis amicitiarum cultus adolescit. cum haec scriberem, recte mihi sanitas suppetebat. cuius rei indicium propterea singulari generositati tuae credidi deferendum, ut cognitionem mihi sospitatis tuae mutuus rependat adfectus.

VIIII a. 396—397.

PV

AD THEODORVM.

Vereor eloquentiae tuae scripta nostra committere, sed non minus caveo amori tuo meorum quidquam negare. duas igitur oratiunculas nuper editas a nobis misi. earum una ad urbanos fasces resultantem tenuit candidatum, alteri argumentum dedit iam pridem decreto senatus inprobata censura. sed iudicium meum, cum res acta
2 est, habitum propagavi opere largiore. nec mihi vitio vortas priscae severitatis repulsam. nam quaedam solis speciosa nominibus usu et experiundo plurimum nocent. rationes sententiae meae lector invenies. volo ta*ntum* ad inspectionem dictorum parti utrique aequus accedas. merebitur, ut spero, orationis adsertio, ut tu etiam vetustatis patronus auctoritati ordinis manum porrigas.

X a. 398.

PVM

AD THEODORVM.

Quam timeo, ne aures tuas existimer lactare blanditiis! consulatus hic tuus talis est, ut meum geminasse videatur. nunc voti mei summa eo processit, ut titulo eius longum fruaris et aeques vitae diuturnitate moram praemii tui. dignum quippe est conpensari prolixo gaudio seram solutionem.

---

2 *om. VM* 4 aetate *P*, aetate *M*, actatate *V* pronectus *V*, perfectus *M*
8 *om. VF* 10 nutrimentis maxime *V* 12 credidi] c/edic// *P* mihi tuae sospitatis *V*, tuae sospitatis mihi *F* 13 effectus *P 1 m.*
15 *om. V, deest epist. in M* 18 altera *P* 20 uertas *V* 22 solo *P 1 m. V* tantum] *ego*, tamen *PV* 23 tuentiam *P*, tuentiam *V*
26 *om. VM* 28 eo⁹ *V* 29 aequis *P 1 m.*, equis *V*

XI a. 398.

AD THEODORVM. *PVM*

Adventum tuum serum esse mirabar, sed ubi causa patefacta est tarditatis et te brevi adfore scripta praenuntia spoponderunt, in gaudium cura conversa est. ergo hospitii securus adpropera, et aliquamdiu Romae intervallo quietis refotus auspicatissimos adtolle fasces. *nostra* erga te diligentia, quidquid instructus consularis flagitat, providebit.

XII a. 396?

AD THEODORVM.

Frustra speravi de peregrinatione solacium, cum omnium locorum maesta facies nullas aegro animo praestet indutias. an quisquam tam duro ingenio natus est, ut multorum curis doloris vacuus intersit? quod si verum esse concedis, me etiam crede inter anxios usum ipsum quodammodo amisisse laetitiae. restat, ut tuae litterae medicinam mihi faciant, quas ita libenter accipio, ut nulla mihi adsiduitas satisfactura videatur. ego pr*o* eventu occasionum, quas fors optulerit, exemplum tibi dabo frequentis officii. tunc enim probabis, gratas esse mihi litteras tuas, cum meas sumpseris.

XIII.

AD THEODORVM. *PVF*

Iampridem nihil scribis. aequum esset huic culpae talionem reponi; sed ego arbitror imitanda non esse, quae doleas, et animo persuadeo, alias potius intervenisse causas officii differendi quam residem voluntatem. quamquam vereor, ne factum tuum haec ipsa gravet humanitas. nam qui mihi pro te satisfacio, ostendo, nihil me tale meruisse. scribe ergo iam saepius et copiosius, priusquam praefata ope deorum in Lucanos vela faciamus — quid enim iuvat proximis regionibus inmorari, cum a te nullae litterae deferantur? — et silentium tuum honeste possit excusare longinquitas.

XIIII.

AD THEODORVM. *PVM*

Ademptum generale tibi perfugium: neque enim potes sollemne illud et pervulgatum genus defensionis inducere, meas te adhuc litteras opperiri, ut quadam religione solvaris. iamdudum tibi stilus meus facit auspicium; cui non abnuo redditam vicem.

2 *om. VM* 3 et *om. VM* 4 adfero *P 1 m.* 6 nostra] *M in ras.*, postea *PV*
9 *om. VM* *hanc epistulam coniungit cum praecedenti V* 10 locorum *om. Φ* 15 pro euentu] *Lectius*, preuentu *PVM* dabo *om. V* 16 gratias *P* litteras *om. V*
18 *om. VF* 20 non] eñ *V* 23 ergo] igitur *V* saeus *P 1 m.* dei *VF*
27 *om. VM* 28 est *ante* generale *inser. P 2 m. M* 29 operiri *P* 30 ab uno *P*

PVM sed aemulari studium nostrum etiam voluntario postea officio debuisti. an expectas, ut te illa expostulatione perstringam: tu nisi malo coactus recte facere nescis? omitto plura et in reliquum mihi diligentiam tuam spondeo: quam quia religio parvi habuit, saltem admonitio nostra repara*ver*it.

XV a. 390.

AD THEODORVM.

Proxime Romam regressus a scribendi consuetudine non tam desidia quam occupatione descivi, atque ideo peto, in bonam partem purgationem praeteritae taciturnitatis accipias mecumque laeteris, quod d. n. Theodosii sacro divinoque iudicio merui consulatum. cuius multiplex apparatus tuam requirit industriam. sed rursus occurrit voto et studiis meis, ne honoris tui tempora contrahantur. quapropter tuae permitto sententiae, ut si votivo officio domus nostrae interesse desideras, administrationis labore solvaris.

XVI (XV).

AD THEODORVM.

Sancto Lampadio germano tuo et ad spem processus et ad bonam viam morum causidicinam credidi profuturam. unde factum est, ut domino et fratre meo praefecto ante consulto ad castra forensia mitteretur eo praesertim tempore, quo tuo adminiculo possit institui. quapropter pignus tuum suscipe informandum bonis fraterna religione praeceptis.

AD MAGNILLVM.

XVII (XVI).

Brevem decet esse sermonem, quo reditus indicatur. quid enim mandes paginae, cum omnia, quae scripto committi solent, fabulis potius debeant reservari? hoc est argumentum praesentium litterarum, quas, si di*i* votum iuverint, mox seque*m*ur.

2 Terent. Adelphi 69.

2 postulatione *V* 3 parua *V* 4 reparauerit] *ego*, reparauit *PV*, reparabit *M*
6 *om. VM* 7 oc//patione *P* 8 desiui *VM* peto ut in *VM* 10 rursum *M*, sursus *V*
11 uoti *VM* studiis meis] *P 2 m.*, studii mei *P 1 m. VM* tempore *P 1 m.* *fort. scrib.* occurrit voto, ne studio mei honores tui tempore contrahantur promitto *V*
15 *om. PVM* *epistulam sequentem cum praecedenti coniungunt PV. dividit epistulas M* 17 causa dici nam *P 1 m.* 19 posset *VM*
21 xii ad magnillum *P*, *om. VM* 23 /reuem *P* 25 quasi diis *P*, quasi deus *V*, quas si deus *M* iuuerit *M*, praesentium litterarum iuuerit *V* sequetur *PV*, ipse secuturus sum *M*
uale *add. VM*

XVIII (XVII).

AD MAGNILLVM. *PVM*

Suades, ut redeam, ne ius praedii nostri violenta perturbet inruptio. at ego puto, non minus tuam curam quam meam praesentiam promovere. conicio exaggerari a te religiose istam trepidationem, dum me Romam studes trahere. ego autem non modo amore otii abesse pluscnlum cupio, sed quia inane erit, quidquid remoto atque inconsulto possessore temptatur. consilium autem rei agendae tuus et aliorum, quibus cordi sumus, tractatus inveniet. meae quieti nullus invideat: qui*n* longius producenda est, cum vicem nostram bonorum amicorum cura fungatur.

XVIIII (XVIII).

AD MAGNILLVM. *PVF*

Semper te in priore adfectionum mearum fronte constituo. merito incertus animi cognitionem tuae salutis expecto: quam si mihi tuus sermo praestiterit, reditum nostrum alacritas incitabit.

XX (XVIIII) a. 393.

AD MAGNILLVM. *PVM*

Nos tuum praeoptamus adventum; tu amicis muneribus desideria nostra solaris. admodum quidem delector oblatis, sed hoc ipso officio damna absentiae tuae gravius sentiuntur; pleniora enim praesidia atque ornamenta de amico praesente caperemus. at nunc inter votiva candidati mei negotia et quaestorios apparatus fraudari nos conqueror societate consiliorum tuorum. et tamen obeunda nec procul locatus omittis: 2 nam et vestes subsericas, quas homines mei post inlationem pretii retentabant, et instructum reliquum muneralium praemiorum tuus coegit instinctus. opto igitur tibi promptum deorum favorem reditumque felicem simulque oro, si fors dederit facultatem, functioni nostrae interesse deproperes. cuius voluptas magna parte cumulabitur, si laetitiae nostrae particeps desideratus accesseris.

XXI (XX) a. 392—393.

AD MAGNILLVM. *PVF*

Potuit sine litteris nostris sanctus Aurelius, si quid de me quaereres, explicare: sed quia fastidiosa salutatio est, quae nudo sermone defertur, iunxi scripta mandatis. have igitur dico tibi simulque deprecor, ut secundum commonitorium, quo summatim

2 *om.* *VM* 4 curam tuam *V* a te] natae *VM* 5 autem] hoc *V*, huius tedio *M*
6 in///sulto *P* 7 autem] hoc *V*, huius *M* 8 quin] *Mommsen*, quia *PVM*
11 *om.* *VF*
16 *om.* *VM* 19 praestante *P* 22 et *post* retentabant *om.* *V* 23 tibi *om.* *VM*
24 dei *VM*(*F*) 25 uoluntas *P 1 m.* *V*
28 *om.* *VF* 29 quod *V* 30 profertur *F* 31 habe *P 1 m.* *V*, aue *P 2 m.* *F*

PVF muneri praeparanda *per*scripsi, et ipse salva iudiciaria existimatione curam mihi religiosi, ut soles, fratris exhibeas, et homines nostros comparandis quibusdam, quae poscit editio, iustum inpendium ministrare praecipias.

XXII (XXI) a. 392—393.

PVM

AD MAGNILLVM.

Quaestorium parvuli nostri munus adcelerans, communi *amico* Aurelio quaedam comparanda aut providenda mandavi. sed quia negotiis publicis et varia iniunctorum occupatione d*i*stringitur, Eusebium familiarem nobis speciatim ad te misi, cuius admonitione cura tua in effectum omnium provocetur. et quia longum visum est litterarum serie agenda conplecti, non graveris commonitorio strictim signata percurrere. quod satis esse arbitror ad incitamentum diligentiae tuae; neque enim preces oportet adhiberi, cum sola amici voluntas studium tuum debeat incitare.

XXIII (XXII).

PVF

AD MAGNILLVM.

Anastasium nostrum dignaris agnoscere, nam domi saepe vidisti. haec illi notitia apud te debet esse suffragio, etiamsi nullis iuvaretur adloquiis. nunc dubitare non possum, cumulatiorem circa eum fore curam tui, cum eum et vetusta cognitio et praesens sermo commendet.

XXIIII (XXIII).

AD MAGNILLVM.

Familiaris emersit occasio, quae tibi salutis meae adportaret indicia. neque enim dubitare possum, tibi litteras meas esse reddendas, quas Silvanus ad animi nostri diligentiam pertinens exhibebit. cui haec ipsa recepti officii commendatio apud te debet esse suffragio. ceterum ut respondeas, non laboro, cum mihi vicissitudinem scriptorum tuorum mutua polliceatur adfectio.

XXV (XXIIII).

PVM

AD MAGNILLVM.

Parens sana est et ad patientiam doloris adducitur. quare hanc partem depone curarum mentemque ad meliora compone. certe si tibi aliquid ab re tua otii est, nostris negotiis diligentiam dignare praestare, ut operae sit pretium. quod in exactore
XXVI mittendo litteris tuis et monitis satisfeci. multa Oceano, ut recordaris, et litteris et

1 munera *F* perscripsi] *ego*, rescripsi *PVF* ut ipse (*Γ*) 2 ut solis *P 1 m. V. om. F* 5 *om. VM* 6 amico Aurelio] *Iuretus*, aurelio amico *PVM* 8 destringitur *PV*, distinguitur *M* eusebium] etiam *V* 9 cura tua in *in ras. P* 10 grauaris *V* commonitorium strictioı signatum (*Γ*) 12 incitari *P*
14 *om. VF* 15 apud te notitia *F* 17 circeu *P 1 m.*
20 *om. VF* 21 occasio (si *in ras.*) *P* 23 ex bebit *V* 24 scriptorum tuorum uicissitudinem *F*
27 *om. VM* 28 sana est et] *PFΦ*, saue stet *VM* 29 conpono *P 1 m.* si *om. V* 30 opperiretur precium *V*

commonitoriis implenda mandavimus, quibus exequendis par esse non poterit, nisi tuo *PVM* inpulsu et monitis urgueatur. quae cum in effectum te iuvante processerint, quaeso, ut indicio scriptionis expectationem meam non graveris instruere.

XXVII (XXV).

AD MAGNILLVM.

Numidae familiaris nostri adventus haud mediocriter mihi gaudio fuit. hanc laetitiam tuus sermo geminavit. duobus igitur a te muneribus adfectus amicum tibi cum litteraria salutatione restituo.

XXVIII (XXVI).

AD MAGNILLVM.

Antecapere scribendi ordinem mei muneris fuit. habes festinati officii gloriam, cum ego fatear tarditatem. et certe potui allegare aliquid in excusationem morarum: supererat mihi plurimum viae: malui te de laboris nostri absolutione facere securum. sed pio studio praeveniri nullus est rubor. ama igitur sponte cedentem, cui haec ipsa simplicitas conciliare debet frequentes litteras tuas: quas si non aequavero pari numero, rursus tibi praemium confessio mea faciet.

XXVIIII (XXVII).

AD MAGNILLVM. *PVF*

Amicum meum ad Brittios revertentem litteris credidi prosequendum, ut et tibi salutationis munus exolverem et illi commendationis aliquid exhiberem. quaeso igitur te, ut et meis litteris vicissitudo reddatur et illi defensio plena proveniat.

XXX (XXVIII).

AD MAGNILLVM.

Proxime quidem urbe digressus es, sed ego quasi iam inveterato tui desiderio convenirer, officium scribendi et munus arripui nec expectato ordine nec more servato, qui solet amicis esse pro lege, ut peregre locati tribuant prius scripta quam sumant. et est vera adfectio omnis inpatiens etiam iustae ac legitimae tarditatis. rupi igitur consuetudinem religione maiore, quam si eam servare voluissem. quae res si tibi grata est, et mihi fenus solve conloquii et perlatori talium litterarum benignus adride. cui ut ipse nihil potui praestare quam litteras, ita tu nihil poteris plus tribuere quam favorem.

2 effectu *PV*
5 *om. VM* 7 a te *om. V*
10 *om. VM* 12 excusatione *P 1 m. VM* 13 superat *P 1 m.* 1 15 simplicatas *P 1 m.* consiliare *V*
18 *om. VF* 19 bryttios *P*, brutios *F* 21 reddatur (d *prius in ras. P* *post hanc epistulam in Φ nova manu sic scriptum erat:* Hic incipit Hazo
23 symmachus neoterio *V*, *om. F* 24 degressus *P* es *om. P 1 m.* tui] *F*, tuo *PV* 25 conuenire *VF* rescribendi *F* arrapui *P 1 m.* 26 ut] dum *F* 27 est uera] reuera *VF* 30 nihil magis potui *P 2 m.*

XXXI (XXVIIII).

PVM AD MAGNILLVM.

Propinquam sancti Asclepiadis philosophi absque litteris meis abire par non fuit. nam illius merita poposcerunt, ut ad curaturam praeclari viri pertinens tuo patrocinio traderetur. pro quo non arbitror ambitu longae orationis utendum, cum eam humanitati tuae contemplatio parentis sine cuiusquam petitione commendet.

XXXII (XXX).

SYMMACHVS MAGNILLO.

Taedet pigetque iam scribere. quousque enim stili imagine iucunditatem vivi sermonis imitabimur? quid quod etiam felicitas publica et pax orbis hortatur, ut larem repetas? qua in re tibi oportunus incentor frater noster Ponticianus accedet honorum petitu sortitus hanc operam, ut tibi ob rem uxoriam demoranti desiderium revisendae urbis admoveat.

XXXIII (XXXI).

SYMMACHVS MAGNILLO.

Nolo puerum crimineris ob reditum tardiorem. mea pro Symmacho conturbatio neque ad rescribendum tempus invenit et recursum tabellarii usque ad spem bonam distulit. nunc quia periculum eius in aegritudinem versum est, hoc ipsum loqui apud te licuit. faciet divina miseratio, quae pias aures adplicat votis parentum, ut tibi mox de eo, quod iuvet animum, securitas mea nuntiet.

PVF AD HEPHAESTIONEM.

XXXIIII (XXXII) a. 389.

SYMMACHVS HEPHAESTIONI.

Votum mihi non defuit itineris ordiendi, sed tarda evocatio perveniendi tempus artavit. atque ideo verecundius visum est veniam poscere quam peracto consulis officio pervenire. super hoc plenissimas et ad d. n. clementissimum principem dudum litteras dedi et ad ceteros, qui me adesse voluerunt. quas etiam nunc Festus agens in
2 rebus proficiscendi cunctatione remoratur. et quia vereor, ne aut lateant suppressa, quae scripsi, aut per aemulos resoluta vitientur, consilium fuit, ut ad te dominum et

---

2 *om. VM* 3 sancti *om. VM* lepiadis *M*, lepiodis *V* 4 curaturam] *V*, tuam curam *P*, curam *M* 5 pro qua *Mercer* 6 contemplatio *corr. ex* conemplatio *P*

8 *om. VM* 10 ortatur *P 1 m.* 11 quare in re *P* pontianus *M* honorum petitor *VM*

15 *om. VM* 16 conturbatione quae *P 1 m. V* 17 scribendum *VM* 19 (icuit *P*

21 qr̄ aur symmachi. ū c. explicit ad magnillum incip eiusdem ad efestionem *P*, *om. VF* 23 symmacus efestioni *P*, *om. V*, ad magnilium *F* 24 adiendi *V* perueniendi ad effectionem tempus *F* 26 et *om. F* d̄n *P*(*F*), eum *V*, *om. F* iam dudum *F* 27 me *om. P* fertur *P* 28 remoratus *P* suppͣsa *V*

fratrem meum exemplaria omnia mitteremus. erit tuae circa me adfectionis de omnium rerum fidelitate rescribere. reddentur vobis etiam chartulae curas domesticas continentes, quis decursis aestimabitis, quid bonorum temporum iustitia et fama desideret. *PVF*

XXXV (XXXIII).

SYMMACHVS HEPHAESTIONI. *PVM*

Sequuntur abscessum tuum litterarum cohortes, et ut solent Athenas Atticas aliqui vel gymnasia petere Musarum, ita peregrinationes tuas desiderio trahente comitantur. nec tibi, ut aestimo, militiae stipendiis adfluenti amicorum conventus onerosus est. pasce igitur eruditos dignitatis tuae copiis et spera plures actutum tibi hospites adfuturos, postquam Romanae iuventutis magistris subsidia detracta sunt sollemnis alimoniae.

XXXVI (XXXIIII) a. 382—383.

SYMMACHVS HEPHAESTIONI. *PVF*

Aegrum proxime animum tuum litterarum, quas miseras, lectione cognovi. multumque miratus inter coniunctissimos fortuitam subito emersisse discordiam . . . . . . et dominum ac fratrem meum litteris obsecravi, ne a suo more dissentiat. te vero non meo tantum, verum etiam tuo nomine rogo, ut ceteris bonis morum tuorum similem patientiam praestes ferasque omnia, quae solet peregrinationis habere condicio. spero autem et filii mei Flaviani conciliatione et Eusebi archiatri blanditiis posse omnia mitigari.

XXXVII (XXXV) a. 382—383?

SYMMACHVS HEPHAESTIONI. *PVM*

Litterae tuae Spartana brevitate succinctae sunt, sed rebus exuberant, et cum moveant de raritate querimoniam, tamen officii plenitudine memoriam suscensionis oblitterant. quodsi eas creber usus exerceat, desiderium meum sine fastidio satietatis explebunt. sed video, quid obsistat animo, quid impediat voluntatem. Eusebius te noster fabulis et poculis demoratur. quem cum reddideris curae hortorum suorum, fore arbitror, ut animus tuus iocularibus ineptiis absolutus ad negotia seria conferatur

1 omnium *Susc* mitterem *F* 2 faelitate *V 1 m.*, faelicitate *V 2 m.* cartulae *P 2 m. VF.* cartule *P 1 m.*

5 symmachus efestioni *P et ita deinceps*, *om. VM* 6 secuntur *P 1 m.* abcessum *V* litteratorum *Iuretus* aiticas *P 1 m.* 8 afluenti *P 1 m.* 9 parce *V* plures actutum] *P 2 m. M*, plures actuum *P 1 m. V*

12 symmacus ferioni *F*, *om. V* 13 proxime *post* quas, lectione *ante* quas *colloc. F* 14 subito emersisset *P*, subitae mersisset *V* discordiam et *PVF*, *lacunam indicavi* 15 ac] et *F* 16 mea *V* 18 autem] enim *F* bulanditiis *P*

21 *om. VM* 22 breuitate] *M*, breritate *P 2 m.*, ueritate *P 1 m. V* 23 successionis *V* 24 obliterant *P 1 m.* sacietatis *PVM* 26 reddidimus *V*

PVF

AD NEOTERIVM.

XXXVIII (XXXVI) a. 389.

SYMMACHVS NEOTERIO.

Supra modum gaudeo redditum esse meritis tuis vetus debitum. iamdudum enim rem publicam virtutibus obligasti, quae nancta divinae fidei principem sibi quodammodo consulatum, quem tibi solveret, impetravit. ad huius celebritatem voto alacri cucurrissem, nisi diplomatis sacri tarda perlatio artasset intervallum dierum. accessit hiemis contemplatio, quae magno frigore et brevibus lucis horis moratur excursus. mens tamen animus, meum gaudium tecum est. ego solus dolere debeo, quod mihi tantum bonum casus inviderit: tibi et praesentium satisfaciet numerus et cultus absentium.

XXXVIIII (XXXVII) a. 389.

PVM

SYMMACHVS NEOTERIO.

Amicis nostris iusta cupientibus usui esse debemus, praecipue fratri nostro Alexandro, quem iudicio probamus et amore conplectimur. hunc licet noveris honorum desiderio non moveri, communis tamen verecundia non sinit testimonio carere militiae, cum illi tribuni ac notarii dignitatem d. n. Valentinianus Augustus ante inruptionem tyrannicam sponte detulerit. quaeso igitur, ut praerogativam sacri testimonii te adnitente mereatur. facile est enim, ut sub tam pio gubernatore rei p. infortunia hominum saeculi vincat humanitas.

XXXX (XXXVIII).

SYMMACHVS NEOTERIO.

Inpatienter amicorum soleo perferre discessum, sed eos, qui ad praesentiam tuam relicta urbe contendunt, ad me credo venturos. quid quod sequestrata adfectione invideo tecum futuris? soli enim bona praesentiae tuae capient, quorum communis mihi fructus esse deberet. *utut* est tamen ista condicio, fratres nostros Celsum atque Nicianum probabiles viros non invitus emisi, certus aliquid ad nos ex fabulis atque actibus tuis eorum relatione rediturum. quos ut mature urbi studiisque restituas, vicissim de te postulo. nam †si te ab ac petitione dissimulem, videor eorum peregrinationem non tuae detulisse reverentiae, sed meo praestitisse fastidio.

---

1 q. aur̄. symmachi. ñ/ explic̄. IIII. ad cl̄esti/// incip eiusdem ad neot//// *P*, symmachus ad neotherium *F*, *om. V* 3 *om. VF* 4 reditum *P 1 m.* (nim *P* 5 nanncta *P* 7 deplomatis *P 1 m. VF* 8 magna *P 1 m.* 9 meos *F* meum] meus *VF* in gaudio *F* dolore *P 1 m.* 10 tantum] tamen *V*

13 *om. VM* neuterio *P* 19 rip̄ *PV* infortunio *P*

22 *om. VM* 23 praestantiam *P* 25 praestantiae *P* 26 utut] *Iuretus*, et ut *PV*, ut *M* 29 nam si te ab ac (hac *2 m.*) petitione dissimulem *P*, nam si te tali hac (hac *om. M*) petitioni dissimilem *VM*, nam nisi te hac petitione destimulem *ego*

XXXXI (XXXVIIII).

SYMMACHVS NEOTERIO. *PVF*

Cum sciam, te animo esse placabili, recepi pro amico operam veniae postulandae: neque enim sic a recto devii sumus, ut te umquam moveri temere suspicemur. v. c. Epictetus causidicorum more prolapsus, dum vult inpensius placere suscepto, sanctum Sabinum probatum bonis omnibus incauto sermone perstrinxit. ea res omnium vestrum, quibus ille curae est, animos creditur asperasse, nec inmerito. querella rectoris etiam praetorianas acuit potestates. quid multa? Epictetus togae forensis honore privatus est plurimis praeferendus, qui firmo patrocinio proteguntur. nunc illa clientium turba 2 unius fortuito insultat errori; quod ne diu maneat, tua praestabit humanitas. satis datum est correctioni, nunc ingenium tuum respice. illud causa meruerit, hoc tribue lenitati. scio inlustrem virum praefectum praetorio his quoque litteris tuis prompte esse cessurum. erit tibi Epictetus v. c. etiam emendationis suae debitor, quem paulo inconsultum fecerat impunitas magna peccantium.

XXXXII (XXXX).

SYMMACHVS NEOTERIO. *PVM*

Placuisse iudicio tuo amicum meum Drimacium satis gaudeo: nam mihi quoque plurimum honoris accedit, quotiens sententia nostra concordat. fruetur igitur uberrimo innocentiae suae fructu, mihi honestis carus officiis, tibi iustis negotiis adprobatus.

XXXXIII (XXXXI) a. 376?

Q. CS.

Qui amanti nugas suas et deliramenta committit, non debet formidare iudicium. commendatur enim religione, quidquid culpari posset examine. merito securus oratiunculam, quam proxime in senatu habui, ad te misi; de qua dominum meum fratrem nostrum Carterium tecum plene arbitror conlocutum, nam petitioni nostrae auditor interfuit. et quamvis totius ordinis secunda suffragia cepisse videamur, in te uno tamen summam testimonii conlocamus. facito igitur me certum sententiae tuae et simul, quid rerum geras, pande cupienti, ut quod ex meis actibus voluptatis accipies, tuorum mutua insinuatione conpenses.

2 ad eundem *F*, *om. V* 5 susceptum *F* rabinum *F* 6 probatis *P* incaute *V* 7 cura *P 1 m.* rectores *P 1 m.* 10 nec diu *V* 11 dictum *V* 13 censurum *V* 16 *om. VM* neuterio *P 1 m.* 17 indicio *V* drinantium *M* 21 q. c̄s. (*id est:* qui [supra] cui supra) *P*, *hanc epistulam cum praecedenti coniungunt VM* 23 culpare *V* me to *P* 28 ut] et *P 1 m.*

XXXXIIII (XXXXII).

PVF SYMMACHVS NEOTERIO.

Dissimulati officii obiurgatione morderis in epistula blandiore, qua tibi gratiam refero sermonis accepti. licet cogitarem, illa potius amica esse conloquia, quae sponte tribuuntur, at in respondendo referri magis necessariam vicem quam deferri spontaneam scriptionem, ego tamen ita adfectus sum proximis litteris, ut nescire me fatear, reddideris hoc munus an dederis. verum tu cogita, quid epistulae tuae iucunditatis habiturae sint, quas non admonitus exhibebis, cum hae quoque mihi admodum gratae sint, quas rependis ex debito.

XXXXV (XXXXIII).

SYMMACHVS NEOTERIO.

Facis, ut decet, quod otium meum scriptorum assiduitate solaris. siquidem ex tuo amore coniectas, iucundum mihi esse munus, quod ex tuo sanctissimo ac luculento ore proficiscitur. refero igitur vicem magis ad testimonium gratiae quam ad aequiparandum officium, quo me agnosco devinctum. sed hoc ipso arbitror digniorem me esse conloquio crebriore, quod hanc palmam tibi reddo quasi victus fenore litterarum.

XXXXVI (XXXXIIII) a. 393.

SYMMACHVS NEOTERIO.

Venturum te ad communem patriam fama promiserat. sperato gaudio gloriabar. sed ubi dierum processu rumor intepuit, animadverti mihi hoc genus superesse solacii, quod ad scribendi usum moremque remearem. fungor igitur salutatione dicenda tuamque excellentiam quaeso, ut mihi adventum tuum pro litteris largiaris. est enim causa votiva, quae te debeat evocare, quaestorium scilicet munus filii mei, ad cuius officium te tuosque amor communis invitat.

AD FELICEM.

XXXXVII (XXXXV) a. 396.

SYMMACHVS FELICI.

Scribis reverentiam nostri apud omnes vigere. gaudeo huiusmodi testimonio. sed profiteor, tua opera fieri, ut taliter *v*igeat existimatio mea. tu mihi es *au*ctor rumoris secundi, neque hac tantum gratia vadatum me esse sentio. nam illud etiam, quod

---

2 ad eundem *F*, *om.* *V* 5 ad *P 1 m.*, ac *V* respondente (*Γ*) 7 si reddideris *V 2 m.* 8 hec *V*

11 ad eundem *F*, *om.* *V* 12 ut te decet *F* 13 esse mihi *V* 14 aequipperandum *V* 16 tibi palmam (*Γ*), palam tibi *F*

18 *om.* *VF* 19 insperato *P 2 m.* gaudia gloriabor *P 1 m.* 20 processu rumor *om.* *V*

25 q. aur. symmachi. u̅c̅. explicit ad neoterium incipit eiusdem ad felicem ·VIIII· *P*, incipit ad felicem *F*, *om.* *V* 27 *om.* *VF* 28 uigere gaudeo] iuge regio *V* 29 uigeat] *H*, urgeat *V*, urgueat *P*, urgeatur *F* auctor] *ego*, fautor *PVF* 30 esse *om.* *F*

te praesule processit ad commodum proximorum meorum, quamvis iustitiae datum sit, *PVF*
tibi tamen refertur acceptum. cesso longius pergere, quia in remunerandis beneficiis 2
ieiuna est verborum vicissitudo. simul obstrepunt curae, quas officiis familiaribus tenuis patriae victus opponit. ero apud te posthac loquacior, cum refoverit studium meum rei frumentariae instaurata securitas.

XXXXVIII (XXXXVI).

SYMMACHVS FELICI. *PVM*

Bene cognitis ac probatis commendatio prompta debetur, ut ad notitiam bonorum sub honesta adstipulatione perveniant. Theodulus sincerae probitatis adulescens multorum gratia viget, quibus placere laudabile est: sed fortunae difficultatem, quae cursum vitae eius exasperat, adminiculo tuo sperat posse removeri. quaeso igitur, ut votis eius benignus adrideas, ne aut meum testimonium pro nihilo habitum iudicetur, aut spebus illius exitus inanis inludat.

XXXXVIIII (XXXXVII) a. 393?

SYMMACHVS FELICI. *PVF*

Amo litteras tuas, nam semper mihi aliquid gratulationis adportant: ego autem benefactis tuis nuda oratione respondeo. sed ut est praeclara mens tua, perinde . . . . has sibi existimat fructuosas, et ideo hanc operam perseveranter advigilo, quam scio
apud te pro magno aere censeri. interea domino et principi nostro eiusque in me 2
beneficientiae egi per epistulam gratias verbis fortassis exiguas sed adfectione animi copiosas. quas si eximia unanimitas tua et probata mihi amicitiae fides iucunda atque oportuna insinuaverit lectione, non videbor ingratus, cum probaverit, sicuti opto, invictissimus princeps, beneficia se huiusmodi apud memorem conlocasse.

L (XXXXVIII).

SYMMACHVS FELICI.

Relatum in cultores tuos Aurelium familiarem meum gaudeo non illius modo nomine, quem tuendum summatis viri cura suscepit, sed meo maxime, cuius testimonium iudicii instar habuisti. accessit huic muneri auctior ex litteris tuis gratia, quamquam est in illis, quod amantem possit offendere. brevi enim *trans*cur*su*, cum mihi voluptatem adferant, negant satietatem. et est haec natura rerum bonarum, ut illis frui prolixius velis nec quicquam durius sumas quam placitae orationis citum transitum. adde igitur epistulis tuis copiam vel, si potes, detrahe suavitatem. ni ita feceris, laesus rependam fastidio tuo verba, quae soleo, et paginas longiores.

1 suorum *V* sit] sed *P*, *om.* (*Γ*) 2 officiis *V*
7 *om.* *VM* 9 theodolus *M*, theotolus *V* 10 gratiae *P* 13 spe *V*, spei *M* inlaudat *V*
15 ad eundem *F*, *om.* *V* 17 perinde has *PVF*, perinde paginas *Iuretus* 19 domini *P* 20 grat/// *P* uerbis] eis *V* fortasse *VF* adfect//ne *P* 22 ignarus *V* 23 se] re *V*
25 symmacus felici *P*, ad eundem *F*, *om.* *V* 29 transcursu] *Iuretus*, erant orsu *PVF*, erant orsuque *P 3 m.* 30 haec est *F* 31 nequicquam *P*, *sed corr. 1 m.* orationis placitae *F* 32 tuis ////m si (*omisso* uel) *P* ni ita] ///ta *P* 33 paginis *P 1 m.*

LI (XXXXVIIII).

PVF

SYMMACHVS FELICI.

Amor quidem tuus suasit, ut scriberem, praetereuntis festinatio, ut pauca dictarem. quare salutatione contentus, quae etsi non explet officium, tamen contestatur adfectum, redde invicem, quae legamus, et si necesse est, aemulare brevitatem. nam cum sim nitidissimi sermonis tui cupidus, conscientia tamen huius angustae paginae non audeo a te verborum copiam postulare.

LII (L) a. 398?

PVM

SYMMACHVS FELICI.

Vectori iudicialium litterarum reddendam tibi paginam dedi, amicitiae deferens cultum salutationis simulque suggerens, ad rem mei pignoris pertinere, quod relatio docebit de tutoris faucibus extrahendum. nec laboro pro adsertione iustitiae, cuius tibi cura praecipua est, sed hoc tantum audeo postulare, ut quamprimum responsa caelestia robur adferant iudicatis.

LIII (LI) a. 393?

PVF

SYMMACHVS FELICI.

Fratrem nostrum Helpidium non minus desiderium tui quam epistula consulis evocavit. cui etsi amorem tuum prisca inter vos coniunctio pollicetur, nonnihil tamen, ut arbitror, etiam petitio mea commendationis adiciet. extrue igitur, quaeso te, novis erga amicum beneficiis veterem diligentiam, quatenus possint perfecta cumulari, et hoc mihi munus adtribue, ut merita, quae suis apud te fundavit obsequiis, sentiat meo favore crevisse.

LIIII (LII) a. 396—397.

PVM

SYMMACHVS FELICI.

Quisquis amici neglegit famam, fide lubrica est. hoc mihi ne vitio iure d*u*catur, etiam in aliorum iniuriis pro tua existimatione sollicitor. qua lege, quo bono publico Eusebi*i* v. c., qui meruisse inter notarios fertur, incertus atque inexploratus procurator elicuit, ut civilis petitio urbano abstrahat foro possidentem matronam, qua in causa, cum supplicatio privatam teneat actionem, sacros titulos responsa minitantur? quaeso
2 te, cogites, quid de augusto adyto, cuius loqueris oracula, deceat impetrari. fraterna tecum sollicitudine loquor: rescriptorum omnium fama te respicit. quid si etiam rei memoria fidem tuam convenit? Ampelium clarae et inlustris recordationis virum parvas

2 ad eundem *F*, *om. V* 3 pauca *P* 5 effectum *V* 6 conscientia*i* *P* 9 *om. VM* 10 reddam *P 1 m.* 12 docebat *V* adsertione ad iustitiae *P* 16 ad eundem *F*, *om. V* 17 elpidium (elp *2 m. in ras.*) *P* 18 cui *om. F* nos *F* 19 nobis *P 1 m. V* 24 *om. VM* 25 qusquis *V* ducatur] *Mercer.* dicatur *PVM* 26 ex stimatione *P 1 m.* 27 Eusebii] *Suse*, eusebium *PM*, *om. V* 28 qua in] quam *V*, qua *M* 29 responsam imitantur *V*, *om. M* 30 adyto] adsto *V*, *om. M*

aedes, quas pretioso auxit ornatu, sub clivo Salutis emisse, ut civis, ut collega remi- *PVM*
nisceris. triginta annorum die incanuit aetas possessionis. auctor *ei* Postuminus ne-
pos Iovii fuit inter cetera parentis suae Porphyriae bona hanc quoque adeptus domum
per successionem. huic Porphyriae nihil umquam negotii cum Theodosio, cuius olim 3
facultates Eusebius impetravit. nunc procurator a columna Maenia multis huiusmodi
*s*utelis foro cognitus invetera*ta* iura supplicationibus quatit, degustat iudicia omnium
potestatum, coeptarum actionum exitus deserit, instaurat exordia, Romanum criminatur
tribunal, non possessionis antiquitatem, non dignitatis senatoriae praerogativam, non
praefecturae existimationem sinit inconcussam manere. his ausibus color fiscalis adli- 4
nitur, veluti ob inquisitionem mobilium ex bonis, quae meruit Eusebius, divinae do-
mui debitorum. ubi haec diligentia diu iacuit? cuius scrinii conludio publica damna
latuerunt? si procurator non admoveret negotio suo publicas faces, etiam nunc tot of-
ficia, tot inquisitores fisco quaesita nescirent, et sane aequum est, ut defensio divinae
domus adtentiores oculos praestet iniunctis. quid mobilibus commune cum praedio? 5
nullus error sensuum, nulla verborum interpretatio potest nomina ista miscere. dehinc
a proscriptis quondam bonis Porphyria et Postuminus alieni sunt: multo magis aedium
emptor Ampelius procul abest a contagione mobilium. quid restat, nisi ut aequitas
vestra privatam petitionem nullis sustineri radicibus indicet, cui sacrae reverentiae
umbra praetexitur? haec me in epistulam conferre amor saeculi et amicitia tua con- 6
pulit. eadem viro inlustri fratri nostro Sperchio morum eius securus palam facere
curassem, si umquam mihi per litteras obtulisset fiduciam sui: ipse autem principium
facere conserendis mutuo scriptis a tali genere non debui. erit itaque optio amplitu-
dinis tuae in aures eius perferre, quae scripsimus. dignum quippe est, ut quod
existimationi utriusque proficiet, amborum consensus emendet.

AD SALLVSTIVM. *PVF*

LV (LIII).

SYMMACHVS SALLVSTIO.

Nolo ex moribus ceterorum, qui census senatorios tractant, etiam huius ingenium, quem commendo, perpendas. est enim non medioeri loco aut infima sorte progenitus, sed honestatem natalium pudore custodiens. atque ideo nec ego indecorum putavi bene cognitum prosequi testimonio litterarum, nec singularis generositas tua debet de eius amore dubitare, quem videt nobis adstipulantibus adprobari. et haec quidem pro Ammonio satis dicta sunt. ipse autem desiderium sermonis tui silere non debeo, cuius adpetentiam scriptorum tuorum raritas vehementius excitavit.

---

2 ei] *Mercer*, et *PV* 3 parentes *P 1 m. V* porfyriae *P*, porphiriae *V*, porfiriae *M* 4 huius (*F*) porfyriae *P*, porphiriae *V*, porfiriae *M* 5 acolumnam *V*, *om. M* 6 sutelis] *Iuretus*, tutelis *PVM* inueterata] *M*, inuetera *PV* ira *P* quatitur *V*, quaeritur *M* 8 poss////nis *P* 9 auribus *VM* adimitur *VM* 10 qua *P* 11 tamdiu *Kiessling* scrinio *P* conclusio *VM* 12 admonerit *P* publicos fasces *F* 13 nesciret *V* 14 moblibus *P 1 m.* 15 nuluerborum *V* prodest *V* mescere *P 1 m.* 16 porfyriae *P*, porphiriae *V*, porphyriae eusebius *M* postumius *M* 18 uestram *V* sustineri *corr. ex* sustinere *V*, ////neri *P*, sustinendam *M* //uerentiae *P* 20 fratri meo *V*, *om. M* spercino *P* 21 curas sensuum quam *V* 22 conferendis *F* debui erit /taque *P*, debuerit itaque *V*, debuerim itaque *M* 24 existimatione *VM*

25 ·q· aur̄. symmachi. ūc. ex/licit ad felicem incipit eiusdem ad sallustium *P*, explicit ad felicem incipit ad salustinm *F*, *om. V* 27 *om. VF* 28 censos *P 1 m.* //atorios *P* 29 mediocre *V* infirma *P*, infirma *F*, informa *V* 30 nec ego] non *F* 33 Ammonio] ammonitione *F* 34 ad paenitentiam *V*

LVI (LIIII) a. 401.

PVM SYMMACHVS SALLVSTIO.

Cumulatius officium mihi, quam poposceram, detulisti. nam cum domesticos meos iuvari a te in conquisitione equorum curulium postulassem, quadrigis quattuor gratuitis auxisti numerum conparatum. ex illis equos undecim superstites ceteris prosecutorum cura perduxit, nec longo intervallo pars succubuit traditorum. gratiam tamen religionis tuae fortuna non minuit, quia in muneribus amicorum non sunt damna casuum cogitanda: quin immo ea in acceptum summa referenda est, quae ab offerente processit. ad te diptychum candidati et apophoretum librarum argenti duarum per hominem tuum misimus adprobare cupientes, editioni te nostrae *re*, non animo defuisse.

LVII (LV).

PVF SYMMACHVS SALLVSTIO.

Vtilitati tuae etiam non commonitus adfuissem, cuius me habuisse rationem dominus et filius meus Patruinus vir spectabilis non tacebit. hunc tu admonere debebis, ut et sui voti consuetudine et meae petitionis intuitu desideria tua iuvare dignetur.

PVM AD PATERNVM.

LVIII (LVI) a. 397?

SYMMACHVS PATERNO.

Ego quidem senatui interesse non potui, quo die Thalassi filius dignitatis nostrae muneribus exemptus est, sed spem futurae pro eo actionis non levi apud amicos commendatione solidaveram. nec tamen impetrationis gratiam mihi vindico: iustitia postulati et interventus tui desiderata promovit. mea valetudo diu iactata tandem se in tranquillum recepit: quod eo scribo, ut auctus laetitia salutis meae parem voluptatem mihi de prosperis tuis referas.

LVIIII (LVII) a. 393.

PVF SYMMACHVS PATERNO.

Primis petitionibus nostris multum ponderis addit iteratio, et ideo de venatoribus exhibendis repeto postulatum, quo facilius tibi diligentiam geminata scripta sollicitent. dies muneris nostri . . . . . . temporis admovetur: cui largitas candidati sola non suf-

2 *om.* *VM* 3 cum latius *P 1 m.* 4 postulassem (a *in ras.*) *P* 5 duodecim *V*, ·xv· *M* persecutorum *V* 9 dyptichum *P*, dypticum *V*, clypticum *M* et apoforetum *P*, et apferitum *V*, *om.* *M* argenti duarum *corr. ex* agenduarum *P 1 m.* 10 seditioni *V* re] *ego*, *om.* *PVM*

13 ad salustium *F*, *om.* *V* 16 tua *in ras.* *P*

17 ·q· aur. symmachi. uc. explic ad sallustium incip eiusdem ad paternum *P*, *om.* *VM* 19 *om.* *VM* 20 quo die thalassi *om.* *VM*, lassi *in ras.* *P* 21 actioni *VM* 23 promouit] *Iuretus*, promouebit *PVM* 24 ut *corr. ex* ait *P* uolu///mihi *P*

27 ad paternum *F*, *om.* *V* 29 postulat/ *P* 30 nostri temporis *PVF*, *supple:* processu *vel simile quid*, temporis *del.* *Mommsen*

ficit, si lautioribus harenariis deseratur. inepta est enim munificentia, quae praestatur indignis. quapropter quaeso te, ut venatorum potissimos auctoritate iudicis et fratris amore concedas multum rebus omnibus additurus, quas civium voluptati animoso inpendio praeparamus. *PVF*

LX (LVIII) ante a. 399.

SYMMACHVS PATERNO.

Omnes, qui aditu tuo cupiunt sublevari, non cassam, quantum arbitror, viam capessunt ineundae gratiae, cum me adstipulatore nitantur. horum unus vir probabilis Turasius familiaris meus, qui indictae sibi litis iniuriam fortunae inputat, gratiam vero boni reditus de tuo potissimum sperat auxilio. tuere igitur aequa poscentem et humanitatis tuae latius extende famam, quae incrementis maximis cumulabitur, si Tu*r*asio per te secunda successerint.

LXI (LVIIII).

SYMMACHVS PATERNO.

Religio postulavit, ut scriberem, praesertim cum hortaretur familiaris occasio. nam homo tuus tabellarium se mihi optulit, cui nihil litterarum dare summa piaculi esse perspexi. salvere igitur te opto, me nuntio, et vicissim peto, ut nos sospitatis tuae indiciis munereris.

LXII (LX) a. 396—397.

SYMMACHVS PATERNO. *PVM*

Quaestores ordinis nostri numquam ferarum suarum portor*i*um contulerunt: grave enim maioribus visum est, ut tolerantibus onera senatoriae dignitatis sumptus inmodicus adderetur. haec mihi proxime, cum gladiatorium munus instruerem, magis populi Romani quam meo nomine praerogativa delata est. nunc a fratre meo Cynegio quaestorio candidato quinquagesimae vectigal exigitur, quod sol*o*s ursorum negotiatores utpote quaestui servientes oportet agnoscere. huius iniuriae adfectio tuum moderamen expectat. resiste, quaeso te, publicanorum cupiditati et damna collegarum recide. ad geminam tuam gratiam res ista proficiet, si privilegio honoraveris senatum, levamine iuveris candidatos.

---

1 inempta *V*

6 ad eundem *F*, *om. V* 7 capessuut uiam *F* 8 nituntur *VF* uir] , *P* 9 qui] ,, *P* iniuria *V* 11 litius *P 1 m.* 12 tusasio *P*, tuis *VF* succenserint *corr. ex* succenseris *P 1 m.*, successerit *V*

14 Symmachus Paterno] *PF*, *om. V* 15 occasionem homo *V* 16 cunihil *V* dare *om. V* summam *F* 17 saluare *V*, ualere *F* me opto te nuncio *V*

20 symmacus paterno *P*, *om. VM* 21 portiorum *P*, portionem *VM* 23 mihi] mixi *P* gladiato*!!* *P 1 m.*, gladiatorum *P 2 m.* 24 cinegio cū *VM*, cū. *add. P 2 m. cf. p. 142, 27* 25 quadragesimae *Cagnat, Revue de philol. V p. 61* solus *PV* ṣursorum *P* 26 affectatio *VM* 28 recede *P 1 m. V*

LXIII (LXI) a. 396—398.

PVM

SYMMACHVS PATERNO.

Causa amici suasit, ut scriberem; sed fatendum est, maiorem me curam tuae existimationis habuisse. nam Minucianus v. c. exiguo periclitatur argento. *tibi* autem non tenuis ad laudem reserabitur via, si falsis, ut audio, syngraphis calumnia excitata
2 consederit. piget dicere, quibus strophis adpar*a*tio Itali grassetur aerarii. ferunt sub publici debiti specie privatorum nominum falsa recitari. invalidos quidem statim vincit inpressio, validiores autem, cum munimenta pro se iuris adsciverint, criminosis verborum interpretationibus inplicantur, ut ad damni patientiam sese invidiae timore summittant. sed v. c. Minucianus tui securus et legum relationis minas amoliri optat
3 examine. da igitur, oro te, iudices, quos urbanis potestatibus imperialis praefecit electio: neque enim dignum est ad longinquam cog*ni*tionem vocari debitum tenue et praecipuam dignitatem. longius pergerem, si aequitas vellet multis precibus adiuvari. causae genus relatio publicabit: quae etsi errorem tuebitur cognitoris, numquam tamen poterit emereri, ut illi a te sine alio disceptatore credatur.

LXIIII (LXII).

SYMMACHVS PATERNO.

Ostentator mei in te studii esse non debeo: officia quippe ex debito religionis profecta iactationem recusant. quin immo uberis gratiae instar accepi, quod amicitiae meae v. c. Scipio te mystagogo usus accessit. maximum enim lucrum est quaerere familiaritatem bonorum. et sane spero, ipsum quoque in omnibus nostri diligentem futurum, postquam cognoverit suorum relatu, quid negotio eius cura nostra contulerit.

LXV (LXIII) a. 397—398.

PVF

SYMMACHVS PATERNO.

Quadragesimae portorium [sive vectigal] non recte poscitur a senatoribus candidatis, quia nostri ordinis functiones onerari geminis incommodis non oportet. hoc tibi etiam pro Cynegio dudum missis litteris indicavi. nunc filii mei Pompeiani clarissimi et optimi iuvenis par necessitas depoposcit, ut repeterem postulatum. quaeso igitur, ut humanitatem, quae inter virtutes tuas prima est, nostri ordinis editoribus dignanter inpertias et ursorum transvectionem cupiditati mancipum subtrahas. perveniet beneficii istius gratia et ad senatum, qui levatur incommodis, et ad populum, cuius voluptatibus praestatur immunitas.

---

2 *om. VM* 4 periclitantur *V* tibi] *M*, tum *P*, tua *V* 5 syngrafis *P*, singrauis *V 1 m.*, singrafis *V 3 m. M* 6 pigit *P 1 m.* strofis (fis *2 m. in ras.*) *P*, strofit *V* adparatio *PV*, apparatio *M* 8 pro se iuris] *PΓ*, pro se et iuris *V*, pro se et uires *M* criminosis uerborum *bis V* 10 letum *P* 11 imperialeis *P* 12 cognitionem] *M*, cogitationem *PV* 14 publicauit *P 1 m. VM* 15 utilitate sine *V* disceptore *P 1 m.*

17 *om. VM* 19 perfectam *V* uberes *P 1 m. V* 22 cognouerat *V* quod (*Γ*)

24 symmac̄ paterno *P*, s paterno *F*, *om. V* 25 sive vectigal *del. Iuretus* pascitur *P 1 m.* 26 functionis *P 1 m. V* 27 cynegio uc̄ *P 2 m. V*, cineo uc *F cf. p. 141, 24* 28 deposcit *VF* 30 //piditati *P* 31 gratiae *V* 32 immanitas *P*

LXVI (LXIIII) a. 396—397.

SYMMACHVS PATERNO. *PVM*

Ampeli inlustris memoriae viri necessitudines incessuntur lite privata. non putes
sola parentis recordatione curam pro illis nostram moveri; externos quoque et memo-
rati viri nescios causae urit indignitas. cuius breviter, ut possum, fastigia et capita
contingam. Ampelius de summatibus quondam senatus, quem famae celebritate didi- 2
cisti, domunculam Romae de Postumino c. v. Porphyriae herede mercatus est. con-
tractus istius origo iusta, aetas prope saecularis, intemptata possessio est. nunc
nuper veterator quidam procuratorio nomine extulit caput, Eusebii ex notariis c. v.
quassans vetustam petitionem de impetratis olim Theodosii cuiusdam bonis, quibus
hoc praedium mentitur haesisse. Theodosio et Porphyriae nulla rationum societas 3
fuit, nulla coniunctio facultatum. res in iudicio urbano et a petitore coepta et
ipso fugiente finita est. denuo cineres negotii obreptiva supplicatione refovet in
flammam et per diffidentiam iusti divinae domus pro se adtrahit actiones, ob in-
quisitionem videlicet mobilium, quibus nihil est commune cum praedio. pervestiget 4
ista legum ordine privati rector aerarii; aedium dominos relinquat iudici suo. duplex
utique causa est, divisa rerum vocabulis, actione discrepans, origine non cohaerens,
separata personis. neque mobile aliquid emit Ampelius, neque domum fiscus incessit.
cur procurator alienus invalidam petitionem publicis viribus iuvat? cum fratre nostro 5
Sperchio inlustri viro quaeso ista communices. est aequi servantissimus, et qui liben-
tius communi iuri cedat quam potestati suae faveat. scit enim leges honoribus esse
potiores. confido cum suppressa cognoverit, elicitis non defuturam correctionem. si
quaeret, cur ad eum super hoc nihil scripserim, respondeas, quaeso, nondum inter nos 6
facta stili consuetudine veritum esse me, ne quid a principio viderer arguere. dabit
mihi causae huius emendatio sermocinandi cum eo materiam laetiorem: gratiarum actio
auspicium litteris meis faciet. non expectabo ultra, ut adloquii sui fiduciam praestet
haerenti; ad omne me officium iustitia eius hortabitur.

AD OLYBRIVM ET PROBINVM. *PVF*

LXVII (LXV) a. 397?

SYMMACHVS OLYBRIO ET PROBINO.

Iuvenalis industriae est excire saltibus feras et liberalia studia silvestri voluptate distinguere. sic olim Marsus impiger et fortis Sabellus robur habuerunt. nostris annis parta proficiant. est huius indulgentiae in quibusdam avibus exemplum, ut nutrimenta senescentibus aetas vicissim prima comportet. sed nondum convenit valetudini meae

---

2 symm̄ paterno *V*, *om. M* 3 potes *P 1 m.*, potest *P 2 m.* 4 curaṃ *P* nostram *P* 5 urit *om. V*, moueret *M* uestigia *VM* 7 porfyriae *P*, porfiriae *VM* 11 mentitus *P 1 m. VM* porfyriae *P*, porphiriae *V* 13 cineres] *M*, cerneres *PV* 14 iusti iu *in ras. P* 17 itaque *V*, ista *M* coherens (co *in ras.*) *P 1 m.* 18 emittam pelius *P* 20 Sperchio] *M* (*V*), sperthio *PV* iste *V 1 m.* 21 cedat] *Wingendorp*, credat *PVM* 22 sup̄ssa *V*, ista *M* 23 ad eum *in ras. V 2 m.*, ad ipsum *M*

28 ·q· aur̄. symmachi uc explic ad paternu. incip̄ eiusdem ad olybriū et probinum *P*, incipit ad olibrium et probinum *F*, *om. V* 30 *om. VF* symmacus *P* 31 iuuenilis *V* 32 habuereṛ *P* *fort. scrib.* robur aluerunt 33 ut] /t *P* 34 oportet *V*

PVF uti ferinis visceribus, nec tamen gratiam muneris vestri minuit apud me necessitas parsimoniae. nam etsi utendi abstinentia sanitati meae consulit, honor tamen muneris animo satisfecit.

LXVIII (LXVI).

SYMMACHVS OLYBRIO ET PROBINO.

Suppetere vobis plenam roboris valetudinem ferarum indago testatur. haec igitur mihi prima de vobis gaudii causa est, quod rusticis voluptatibus sanitatem iuvatis: secundus laetitiae meae gradus est venatu capta meruisse. nam ut honori numinum datur cornua sacrare cervorum et aprugnos dentes liminibus adfigere, ita amicorum cul-

2 tui dedicantur libamenta silvarum. interea recuso sententiam, quae rem venaticam servile ducit officium. statuerit hoc scriptor stilo tantum probandus — nam morum eius damna non sinunt, ut ab illo agundae vitae petatur auctoritas —: vos malo cum Atilio rusticari et ludum virium sequi quam bonis verbis deduci ad instituta desidiae. certe aetatibus vestris hic labor convenit. distinguenda est lectio iuvenum non alveolo aut pila nec trocho Attico et Graecis palaestris sed alacri fatigatione et innocentis auda-

3 ciae gaudiis. ad haec etiam meum Symmachum, *cum* subcreverit, quamquam unicum cohortabor. erit olim tempus, quo renuntiare annis graves huic operi debeatis. tunc servile munus iure habebitur cura venandi. famulatus est enim quidam, si cedentibus viribus recusemus uti laborum vacatione, quam nobis praestat senectus.

LXVIIII (LXVII) (a. 397?)

PVM

SYMMACHVS OLYBRIO ET PROBINO.

Commendastis mihi vetus iudicium meum, qui ea de litoris Formiani gratia et salubritate sentitis. parce antehac orae illius bona transitus vester degustaverat: ea nunc pensius per moram cognita amari a vobis usu longiore meruerunt. fero iam, quam*quam* vestri cupiens, quod procul degitis, et desiderio in vos meo indico patientiam. at si fors votis effectum secundet, opto in illo sinu agere vobiscum, quod restat aestati, ut et locus mihi praestet valetudinem et vos animi voluptatem.

LXX (LXVIII).

PVF

SYMMACHVS OLYBRIO ET PROBINO.

Aditum mihi ad scribendum sero reserastis. vos enim oportuit inchoare libamina litterarum, quia inveterati moris est, ut qui ad peregrina discedit, alternandis epistulis

10 Sall. Catil. 4. 1.

3 animositas fecit *V*
5 ad eosdem *F*. *om*. *V* 8 secu// *P* uenat *P* nu//num *P* 9 ceruo// *P* aprinos *P 2 m*. *VM* a, gere *P* 10 dedi,a, *P* recuso] re , *P* queram *V* 11 seru *P* statuerat *F* probandis *V*, perblandus *F* 14 electio *F* 15 uel grecis *F* et *post* alacri *inser*. *V* 16 symmeum *V* cum] *ego*, *om*. *PVF* si accreuerit *F* 17 cohorta *V* /uic *P* 18 nenan/i *P*, nandi *V* 19 uaca,ione *P*
21 *om*. *VM* /ymmachus *F* 22 /ommendastis *P* ea de] *Mommsen*, eadem *PVM* littoris *P*, litteris *VM* formiam *V*, formam *M* 23 antehoc dare *V 1 m*., antehac dore *V 2 m*., hoc ante conferre *M* bna *P 1 m*. 24 cognitam *V* iam quamquam] *ego*, iam quam *PV*, grauiter *M* 25 indicio *P* 26 at] ac *V* quo *P 1 m*. 27 aestati *P*, aetati *M* praestat *V*
29 ad eosdem *F*. *om*. *V* olybio *P*

praestet auspicium. ergo absolutus observantiae religione et nunc vobis vicem salutationis rependo et in reliquum, si fors obtulerit commeantes, adsiduitatem spondeo familiarium paginarum, ut vobis possit liquere, non in mea culpa sed in vestra mora fuisse, quod silui. *PVF*

LXXI (LXVIII).

SYMMACHVS OLYBRIO ET PROBINO.

Sermonis vestri adsiduitate delector et abunde ex eo munere usurpo laetitiam. quod enim vel vestri animi specimen vel mei desiderii solamen potest esse praeclarius, quam ut apud me in dies singulos meritorum vestrorum cultus augescat? amicitia enim, quae celebratur officiis, numquam certo fine contenta est; atque ideo decet vos in deferendis alloquiis effici promptiores, cum ad solvendam vicissitudinem non probetis immemorem.

AD LICINIVM. *PVM*

LXXII (LXX).

SYMMACHVS LICINIO.

Regilianus amici mei filius et ipse suae honestatis intuitu iam probatus dudum tibi litteras meas, quibus commendaretur, exhibuit. et ideo secundae adstipulationis auxilium utpote iam cognitus non requirit. mei igitur studii ratio et consuetudo exegit, ut scriberem. neque enim fas est, quamvis iampridem ipse dissimules, me quoque huiusmodi officiis abstinere. spero enim, quod sponte amicitiae tribui solet, saltem adsiduitati meae esse referendum.

LXXIII (LXXI).

SYMMACHVS LICINIO. *PVF*

Cum ad proxima urbe digrederer, scribendis ad te litteris abstinere non debui, ut te observantia prisci moris absolverem. nam vetere instituto hic usus increbruit, ut ingressi iter praelibent primitias scriptionis. quare familiaris officii invitatus auspicio fraternam religionem, quam mihi semper mente exhibes, adsiduo sermone testare.

LXXIIII (LXXII) a. 387?

SYMMACHVS LIMENIO. *PVM*

Octavo demum die multas eluctatus itineris difficultates larem patrium salutavi. continuo, ut amicitia postulabat, convenit me recordatio mandatorum tuorum. nam

---

2 cōmeantis *P 1 m.*

6 s̄ olibrio et probino *F*, *om. V* 7 habundet *V* 8 clarius *F* 9 amicitie *V*

13 ·q̄· aur̄. symmachi. u̅c̅. explic̄ ad olybrium et probinum ·v· incip̄ eiusdem ad licinium *P*, *om. VM*; *epistulae ad Licinium et ad Limenium (cf. 29 et p. 146, 7) ita confusae sunt, ut discerni nequeant* 15 *om. VM* 16 religianus *VM*, Regillianus *Mommsen* 17 quibus tibi *V* 18 auxi/// *P* me *V*

23 s̄. ad licinium *F*, *om. V* 24 dum *V* ad] *P 1 m. FΓ*, ab *P 2 m.*, a *V* proximam urbem *F* digrederer] *VΓF*, digrederetur *P*

29 Symmachus Limenio (*sic*)] *P*. *om. VM* 30 multas eluctatus] *Gruter*, multa reluctatus *PV*, reluctatus multa *M* difficultateṣ *P*, difficultate *VM* patrium *corr. ex* patruum *P* 31 conuenit] *VM(Π)*, *periit in P* tuorum] *VM(Π)*, *periit in P*

PVM discedenti negotium . . . . . . lectissimorum iuvenum Titiani atque Helpidi fida exploratione disquirerem. quorum mihi praeceptor vir prudens et nescius gratificationis adseruit, esse in illis scientiam iuris idoneam nimis in omnes usus iudiciarii et forensis officii. nunc tuum est optimos iuvenes advocare. quorum indolem militiae vel honoribus iam paratam non debet ulterius procrastinare cunctatio.

LXXV (LXXIII).

PVF SYMMACHVS LIMENIO.

Prompte favendum est honesta cupientibus, ut probabiles voluntates alieno etiam iuventur adnisu. quapropter opis indigum esse non patior Felicem sanctissimum iuvenem ad electiora tendentem. qui ubi fori urbani dissensiones utpote ingenio mitis exhorruit, modestiori causidicinae dare nomen adfectat: quem meus quoque hortatus animavit. spopondi enim bonae indoli et moribus defaecatis nequaquam defore tuae mentis auxilium. ergo exoratus ac facilis non ut transfugam sedis alterius, sed ut adfectatorem fori quietioris amplectere: qui tibi †beneficiisque debebit, quidquid ei ex officio bonae fortunae aut commoditatis accesserit.

LXXVI (LXXIIII) a. 387.

PVM SYMMACHVS LICINIO.

Bonoso optimo viro et post militiam palatinam gemina administrationis integritate conspicuo discussionem pontis ac basilicae novae praeceptio augusta mandavit; quod munus summa fide et vigilantia possit implere, si solus istiusmodi examinis ius haberet. *n*am Cyriades v. c. comes et mechanicus, qui dudum impensas operis utriusque tractavit, in societatem discussionis admissus (est) saepe, ut dicitur, a Bonosi
2 optimi viri investigatione dissentit. hinc fit, ut inquisitio, quae per unum strenue posset agitari, artificio quodam interpositi certaminis differatur: atque ideo metuit vir honestus Bonosus, ne sibi invidiae sit, quod tanti negotii adhuc nutat effectus. quapropter orat, ut si quis est, qui v. c. Cyriadem putat eius operis, quod idem Cyriades ante curavit, etiam discussorem esse debere, sibi haec molestia detrahatur; si vero ipse huic negotio videtur adcommodus, ad se tantum disquisitionis summa pertineat.
3 ergo amore reipublicae, cuius utilitates inter praecipua et prima conplecteris, clarissimo et inlustri viro praefecto dignare . . . . conferre, quatenus lacuna tantorum sumptuum remotis *co*ntentionibus detegatur. spero enim fore, ut cessantibus novis expensionibus utriusque operis perfectioni usurpatorum summa sufficiat.

1 descendenti *P 1 m.*, desecedenti *V* negotium lectissimorum *P 1 m. V*, negotium iniunxisti ut lectissimorum *P 2 m.*, iniunxeras ut negotium lectissimorum *M*, *supple:* negotium dedisti, ut processus lectissimorum iuuenum *vel simile quid* ticiani *VM* elpidi *P* 2 m(i) *P* 4 quarum *V 1 m.*, quia *M*

7 Symmachus Limenio] *P*, s. licinio *F*, *om. V* 9 qua prae opis *V* 11 causidico *F* 12 popondi *P 1 m.* 14 qui] quid *V* tibi beneficiisque] *PF*, tibi beneficiis *V*, *fort. scrib.* qui tibi beneficii instar usque debebit

17 *om. VM* 20 minus *P* posset *P 2 m. M(F)* 21 nam Cyriades] *Iuretus*, pamcyriades *PV*, panchiriades *M*, cum cyriades *F* operas *P* 22 est *del. Iuretus* 23 strennue *V* 25 qua p̄porat *V*, qua in re petit *M* 28 adsentatum *V*, ad se unum *M* 30 dignare conferre *PVM*, *supple:* dignare adstruere, eatenus necessarias in aedificationem expensas fiscum debere conferre, quatenus *et q. s. vel simile quid* 31 contentionibus] *M*, intentionibus *PV* nobis *P 1 m. V* 32 *sequitur in M epist. 98*

LXXVII (LXXV).

SYMMACHVS LICINIO. *PVF*

Longum siles, sed ego talis exempli imitator esse non debeo. quare in officia primus erupi teque religiosa admonitione convenio, ut litterarium munus, quod sponte amicitiae nostrae deferre debueras, saltem provocatus exsolvas.

AD HELPIDIVM. *PV*[1.2]*F*

LXXVIII (LXXVI).

SYMMACHVS HELPIDIO.

Quaeris, ut valeam, vel quid rerum geram. respondeo percontationi tuae ex amore venienti. agri quiete delector. haec mihi et aëris praestat salubritatem et pabulum lectionis. saepe oculos pasco culturis, quas hiberna exercet operatio. tibi et valetudinem secundare et memoriam nostrae amicitiae superesse amplissime gratulor. silentii vero mei non est iniusta causatio: nihil enim, quod scriberem, suppetebat, simulque occupato tibi auditione causarum verebar obstrepere, ne multis negotiis tuis onus adderet loquacitas otiosi.

LXXVIIII (LXXVII).

SYMMACHVS HELPIDIO.

Praesentiam tuam spero: neque enim soles promissa deserere. sed frequens fama est, praetorianas litteras obstare dispositis. quare ne haeream diu expectationis incertus, confirmari scriptis recentioribus volo, ut sciam morae esse pretium, si adfuturus es, aut solvar manendi fastidio, si teneris.

LXXX (LXXVIII).

SYMMACHVS HELPIDIO.

Prosequor litteris civem amicumque communem. cuius bona, quia iudicio tuo nota sunt, non requirunt adsertionem. merito mihi de eo apud scientem facilis et brevis sermo est. admoneo tamen, ut in gratia*m* mea*m* validius diligatur meique apud te curam vigere documento aucti circa se amoris intellegat.

---

2 s̄ licinio *F*, *om.* *V* 3 siles sed ego] silentio degis *F* 4 teque *om.* *V* litterarum *VF* 5 amicitiae nostrae *om.* *F* exsoluas (s *prius in ras.*) *P*

6 *epistulae 78—97 in V bis scriptae sunt post ep. 38 l. 11 et suo loco, quae exemplaria notis* V^1 *et* V^2 *distinguo; consensum utriusque indico littera* *V* q̄. aur̄. symmachi. ūc. explicit (ad licinium *add. 3 m.*) inc̄ ad helpidium *P*, ad elpidium *F*, *om.* *V* 8 *om.* *PVF* 10 et *om.* (*Γ*) eris V^1 praestabit *F*(*Γ*) 11 cultoris *P 1 m.* 12 nostrae nostrae V^1 13 uiro *P 1 m.* 14 occupatio *V* obrepere V^1 tuis *om.* *F* 15 ociorum V^1

17 *epist. 79 post 80 coll.* *F* ad eundem *F*, *om.* *V* 19 diuae expectationis V^1 20 si aut futurus V^1 21 soluit *P 1 m.*

23 ad eundem *F*, *om.* *V* 25 requirat V^1 sermo et breuis *Γ* 26 gratiam meam] *Lypsius*, gratia mea *PVF*

LXXXI (LXXVIIII).

PV$^{1.2}$*M*

SYMMACHVS HELPIDIO.

Cum saepe occasionibus ad scribendum utar incognitis, committi in amicitiam puto, si domesticis videar abstinere. libens igitur Aërio honestissimo viro cultori tuo nuntiam sospitatis meae paginam dedi, cui honorificentiam salutationis adiungo: quae sola, et cum dicitur, et cum vicissim refertur, munia familiaris explet officii.

LXXXII (LXXX) a. 399.

SYMMACHVS HELPIDIO.

Plenum religionis officium est, quod sponte votum fratris antevenis. proxime igitur familiares nostri ad equorum coemptionem cum pretiis commeabunt, ut ex omnibus quadrigis, quas scripsisti esse venales, praestantiores cursu et genere pollentes defloret electio. haec autem tibi cura sumenda est, ut praeteritis editionibus nostris recens ludorum fama respondeat. inprimis igitur hanc de te gratiam peto, ne magis numerum quam merita perpendas. nam cum de Hispaniis copiam mihi equorum spes certa promittat, hos, quos de proximo polliceris, securior diligentia debet excerpere.

LXXXIII (LXXXI) a. 399.

SYMMACHVS HELPIDIO.

Curam nostram senatoriae functiones ad votiva sollicitant. praeturam quippe filii mei, si fors dictum iuvet, proximus annus expectat, cuius instruend*ae* causa amicis nostris negotium dedimus, ut equos ex Hispania lectissimae nobilitatis edecument. experiantur igitur suffragium tuum, siquid opis et favoris oraverint. decet enim te pro amore mutuo mecum curanda partiri.

LXXXIIII (LXXXII).

PV$^{1.2}$*F*

SYMMACHVS HELPIDIO.

Silentium meum etiam ipse reprehenderem, si tuas litteras aliquando sumpsissem. itaque arguere in altero non potes, quod a te admissum esse meministi. ego tamen in haec officia primus erupi, ut et te ad scribendi studium cohortarer et amicum meum testimonii adstipulatione prosequerer. est enim eius industriae atque probitatis, ut favorem tuum iure mereatur. pro quo ego petitor accedo, praesumens apud animum tuum nostras litteras plurimum profuturas.

2 *om. VM* 4 Aërio] *PV*^{2}, nerio *V*^{1}, nęrio *M* 6 officiis *V*^{2}
8 *om. VM* 10 ceptionem *V*^{1}, ęmptionem *M* 11 scripsisse *V*^{1} 12 haec enim *V*^{1}, huius *M* 14 hispanniis *V*^{2}
17 *om. VM* 18 ad notiua sollicitant *om. V*^{1} noti *P 1 m.* sollicitent *V*^{2} 19 cuius *om. V*^{2} instruendi *PVM* 20 edocumento *V*^{2} *2 m.*, ut decument *V*^{1}, ut prouideant *M* 21 opus *P 1 m. V* 22 mutuo] meo *V*^{2} pirtari *P 1 m.*
24 ad eundem *F. om. V* 26 in altero arguere *F* non *om. V*^{1} ad te *P* 28 ut ad fauorem *V*^{2}

LXXXV (LXXXIII).

SYMMACHVS HELPIDIO. *PV1.2F*

Quod epistulas meas condis, amoris est tui, qui describenda nescit eligere: sed me fucus hic decipit. nam praecipitor ad scribendi fiduciam placendi securitate. et tamen, si quando resipisco, nimis vereor, ne ista simplicitas incidat quandoque in lectorem alterum tibi disparem. quare velim, tibi habeas, quae incogitata proferimus: 2
licet eadem mei quoque librarii servare dicantur, sed illi per examinis ignorantiam. quod te facere non oportet Mercurialis artis peritum. nam mediocribus scriptis amicorum benignitas scit favere, alienorum invidia nescit ignoscere. quod superest, oro 3
iam venias et praesentia tua augeas honorem festorum dierum. nempe Minervae tibi sollemne de scholis notum est, ut fere memores sumus etiam procedente aevo puerilium feriarum. ad eum diem tibi convictum paramus agrestibus holusculis partum, quia luxuries offendit deam sobriam.

LXXXVI (LXXXIIII).

SYMMACHVS HELPIDIO. *PV1.2*

Insidiaris infantiae meae, quam tego silentii verecundia. nam ad elicienda responsa venturum, si adnuam, polliceris, cum hoc tibi facere de proximo quam spondere promptius fuerit. mihi vero adipisci gratum, sperare prolixum est. et tamen voluntati tuae pareo nec vereor, ne temere a me effusa verba in paginas librarii tui referas. nam si quid horum, quae apud te incuriosius loquor, cuipiam lectori nauseam moverit, non in scribendo neglegentia mea, quam tua in describendo diligentia displicebit. vale.

LXXXVII (LXXXV).

SYMMACHVS HELPIDIO.

Nostrorum duritiam ferre non possumus, qui cum reliqua superiora non exsolverint, etiam pensionem proximi anni ferre detrectant. idcirco quaeso, ut cum homine meo, quem ad exactionem nostrorum misimus, curam communicare digneris. religiosam operam libenter adripias! grave est enim nos quidem pro agris nostris functionibus publicis esse munificos, actores autem locorum ne id quidem velle redhibere, quod sciunt per annos singulos esse solvendum.

2 ·s· h. *F*, *om.* *V* 4 nam scribendi ad fiduciam praecipitor V^1 5 quando] quandoque V^2 6 plectorem V^1 quarum V^2 quae] quod V^1 incognita *F* 7 ignorantiam examinis *F* 9 uidia V^1 10 honorem augeas *F* 11 ferre V^2 12 conuicturum V^1 parcum *Iuretus* 13 luxories *P 1 m.* ostendit V^2 deās sobriarum V^1

15 *om.* *V*; *totam epistulam om.* *M* 17 abnuam V^2 18 mihi fuerit uero V^2 19 meae pareor V^2 paginis *P* 20 in auream V^2, in aurea V^1 21 mouerit (m *in ras.*) *P* scribenda V^1 neglegentia — describendo *om.* V^1 describenda V^2

24 *om.* *V*; *totam epistulam om.* *M* 25 *fort.* avaritiam qui] (q)ui *P* 26 pe(n)sio(n)em *P* detracta(n)t *P 1 m.* 27 *fort.* ad exactionem nominum 29 autores *F* autem] enim V^1 quidem nellet exhibere V^1, quem nellent exhibere V^2 30 sciunt pannos V^2

LXXXVIII (LXXXVI).

PV[1.2]*M*

SYMMACHVS HELPIDIO.

Nullum tempus esse patior a meo officio feriatum. merito properanti tabellario cursim debita verba commisi. quibus quaeso, ut referendae vicissitudinis curam capessas, licet malim iam reditu tuo quam scriptorum honore laetari.

LXXXVIIII (LXXXVII).

PV[1.2]*F*

SYMMACHVS HELPIDIO.

Non ex officii raritate amicorum religio et cura pendenda est. plerumque enim scribendi cupidis defit occasio. nec tamen amicitiae memoria temporali silentio consenescit. itaque quod hucusque conticui, voluntati meae non debet adscribi. multa enim studium nostrum fortuita impedimenta frenarunt. sed ubi tempestivam conperi facultatem, contuli in has litteras mei circa te propositi atque amoris indicium, conpensaturus, quod hactenus silui, frequentia litterarum, si me incentivo quodam mutui sermonis animaveris. vale.

LXXXX (LXXXVIII).

PV[1.2]*M*

SYMMACHVS HELPIDIO.

Adtemptatam denuo valetudinem tuam meorum cura suggessit. quare sollicitatus incertis emittere ad te scripta non distuli. quibus ut de te laeta respondeant, praestabit divina miseratio. erit igitur muneris tui, ut otio meo securitatem tuae sanitatis adicias. vale.

LXXXXI (LXXXVIIII).

PV[1.2]*F*

SYMMACHVS HELPIDIO.

Et rebus et litteris partes religionis exequeris. nam et hominibus meis adminicula favoris inpendis, et me sermonis tui honore participas. ago igitur atque habeo gratias, daturus operam, ne officiis nostris vicissitudo umquam dissimilis iudicetur. vale.

LXXXXII (LXXXX).

SYMMACHVS HELPIDIO.

Cum ad filium meum scriberes solum, me stili honore fraudasti. potui te silentii talione mordere, sed amicorum neglegentiae numquam parem repono contemptum. at-

---

2 *om. VM* 3 properant itabellario *P 1 m.*, properanti ita bellario *P 2 m.* 4 cursum *V*[1] 5 reditum *V*[1]

7 *om. VF* 9 cupidus *V*[1] desit *F* 10 quod *om. V*[1] 12 proposti *V*[1] indicum *V*[1] 13 frequentiae *P*, frequentiae *V* sine *V*[2]

16 *om. VM* 18 respondeas *P 2 m. M*

22 *om. VF* 25 nestris *V*[2]

27 symmac̄ helpidio *V*[2], *om. V*[1]*F*

que utinam redditae filio meo litterae nihil ex conventione fraterni debiti asperitatis habuissent! ego quoque mihi nequaquam viderer omissus. nunc duo pariter acciderunt, ut me et honor officii praeteriret et participata cum filio amaritudo percelleret. vale. $PV^{1.2}F$

LXXXIII (LXXXI).

SYMMACHVS HELPIDIO. $PV^{1.2}M$

Formianum litus accessimus. hinc Puteolos mox petemus. grave est enim sub auribus iudicis Baiarum adpetentiam confiteri. habes ordinem propositi mei. ipse memento promissi, quo te ob causas publicas peregrinationis meae fore solacium spopondisti. vale.

LXXXIIII (LXXXII) a. 402.

SYMMACHVS HELPIDIO.

Romam regressus post legationis officium sumpsi litteras tuas, quibus patriae communi largas rei annonariae copias polliceris. itaque gemino adfectus gaudio et quasi civis publica securitate et facti tui gloria quasi frater exulto, teque ad hoc studium religiosa exhortatione destimulo, licet bona voluntas, quae ex ingenio venit, non sit agitanda calcaribus. ego lectione sermonis tui civium nostrorum curam levavi: neque enim sileri debuit tam laudabilis et certa promissio. superest, ut proposito religionis tuae melior adspiret eventus et tibi in posterum conpetens decus pro tanto in patriam labore respondeat. vale.

LXXXV (LXXXIII) a. 402.

SYMMACHVS HELPIDIO.

Mediolanium sum missus a patribus ad exorandam divini principis opem, quam communis patriae sollicitudo poscebat. celerem mihi reditum praefata dei venia res prosperae pollicentur. sed praesentia laeta cumulabis, si per litteras mihi cognitio tuae salutis accesserit. vale.

LXXXVI (LXXXIIII) a. 402.

SYMMACHVS HELPIDIO. $PV^{1.2}F$

Romam redisse me nuntio. atque utinam sanitatis quoque meae index esse potuissem, quam labefactavit peregrinationis iniuria et hiemalis asperitas. sed otio redditus spero meliora. ipse ut valeas, divina praestabunt. nam ut homines meos solito favore tuearis, postulare non debeo, cum incitamentum spontanea officia non requirant.

1 reddito V^2 mihi lex V^2, ex V^1 fratrem V^2 aliquid *ante* asperitatis *inser.* V^1 2 quoque] qq V^2

5 *om.* VM symmacus P 6 sub *om.* V^2 7 ad penitentiam V, penitentiam M 8 promisi V^1

11 sym̄ help V^2, *om.* V^1M 14 /ria P exultoque ad V^2 s/dium P 15 exortatione P *1 m.* 16 lectionem V^1, lectioni (V) 17 enim *om.* V^2 silere (V) propositio V^1

21 sym̄ help V^2, *om.* V^1M 22 mediolinium V^2 23 dei] de V^1

27 sym̄ help̄ V^2, *om.* V^1F 28 iudex V^1 29 labe mactauit V^2 in//ria P 30 fauore solito V^1

LXXXVII (LXXXV).

$PV^{1.2}M$

SYMMACHVS HELPIDIO.

Maluerim quidem tuum solamen adipisci. *sed* quia litteris secundus ad gratiam locus est, desiderio tui scriptorum compensatio satisfecit maximeque iuvit animum, quod tecum bonam valetudinem redisse in gratiam nuntiasti. ipse Formiis adhuc residere

PV constitui, ut mitigatis autumni aestibus ad suburbana concedam. neque enim temporis mei ratio patitur, ut communem patriam maestus ingrediar. vale.

LXXXVIII (LXXXVI).

PVM

SYMMACHVS HELPIDIO.

Si condicio temporis mei sineret, votis me tuis etiam non rogatus ingererem. qua in re certus animi mei adsertionem verborum, sicuti arbitror, non requiris. nunc fortunae meae qualitas in tantum nos a festivis excusat officiis, ut solacia insuper requirat aliena. ergo quia in manu mea interim non est laetos frequentare conventus, tuae opis est levare maerentem. quorsum istud? inquies. ut fratrem nostrum Florentinum clarissimum atque ornatissimum virum peregrinationi meae cohaerere patiaris. tantum peto, ut ab eo interpreteris inpendi ex hac commoratione, quam mihi tribuit, quantum ex eius praesentia voluptatis habuisses. vale.

LIBER SEXTVS.

AD NICOMACHOS FILIOS.

1 hieme 394/5.

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

De rebus liquidis atque manifestis rectius natura quam fama consulitur. ergo in tenui patriae victu superioris providentiae laudem refotam non ex ore multitudinis sed ex ratione humani ingenii colligamus. necesse est enim seros aestimatores beneficio-
2 rum, cum succedant angustiae copiis, dissimulatam gratiam conlatione sentire. et plebes quidem nostra paucorum studiis antehac in odium tanti civis subacta testatur propalam paenitendi correctionem: collegarum vero notissimus pervicax livor *non* siuit fateri, quod cogit veritas iudicare. quare tacito adficiuntur rubore et convictorum si-
3 miles proferre de vobis nequeunt, quae sentire coguntur. sed haec longius exequi

2 sym̄ help̄ V^2, *om.* V^1M 3 mutuum *Mommsen* sed] *inserui; om. PVM* litteris secundis V^1, secundis litteris *M* 5 nuntiasti plurimumque sors composita contrahit *M*, *sequitur VII, 39* formis *V* residere (reddere V^1) plerumque fors disposita *etc. sequitur VII, 39 in V, pars reliqua epistulae deest in V^1, post VII, 39 collocata est in V^2*

9 *om. VM* *hanc epist. inter 76 et 81 inser. M* 10 temporalis *P* metuisset iam *V* 16 commemoratione *V*

18 lib. v. explic. incipit lib. vi. ad nichom. filios *P*, *om. VM* 20 *om. PVM* 21 de rebus *in ras. P* ergo] er *V* 26 libor *Γ*, liber *P* non] *cod. Pithoei, om. PVM* 27 robore *P 1 m.* similis *P 1 m. V*

non est necesse; sufficit enim redisse ad conciliationem famae vestrae publicum testimonium. vivat modo et in patris celebri memoria solacium tuum et in tua salute paterna reparatio. vale. *PVM*

II a. 395?

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Hilaratus est mihi dies litteris vestris et festivitatem nataliciam domus nostrae desideratus sermo geminavit. sed decursa paginae lectione conrugavit frontem mihi adiecta subscriptio, quae vos de peculio Petroniae agitari iurgiis indicavit. arbitror tamen, si Marcianae sororis vestrae non sit clauda promissio, successionis ambiguum domestice posse removeri, cum ad examen meum, quod ipsa delegit, documenta negotii miseritis. quae autem capita quaestionum pars adversa commoveat, subdita enumeratione signavi, ut sancta unanimitas vestra informata oppositis invicem pro se respondenda meditetur. vale.

III.

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS. *PVF*

Praefato opus est, si ardua postulentur: pronis ac facilibus admoveri ambitum non oportet. breviter igitur et strictim, quid frater meus Fulvius de vobis favoris poscat, advertite. sororem Pompeiani olim viro maturam te auspice in manum optat accipere, nec genere minor et re fortassis uberior. nam laudabiles vitae eius artes et ex bonorum amicitiis spes secundas inter sponsalia ornamenta non numero: sibi enim quisque habet, quidquid laudi et spei ducitur. mihi autem tanta est perficiendae coniunctionis huius antiquitas, ut in gravi dono habiturus sim, si illius votis cura vestra profuerit. cum igitur res incepto honesta, effectu facilis postuletur, quaeso, ut in promovendo negotio, quantum me velle conicitis, adhibeatis industriam. vale.

IIII.

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS. *PVM*

Aegritudinem meam, quam dexterae manus dolore sustineo, nuntiorum acerbitate duplicastis. acrior autem me cura distringit, quod scio filiae meae ciborum et potuum continentiam non posse suaderi. anxius igitur vulnere animi et corporis morbo usque ad subscribendi possibilitatem litteras differre non potui, sed dictatione properata magis sollicitudini meae quam consuetudini satisfeci. et primo, ut timorem meum responsis levetis, exoro; dehinc te, domina filia, precor, ut saluti adversa declines et interpellatam totiens valetudinem repares auxilio temperantiae. quia non solum sanitati commodat, verum etiam ad testimonium prudentiae pertinet noxiis abstinere. vale.

2 iuuat *V*

5 *om. VM*   nichomachis *P et ita deinceps*   8 petriniae *P*   9 martianae *VM*   11 comoue *P*   subditę numeratione *P 1 m.*   12 inuicem *P 1 m.*

15 symmac̄ nichomachis filiis *P*, *om. VF*   17 et] ac *F*   18 uiro maturo maturam *V*   19 fortassisuperior *F*   21 dicitur *P 1 m. VF*   22 dono *corr. ex* damno *P*   sim//si *P*   24 egotio *P*   quantam *P 2 m.*

26 *om. VM*   27 acernitate *P 1 m. V*   28 destringit *P 1 m. V*   31 consuetudinine *V*   33 separes *V*   qua *P 1 m.*   34 commoda *P*

V.

PVM SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Severianum primorem Literninae urbis a publica interpellatione revocavi, ne sancto amico nostro Severo invidiae aliquid conquestio eius adferret. promisi autem media unanimitate tua, decus nostrum, si quid inter eos concertationis est, posse finiri, atque ideo quaeso, ut viro optimo Severo terminandae apud te litis auctor esse digneris. vale.

VI a. 398?

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Tamquam adhuc negotiorum vestrorum nescii agendis rebus formulas praefinitis. at ego unanimitati vestrae utriusque exitum causae iampridem retexui, et credo in manus vestras per milites vicarianos delata, quae scripseram. merito enarrata et conperta non repeto; hoc solum etiam nunc notitiae vestrae ostentationis pudore subtraxeram, misisse me necessarias litteras, quibus amici de tutoris fraudibus instruantur,
2 et puto, si fors inceptum iuvet, decernendum aliquid, quo frangatur obnoxius. quod vero iter ad proxima urbi praedia distulistis, quamquam vestri cupientissimus inprobare non possum. allegastis enim piam causam morarum, atque ideo desiderio meo necessitatem religiosae adfectationis antefero. haud scio, an morantibus vobis aliqua invitatio nos potius in Campaniam possit educere. sed hoc relinquatur eventui; nos interim mutua desideria scriptione foveamus. solaciis enim leniendus est animus, quotiens protelantur optata. vale.

VII a. 397.

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Taburnius evocatum me esse non siluit, et fortasse miremini, nihil super ea re meis paginis indicatum; sed quia multis ac necessariis causis domi manere decreveram, inanis esse operae indicavi inrita ad vos et dissimulata perferre. credo autem sanctae unanimitati vestrae inconperta non esse, quae me a peregrinandi consilio retraxerunt. nam et fractam valetudinem meam nostis, et unici mei solitudinem contemplamini, et eruptiones fluminum usque ad metum diluvii conperistis, pontium quo-
2 que ruinas et montium labes apud vos, ut arbitror, fama non tacuit. ex quo factum est, ut ceteri quoque veniam postularent, quos similis accitus exciverat, praeter Arcentium et Euangelum, quorum alterum vigor adulescentiae, alterum incautus animus obiecit incertis. intellego vos profectione hominis non amici posse terreri; sed ut

2 *om.* *VM* 3 literninae (ernin *in ras.*) *P*, linterninae *M* sancto (an *in ras. 2 m.*) *P*
9 symmač nichomachis filiis *P*, *om.* *VM* 10 Tanquam (Tan *in ras.*) *P* 11 at] ad *P 1 m.* unanimitatis *P 1 m.* *V* quia *ante* credo *inser.* *P 2 m.* 12 cōnpta *P* 15 foris *V* 16 praedia *delet* *Suse* 17 alligastis *V* 18 religiosa ea diffectationis *V* scio an] *Lectius*, scia *PVT*, sciens *M*
23 symmač nichomachis filiis *P*, *om.* *VM* 24 raburnius *M* et] ne *V* 26 dissimula *P 1 m.* 28 ac unici *VM* 29 et] ac *V* deluuii *P 1 m.* 31 quos] q/// *P* 32 et] ac *V* 33 nos *corr. 2 m. ex* no *P*

hunc scrupulum reiciatis admoneo. nam et meis litteris multa curata sunt, et proficiscentibus datum negotium est, ut aemuli obtrectatio repellatur. quare curarum vacui agite otium meque, ut facere dignamini, scriptorum adsiduitate refovete. vale. *PVM*

VIII a. 398?

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Redditae sunt nobis litterae vestrae, cum in Ostiensis viae septimo degeremus, et ilico per inlustrem virum vicarium petitu meo actorum processit editio. sed puer vester inconsultis atque ignorantibus nobis urbe discessit, ut est servis familiaris inprobitas. vestra *in* manu est, utrum hoc inultum esse patiamini. interea filiam meam iactari instaurato languore non siluit. cuius nuntii vulnus alte incidit pectori meo, nec abolebitur metus, nisi mutua scriptione fidem sanitatis eius accepero. facite igitur, oro vos, ut formidinem meam securitas protinus reportata commutet. vale.

VIIII.

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS. *P*

Frater meus Censorinus de confinio Baianorum praetoriorum conquestionem temptat iterare, quam didicit inter me et actores filii mei Pompeiani dudum esse finitam. adhibiti namque inspectores muro, qui inter aedes a summo monte descendit, dividi loca nostra dixerunt; quorum iudicium novus possessor credit posse rescindi. quaeso igitur, adhibito Felice amico nostro et Castore veri arbiter esse digneris, et sanctitate tua coram locuta inanis adtemptatio conprimatur. dehinc, cum fratri meo Censorino satisfecerit praeteritae iudicationis adsertio, tunc operi eius et molitionibus novis decem tantum pedum ultra aedificia sua permittatur adiectio, ita ut partium fines et placito conprehensus adsensus et constructio interiecta discriminet. vale.

X a. 398.

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Rogatos esse nos audio ad officium consulare. mihi quiescere et domi manere sententia est post anni superioris laborem; ipse quid statuas, altius cogita et sapienter expende. praesumo autem eos, qui dicuntur acciti, auctoritate praecelsi viri edecumatos esse et his unanimitatem tuam consulto esse sociatam, ut ad agendas gratias sub occasione officii consularis excurras. verendum autem est, ne si excusandum putaveris, proximi rescripti impetratione videaris offensus; et fortasse, quantum de incertis sperare fas est, error iste, cum feliciter adfueris, corrigetur. Hispanum rogatum esse non conperi. considera igitur eventum partis utriusque. ego denuo nuntiabo, si quid super hoc novae cognitionis accesserit. vale.

1 nam e meis *V* 3 fouete *VM*

5 *om. VM* 6 hostiensis *PM* 7 meo (m *in ras.*) *P* 9 in] *M, om. VP* multum *V 1 m.* 10 lactari *V* ///gore *P* siluit (ui *in ras.*) *P* nuntiis *P*, nunciis *V* incedit *P 1 m. V*, insedit *M* 11 igitur] ergo *V* 12 ut] ad *V 1 m.* uale *om. V, sequitur in V VII, 34, in M VII, 35; reliquae huius libri epistulae in utroque codice desiderantur*

19 et] ut *Lectius* 20 coralocuta *P 1 m.*, coram locata *P 2 m.* adomptatio *P 1 m.* 23 et *om. P 1 m.*

29 sociata *P 1 m.*

XI.

P SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Multa mihi ad vos scribenti pauca respondes. et moleste fero mandatorum vestrorum calere principia usque ad sollicitudinem meam, mox autem per silentium frigere processus. fortasse quaeratis, quid etiam nunc referri in noscentiam meam postulem.
2 Capuanae domus pretium scripseram cum venditore decisum: nihil de eius confirmatione rescribitis; Samniticae possessionis reformatio et vindicta mandata est: tantum vacuatos dotibus agros sero docuisti: adhuc tamen nescio, quid exhibitio iniuncta profecerit. cuius me expectatio rus ire non patitur. vereor enim, ne, quod saepe factum est, clandestina aliquid temptet obreptio. quare aut instruite, quid supersit negotiis
3 explicandis, aut si res in vado sunt, viam mihi usurpandae secessionis aperite. cum fratre meo Censorino non moleste fero sub quolibet dispendio nostro de litoralibus spatiis iudicatum. restat ut interiectu muri praetoria dividantur, ne cessante iudicio iudicationis rursus vicinae angustiae in alios sese terminos nitantur extendere. vale.

XII a. 396.

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Amici litteris delectatus sum, quarum me lectorem esse voluisti, et velim credas nihil eum de usurpanda animi remissione mentitum. mihi vir inlustris iudex praetorianus ob conlationem senatus et alia remedia urbis augustae denuntiavit offensas contristatus, ut adserit, curione, quo praefectus urbi ludorum imperialium die, cum a senatu curio nobis praesentibus posceretur, oblationem communem populo publicavit.
2 haec omnia ad destruendam promissorum suorum gloriam conposita suspicatur et in me solum, quia hoc referentibus placet, vertit invidiam. respondi, ut potui dignitate servata, eius calori, et quantum legati Orientales adserunt, quibus ipse scriptorum meorum fecit indicium, cunctis responsa nostra placuerunt. sed ne ratione et auctoritate victus sileret, molliores postea litteras misit parem querimoniam continentes.
3 horum tibi omnium tradetur exemplar, ut noveris, quibus fluctibus perstrepamur. in negotio autem sanctae unanimitatis vestrae, quod praeceptio iterata commovit, consilio trahendae solutionis utendum est et pars, quae ad germanum tuum pertinet, subicienda auctioni, ut huiusmodi iniuria factum iuvenis exaggeret aut expleat voluntatem. sed scire desidero, quae potissimum praedia ad ius sancti fratris tui pro parte pertineant,
4 ne per ignorantiam iuris tui corpora apparitionis error adtrectet. fratrem vestrum Romae tantisper tenebo, quoniam subsidia annonae in dies viginti oblatio prorogavit. moleste igitur filia mea ferre non debet, si iumenta itineri eius deputata tardavero.
5 cetera filius meus Comazon vel quaerentibus vobis vel sponte narrabit. de legatione mittenda ob angustias frumentariae rei usque ad reditum viri excellentissimi comitis tractatus publicus differetur. consilium sanctitatis tuae salubre mihi visum est: itaque datis ad homines meos litteris statim iussi ex re nostra Apula ad Campaniam frumenta deferri. vale.

2 symmacus nichomachis filiis *P* 3 repondetis: moleste fero *Susc* 5 in noscentiam] *Iuretus*, innocentiam *P* 8 docuistis *P 2 m.* 11 secessiones *P 1 m.* 13 indic *P*
16 symmacus nichomachis filiis *P* 18 usurpanda] *Kiessling*, usurpandi *P* 19 augustę *P* 21 curio] *PΓ*, caro *Iuretus* 25 sed] *Π*, / d *P* 27 quibus] *Π*, q/ ; *P* 28 comouit moui *in ras.* *P* 29 solutionis (utionis *in ras.*) *P* 30 iuuenis is *2 m. in ras.* *P* 33 tantis pertinebo *P* 35 cumazon *P* 37 salubrem *P*

XIII.

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS. *PF*

Adsiduitas epistularum superiorum scribenda consumpsit; sola nunc superest salutationis religiosa generalitas. et sane, si qua suppeterent paginis persequenda, commeanti rectius crederentur. tunc enim stilo indulgendum est, cum recipiendis mandatis proficiscentium persona non sufficit; nunc si quid scitu dignum putabitis, sine nostri sermonis excursu plenius a commeante discetis. vale.

XIIII (XV) a. 396.

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS. *P*

Dubitare vos video, an Rufini poenam secuta sit etiam publicatio facultatum. fides praesto est imperialibus signata praeceptis; et tamen praedonis annosi merita
pendentibus non fuit ambigendum, quod spolia orbis desideraret aerarium. atque 2
utinam tanto gaudio non obstreperet defectus annonae, quem nulla producit novae frugis accessio. praeterea ipsius cibi qualitas gignit horrorem, corrumpit valetudinem corporum, graviorque hominibus talis alimonia quam poena ieiunii. solatur inter haec 3
populum spes frumenti a patribus oblati, et religiosa optimatium voluntas tenet concordiam civitatis. nunc votis opus est, ut divina opitulatio invehat commeatus, dum salus civium privata conlatione producitur.

XV (XVI) hieme 395/6.

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

In eas angustias communis patriae fortuna deducta est, ut extrema vitanda sint. itaque fratrem vestrum continuo ad vos opto dimittere, cui basternarios mox praebere dignamini, ut festinatio eius iumentorum adminiculis adiuvetur. ceterum filiam meam vexari itinere, sicuti ante scripseram, non oportet. quoniam post incommodum grave valetudo eius otio et quiete refovenda est. vale.

XVI (XVII) a. 397.

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Praevidi, quem metum vobis fama aegritudinis meae posset incutere. quae cum soleat supra verum de absentibus loqui, magnitudinem periculi mei ne fando quidem videtur aequasse. itaque ubi primum mihi formare litteras per valetudinem licuit, non distuli lenire apud vos stilo, quae vulgata credideram. et quamvis modificandae sollicitudini vestrae prior sermo sufficeret, ad fidem tamen securitatis adtestatio secunda proficiat. interea de ordinando reditu facite noverim, quid consilii ceperitis. fateor enim molliore me esse adfectione post discrimen salutis nec ulterius posse suadere, ut desiderio meo vestrum otium praeferatis.

11 C. Th. VIIII 42, 14 dat. id. Febr. Constantinopoli, Arcadio IIII et Honorio III AA. coss.

2 symmacus nichomacus filiis *P*, *om. F* 4 prosequenda *F*
12 orbis] *P 1 m. F*, urbis *P 2 m.* 15 est *ante* hominibus *inser. P 2 m.*
30 aeq//se *P* 33 proficiet *P 2 m.*

XVII (XVIII).

P SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Amicitia animis non annis aestimatur; rudis igitur tibi eorum non videatur aspectus, quorum in te cultus annosus est. hoc eo spectat, ut noveris Auxentium et Marianum filios meos pudentissimos iuvenes inter laudatores tuos loco priore censeri, atque ideo non cognoscendos novo aditu, sed amoris foedere et religione recolendos. nunc illis proficiscendi adtulit causam medicorum coactu imperata curatio. nam Stabias ire desiderant, ut reliquias longae aegritudinis armentali lacte depellant: sed maiorem indicant in tuo congressu esse medicinam. tibi igitur adsignabitur eorum sanitas, si remediis herbarum salubrium fomenta benignitatis adieceris. vale.

XVIII (XVIIII) hieme 395/6.

PF SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Castori nostro ad Campaniam revertenti largiora mandata de domesticis rebus quam scripta commisimus. plura igitur auribus quam lectione noscetis. horum pleraque ad statum pertinent patriae, quam defectu alimentorum graviter laborantem periculosum est inhabitare, impium et crudele deserere. vale.

XVIIII (XX) a. 397.

P SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Germano Taburni, cui me auxilio esse voluistis, etiam salutis dubius adfuissem, si eorum praesentiam fors dedisset, quos ex usu eius oportuit conveniri. satisfaciat igitur unanimitati vestrae animus meus, etiamsi voti efficaciam negavit eventus. ipse adhuc invalidus sed iam praefata dei venia convalescendi securus haec scribo, tantoque magis adsurgo viribus, quanto mihi celeriorem sanctitatis vestrae reditum spes vicina promittit. vale.

XX (XXI) a. 395?

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Dudum sanitatem filiae meae integratam esse rescripseras; mox sequentibus litteris sollicitudini nostrae recidivum aculeum subdidisti. conflictor igitur nuntio recentiore, quia magis adversa creduntur. expecto anxie, ut si quid boni dies adtulit, indicetis. in eo autem, quod vos discessus noster excruciat, habitum meae mentis agnosco; sed adhuc desideriis mutuis praestat suadere patientiam quam paenitendum aliquid per inbecillitatem adfectionis ordiri. mox cum germanus tuus de proximo, ut ais, speratus adfuerit, et felicem vobis et necessarium reditum dividendae inter vos communionis causa praestabit.

---

3 animis non annis] (*II*), animis *P*, *sed inter lineas quinque fere litterae* (ñãnis?) *erasae sunt* affectus *P 2 m.* 8 (d)esiderant *P* aegitudinis *P*
12 *om. F* 13 pastori *F* de domesticis rebus mandata *F* 15 de facto *P 1 m.*
22 securis *P 1 m.*

XXI (XXII) hieme 395/6.

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS. *P*

Fratris mei Entrechii spectabilis viri liberos inpatientia paterni amoris acciverat, quibus properandi causas inopia urbis adiecit; atque ideo recursum sine iusti temporis expectatione moliti sunt. quapropter dum navigatio intractabilis est, in oris Campaniae paulisper haerebunt; sed ne peregrinationis amara sustineant, humanitas vestra praestabit. quare vicem meam suscipe, ut qui nunc a nobis necessitate divulsi sunt, animum se meum in te repperisse laetentur.

XXII (XXIII) a. 395.

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS. *PF*

Dura commotio est, quam gignit iniuria, sed mollire debet dolorem medicina patientiae. nec deest vobis usus adversa tolerandi, nam crebro ictum fortunae ferre didicistis. quod si in secundis rebus ageretis, iure insolitis malis felicitas laederetur. haec eo scribo, ut miratum me scias, quod constantiam tuam lis privata mutaverit, quam sub adfinium nomine, ut opinio mea est, Baiani litoris persultator animavit.
sed illi aliud mercedis erit. causae autem vestrae propugnaculum iudiciale non de- 2
fuit; impetratum est quippe ab altero cognitorum, ne inpune sit, quod dissignavit apparitor, ab altero, ut hereditas tuta praestetur. ipsam quoque dominam quaestionis, cum se ex agro receperit, admonebo, ut aut desistat incepto aut noverit, sibi gra-
viora esse referenda. | haec de rebus domesticis satis dicta sint. patriae vero nostrae 3 *P*
inter cetera frumentariae penuriae mala legationis ambitus nequiorem facem subdidit. nam principio Postumianum et Pinianum duobus aulae summatibus iunxit electio sub ea expressione iudicii, ut in ipsis solis plena esse legatio diceretur. interiectis diebus, cum mandata ordinis tractatus expenderet, Paulinum illis studia privata iunxerunt. hinc orta certatio usque ad nefarias pugnas me absente processit. pudet di-
cere, quae in se optimates senatus crimina et maledicta proiecerint. sed dirimendas 4
partium quaestiones meo dicuntur detulisse iudicio. fors viderit, qui finis causam publicam maneat. interim senatus fama laceratur, et infortunatis etiam crimen accessit. si in manus meas venerint monumenta gestorum, legendo noscetis, quae verborum meorum verecundia noluit explicare. vale.

XXIII (XXIIII).

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Debui litteris abstinere spectabili viro filio meo Decio commeante, qui de nobis apud religionem vestram plura narrabit, quam posset paginarum textus amplecti; sed

3 entrecii *P* 7 praestauit *P 1 m.* deuulsi *P 1 m.*
10 *om. F* 12 crebo *P 1 m.* 13 secundis *corr. ex* fecundis *P* laedetur *P 1 m.*
17 cogn/////// *P* designauit *F* 18 apparato/ *P 1 m.* ut *om. F* ipsum quoque dominum *F* 19 ex] ab *F* 20 *in* referenda *desinit F* uiro *P 1 m.* 25 horta *P*
27 qui] /ui *P* 28 senat// *P* etiam] (*II*), *periit in P* 29 uen//int *P*
34 sed *om. P 1 m.*

P iucunditatem, quam vobis tribuet fraterna praesentia, stilo augere non piguit. idcirco unanimitati vestrae honorem salutationis impertio, ut adventus mei expectatio oris munere mitigetur. vale.

XXIIII (XXV).

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Sapricius vir ornatus ac mihi familiaris diligentiam sanctae unanimitatis tuae sine adstipulatore meruisset: sed quia primus aditus sero commendat *in*cognitos, facilitatem sibi promerendae familiaritatis tuae per me optavit aperiri. dignum est igitur, ut cupidissimum tui obvio amore suscipias et amicitiam postulatam non in longi usus temptamenta procrastines sed statim parili voluntate desiderio adventantis occurras.

XXV (XXVI).

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Zenodorus filius meus nondum te consuetudine propiore cognovit sed fama conciliante iam suspicit. nam cum propere Lucanos ac Brittios petat honore cogente, nihilominus in conspectum tuum flexo itinere gestit excurrere. hunc in amicitiam tuam tamquam mystagogus induco atque in me rec*ip*io dignum esse, quem diligas. si quid igitur parentis testimonio tribuis, adultam mox apud te religionem primus aditus adventantis inveniat eamque continuo experiatur facilitatem pectoris tui, quam scit numquam delatam esse novitati.

XXVI (XXVII) a. 396.

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Diu mecum ipse contendi, ut ad vos pignus commune dimitterem. sed vicit adfectio maxime adsurgente specula *suf*ficientium conditorum. nam viginti dies urbis alimoniis parca interim promittit expensio. praeterea amplissimi ordinis secunda conlatio accessurum securitati aliquid pollicetur. nihilo minus etiam carnis oblatio animos
2 Romanae plebis erexit. redire igitur ad vos iumenta praecepi agens gratias, quod necessitatem fratris vestri congruis adminiculis iuveritis. legatorum adhuc vacillat electio. nam Postumiano et Piniano, quos a principio mandatis suis senatus agnoverat, tertius Paulinus adseritur, et divisis in studia partibus adhuc differtur utilitas. quae cum terminum confirmationis acceperit, plana ad te cognitio deferetur. vale.

XXVII (XXVIII).

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Vberius scribendum est, si commendentur incogniti: Iustini autem gravissimi atque honestissimi viri antiqua nobiscum familiaritas conciliationis adminiculum non requirit. satis est igitur, si ei amorem solitum deferatis. quae vero ad nos pertinent, et proxime unanimitati vestrae litteris indicata sunt et nunc ipsius ore pandentur.

---

7 incognitos] *Lectius*, cognitos *P*

13 propriore *P* 16 recipio] *Iuretus*, respicio *P*

23 sufficientium] *ego*, proficientium *P* 27 iuueretis *P 1 m.* 29 certius *P 1 m.* adscitur *Mercer* 30 plena *Iuretus* defertur *P 1 m.*

36 indicata] (*H*), ind//ta *P*

XXVIII (XXVIIII) a. 397.

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS. *PF*

Si quid homini tutum est, in spem vitae redisse me nuntio post internorum dolorem, qui me vobis repente subtraxerat. si quid igitur vobis asperum famae licentia nuntiavit, antiquet oblivio. praecipue autem de vobis impetratum volo, ne inprovida sollicitudine recurratis; sed quia res versa est ad salutem, iustis itineris dimensionibus communi desiderio satisfacere dignemini.

XXVIIII (XXX) a. 397?

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS. *P*

Dicendae vobis salutis occasio et quaerenda est mihi saepe, si desit, et amplec-
tenda, si praesto sit, eo maxime tempore, quo de filiae meae sanitate sollicitor, cuius
valetudinem credo etiam ieiuniis sauciatam. absolvite igitur metum nostrum nuntio
prosperorum. mihi etiam nunc gressus infirmus est, sed si optata de vobis mutuus
sermo pertulerit, protinus corporis mei querella sedabitur. non omiserim iungere huic 2
paginae, quod Martinianum conventio iudicialis expulerit. cui tantus terror incussus
est ob omissam diu ad Gallias profectionem, ut ei necesse fuerit praevenire itinere
privato exhibitionis iniuriam. de Atellano quid fieri velimus, amico interveniente quae-
sivit auditor. respondi post iudicium sacerdotis solam me expectare vindictam con-
flatae nuper invidiae. nihilominus in arbitrium tuum statuenda reieci. quaeso igitur, 3
ut inter feriarum moras, quid facto opus sit, digneris aperire, simulque cogites, con-
tra interventum tot antistitum quid possit magis quam quid debeat impetrari. neque
enim iustitiae et innocentiae deferri plurimum potest, cum illis reverentia religionis
opponitur.

XXX (XXXI) a. 398.

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Postquam dimisimus puerum, multus rumor increbruit, sanctitatem tuam sacris litteris evocandam, ita ut etiam nomen Gratiani cuiusdam, qui huiusmodi scripta perlaturus adseritur, in publico ore versetur. hoc etsi adhuc mihi incertum videtur, tacendum tamen esse non credidi. erit summae divinitatis statuere circa vos et confirmare ordinem prosperorum.

XXXI (XXXII).

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS. *PF*

V. c. Principius genere et probitate conspicuus commendationem non requirit alienam, cum tui quoque in se amoris atque iudicii testimonio glorietur. cuius bona

---

2 *om. F* 3 reddisse *P* 4 asperu/ *P*
13 obtata *P 1 m.* 14 mei] (*II*), //i *P* 16 praeueniri *F* 21 qua *P 1 m.*
25 symmacus *P*
32 *om. F* 33 uir consularis praecipuus *F*

PF latius explicarem, nisi esset operae redundantis cunctis nota replicare. hoc unum adiecisse sufficiet, quidquid illi honorificentiae tribueris, ad omnes bonos, qui eum diligunt, pervenire.

XXXII (XXXIII).

P SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

In suburbano dego secessu. nam et urbanarum taedet molestiarum et villae autumno commodae iucunda instauratione delector. praeterea frequentiam mihi, quae sola Romae honorabilis iudicatur, amicorum praestat adventus. sed no*n* mediocriter nepticulae meae Gallae infirmitas conturbat otii nostri securitatem: de qua ut mature votiva et commoda nuntietis, opitulatio divina praestabit. tibi autem, domina filia, quantum in dies singulos refectionis accedat, quaeso curae habeas indicare. erit hoc testimonium religiosi in me animi tui, si et consulueris sanitati et in no*s*centiam meam placitura pertuleris.

XXXIII (XXXIIII) a. 401.

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Si qua adhuc de Sicilia speramus, incerta sunt. nam cum litterae Euscii nuntiaverint, dudum circi et scaenae artifices navigasse, etiam nunc de adventu eorum rumor in operto est, atque ideo apparitorem placuit postulari, qui peragratis ubique litoribus explorata in aures nostras reportet. crevit autem cura ludorum, postquam frequentibus ludis relationem de amphitheatro promerendo populus postulavit, quae mox iudicis impetravit adsensum. dei nutus efficiet, ut super hoc etiam divini principis concordet auctoritas. vale.

XXXIIII (XXXV) a. 401.

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Frater vester diu animi adfectus dolore ob amissum magistrum coepit aurem praebere solantibus, cuius maestitudo me quoque graviter sauciavit praeter cogitationem, quae nos de eligendo praeceptore sollicitat. si igitur placet, communibus litteris ab inlustri viro praefecto Hadriano Gallum rhetorem, quem proxime Eusebius noster ingesserat, postulemus, ne pignorum nostrorum indoles in profectu posita deseratur. me futurae editionis et labor et sumptus exercet. in disponendis enim praemiis, quamquam numero vestium satis adfluam, nonnulla adhuc deesse apparatui deprehendo. vale.

1 redundatis *P 1 m.* cunctis nota] cuncta *F* adiecesse *P 1 m.*
5 symmacus *P* 6 n suburbano *P* 7 hautumni *P 1 m.* 8 nommediocriter *P* 12 in noscentiam] *Iuretus*, innocentiam *P 1 m.*, in notitiam *P 2 m.*
15 symmacus *P* 18 peragritis ubique*itori *P 1 m.*
25 admissum *P* 26 moestitudo *Π*, maest/// *P* p̄t/// tationem *P* 27 prec//tore *P 1 m.*
31 afluam *P 1 m.*

XXXV (XXXVI) a. 398.

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS. *P*

Quamdiu iactata rumoribus tempore differuntur, curarum vacuus otiare; si quid auditu dignum fideque subnixum recentior sermo pervexerit, neque nuntiandi neque suadendi partibus abstinebo. unum hoc ante rei necessitatem de meo sume consilio, nulla ratione te posse evocationis honorificentiam deprecari. de fratre autem vestro 2
praeter mandatum nihil etiam nunc opinionis accepimus. ipsi haec de nuptiis Ostiensibus, ad quas nos viri inlustris Sallustii filius iunior evocavit, contulimus in paginam, sed continuo ob ludorum praeparationem Roma repetenda est. diu enim mihi ista curanda sunt, quae facile, si adesset sanctitas vestra, communis diligentia posset absolvere. vale.

XXXVI (XXXVII) a. 398.

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Cum mihi sacrae litterae redderentur, quibus ad officium praecelsi viri consulis evocamur, vidi alias aeque ad tuum nomen emissas, quibus te honorificentia imperialis accivit. consulis quoque scripta idem agens in rebus exhibuit. suadeo igitur, ut mature iter instruas, cui non cohaerebit Hispanus. aliud quoque accessit, quod te possit hortari: nam vir inlustris frater meus Neoterius domui fratris mei admirator ad eandem causam rogatus solacia tibi et adiumenta praestabit. nolo igitur ambigas, 2
cum scias, auctoritate praecelsi viri electas amicorum esse personas tibique haec prima post dubia fortunae divini principis adloquia deferri. in negotio autem tuo, quae per me agi volueras apud sanctum tribunum, non invitus ingredior. interea ad Formianum litus iter promove, ut cum ad te delatae litterae fuerint, Romam citius excurras. vale.

XXXVII (XXXVIII).

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Dictionem salutis antefero, quae et voto meo supra omnia convenit et litterario debetur exordio. dehinc diligentiae tuae, domina filia, natalicium fratris tui commendo convivium. homo enim noster allegat fuga nautarum litora destituta: quae res conpulit, ut sanctitati tuae factu minora committam. de publicis scribenda non suppetunt absque eo, quod in Traiani platea ruina unius insulae pressit habitantes: quod adeo ad fortunam vehiculi publici plebeia vertit invidia, ut iam privato rectore utatur. vale.

2 symmacus *P* 7 nihil etiam nunc] *H*), [illegible] (amnunc *P* ipsi haec] (*H*), [illegible] aec *P*
8 /os *P* salustii *P*, *corr. 1 m.* reuocauit *P*
13 symmacus *P* 20 tibique] *Mercer*, sibique *P* 21 dubia (ia *in ras.*) *P* deferri] *Mercer*, differri *P*
26 symmacus *P* 29 littora *P* 32 rector utatur *Latinius*

XXXVIII (XXXVIIII) a. 401.

P SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Amicus noster Severus molestia publica liberatus in patriae otium revertetur. quem mox apud fratrem vestrum vicarium spectabilem virum et sanctitatis tuae pagina et veteris inter eos amicitiae iuvit agnitio. mea circa praetorios apparatus cura crebrescit. quod eo scribo, ut intellegat unanimitas vestra adminiculi sui societatem
2 desiderari. nec sum imperiosus exactor, ut qui sciam, necessitates meas post vestrum commodum conlocandas. sed si bene aestimo, satisfacient vobis ad refectionem praesentis mensis indutiae. paucis habitum propriae voluntatis exposui: quid facto opus sit, vestro relinquo iudicio, ut sit vobis laudabili*us*, mihi gratius, quod spontaneus adfectus elegerit. vale.

XXXVIIII (XXXX).

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Miror pueros nostros, quos diversis diebus ad sanctitatem vestram misimus, retardari: nec tamen usum scriptionis omittimus scire cupientes, quantum refectio vestra profecerit. incunctanter igitur expectationi nostrae satisfaciat recursus adloquii. vale.

XXXX (XXXXI) a. 401.

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Prima mihi voluptas est sciscitari, quem statum sanitatis habeatis, in secundis reliqua conlocabo, quae dudum requirenda duxistis. gravibus civitas sollicitatur ostentis, quorum leviora praetereo: illud ante omnia interpretatio tristis horrescit, quod natali urbis suffectum consulem currus, quo vehebatur, evolvit per ferociam bigarum, quae triumphum vehebant. itaque palmata amictus et consulari insignis ornatu, fracto crure sublatus est. offendit me infausta narratio, atque ideo in hac expositione ser-
2 vabo brevitatem. tibi in dies singulos, decus nostrum, domi forisque fama florentior est. et praesentium quidem rerum nos testes sumus: externa iudicia Caecilianus adseruit, a quo singillatim relata enumerare fastidium, cum in summam gloriae tuae cuncta conveniant. domnam filiam meam salutatam cum dulcissimis nepotibus volo: quae de contexendis in apparatum ludorum vestibus religiose a nobis voluit commoneri. sciet igitur ex subditis, quid in supplementum praetoriae largitatis oporteat praeparari.

5 ueteres *P 1 m.* agniṇịtio *P* 10 laudabilius] *Iuretus*, laudabilis *P*
13 *om. P* 16 expectationiṣ *P*
19 symmachus nic [illegible] *P* 20 sciscitari quem] (*II*), [illegible] r [illegible] *P* habeatis in] (*II*), habe [illegible] *P* 21 reliqua] (*II*), r [illegible] qua *P* dudum requirenda] (*II*), du [illegible] *P* sollicitatur] (*II*), s/ [illegible] tur *P* 22 praetereo illud] (*II*), p̄t / illu *P* ho/resc t *P* 26 florentio *P 1 m.* 28 relate numerare *P 1 m.* est *post* fastidium *inser. P 2 m.* 29 salutam *P 1 m.* 30 apparatum] (*I*), apparatu *P* uestibus relligiose (*II*), [illegible] ligiose *P* 31 sciet igitur] (*II*), [illegible] gitur *P* supplim̄ um *P 1 m.*

XXXXI (XXXXII).

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS. *P*

Male est animo, postquam filiam meam conperi consueto dolore vexari. et iter ad vos inchoare voluissem, nisi et me gravedo capitis et Symmachum nostrum febris inopina retineret. cuius corporal*es* querellas praestat silere, ne sanctitatis *v*estrae sollicitudo geminetur; et certe frater meus Comazon desiderio vestro urbe digressus cumulatius, quae tacemus, expediet. postulare non debeo, quod sponte facietis, ut curarum nostrarum magnitudinem scriptis laetioribus conprimatis. vale.

XXXXII (XXXXIII) a. 401.

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Eus*c*ii nuper litteras sumpsi, quibus aurigas nostros et aliquos scaenicos navi inpositos et secundum praeceptum meum missos ad Campaniam nuntiavit. iubeat igitur sanctitas vestra diligentissimos scrutatores usque ad Salernitanum litus accedere, ut susceptos Neapolim prosequantur vel aliquod de adventu eorum scrutentur indicium. Felicem quoque amicum communem monitum volo, ut si Campaniam feliciter venerint, annonis et sumptibus adiuventur continua ad nos navigatione mittendi: quia longe ante ludos et ipsos iungendis equis erudire debemus et novitati eorum favorem plebis adlicere. summa igitur haec est petitionis meae, ut ad homines vestros inquisitio eorum et pervectio celerata pertineat. vale.

XXXXIII (XXXXIIII) a. 401.

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Crocodillos theatrali spectaculo publicatos in praesentiam vestram servare temptavimus, sed perseverante inedia, quae illos per dies quinquaginta producta macerabat, secundis ludis congressionum more confecti sunt. duos etiam nunc sp*i*rantes in vestrum differemus adventum, licet eos cibi abstinentia longum vivere posse non spondeat. vale.

XXXXIIII (XXXXV).

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Redundantis est operae memorem commonere, sed suscepta amicorum negotia nequaquam nos modum servare patiuntur. quare ut amici communis Herculii c. v. votiva mandata acriter exequaris, orare non desino. facit autem cum studio sanctae

2 symmacus nichomacus filiis *P* 5 corporalis *P* nr̄ae *i. e.* nostrae *P*
11 Euscii] *Suse; cf. p. 162, 16,* eusebii *P* 14 seruentur *P 1 m.*, t *add. 1 m.*, e *in* c *mutav. 2 m.* 17 ipsis *P 1 m.*
21 symmacus nichomacus filiis *P* 22 uestram — 23 inedia *om. P 1 m.* 24 spirantes] *Lectius,* sperantes *P*
28 symmacus *P* 30 erculii *P* 31 exequeris *P 1 m.*

P unanimitatis tuae adsensio propinquorum. siquidem filius meus Valentinus adseruit, se quoque consultum litteris Iuliani eadem, quae volumus, de nuptiarum pactione suasisse.

XXXXV (XXXXVI).

PF SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Postquam te iactat*a*m comperi dolore consueto, omnis reliquarum sollicitudinum mearum sensus evanuit. nam, ut ait Hippocrates, praesentia hebetantur incommoda, si cui dolor maior accesserit. expecto igitur, ut accepto de te indicio laetiore in priores curas revertar. cetera in hac consternatione animi mei tamquam intempestiva praetereo, et tamen commonitorium iunxi, quod velim redacta in tranquillum sanitate consideres. vale.

XXXXVI (XXXXVII) a. 397?

P SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Nullas quidem nobis per hominem vestrum litteras detulistis, sed mihi silentium unanimitatis vestrae nequaquam licuit aemulari, vel quod ita sollicitudo, quam de me non frustra geritis, postulabat, vel quod me in officia scriptionis amor verus inpellit. gratum vobis fuisse factum meum, rescripti vicissitudo testabitur.

XXXXVII (XXXXVIII) a. 397.

PF SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Vrbis negotia nec vacat scire nec libet scribere: animus enim morbo corporis occupatus rebus alienis curam nescit intendere. unum hoc scio, de seditionibus nuntios esse mentitos atque adeo a vero dissentire rumores, ut numquam maiore plausu praefectura celebrata sit. itaque studia plebis in iudicem favor quoque ordinis aemulatur. haec ad nos, si qua dolorum intercapedo admittit officia visentium, pari omnium sermone perveniunt: cetera hominum vestrorum, qui versantur in publico, stilus debet aperire. de me tunc aliena quaerenda sunt, cum propria adversa requieverint. vale.

XXXXVIII (XXXXVIIII).

P SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Natalicio munere, quod frequentari a vobis per multos annos communis felicitas faciet, nostrum hilarastis animum, vestrum probastis. de quo me prolixe scribere

7 Hippocr. aphor. II 46.

5 *om.* *F* 6 iactatam] *Scioppius*, iactatum *PF* consuete *P* 7 ypocrates *PF* ebetantur *P 1 m.* 8 cui] tui *P 2 m.* 9 ceterum *F* 11 sanitatem *P*
13 symmacus nichomacus filiis *P* 15 nequaquam licuit] (*Π*), nequ. . . . *P* sollicitudo quam] (*Π*), sollic. . . . *P* 16 postula. *P*
19 symmacus nichomacus filiis *P*, *om.* *F* 21 siditionibus *P 1 m.* 22 adeo] *P*(*Γ*), ideo *F* rumures *P 1 m.* maiori (*Γ*) 24 quam *P* uirentium *F* 26 aduersari quienerint *F*
29 Symmachus *periit in P* 30 natalitio (*Π*), . . . io *P* per multos] (*Π*), . . ultos *P*

verecundia vestra non patitur; copiosior tamen in sensibus manet gratia, quam sermone profertur. quae ad urbem pertinent, indiculi cohaerentis lectione noscetis. tibi, domna filia. eadem religione, qua dignum est, iniungo curam iuvandae valetudinis tuae, ut omnibus nobis sanitatis tuae securitas voluptati sit. vale. P

XXXXVIIII (L).

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Homine vestro ad Campaniam revertente scribenda consumpsi. et tamen sanctum atque honorabilem virum parentem vestrum Severum nolui †adhibere vacuum litterarum mearum, ut et morem salutationis exsequerer et de opere, quod domi construis, indicium meae inspectionis aperirem. thermarum mihi et situs et amplitudo admodum placuit. in minoribus balneis piscinalem picturis potius quam musivo excoli non probavi. res admonet, ut profectum Messalam nocte ea. quam consecutae sunt nonae 2
Martiae noveritis. legati ceteri mox sequentur. adverti tamen ex quorundam conloquio, in gratiam domus, de qua plerique nostrates viri edulibus farciuntur, quaedam esse lenita. sed mea cura non deerit, ne quid mandatis senatus per conniventiam detrahatur. vale.

L (LI).

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Scribere non recuso, sed malui domno filio meo Sibidio narranda coram per otium reservare. sola igitur salutatione fungetur haec pagina, cuius brevitas et vestro honori satisfaciet nec illi referenda decerpet. vale.

LI (LII) a. 397.

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Prioribus litteris conperistis, quae nunc respondere potuissem. redisse non paenitet. nam et salutis compotes sumus et per diligentiam magistrorum fratris vestri profectus adolescit. hoc tantum mordet animum, quod longo a vobis itinere discernimur: sed si scriptorum vices frequens usus exerceat, sarciemus inter nos praesentiae voluptatem. vale.

LII (LIII) a. 397.

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Adventus domini et principis nostri denuo postulandus est. Theodorus enim vir inlustris Mediolanensium legatione suscepta eniti dicitur. ut senatus petitionibus provinciale desiderium praeferatur. praefectus urbi huic negotio sanctitatem tuam optat

1 cupiosior *P 1 m.* 2 coherentes *P 1 m.*
6 symmacus nichomacus filiis *P* 8 abire *Iuretus* 11 musibo *P* probai ires *P 1 m.* 12 noctae eam *P*
18 symmacus nichoma9 filiis *P* 19 Sibidio] *Iuretus*, sibi diu *P*
27 si *om.* (*P*)

P adhiberi. quem puto super hoc litteras ad vos esse missurum. hortor igitur, ut scripto eius evocatus digneris adcurrere ante senatum, qui idibus Iuniis erit. ipso enim die legatos arbitror eligendos. multa sunt domus vestrae negotia, quae a te coram sub occasione causae publicae terminentur: praeterea votiva legatio est, quae apud aures evocandorum amabilis futura credatur. quaeso ne differas, ut reconciliationem praeteritae gratiae consequaris. vale.

LIII (LIIII) a. 398?

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Maximum veterem amicum sed novum agentem in rebus accipite inter tirones cum canitie militantem. ab hoc percontanda discetis, atque ideo mihi fugienda est prolixae epistulae *ite*ratio absque adventus vestri petitione, quam frequenter exambio. et si desiderium vestri sineret, iam silere deberem, quia verecundiam creant inefficaciter postulata. sed amor in vos meus prope inpudentiam suadet frequenter clusis. vereor autem, ne ideo vestrum reditum promiseritis, ut nostrum ad vos prohiberetis excursum.

LIIII (LV) hieme 397/8.

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Salutem vobis precamur, cuius indicium puero revertente optamus accipere. mea valetudo caret interim doloribus sed indiget firmitate maxime accedentibus curis, quas proxime facta a senatu auxit oblatio. ire longius piget, cum haec quoque securis ab animo ingessisse paeniteat.

LV (LVI) a. 398?

PF SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Heri per hominem meum scripsi metu perculsus, postquam de valetudine filiae meae amara cognitu nuntiastis, et adhuc pendente responso crucior incertis. peto igitur edoceri, quid ei ad confirmationem sanitatis accesserit. rerum vero praesentium nullum vobis indicium facere decreveram, ne in aures vestras redirent, quae probabili discessione vitastis. sed quia civicus amor in negotia urbana curam vestram reduxit, quaedam conlata in titulos breviter percucurri, ut sine fastidio lectionis insinuata noscatis. vale.

3 quoram *P 1 m.*
10 discetis] *Γ*, directis *P* 11 iteratio] *ego*, gratia *P* 12 si] *Γ*, *om. P* sineret iam] *(Π)*, *periit in P* uerecundiam creant] *(Π)*, uerecu... *P* 13 in uos] *(Π)*, *periit in P* frequen... *P*
17 symmacus nichomacus filiis *P*
23 symmacus nichom⁹ filiis *P*, *om. F* 27 quae probabili] *F*, *periit in P* 28 ciuicus amor] *F*, ...or *P* curam *in ras. P* uestram] *F*, ...m *P*

LVI (LVII) a. 397.

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS. *P*

Credo nunc saltem priores domini mei praefecti litteras tibi redditas. quae si casu aliquo aut neglegentia portitoris elapsae sunt, en tibi aliam sublimissimi viri paginam, cui me hunc sermonem iussit adiungere. ut quid sententiae tibi sit de suscipiendo negotio, cui te optat adhiberi, his consultus expedias. puto enim vos in meliorem valetudinem revertisse, postquam mihi fecistis indicium, quod reversioni vestrae morbus obstaret. et nos quidem malumus, ut integrato sanitatis statu reditum spondeatis, sed si querellae corporis votum morantur, evidentibus scriptis expectationem consulentis absolvite. vale.

LVII (LVIII) hieme 397/8.

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Superioribus diebus et meae circa vos observantiae et vestrae expectationi multo epistularum numero satisfeci. haec vero pagina copiam non requirit, cum hoc tantum benevolentiae vestrae pro captu consilii mei suadeam, ut ad praefectos praetorio Siciliensis causae vestrae actio transferatur, si tamen aliquid vobis ad experiendum data oblatio reservabit.

LVIII (LVIIII) a. 398.

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Postquam pignus nostrum Sibidius Romam rediit et nuntius fuit, quantus filiam meam vexet corporis dolor, meus quoque animus aegrescit. itaque litteras nihil moratus emisi anxie petens, primo ut medica ope et abstinentia noxiorum ad sanitatem iuvetur, dehinc ut rescripti fides abolendae sollicitudini meae consulat. ipsi post legatorum profectionem rus Vaticanum, quod vestro praedio cohaeret, accessimus, et si nihil disposita conturbet, in Apriles kalendas villae otio defruemur. iuniorum di- 2
lectus urbanis familiis imperatus usque ad aeterni principis responsa pendebit. de coniunctis exemplaribus formam praecepti utriusque noscetis. haec quia tuis litteris desiderata sunt, misi; ceterum mera atque unica mihi causa dictandae epistulae fuit, ut ad nos super filiae meae valetudine certa et voto amica referantur. vale.

LVIIII (LX) a. 397.

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Anteriores litterae tuae, quas mox aliae consecutae sunt, spem mihi aliquatenus reditus tui fecerant; secundae promissa vacuarunt, ita ut post multas causas negationis meo consilio sequenda committeres. sed ego cogitans primo filiae meae conturbatam

---

4 elabse *P 1 m.* 6 his] bis *P 2 m.* 9 si *om. P 1 m.*
12 nichomacus *P*
19 nichomacus *P* 29 uoto] *Iuretus*, uota *P*
32 interiores *P 2 m.* 34 cōmitteris *P 1 m.*

P valetudinem, quae spoliari solacio tuo non potest, dehinc stomachi tui inbecillitatem, quam esse inparem scribis itineri promovendo, tunc consilium amici paterni otium praeferentis, dehinc expectationem inlustris viri, quem diu existimas afuturum, praeterea interpretationes hominum, qui te, ut ais, opinabantur munus publicum recepisse
2 in occasionem negotiorum tuorum. permissam mihi deliberationem vobis refundo. iniquum est enim tot oppositis quaestionibus obnoxiam fieri sententiam meam et fidem suadentis incertis futurorum casibus obligari. interea constituendae rei dies existimo prorogandos et epistulam tuam magistratui tantisper reddere temperavi: primo quia reverentiae nuda est, dehinc quia causas negationis infra devotionis s..........tulit, et quod nossem pluribus legenda, quae scripseras. volo igitur, ut reverentia cumulatiore et gravioribus querellis excusationem tuam munias, si voluntas manserit laboris et itineris deprecandi. vale.

LX (LXI).

PF SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Prisca observantia hunc scribendi ordinem fecit, ut domo profecti officium litterarii muneris auspicentur. sed longum visum est opperiri unanimitatis tuae litteras, quarum non arguimus tarditatem, atque ideo mutato usu in hoc munus erupimus. superest, ut libens rependas, quae inchoare debueras, et provocatus exerceas sanitatis tuae indicem stilum. ipsi in Arabiana domnae filiae meae expectamus adventum; licet te etiam, decus nostrum, dierum sollemnium ratio confestim spondeat adfuturum. vale.

LXI (LXII) a. 398.

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Felix materia est suadere otium: sed haec adhortatio animum sui iuris requirit. nos neque residere patitur liventium factio nec filii iuvenis institutio longum peregrinari. quare ut possumus, modo abscessu modo reditu variamus locorum distinctionem. testimonio est haec epistula suburbano agro †nuper emissa, quam de Corano nostro, si nihil disposita turbaverit, alia consequetur. vestrum est huiusmodi absentiae nostrae condicionem litteris frequentibus augere, si placet, iuvare, si displicet.

LXII (LXIII) a. 398.

P SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Legati ordinis nostri ex usu actis omnibus reverterunt. nam et tironum conquievit indictio et argenti nobis facta gratia est. super impetratis tamen adhuc speratur

5 negotiorum tuorum] (*Π*), ne... *P* deliberationem nobis] (*Π*), deliberatio // *P* 6 oppositis] (*Π*), ...tis *P* et] sed *P 1 m.* 8 tantisper] *P 2 m.*, *****per *P 1 m.* 9 dinotioniss | tulit *P 1 m.*, deuotionis magnitudinem ꝓtulit *P 2 m.*, *supple:* quia causas negationis infra deuotionis spretum aestimandas praetulit *vel simile quid*
14 symmacus nichom⁹ filiis *P*, *om. F* 17 non] nos *F* in hoc munus] *F*, *periit in P* 18 rependas] *F*, *periit in P* et prouocatus] *F*, ...uocatus *P*
23 *om. F* 24 adortatio *P 1 m.* sui] si *P 1 m.* 25 patur *P 1 m.* libentium *PF* 27 nuper emissa] *PF*, propere emissa *Iuretus*, nostro praemissa *Kiessling*, tantisper emissa *ego* 29 conditionem *PF*

oratio. nunc domestica et animo vestro amica iungemus. stat nobiscum valetudinis bonum. saepe urbanam commorationem proximo rure distinguimus. sola nos vestri macerat absentia, sed si in conspectum nostrum propere veneritis, nos quoque recursum vestrum in Campaniam cum voluptate comitabimus. P

LXIII (LXIIII) a. 397.

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Per hominem meum litteras dederam: continuo adfuit Maximus, qui alias postularet: quare salutationem geminare non piguit. praeterea exegit repens nuntius super adventu domini et principis nostri, ut vos de reditu commonerem, quem maturare debetis, ne moram vestram votiva legatio iam nunc ex usu publico iteranda praevertat. vale.

LXIIII (LXV) hieme 397/8.

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Purgatorio medicamento alvum vacuasse te scripseras, ut fervor oculorum tuorum cum cetero onere decederet. scire postulo, an praedicta curatio efficax fuerit nec subegerit causa etiam sanguinis emissione venas invari. par requirit adfectio, quantam vobis fidem faciat filiae meae sanitas, ut his ex voto cognitis sollicitudinum acuta deponam. nam mihi ob alia quoque aegre est turbas patriae cogitanti, quas praecipue 2 movent in usum militarem petita servitia. et nos quidem crebris precibus obnitimur et diem ducimus supplicando, iamque ad pretium argenti quinque librarum misera oblatione perventum est: sed vereor, ne nos alterius rei fuga utroque despoliet. prae- 3 fectus agendo negotio segnior visus Lampadio successore mutatus est, cuius moribus crediderunt inpossibilia promoveri. nunc peto, ut me anxium maiore cura, quae vos respicit, ea levetis. nam adhuc discrucior incerto per moram servuli, qui dudum ad vos ob eadem noscenda missus necdum revertit.

LXV (LXVI) a. 398?

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS. PF

Scribenda non desunt, sed horret animus loqui dura memoratu. video tamen famam rerum urbanarum nequaquam posse cohiberi, quae, ut fieri amat, in maius praesentia nuntiabit. id ne accidat, breviario addito noscenda decurrimus, ut neque litterae, quae vobis salutationem ferunt, de sollicitis amaritudinem trahant, et nihilominus rumorum licentiam fides scriptionis excludat. sed de his hactenus. filiae meae 2

1 iungemur *P*

6 symacus nichō fil *P* 7 dedederam *P* 8 exegit] *Iuretus*, exigit *P* 9 aduentum *P* quam *P 1 m.* 10 praeuertit *P 1 m.*

14 meditamento *P 1 m.* uacuisse *P 1 m.* feruor] *P 1 m. F*, fluor *P 2 m.* 15 nec] *P 1 m. F*, necne *P 2 m.*, necne; an *P 3 m.* 16 emissione (issi *in ras.*) *P* 24 ea leuetis] *ego*, eleuetis *P* seruuli qui dudum ad] *H*, seruu … *P* 25 missus necdum] *H*, … dum *P*

27 sỹmc⁹ nich … *P*, *om. F* 28 animus] *F*, a… *P* uideor *P* fa… *P* 30 nuntiauit *P 1 m. F* decurrimus] *ego*, decreuimus *PF*, discreuimus *Mercer* 31 tradant *F* 32 actenus *P 1 m.*

PF valetudo gravior mihi ceteris est. quibus nunc animus asperatur. expecto igitur, ut illi deo iuvante ad salutem esse omnia nuntietis. de qua si voto apta conperero, pars ista solacii curarum quoque mearum reliqua mitigabit.

LXVI (LXVII) a. 398.

P SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Paucis a patria diebus afuimus, et theatralibus ludis reditum nostrum suffragia civium poposcerunt. nos tamen etiam nunc suburbanum viae Ostiensis incolimus recursum tantisper morantes, ne preces expectasse videamur. quo si facere ex sententia religionis tuae ante voluissem, et vitassem periculosa, quae post secuta sunt, et expectatio mei plus dignitatis habuisset. sed una fuit huius consilii ratio, ne quibus-
2 dam loco pulsus viderer et verecunda discessio verteretur in notam timiditatis. de Siculo negotio vestro sanctus Comazon me quoque adsentiente rescripsit. circa rem nostram Siculam turbidum esse Nectarium. indicio erunt litterae, quas nuper Euscius misit. peto ergo, ut homo rerum nescius, qui cubiculo clausus otium fovet, scripto a vobis coerceatur, ne post de Euscio aliter sentiatis, si validius iusta nostra defenderit. ipsam hominis nostri epistulam misi, ut temptamenti insolentiam de eius moribus
3 aestimetis, quem certum est a vobis nolle reprehendi. petieram superioribus scriptis, ut Puteolani praetorii mei latus, quo imus ad balneas, dispositione clivi mollioris ornares. si dilata res est, peto rursus, ut facias, si impleta, rescribe, quo gaudeam. vale.

LXVII (LXVIII).

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Verum est nequire hominem cuncta pariter voto amica sortiri. quanto luculentius natalem mihi diem, si adfuissetis, egissem! quod in reliquum saltem numerosis annorum processibus Fors orata praestabit. interea, domina filia, honoratum me opimo lanificii tui monumento satis gaudeo: una quippe et amor in parentem tuum et in-
2 dustria matronalis inclaruit. sic priscae feminae vitam coluisse traduntur. et illas quidem deliciarum sterile saeculum colo et telis animum iubebat intendere, quia inlecebra cessante temporum . . . . . vivitur· tibi vero etiam Baiae adpositae curam sobrii operis detrahere non possunt. renuntias stagna verrentibus et residens aut obambulans inter pensa et foragines puellarum has solas arbitraris sexus tui esse delicias. merito igitur te amo dignamque viro tuo iudico, quando aeque nobis laus et voluptas ex illius perfectione adventicia, ex tua probitate genuina est. vale.

1 *fort.* expeto
5 symmacus nichō fil P   7 hostiensis *P*   recursum tantisper] *Π*, ... sper *P*   8 exspectasse *Π*, *periit in P*   ex sententia] *Π*, ... /tia *P*   9 uoluissem et uitassem] *Π*, uo / e metuitas rem *P*, s *add. 2 m.*, u *3 m.*   post] ... st *P*   12 adsentienti *P 1 m.*   15 coherceatur *P*
28 telis *corr. ex* talis *P 1 m.*   29 temporum uiuitur *PΓ*, tempori inservitur *C. F. W. Mueller*, *supple:* temporum antiquorum more facile uiuitur *vel simile quid*   33 et tua *P 2 m.*

LXVIII (LXVIIII).

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS. *P*

Quamquam sperem praefata dei venia mox in conspectum mutuum nos esse venturos, tamen litteris abstinere non debui, ne quod tempus familiaribus careret officiis. sume igitur praelibatam salutationem, quam tibi boni auspicii gratia adhuc stilo inpendimus, sed voce proxime deferemus. vale.

LXVIIII (LXX).

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Eleganti commento silentium vestrum purgare voluistis: allegata est enim cautela tristium nuntiorum, quamdiu secunda succederent, ut ea, quae intermissio scriptionis ante celaverat, laetioribus indiciis proderentur. sed nobis et illa per nuntios incognita non fuerunt, et haec sera admodum visa sunt. augebat enim rumorum licentiam suspicio cessantis officii. et tamen suscensere non possumus, postquam gratia praesentium litterarum memoriam praeteriti doloris exemit. modo memento curam stili inter praecipua et prima sortiri, ne huius exempli recordatio maiores denuo nobis adferat metus, dum credimus sub expectatione meliorum rursus aliqua adversa reticeri. vale.

LXX (LXXI).

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Diu me ab stilo fateor temperasse; nihil enim quod scriberemus, emersit, salutis autem vestrae laetam fidem de adventantium sermone capiebam. tandem cessationem vicit adfectio. reparamus igitur dicendae morem salutis vacui omnium negotiorum. post Tiburtem quippe secessionem Romae oti*a* lenta producimus. sed non usquequaque agendarum rerum sumus desides. nam domi corruptorum parietum discidia sarciuntur, quia frequentationem soliditati conditor primus antetulit et antiquior ei visa est celeritas utendi quam securitas succedentium. vos nova et aevum mansura molimini; siquidem sermo distulit, quaedam vos Lucullanis operibus aequanda fecisse. nec tamen vobis inpendii magnitudine cesserimus. par enim sumptus est semel solida conlocare et saepe integrare reci*d*entia. vale.

---

8 symmacus nichō fil *P* 13 succensere non possumus (*Π*), suscens//////// *P* 14 litterarum] (*Π*), *periit in P* exe/// *P* 15 maiore *P 1 m.*

21 capieb// *P* 23 otia] *Lectius*, otio *P* 25 frequentationem] festinationem *Γ* et antiquior ei uisa] (*Π*), ///////isa *P* 26 quam securitas] (*Π*), *periit in P* et aeuum] (*Π*), *periit in P* moliuina *P 2 m.* 27 //rmo *P* 28 sumptum (*Γ*) 29 conlocar/////epe *P* recedentia *Γ*, cedentia *P 1 m.*, cadentia *P 2 m.*

LXXI (LXXII).

P SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Indulgete deliciis, quando ita terrae ac maris copiis redundatis, ut vobis pollucibilem victum utriusque elementi ministret opulentia. nobis satis est, quod omnium, quae capitis, parte defruimur adeo largiter, ut ipsi quoque opimis dapibus adfluamus.

LXXII (LXXIII).

PF SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Patriae ac Penatibus redditi quaedam, quibus offenderemur, invenimus: siquidem Ostiense praedium nostrum frequens pulsat inpressio. sed si *v*obis prospere optata procedunt, praestate litteras, quarum laetitia nubem tergeat praesentis iniuriae.

LXXIII (LXXIIII).

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Rienum dolore discrucior. sed ne maior ad aures vestras fama perveniat, praesentem statum valetudinis meae breviter indicavi. cum laeta successerint, morem meum secutus dabo ad vos paginam laetiorem. vale.

LXXIIII (LXXV).

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Non frustra hactenus responsa distulimus: tractatus enim negotii et chartarum investigatio moram iusti temporis exigebant. haec ubi absoluta sunt, ceteris, quae causae poscit instructio, reciprocum litterarum munus adiecimus. ipsi enim multis obstantibus curis iter ad vos nequimus adripere. consilium tamen, quod transactioni vestrae possemus adhibere, cumulatius ex alio parente capietis. qui etsi adiutore non indiget, dignabitur tamen ob inania fori et sutelas veterum formularum sanctum Prosdocium praestolari venturum ad vos protinus, cum reliquias malae valetudinis plena sanitate limaverit. vale.

LXXV (LXXVI) a. 397?

P SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Fuit animus Fundos (oppidum) praeterire, si vos Formias accessisse didicissem: postquam aliter evenit, partiri iter placuit ad minuendum laborem. erit igitur in ar-

3 poll(ciuilem *P 1 m.* 4 n n/stret *P* quod nium *P* 5 afluamus *P 1 m.*
7 symmacus nichomacus fil *P*, *om. F* 9 hostiense *F* uestrum *P 1 m.* nobis *PF* obtata *P 1 m.* 10 tergeat nubem *F*
12 *om. F* 13 rhienum *P*, biennium *F* discutior *P 1 m.* uestras aures *F*
17 *om. F* 18 non] nos *P* actenus *P 1 m.* tractatus] *F*, exactans *P* cartarum *PF* 23 sutelas] *Lypsius*, sutilas *P*, situlas *F* 24 prostocium *F*
27 symmacus nichomā fil *P* 28 oppidum *delet Iuretus*

bitrio Fortunae ratum facere, ut a. d. quintum kalendas Augustas Formiana sede recreemur. haec est animi nostri destinatio: nunc in caelestium manu est effectus optati. vale. *P*

LXXVI (LXXVII) a. 397.

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Nullus absque epistulis meis dies labitur. quid si adfatum mutuum redderetis? nec tamen paenitet diligentiae, quamvis honor vicissitudinis neglegatur. nam quae ex amore fiunt, etiam gratuita delectant. ego ad sanitatem lento adh*uc* gradu provehor, atque ideo itineris ulterioris ambiguu*m* usque ad profectum sanitatis deliberatione sequestro. quid ipsi de reditu aut suburbana commoratione statueritis, havet animus edoceri. vale.

LXXVII (LXXVIII) a. 397.

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Anteveni inquisitionem, cum vos sollicitos fore, quod essem morbo adtemptatus, adverterem, et quamvis ultro scripserim, doloris mei adversa tenuari, abolendae tamen sollicitudinis vestrae causa, quae apud amantes semper incredula est, nunc quoque nuntio. si dictum nullus Fortunae livor effascinet, in concordiam me cum sanitate redire. sed nondum sensum meum penetrat amoenitas litoralis. nam ut ex longa maris iactatione stabilis gressus sero reparatur, sic tempore opus est, ut tanti mali decessio locum faciat voluptati. ergo neque Formianae orae neque aedificationis meae tantisper ullam capio dulcedinem. sed haec, ut spero, omnia cum bono valetudinis revertentur moxque ad laetitiam vestri animi stilo meo communicata pervenient.

LXXVIII (LXXVIIII).

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS. *PF*

Cum mihi puer vester unam epistulam reddidisset, ut rescriberem protinus, tamquam mox ad vos rediturus incubuit. sed ut didici, ipse ad ulteriora contendens mimica usus est techna, ut paginam nostram comes eius Rusticus reportaret. ille alteram nunc regressus accepit. ridere vos arbitror, quod servili circumscriptus stropha pro sorte simplici duplum solverim. nam callidus vernula, quod semel pertulit, bis recepit. pergerem longius, si adicienda suppeterent. vos in propinquo urbis celebriore fama rerum agitis et pari otio: vestrum est procul positos ditare compertis. vale.

7 penitetet *P* 8 adhoc *P* 9 ambiguum] *Suse*, ambiguus *P* 10 hauet] *Iuretus*, habet *P* 13 symmacus nichomachis fil *P* 16 incredula est nunc] *(Π)*, inc/// *P* 17 nullus Fortunae liuor] *(Π)*, nullu///// libor *P* mecum *(Π)*, me *P* 18 meum] *(Π)*, m *P* 19 ut tanti] *(Γ)*, uitanti *P* 21 *om. F* 25 scriberem *F* 27 thecna *P* 28 redire *P 1 m. F* stropha pro sorte] *F*, *periit in P* 29 nam callidus] *F*, *periit in P* bis recepit] *F*, / epit *P*

LXXVIIII (LXXX).

PF SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Aevum maneat hic dies, qui te nobis filiam dedit. hunc ego et gaudiis mentis et verborum honoribus per multos annorum recursus vobiscum opto celebrare, adicere etiam mihi ingravata, tibi iucunda munuscula. ut nunc lineam misi, cuius potest oblatio exigua non videri, si magis mei in vos animi quam sui pretii aestimatione pendatur.

LXXX (LXXXI).

SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Natalem domnae filiae meae, quem per annorum recursus optamus esse numerosum, vobiscum agere et participare voluissem, nisi proposito restitisset imbrium continuatio. fungimur tamen religioso honore iucunditate munusculi petentes, ut susceptionis benignitate oblationis exilitas augeatur. vale.

LXXXI (LXXXII).

P SYMMACHVS NICOMACHIS FILIIS.

Omnes ad nos natalicii convivii copias transtulistis; sed unum defuit, quominus ad nostrum animum redundaret plena festivitas, quod non vobiscum potius cuncta consumpsimus, quorum contuitus atque convictus commendare nonnumquam solet etiam parca convivia. quare et vobis et communi pignori, cuius sollemnem diem sedula religione celebrastis, uberes precamur annos et recursum in haec eadem festa numerosum. decet enim pios parentes inoffensa felicitas. nobis Tiburis aura blanditur, sed contra exasperat animum male gesta ratio vilicorum. neque ager cultura nitet, et fructuum pars magna debetur, nihilque iam colonis superest facultatum, quod aut rationi opituletur aut cultui. vale.

2 symmacus nichō fil *P*, *om. F* 3 aeuum] eum *F* 5 ut] et *F*
9 symmacus nichō filiis *P*, *om. F*
15 symmac⁹ nichō filiis *P* 18 consumpsimus] (*Γ*), sumpsimus *P* 22 exasperat animum] *Iuretus*, exasperata nimium *P* 24 cultus *P 1 m.*

LIBER SEPTIMVS.

AD SYMMACHVM FILIVM. *P*

I a. 399.

SYMMACHVS SYMMACHO FILIO.

Sume alacer paterni sermonis auspicium et deinceps officii parilis in nos esto munificus. simul accipe, quod voto tuo congruit, fasces praeturae tuae in eum annum feliciter proferendos, cui advocata numinum voluntate ego quoque laetus intersim. optato igitur laetare processu et propagatos tibi annos vitae atque honoris interpretare [longiora enim fiunt, quae differuntur], nec dubites utrique nostrum prospexisse fortunam, ut et tuus magistratus iuvetur praesentia patris et ego festorum tuorum coram defruar voluptate. vale.

II a. 402.

SYMMACHVS SYMMACHO FILIO. *PF*

Vbi primum scribendi mihi ad vos copiam familiaris ingessit occasio, non distuli desiderium tui scriptione testari, ut salutis meae certus tuam cures et subinde absentiam meam litteraria voluptate soleris. vale.

III a. 399—402.

SYMMACHVS SYMMACHO FILIO.

Secundas ad amabilitatem tuam litteras mitto, ut sit adsiduitas sermonis mei utrique solacio. tu quoque studium meum, quotiens dominus frater tuus occasiones reppererit, aemulare, ut et salus tua mihi securitatem tribuat et scriptorum iucunditas voluptatem. vale.

IIII a. 400.

SYMMACHVS SYMMACHO FILIO. *P*

Circensium sollemnitati consularis magnificentia satisfecit: ludorum adhuc et muneris splendidissimae imminent functiones, quibus ante Februarias nonas, ut opinamur, inpletis iter ad nostra relegemus. haec eo scribo, ut laetitia amabilitatis tuae spe meliore pascatur. vale.

1 ·q̄· aur̄ symmachi. ūc. consulis ordinarii. explic. liber. vi. incipit liber vii *P* 2 *om. P* 4 symmacus *P* 6 simul — praeturae *om. P 1 m.* situae *P* 9 longiora — differuntur *uncis inclusi* 13 *om. F* 14 ad nos] duos *P 1 m.*

18 *om. F* 19 amabilitatem tuam litteras] *F*, ama . . . ras *P* sic *P 1 m.* assiduitas sermonis *F*, adsid . . . *P* 20 quoque studium] *F*, qu . . . *P* dominus et *F* frater tuus] *II*, frater meus *F*, fra . . . us *P* 21 aemul *P*

V a. 399—402.

P

SYMMACHVS SYMMACHO FILIO.

Credo alias litteras meas in manus amabilitatis tuae ante venturas; huius namque epistulae portitores lento itinere mulos reduces prosequentur. ego tamen salutationis munere abstinere non potui; malui enim, ut redundaret officium sero pervectum, quam ut desider*a*retur omissum. tuae amabilitatis necdum ullam epistulam sumpsi. quaeso, ut huius tibi muneris summa curatio sit: ex tuo enim metiri animo potes, quid levaminis absentibus tribuat adsiduitas scriptionis.

VI a. 399—402.

SYMMACHVS SYMMACHO FILIO.

Desideratas proxime amabilitatis tuae litteras sumpsi. quibus indicabatur et sedulitas animi tui et profectus ingenii. sola epistulae brevitas nequaquam paterno desiderio satisfecit. quod eo scribo, ut intellegas, quantum ex sermone tuo ceperim voluptatis, qui queror copiam defuisse. quis enim optet satietatem nisi rerum bonarum? posthac igitur indulgentius scribe, lux mea, ut pleniore stili tui munere legentis animus expleatur. vale.

VII a. 400.

SYMMACHVS SYMMACHO FILIO.

Accessit peregrinationi nostrae largior dies ex conperendinatione ludorum, quos pluviarum interventus retardat. sed volo, ut hanc dilationem salutis meae certus leniter feras et desiderium tui, quod apud me crescit ex mora, stili adsiduitate soleris. vale.

VIII a. 400.

SYMMACHVS SYMMACHO FILIO.

Confido solando animo tuo sermonis mei adsiduitatem posse sufficere; nam recentibus scriptis hunc addo sermonem, cuius tibi lectio spem reditus mei pollicebitur, si fors praesumpta confirmet. ratio autem huius aestimationis in aperto est, quia post magnificam ludorum consularium functionem sola adhuc arenae restat editio. mutetur igitur animus in gaudium, et adeptum esse te crede, quod possibilis coniectura promittit. vale.

5 officium sero peruectum] *H*), *periit in P* 6 desideraretur] *Iuretus*, desideretur *P* omissum tuae amabilitatis] (*H*), abilitatis *P* ullam epistolam (*H*), nul *P* 7 muneris] (*H*) *F*, is *P* metiri] *H*, ri *P*
13 quod eo *in ras. P*
19 accessu *P 1 m.* 20 retardant *P*
28 metetur *P 1 m*

VIIII a. 399—402.

SYMMACHVS SYMMACHO FILIO. *PF*

Scintillare acuminibus atque sententiis epistulas tuas gaudeo: decet enim loqui exultantius iuvenalem calorem. sed volo, ut in aliis materiis aculeis orationis utaris, huic autem generi scriptionis maturum aliquid et comicum misceas; quod tibi etiam rhetorem tuum credo praecipere. nam ut in vestitu hominum ceteroque vitae cultu loco ac tempori apta sumuntur, ita ingeniorum varietas in familiaribus scriptis neglegentiam quandam debet imitari, in forensibus vero quatere arma facundiae. sed de his non ibo longius. perge interim, quo te aetatis impetus et naturae ardor inpellit. mei voti caput est, ut bene valeas et supra annos tuos litterarum dote ditescas.

X a. 399—402.

SYMMACHVS SYMMACHO FILIO. *P*

Amico nostro Annio cursim praetereunti potui solam dictionem salutis iniungere: sed debuit tibi sanitatis meae fidem facere lectio . . . . litterarum. esto igitur animo laetiore et spera, decus meum. frequentibus scriptis in notitiam tuam similiter ventura, quae gaudeas. vale.

XI a. 400—402.

SYMMACHVS SYMMACHO FILIO. *PF*

Adsurgit animus meus, quotiens amabilitatis tuae sermo defertur: nam et sanitatis tuae adportat fidem et profectum ostentat ingenii. hortor igitur, ut me istiusmodi linguae tuae flosculis frequenter aspergas nec ullam cessationem tibi vindices. dum me brevi aestimas adfuturum, planiora enim mihi fient et faciliora omnia ad recurrendum, si paginis tuis rever/entis animus incitetur. vale.

XII a. 400—402.

SYMMACHVS SYMMACHO FILIO. *P*

Magnum in modum sollicitavit me inaequalitatis tuae nuntius, licet securitas sanitatis iisdem litteris esset adiuncta. quare animi incertus adpropero orans divina praesidia, ut te conpotem bonae valetudinis et epistula mea et recursus inveniat. haec enim voti paterni impetratio faciet, ut redisse delectet. vale.

2 *om. F* 4 iuuenilem *F* 5 etiam] et (*F*) 8 quatere] acuere *F* 10 capud *P 1 m.* doce *P 1 m.* ditescas (cas *2 m. in ras.*) *P* uale *add. P 3 m.*

14 lectio ******** litterarum *P*, *supple:* praesentium *vel simile quid*

18 *om. F* 20 ostendit *F* igitur ut me istiusmodi] *IIF*, igit modi *P* 21 flosculis frequenter] *F*, flo *P* tibi uindices] *F*, t dices *P* 22 adfut *P* pleniora *P 1 m.* 23 reuerentis *PF*, *corr. F*

XIII a. 402.

P SYMMACHVS SYMMACHO FILIO.

Iter meum famae varietas retardavit. nam dum exploro tuta et longitudinem viae dierum interpositione distinguo, tandem sextum kalendas Martias Mediolanium per Ticeni longinqua perveni. nunc laborem meum domini et principis nostri blandus sermo solatus est. spero etiam legationem brevi in notitiam divini principis perferendam; siquidem vir cuncta praecelsus, cui primas partes causae publicae noster ordo mandavit, mox eum praesidiis validissimis adfore nunti*a*tur. vestro silentio vehementer offendor atque ideo peto, ut peregrinationis meae patientiam crebro iuvetis adfatu.

XIIII a. 402.

SYMMACHVS SYMMACHO FILIO.

Cum veredarii deesset occasio, privato homini reddenda scripta commisi. hunc ad vos arbitror sero venturum. utrisque autem litteris eadem continentur, quod sextum kalendas Martias Mediolan*i*um multo anfracto circumvectus intraverim veneratusque dominum et principem nostrum, cuius sermo divinus itineris mei conpensavit laborem, in praesentiam viri cuncta praecelsi comitis agenda produco; quem mox deo iuvante adfore nuntiorum confirmat adsertio. nunc tuae curae sit, decus nostrum, peregrinationis meae curas stili adsiduitate solari.

AD ATTALVM.

XV a. 397?

SYMMACHVS ATTALO.

Amicitiae nostrae contemplatio spem mihi adventus tui fecerat: prope est, ut errasse me credam, qui te speravi in conspectum parentis sponte venturum. quando igitur sine ambitu nostro recte facere nescis, oratus adpropera, et si te superbum Tibur explevit, Laurentibus silvis amoena commuta. nec verearis ruris horridi denuntiationem: in oculis est venantibus mare, celebri itinere villa praestringitur: in ipsa igitur ferarum cubilia pl*a*nus ac patulus accessus est, et si haec abessent, anteiret nimirum sermo inter nos mutuus et litterarum liberalis conlatio Tarentinas aut Siculas voluptates. quare si tu quoque huic sententiae manum porrigis, adde te rusticantium numero et paulisper Catones atque Atilios aemulare, quos vomis *et* stiva ad consulares misit secures. vale.

3 Inter *P* 4 distingo *P* 5 nunc laborem meum] (*H*), *periit in P* nostri blandus sermo] (*H*), [illegible] ermo *P* 6 legationem] (*H*), [illegible] e *P* principis] (*H*), prin[illegible] *P* 7 cunc[illegible]a *P* 8 nuntiatur] *Iuretus*, nuntietur *P*

15 mediolanum *P* ueneratusque — 16 itineris *om. P 1 m.*

20 XIIII. incipit ad attalum *P* 26 orridi *P 1 m.* 28 planus] *Iuretus*, plenus *P* 31 nomis et] *Lectius*, et *om. P*

XVI.

SYMMACHVS ATTALO. *PF*

Vicem sermonis mei desiderasse te gaudeo, sed amolior invidiam neglegentiae. parata enim responsa deseruit tabellarius tuus excitus, ut fando conperi, valetudinis tuae dubio. agnoscis nempe infucatas esse neque ex alto trahi cessationis meae causas. non ibo longius, quia brevis est adsertio veritatis. nunc sanitatem tibi gratulor, qu*a* post nimium metum cognit*a* multum diluxit in pectore meo gaudii. indicium au- 2
tem respirantis vigoris litterarum tuarum iucunditas praetulit. petis namque, ut tibi ad confirmandam valetudinem stili mei remedia subministrem. festivitas ista Baiana est; nimiis te salibus sinus Lucrinus infecit. estne aliquid in verbis meis, quod aures tuas sospitet, quod medicinam sensibus faciat? credo, consentio. nam plerumque amara haustu ad salutem valent et sucis tristibus adfecta refoventur. sed nimium 3
quantum avarus es, qui Flaviano meo praesente quicquam requiris, in quo tanta rerum bonarum delenimenta sunt, ut mihi quasi apud Sirenas aut Lotophagos haesisse videaris. atque utinam vestro otio iungerer; plus de vobis caperem salubritatis, quam tu desideras, qui a me solas litteras poposcisti. vale.

XVII.

SYMMACHVS ATTALO. *P*

Ne ego frustra hactenus tacui, dum te promissi certus opperior. tandem redeundum mihi est ad consueta solacia meliorum desperatione. et fortasse susceuses diuturno silentio meo. id vero etiam reliquum est, ut inritus *ex*pectationis arcess*ar* . . . . eres igitur iuris tui super ordiendo itinere stare promissis. me esse contentum tali levamine non pigebit; hoc certe officiorum commercio aut solabor, quod non venis, aut merebor, ut venias. vale.

XVIII a. 397?

SYMMACHVS ATTALO.

Proxime de Formiano sinu regressus in larem Caelium domo iamdiu abesse te conperi. datum mox negotium est Theophilo communi amico et nunc itineris mei socio, ut et ad te in Tibur*t*em agrum reditus mei nuntius pergeret et salutationis verba perferret. hunc tu, ut es curiosus rerum mearum, quasi aliqua tibi in nos decreto publico inquisitio esset tributa, *quaerit*ando palam facere coegisti, quae foris gesseram. nam hoc confessae sunt litterae tuae, quas idem vir optimus Theophilus reportavit.

2 *om. F* 6 gratulor tibi redditam fore *F* 7 quam *PF* cognitam *PF* 12 hausta *P*
14 delinimenta *P 1 m.* loco fagos *P* 15 iungerer plus de uobis] *F*, *periit in P* quam tu desideras] *F*, qua//////// *P* 16 poposcisti. uale] *F*, popose////// *P*

19 actenus *P 1 m.* p//missi *P* 21 reliqum *P 1 m.* expectationis] *Iuretus*, spectationis *PΓ* arcessar] *Scioppius*, arcesseres *PΓ*, *lacunam indicavi*

28 theofilo *P* 29 Tiburtem] *C. F. W. Mueller*, tiburem *P* 31 publico inquisitio esset] (*Π*), ////////set *P* quaeritando] *ego*, uersando (*Π*), uersan// *P*, scrutando *Mercer* palam facere coegisti] (*Π*), ////////egisti *P* gesseram nam hoc] (*Π*), gesse//// *P* 32 idem uir] (*Π*), *periit in P* theofilus *P*

P 2 fuerit benignitatis tuae actuum meorum fastigia et capita disquirere — utrum crebra vectatio campi aut maris valetudinem meam iuverit, an ullus agris nostris cultus, aedibus nitor, pecori numerus accesserit, quid adfluxerit edulium copiarum, utrum consularem mensam succinxerit modus voluntarius, an umquam Formias vicina urbe aut longinqu*i*ore mutaverim —: etiamne explorare te fas fuit, quid procul ab arbitris studiorum meorum cura contulerit in paginas, utrum me operatum ceris stantes
3 plerumque oculi et palloris signa detexerint? exploratorem te stilus meus patitur, doces amicos suspicionum vias, et si dici potest, odore atque vestigiis scripta nostra venaris. num ego scire postulo, quid in Tiburtibus pomariis litterarii operis exerceas? solum hoc fama attulit, balineum tibi nuper extructum, cui torris unus ad iusti caloris pabulum satisfacere narratur; lectitasse autem te in multo otio utriusque
4 linguae auctores, ipse index fuisti. ego tamen non quaero, an aliquid et scripseris; animadverto enim te conscientiae gloria proprii operis acce*n*sum voluisse cognoscere, an ego quoque idem fecerim. sed iam omissis epistulis velim redeas, nisi forte balnei tui brevis sumptus hortatur, ne deseras parsimoniae consuetudinem. vale.

XVIIII.

PF

SYMMACHVS ATTALO.

Duo pariter commissa in amicitiam redemisti epistulae tuae salibus: diu afueras, nihil scripseras. quis Colchus aut Thessalus cantu aut manu has offensiones levasset? ergo ob epistulae delenimentum veniae pretium feres. sino, ut amici tui nuptiale festum curae vacuus exerceas et urbem Tiburtem, quae nuper tibi faces praetulit, communem Iunoni et Herculi facias. reverteris, ut spero, post repotia in Caelium larem: vel si adhuc iuvat aestivos dies in pomariis tuis ducere, iterum tibi indignatio mea litterarum tuarum melle placanda est. vale.

XX ante a. 398.

P

SYMMACHVS ATTALO.

Villa Tibur*s*, quae proxime in ius tuum venit, maioris ingenii praedicatorem requirit: ego tamen linguae modicus, ut potero, verbis honorem loco faciam. quid hic in positu aedium venustatis est! qu*i*s sit*u* ex edito *f*it in plana iactus oculorum! frequentare has sedes Orchomenias dixerim deas atque eas sedulo adnisas, u*t* te conciliarent aedibus suis dominum. perge igitur, ut facis, et victis aevo redde novitatem. multo hoc factu promptius, quam quod Hesiodum ferunt posito senio in virides annos redisse. interea gratulare nobis bonam valetudinem, quae ut tibi quoque longum secundet, inter fastigia est votorum meorum. vale.

1 erit *P*, fuerit enim (*Π*) actutum *P 2 m.* 3 edilium *Γ* 5 longinquiore] *Scioppius*, longinquo ire *PΓ* 7 signa *om. Γ* 9 litterarum (*Γ*) 10 adusti *Γ* 13 accensum] *Iuretus*, accessum *PΓ*

17 *om. F* 18 diu *ante* epistulae *colloc. F* 19 canto *P 1 m.* 20 ferres *P*, ferres *F* sino ut] si modo *F* 21 repetas *post* Tiburtem *inser. F* 22 facias *om. F* caelum *P*, *sed corr. 1 m.*

27 tiburis *P* 29 quis situ ex edito fit] *Haupt*, quas situs ex aedito sit *P*, quis situs! quantus ex edito late (*Γ*) 30 ut te] *Iuretus*, uitae *P* 34 est] ē *in ras. P*

XXI a. 398.

SYMMACHVS ATTALO. *FP*

Postquam mihi litteras tuas raedarius meus reddidit et salutatio ex itinere reportata observantiam nostram solvit religione, datus est mihi aditus crebro, dum aberis, tecum loquendi. quare ab iis ordior, quae in voto tuo prima sunt. deum pace mea atque unici mei sanitas viget. urbanas turbas Vaticano, in quantum licet, rure declino, et tamen, si quando in coetum vocamur, ad obsequium consilii publici pedem refero. scio te nihil amplius velle de nobis. tantundem pernoscere rerum tuarum desiderii modus postulat. vale.

XXII.

SYMMACHVS ATTALO.

Longa me deliberatio habuit, an tibi honorem facere sub iusta reditus vestri expectatione deberem. verebar enim, ne festinatio tua solaciis obviis frangeretur. sed hoc ambiguum solvit ratio contraria, quae spem dedit, has litteras rever*t*enti stimulorum non frenorum instar futuras. *s*ed consulto adfecto brevitatem solam tibi deferens dictionem salutis, ut verborum meorum haustus exiguus efficacior sit ad sollicitandam sitim quam ad explendam. vale.

XXIII.

SYMMACHVS ATTALO. *P*

Requir*u*nt me, credo, oculi tui: mens adesse non dubitet. mecum enim diligentia tui peregrinatur totumque animi adfectione circumfero. nihilominus exerceo stilo amicitiae voluptatem; quod si tu quoque invicem feceris, *e*veniet, ut longum fruar otii possessionem, quia non negabis, quod me posset abducere. vale.

XXIIII.

SYMMACHVS ATTALO.

Ad Neapolitanam provectus oram litteras sumpsi, quibus nos in adventum tuum Bais residere iussisti. adserebat perlator epistulae, imminere excursum tuum calcibus suis. quid facerem, cum me nec locus idem teneret? expeditius visum est, ut a te potius gratiam continuandi ad nos itineris posceremus. amicos enim, non Baias desiderasti, nisi forte illo luxuriae sinu traheris. comitabimur te, si eo redire malueris,

2 *om. F* 3 portata (*Γ*) 5 quare ab iis ordior quae] *F*, quar////////////// *P* pace mea atque] *F*, *periit in P* 6 urbanas turbas] *F*, urban/////// *P* declino] *F*, d//// *P* 9 motus (*Γ*) 11 *om. F* 14 reuerenti *PΓ*, reuertendi *F* 15 sed] *ego*, et *PF* praeferens *F* 17 sitim (itim *in ras.*) *P*

20 requirunt me] *Iuretus*, requirant me (*Π*), *periit in P* adesse non] (*Π*), *periit in P* diligentia tui] (*Π*), diligen////// *P* 21 ad///ione *P* 22 eueniet] *Wingendorp*, ueniet *P* 23 possessionem *P* possit *P 2 m.*

28 idem iam teneret *C. F. W. Mueller* 30 luxoriae *P 1 m.* (*Γ*) eo *corr. ex* ea (?) *P 2 m.*

P quamvis regionis istius caelum salubrius et pares copiae sint. erit optio tua, intendere iter an relegere debeamus. ad defensionem meam pertinet eo redeuntem te sequi, ubi adventantem expectare non potui. vale.

XXV.

PF SYMMACHVS ATTALO.

Si respondisses epistulae meae, levasses onere conscientiam tuam: nunc nostram taciturnitate iuvisti. repensa enim officia laetitiam mihi praestant, negata victoriam. et scio ex abundanti posse te facere, quod nos multo sudore destringimus. sed quia invides bona verba lectoribus, ne vim facere existimer avaritiae tuae, dispendium meum devoro. vale.

P AD MACEDONIVM.

XXVI a. 397?

SYMMACHVS MACEDONIO.

Audeo te in agrum Lavinatem meum post Tiburtes rogare delicias, nec sum religiosi desiderii longus precator. ea quippe inter amicos petitionum debet esse condicio, ut praestantibus prona videantur, quae sunt magna poscentibus. vale.

XXVII.

SYMMACHVS MACEDONIO.

Soles adfirmare, quod me tibi praeferas. posset hoc esse credibile, si filium meum Attalum ad nos venire patereris. in tuo enim iure est, tuis monitis adquiescit: quod quidem fieri oportere consentio, sed non eatenus pontificium tuum in nostra damna protendas! parumne est, quod ipse aeque desiderandus consortium meum deseris et invides nobis exoptatissimam tui societatem? insuper alterum quoque delenificis amoris artibus retines, credo coniciens, adceleraturum esse me reditum, si utroque destituar. at ego denuntio, opus esse monitore, qui retrahat haerentem: nam, ut seis, amo otium, pascor quiete. instruo itaque te adversum lentitudinem meam: si absentis amici iam desideras reditum, patere brevem praesentis excursum.

XXVIII.

SYMMACHVS MACEDONIO.

Licet gravissimis febribus inpedirer, non potui denegare tibi honorificentiam litterarum, ne religionis neglegens iudicarer. nec tamen in multam seriem propagare litteras valui, quarum brevitas inculpabilis est, cum ex iniuria valetudinis, non ex voluntate descendat.

---

5 *om. F* 6 nostram (am *3 m. in ras.*) *P* 7 taciturnitatem *PF* 8 habundanti *P* te posse *F*, re posse (*P*) 9 existimes *F* 10 deuoueo *F*

11 expliс ad attalum, incipit eiusdem ad macedonium *P* 13 macedon; *P* 15 petitionem *P 1 m.*

21 ut *post* eatenus *add. in mg. P* 23 exoptatissuuam *P 1 m.* delenificis] *Iurctus*, delenicis *P* 24 adcelebraturum *P* 25 at] ad *P 1 m.*

29 symmacus *P* 31 ne religionis (ne r *in ras.*) *P* 32 iniuria ualetudinis] *IΠ*, nis *P* 33 descendat] *IΠ*, descen *P*

XXVIIII.

SYMMACHVS MACEDONIO. *P*

Neque fratris nostri v. c. Procliani profectio passa est, ut silerem, neque nostra sivit adfectio, ut officiis temperarem. cape igitur debitum munus adloquii, et ut me facias promptiorem, inpertiendae salutationis operam frequenter usurpa.

AD ATTICVM.

XXX a. 396.

SYMMACHVS ATTICO.

Est quidem mihi ruris otium voluptati, sed antiquiorem *tui* iudico voluntatem; quare officiis consularibus, si fors dictum iuvet, spectator et conviva non deero. vale.

XXXI.

SYMMACHVS ATTICO.

Retrahere nos e Campaniae gremio Tiburtis agri laudibus studes. est ille, ut praedicas, in tuo rure densus cupressis et fontium largus et montano situ frigidus. sed haec mihi desideranda, si te mora uberiore tenuissent; nunc properato in urbem reditu nescio quam mihi fastiditi loci suspicionem dedisti. habent enim saepe voluptates satietatem. quod si ita est, satisfactum Formiis puto, quibus renuntiaveras, cum tibi etiam praelata displiceant. vale.

XXXII.

SYMMACHVS ATTICO.

Relegere iter et in conspectum vestrum tandem redire meditamur, licet filii nostri virium vacui sint et me febrium noxa temptaverit. minuetur tamen labor intervallis brevibus mansionum. spero locorum mutatione processurum aliquid optatis. curam in me diligentiae tuae usu probatam crescere in dies gaudeo; cui inpense verbis gratias agerem, si id laudis potius adfectatione quam sincera pietate faceres. vale.

XXXIII.

SYMMACHVS ATTICO. *PF*

Proxime ad te indicium salutis meae pertuli, necdum quod invicem de prosperis tuis legerem, reddidisti: non piget tamen ante solutionem religiosum fenus iterare.

2 maced/// *P* 3 profectio] (*II*), pr//// *P* 4 a/fectio *P* munus] mus *P 1 m.*
6 explic ad macedonium incip eiusdem ad atticum *P* 9 uoluptatis et *P* tui] *Lectius*, tibi *P*
12 symmacus *P* 15 properato in urbem reditu] (*II*), pro//// tu *P* 16 fastiditi loci suspicionem] (*II*), fasti//// nem *P* saepe uoluptates] (*II*), /////ptates *P* 17 satisfactum formiis] (*II*), satis//// rmiis *P* 18 cum tibi] (*II*), //// i *P*
23 brebibus *P 1 m.* 25 facere+suale *P 1 m.*, faceretis uale *P 2 m.*
27 *om. F*

PV tanta est enim securitas animi in nos tui, ut repensum putem, quidquid ab amante debetur. vale.

XXXIIII.

SYMMACHVS ATTICO.

PV Salutationis honorificentiam praelocutus Gaetulici agentis in rebus exequor postulatum, qui a te iustum favorem per me optat adipisci. humanitatis tuae est amplecti probabilem voluntatem numerumque eorum, qui te iure suspiciunt, adiectione novi cultoris augere. vale.

AD DECIVM.

XXXV.

SYMMACHVS DECIO.

PVM Animum meum Campani litoris commemoratione sollicitas: sed nobis quoque in Praenestino rure degentibus non minus suppetit voluptatum. sint licet plures hominum sententiae, quae maritimis montana postponant, ego tamen vitandis aestibus ma-
2 gis iudico nemorosa quam cultu aperta congruere. adieceras ad inritamentum profectionis nostrae, filium meum Flavianum brevi tecum futurum. huius ego praesentia iam diu defruor. ex quo intellegis, sortem meam multo esse potiorem: nam et conparationem loci utriusque in ambiguo conlocavi et societatem pignoris mei, qua ma-
3 xime gloriabare, in fructum meum transtuli. ergo tu potius remetiri ad nos viam mutata condicione deberes. ad*de* satietatem, quam tibi adtulit copiarum longus usus: nam Campania, ut est absentibus desiderabilis, ita facile explet morantes. sed de hoc non ibo longius, ne re*g*ioni illi, quae nobis acceptissima est, denuntiare, si venero, fastidium meum videar. vale.

XXXVI.

SYMMACHVS DECIO.

Nondum Neapolitanum litus accessimus visuri arcem deliciarum tuarum. sed tamen omnia, quae Tyrrhenus adluit, nominis tui plena sunt. quid multa? successisti in famam Luculli. quo magis miror, ad alia te nonnumquam posse transire: nisi forte fasti*d*io fugis copias et mutatione castigas satietatem. sed nimium hactenus abfuisti: puto iam parsimoniae diuturnitate conciliatum tibi desiderium copiarum. quin ergo ad nos gradum promoves? aut si libenter illic nostrae immoraris frugalitati, redeundum propere nobis est, quos non decet alienas adfectare delicias. vale.

---

5 salutationis *denuo incipit V* praelocutus *corr. ex* prolocutus *P* getulici *PV* agendis *V* 7 suscipiunt *V* adfectione *P*

9 explicit ad atticum incipit eiusdem ad decium *PV* 11 sym̄ decio *V* 12 amicum meum campani *incip. denuo M* 14 praeponant *V* 18 quam *P* 20 adde] *ego*, ad *PVM* sacietatem *PM*, societatem *V* 22 religioni *PVM*, *corr. M*

25 sym̄ decio *V*, *om. M* 26 tamen] iam *V* 27 tyrreuus *V*, tirrenus *M* 29 fastidio] *M*, fastigio *PV* sacietatem *P* actenus *P 1 m.* abfuisti] *M*, adfuisti *V*, afuisti *P* 30 iam] nam *V* quin] cui *P 1 m.* 32 est quos non decet alienas] *VM(H)*, es nas *P* deuitias *V* uale] ua *P*

XXXVII.

SYMMACHVS DECIO. *PVM*

Voluptati mihi est, quod vales. sed quod Formiis nostris Neapolitana ora praefertur, animadverto tui non esse iudicii. in gratiam quippe praesentium non sententiam sed verba mutasti, nisi forte rerum tuarum conlatio facit illud tibi esse iucundius, ubi fructus uberior est. sed natura regionum suis meritis non nostris quaestibus aestimanda est. sed quid de hoc multa? testabitur commoratio tua, an ibi libentius otieris, cum in dubium non veniat, quod a me invitus abscesseris. vale.

XXXVIII a. 398.

SYMMACHVS DECIO.

Iocari mihi visus es, cum te scriberes obvia militum arma timuisse, credo, ne iter tuum in Campaniae longinqua sequeremur. nam si ipse diu versatus in castris nonnihil timoris expertus es, quid ego togae adsuetus amaritudinis incidissem? sed non patior, ut tibi ad moram prosit simulata trepidatio. caret Appia tota militibus transvectis omnibus, qui pacato Africae statu in obsequium divini principis reverterunt. quid quod etiam patria in rebus angustis vel opem bonorum vel societatem re- 2
quirit? neque enim praesentiam nostram sola prospera eius expectant: laudabilioris officii est participare dubia cum civibus. sed iam spes melior urbis nostrae vultum serenat et alimonia interim proviso fulta subsidio etiam frugis Libycae stipulatur adventum. vale.

XXXVIIII.

SYMMACHVS DECIO.

Plerumque fors disposita conturbat; quod nunc mihi usu venit, qui Etruscos vapores salubritatis causa adire non potui rebus retentus urbanis. nulla igitur tibi per me indicitur mora, quin immo et hortor et postulo, ut festinato itinere Romam revisas reddasque nobis iucunditatem praesentiae tuae, qua defrui in suburbanitate non contigit. vale.

---

2 symmachus dec// *P*, sym̄ dec̄ *V*, *om. M* 3 f/ muiis *P* 5 *fort.* rerum tuarum conputatio 6 fuctus *P* 7 sed] *Kiessling*, et *PVM* 8 inuitus *om. VM*

10 symmacus decio *P*, ad dec̄ *V*, *om. M* 11 obuiam *VM* armatiui isse *V*, armatum isse *M* 13 quod *V* 14 emulata *P 1 m.*, ęmulata *P 2 m.* caret — reuerterunt *om. M* apictota *V*, uel tog// *add. in mg. P 2 m.* 15 statu in obsequium] *V(II)*, *periit in P* reuerterunt quid] *V(II)*, reuer////// *P* 16 angustis] *VM(II)*, *periit in P* /quirit *P* 19 lybicae *P*, libicae *V* adventu *Kiessling* 20 *sequitur in VM epist. 40*

21 *epist. 39 hoc loco omissa in VM post p. 152, 5* adhuc residere *inserta et initium usque ad* 21 retentus *in V bis repetitum est* 22 symmacus decio *P, om. VM* 24 rebus retentis. SYMMACHVS GREGORIO *sequitur III, 20 in V*[1], rebus retentus subitis et tumultuariis. uale. Elegisti materiam *sequitur III, 20 in M* 25 mora — itinere *om. V* 27 *post* uale *sequitur in V p. 152, 6* constitui ut

XXXX.

PVM

SYMMACHVS DECIO.

Iamdudum curis publicis absolutus relegere iter potius quam auspiciis litterarum lenire amicorum desideria debuisti. nam si tibi valetudo ex sententia suppetit, quid causae esse dicam, quod diu in Campania demoraris? an ut nos amantissimos tui diu defraudes *i*is bonis, quae in te solemus amplecti? quin immo urbis nostrique reminiscere, et dum oportunitas aestatis invitat, iter festinus usurpa, ut longa absentiae tuae damna tandem optato reditu sarciantur. vale.

XXXXI.

SYMMACHVS DECIO.

Quo abiit promissorum fides? speranti mihi *re*cursum tuum litteraria levamenta tribuisti. potuit iucunda nobis huius muneris esse perceptio, si nihil grandius spopondisses. an veritus es deliciarum tuarum consularem virum testem? nihil egit haec cautio: oculis subtracta miracula auribus deprehendo. nam ut quisque nostra offenditur parsimonia, te abesse suspirat, atque in contumeliam convivii mei palam desideraris. sciet haec senatus, audiet populus! neque enim possum aliter ulcisci absentiae tuae iustum dolorem. vale.

XXXXII.

. . . .

Abrumpenda cessatio est et in affatus mutuos cura tendenda, ne veteris inter nos amicitiae memoriam scribendi neglectus adtenuet: quam ut libentius dehinc fo*v*eas, a me sume principium. en tibi litteras salutationem ferentes, quas sensibus tuis voluptati esse testabitur officii aemulatio. qui*n* si etiam portitori fructum patrocinii tui sermo iste quaesiverit, praecedentis silentii mei accusabo dispendia. constabit enim, pluribus me potuisse consulere, si te adloqui ante coepissem.

XXXXIII.

. . . .

Cum ruri agerem libertate caeli gressum reformans, cuius me usus post dolorem moratur, ... familiarissimus meus ordiendo itineri paratus fecit mihi ad scri-

---

2 *om.* *VM* 4 linire *P 1 m.* ex] et *P 1 m.* 6 defrandes iis] *ego*, defrauderis *PV*, frauderis *M* 7 iter] esse *V* usurpa ut] usurpauit *V* 8 raditus arciantur *V*

10 *om.* *VM* 11 recursum] *Iuretus*, cursum *PVM* 12 spopondissem *V* 14 uiribus *V*, mentis uiribus *M* 15 atque in] itaque in *V F*, inque *M* conuitii *V*

19 *inde ab hac epistula inscriptiones omittunt non solum VM, sed etiam I et spatiis singulorum versuum vacuis relictis P; sed cum ep. 50 propter argumentum ad Decium data esse videatur, etiam epp. 32–49 idem nomen praeponendum duco* 20 obrumpenda *I* affatos *P 1 m.* ueteres *P 1 m.* 21 memorum *V* foueas] *ego*, facias *PVM* 23 testibus *V* quin si] *ego*, quia si *P*, quasi *V*, quodsi *M*

27 *scribe:* Symmachus Decio 28 cururi *V* 29 moratur familiarissimus *PVM*, *desideratur nomen*

bendum sui copiam. ilico amicam studio meo amplexus communionem scripta non *PVM* distuli, quae et inter nos agerent commercium religionis et commeanti primum apud te notitiae limen aperirent. si probabil*es* huius epistulae putas causas, mihi sermonis tui gratia, illi amoris fructus eveniat. vale.

XXXXIIII.

. . . . . * * * * * . . . . . *PVMF*

Remuneror dictam mihi a te salutem, quamvis diebus proximis ultro amicitiam nostram stili opere frequentaverim. quae commemoratio non exprobrat officia: huius enim diligentiae voluptate animus meus pascitur. est igitur tua optio, an in me velis saepe litterarum esse munificus, quam quidem maxime cupio, sed si quando nobis fructus iste defuerit, eadem mihi gaudia tecum loquendi noster sermo praestabit. vale.

XXXXV a. 398—399.

. . . . *PVM*

Vna haec via est, qua maxime civibus ac familiaribus meis prosim, si eos in clientelam tuam quasi mystagogus inducam. quod nunc pro Gaudentio facio viro generis senatorii, cuius modestiam si propius inspexeris, reperies claris natalibus parem. igitur in obsequia tua incunctanter receptus ante plenam tui fiduciam, quam mox illi morum praestabit inspectio, intellegat de se testimonio meo creditum. vale.

XXXXVI a. 398—399.

. . . .

Singularis animi tui bonitas vocat saepe ad iustas petitiones fiduciam meam. non est igitur mihi commendationum familiarium verenda reprehensio, cum ipse ad hoc meum studium voti benignitate sollicites. spes ergo certa est, gratas fore tibi litteras, quibus ornatissimum virum Desiderium veterem amicum meum prosequor. domestica huic causa rumpendi otii admovit necessitatem. †iam facile iacturam dissi- 2
mulare potuissem, si admitteret magnum animum angusta fortuna. ex ipso latius audies, quicquid epistulae brevitas recusat absolvere: mihi satis est pro eo in universum rogare. suscipe, oro, benefaciendi provinciam, quae hominum merita deo adplicat, clarioresque fructus ex huius commodo cape. mihi enim videntur beneficia plus conferre praestanti. vale.

2 comertium *PVM* 3 probabilis *PV* 4 fructus eueniat. uale] *VM Π*, fructu *P* 6 *scribe:* Symmachus Decio 7 mihi dictam *F* salutem] *VMF, periit in P* amicitiam] *VMF* a *P* 8 quae] *VMF, periit in P* exprobat *PV, sed corr. P 1 m.* 9 meus *om. F* 14 *scribe:* Symmachus Decio 15 quae *P* 17 proprius *P*, proprius *VM* 19 inspectio intellegat] *VM Π*, t *P* creditum. uale] *VM Π, periit in P* 21 *scribe:* Symmachus Decio 22 singularis] *VM Π*, is *P* ad *periit in P* 23 st igit *P*, est ergo *V* uerenda] *P 2 m. M*, ueneranda *P 1 m. V* 24 me studium *Mercer* 26 iam] *PVM*, eam *Mercer; lacunam hic latere suspicor; fort.* pecuniariam facile iacturam 27 potuisset *Mercer* 28 in *om. VM* 29 oro] horum *V*, huius *M* hominem merito *Kiessling* 30 clariorque fructus *P 1 m. V*, clarioremque fructum *M*

XXXXVII a. 398.

PMVF * * * * * * * * * * * * * * *

Nec abstinere litteris possum proficiscente ad vos domino et filio meo Flaviano, quem prosequi hoc viatico debeo, nec aliquid adiungere, quia tua erga eum diligentia non recipit augmentum. volo igitur noveris, non esse fastidii, qu*od* quam *mini*mu*m* de eo scribimus, sed securitatis de tua mente praesumptae. talis igitur in eum esse dignare, qualem te vetus amicitia pollicetur: cui adiecit honoris tui gradus, ut quae pro eo velle debes, posse te non neges. vale.

XXXXVIII a. 399.

PVM * * * * * * * * * * * * * * *

Favore tuo factum est, ut evectionum adminicula sumeremus, quibus familiares mei empturi equos curules ad Hispaniam commearent. quaeso igitur, *ne* missos mox transire praecipias: longo enim tempore opus est, ut de singulis provinciis optimos quosque excerpat electio et morosior cautela perducat. praeterea tibi validius obligabor, si duobus aliis veredis eorundem iuveris iter: dividentur enim singuli, ut ex diversis provinciis edecument lect*ores*. erit tui beneficii post inlustrem et praecellentissimum virum comitem, quidquid domui nostrae praetoria filii mei editio splendoris adiecerit. vale.

XXXXVIIII.

PVMF * * * * * * * * * * * * * * *

Certissimus contra omnes procellas animi tui portus est. ideo ad te sororis meae filius spei certus adcurrit. negotii autem genus de humanitate saeculi exspectat auxilium, cuius qualitas virtutibus tuis precum lectione pandetur. ego prolixus esse non debeo enarrator iniuriae, cum seriem desiderii fides supplicationis exponat. has autem solas partes mihi iniungit adfectio, ut pro coniuge pignoris mei, cuius paupertat*i* gravis paratur ruina, suffragium tui favoris exambiam. vale.

L a. 401.

PVM * * * * * * * * * * * * * * *

Gaudii de te mei nec ipse ostentator esse per verecundiam possum nec testem alterum cito: sufficiet enim mihi, quod amorem meum de tua mente metiris. debeo

2 *scribe:* Symmachus Decio 3 ne *V* ab itinere *P 1 m.* possum *om. VM* proticiente *V* 4 inngere *V*, ausus sum ininngere *M* 5 recepit *P 1 m.* aucmentum *V* nolo *V*, *om. M* quod quam minimum] *Iurctus*, quamquam enim *PVF*, quod nichil *M* 6 igitur *om. F* 7 amicitia] conuicia *V*, couiuatia *M*

10 *scribe:* Symmachus Decio 11 sumerem *VM* familiaris *P 1 m.* 12 ne missos] *ego*, remissos *PVM* 13 praecepias *P 1 m.* ut *om. P* 14 obligator *P 1 m. VM* 15 iuberis *P 1 m. V* 16 et decument *P 1 m. V*, deciment *M* lectiores] *M*, lectoris *PV* cui *P 1 m.* 17 praeteriora *V*, posterior *M*

20 *scribe:* Symmachus Decio 22 saeculi] sđ *V* 23 ergo *VM* prolixius *V* 24 narrator *VM* 25 coniugi *V* paupertate *PVF* 26 parati *V*

28 *scribe:* Symmachus Decio 30 cito] *P 2 m.*, scio *VM*, ..to *P 1 m.* quidam morem *V* meritis *V*

tamen laetitiam confiteri . . . . quae praefecturae habenas ad bonam transtulit voluntatem. interea non minore abundo laetitia, quod domini et filii mei Flaviani prolixus in iudicando labor optata quiete . . . . differri diu ab hoc praemio par fuit, neque illum ab otio retardari. haec eo scribo, ut noveris, nos pro tuo honore 2 agere aeterno principi gratias, te idem facere pro illius securitate debere. interea quaeso, ut in epistulis frequentandis morem tuum teneas nec privatis officiis actus publicos obstare causeris. nam *sem*per multiiugis necessitatibus par fuisti, nullumque experientiae genus est, cuius te possit magnitudo vel novitas a negotiis amicitiae debitis avocare. vale. *PVM*

LI.

* * * * * * * * * * * * * * *PVMF*

Habeant fortassis aliae commendationes meae interpretationem benignitatis: ista iudicii est. trado enim sancto pectori tuo fratrem meum Severum episcopum omnium sectarum adtestatione laudabilem. de quo plura me dicere et desperatio aequandi meriti et ipsius pudor non sinit. praeterea testis non laudatoris partes recepi tibi reservans morum eius inspectionem. quam cum penitus expenderis, reperies, cessisse me potius eius laudibus quam per neglegentiam defuisse. vale.

LII.

* * * * * * * * * * * * * * *

Quid tibi pro tanta in me meosque cura dignum rependam? officia tua revera aequare non possum. spondeo tamen, numquam me tibi cultu mentis et adfectione cessurum, nec ambigo, etiam te pro benefactis solam boni animi exoptare mercedem. sed in hac contestatione gratiae morari me longius pudor tuus non sinit; deberi enim iudicas amicitiae nostrae, quidquid ego credo praestari. vale.

LIII ante a. 395.

* * * * * * * * * * * * * * * *

Parva est commendatio scriptorum meorum, cum Eusebium familiarem meum vita innocens et annosa militia bonis quibusque conciliet. suo igitur praedi*t*us merito testimonium pro se meum non ambitum postulavit: et tamen abstinere non debeo

---

1 confiteri quae *PVM*, *supple:* admirationemque sacrae circumspectionis *vel simile quid* 2 uoluntatem (ntat *in ras.*) *P* flauia/ *P* 3 prolixus in iudicando] (*Π*) *M*, prolixius in niudicando *V*, ///////cando *P* quiete perfruitur. neque enim differri diu (*Π*), *quae in P prima manu scripta non fuisse, loci nunc deperditi spatio docemur*, quiete differri diu *V*, q////// *P*, frui quiete meruit differre diu *M*, *scripserim:* optata quiete mutatus est; neque enim te differri diu pars *V* 4 illum ab otio] *V* (*Π*), *periit in P* noueris] *VM* (*Π*), n//// *P* 5 aetern//cipi *P* 6 actos *P* 7 semper] *ego*, per *PVM* multis iugis *V* 8 debetis euocare *V*

12 cōmendationis *P 1 m.* meae (ea *in ras.*) *P* 13 trado — Seuerum *om. F* tuo] meo *V* 14 sectarum adtestationem *V*, attestatione sectarum *F* 15 siuit *V* testes *P 1 m.* laudatores *P 1 m.* partes recepi tibi] *VMF*, *periit in P* 16 eius inspectionem] *VMF*, ///////onem *P* expenderis] *VMF*, ////is *P* 17 eius laudibus] *VMF*, ////audibus *P* defuisse] *P 2 m.* *VM*, de*** *P 1 m.* uale] //le *P*

21 aequare (ae *in ras.*) *P* 22 exoptarere *P* 23 memorari me *P 1 m.* *VF*, tuae morari me *M*

27 *paucis immutatis repetitur epist. II, 67* 28 praeditus] *MF*, praedictus *PVF*

PVMF tali genere litterarum, magis ut fidei satisfaciam, quam ut labantem gratificatione sustentem. haec igitur petitionis meae summa est, ut in praeclaro pectore tuo formam circa se meae voluntatis inveniat. vale.

LIIII a. 398.

. . . .

Vt es rerum omnium sollers, scis quantum legatio habeat sollicitudinis, quantum peregrinatio difficultatis. haec domino et filio meo Attalo senatus desideria prosequenti amor tuus levia et tuta praestabit. suscipe igitur partes benignitatis et meae petitioni debitas et tuo ingenio congruentes. satis Attalo meo videbitur, quisquis erit eventus officii, curam pro se meruisse potioris. vale.

LV.

PVM . . . .

Saepe nos, ut condecet, litteris muneraris; obsolescere enim quadam silentii rubigine animorum foedus existimas. facis officium germanis studiis animisque conveniens, pro qua re vicem tibi sermonis referre non distuli: cuius ea solutio est, ut me adfectui tuo etiam nunc sentiam debitorem. omnia enim facili vicissitudine et compensatione redduntur, contractus vero amicitiae et religionis aeternus est. vale et ad scribendum esse diligens persevera. nos litterarum solacia suggeremus, quibus aut animum mulceas occupatus aut vicem referas otiosus. vale.

LVI.

PVMF . . . .

Tua nos hortatur humanitas opem poscentibus non negare. pro Theodulo autem scribendi mihi ad te causa propensior est, cum sit colonus agrorum meorum atque illi debita magis quam precaria cura praestetur. serva igitur consuetudinem tuam et precibus meis, ut mos tuus promittit, inflectere, ut quidquid culpae aut erroris incurrit, contra illius meritum meo digneris interventui relaxare. vale.

LVII.

PVM . . . .

Et virtutis et propositi tui est bonos quosque suscipere; inter quos Alexander contemplatione honestatis iure censetur. hunc et in adiumentum sui et amoris in te mei gratia familiaribus litteris prosecutus inpendio deprecor, ut illi favorem congruum tribuas, mihi vicissitudinem sermonis exsolvas. vale.

---

1 lauantem *P 1 m. V*, laudabilem *M* 2 hoc *V*

6 sollicitudinis habeat *F* 7 meo et filio *VM* 8 a mortuis *V* praestauit *P 1 m. V*, praestitit *M* benignitates *P 1 m.* 9 petitioni meae *F*, meae petitionis *P 1 m. V*

13 silenti *P 1 m.* 16 debitorem (ito *in ras.*) *P* 17 amicitiae religionis aeternum est *V* ualde *V*, ualere *M* 18 suggeremus] *Iuretus*, suggerimus *VM*, sugerimus *P* 19 occupaturus *V* otiosos *P 1 m.*

22 ortatur *P 1 m.* theodolo *PVMF* 24 praestatur *VM* 25 protittit *V* quid *V*, si quid *M* 26 internentu *F*

29 propositi tui] propositiui *V* 30 censentur *V* 31 ut illi fauorem congruum] *VM* (*I*), *periit in P* 32 uicissitudinem sermonis exsoluas] *VM* (*I*), uicissit[illegible]solnas *P*

LVIII a. 396—397.

* * * * * * * * * * * * * * * *PVM*

Duas oratiunculas meas nuper editas ad inlustres viros virtutum ac litterarum praeditos sacerdotio Felicem et Minervium misi. harum etiam te ut amantem mei, si mediocribus ingeniis non offenderis, opto esse lectorem. ipsi voluminis copiam facient; ita enim studiose famam meam nutriunt, ut suffragia bonorum mihi nesciant invidere. vale.

LVIIII a. 400.

* * * * * * * * * * * * * * * *

Sacras mihi litteras Iulius agens in rebus exhibuit leopardorum munificentiam continentes; idem tuam desideratam nobis paginam simul tradidit. principe igitur loco salutationis tibi solvo reverentiam: dehinc postulo, ut pro me gratias agas votivae largitatis auctori — quae iucundior erit, si ei commendationem prosecutio opportuna praestiterit —, et quod verecundia mea vix implere potuisset, oris tui adfabilitas prosequatur. spero ex mensura adfectionis, quam de te mereor, quod cumulatissime possim magnitudinem nostrae gratulationis inplere. vale.

LX ante a. 399.

AD PATRICIVM. *PVMF*

Onerabat verecundiam meam, quod prior scripseras: continuo altera epistula tua gravatae fronti duplex fenus inposuit. formido, quod cupio, ne mihi ante solutionem duorum contractuum tertius a te sermo tribuatur. habet quippe hanc *in*patientiam, quae in te pollet oris ubertas, ut intervallum vicissitudini neget et officia nondum conpensata praeveniat. una igitur mihi ad satisfactionem via superest, ut inparem me stilo fatear, quamvis cultu amicitiae parem non negem. nec contumaciter fieri 2
putes, quod tibi animi mei diligentiam confero: alioquin frustra a te diligor, nisi adfectione saltem nos pateris conparari. quare post hanc professionem meam laudatae facundiae donum frequenta; me, si rarior fuero, memento cessisse. an ego adversum iudicium publicum provocem scriptis epistularum regiarum magistrum? nostrum est pastorales inflare calamos, tuum sacris tibiis carmen incinere; nos obtundit otium, te usus exercet. nisi forte hanc nostram privatae vitae vacationem magis oportunam 3
frequentandis litteris putas. vides non eodem motu flumina de stagno serpere et de

---

3 editas] *VM Π*), *periit in P* lit rum *P* 4 proditos sacerdotio *P 1 m. V*, sacerdotio preditos *M* faelicem *VM* n//neruium *P* etiam harum *V*, tibi harum *M* 5 mediotribus *P 1 m.* igneis *V* faciant *P*

11 nobis *om. V* 15 prosequatur] *VM Π*), *periit in P*, exsequatur *Iuretus* spero] *VM*, spero me (*Π*), *periit in P* ex mensura] *VM Π*), ///nsura *P* quam] *VM*, qua (*Π*), *periit in P* de te mereor] *VM*(*Π*), *periit in P* 16 possim] *PΓ*, possum *V*, *om. M*, possis (*Π*) magnitudinem] *ΓVM*(*Π*), /////em *P* uale *periit in P*

18 *om. VMF* 19 //erabat *P* /cripseras *P* 21 impatientiam *cod. Pithoei*, patientiam *PF*, potentiam *VM* 22 et *om. F* 24 parem *om. Γ* 26 affectionem *VF* 29 pastarales *V*

PVMF fonte properare. omne, quod in cursu est, viget; continuatio experientiae vires suas renovat. sublatum tibi est, quod respondere potuisses. fac deinceps, qua *va*les scribendi copia, ut tantum mihi adferat facultatis exemplum tuum, quantum ingenium meum non dedit.

LXI ante a. 399.

AD PATRICIVM.

Denuntiaveram tibi, quod rarior in scribendo essem futurus: quid amicitiae faciam, quae cogit, ut mentiar? descivi a promisso, sed credo te huiusmodi probare fallaciam. nunc velim cogites, quam frequens esse debeas, qui spei amplius optulisti. an non prior in me iaculatus es oris tui munera? quibus ego veluti herbam porrigens cum veniae petitione respondeo. maneas oro promissis et coeptorum tuorum diligentiam teneas. fidem tuam convenio, qui me paene iacto mentitum?

LXII.

PVM

AD PATRICIVM.

Ideo †amicitia conparatum est, ut officiorum vicibus mutua gubernetur utilitas. in rem praesentem spectat praefata sententia. praesumo namque eximietatis tuae studio supplicationem fratris mei Callistiani atque eius uxoris exortem sacri beneficii non futuram, cui et aequitas desiderii et usitata inpetrationis forma suffragio est. quando igitur nihil obstat oratis, admove iuvandis precibus benivolentiam; quae cum tibi innata sit, remittit mihi deprecandi laborem. nam paene iniuriam facit benignitati, si quis anxie petat, quod praestantis natura promittit.

LXIII.

AD PATRICIVM.

Tantum esse apud te loci Aurelio meo gaudeo, ut a me tibi traditus invicem sub commendatione reddatur. vicisti nostram pro eo diligentiam, quam iubes crescere. itaque sum dicto audiens. nulla enim caritas ita plena est, ut augmenta non capiat. me domo abesse et in regione Campaniae pasci otio libens audies: nam soles amicorum prospera voluptate partiri. tibi honor militiae pariat fructus secundos; sit vita nostra secura, vestra conspicua.

---

2 est tibi *F* posses *F* qua — 3 copia *om. F* qua uales] *Lectius*, quales *P 1 m. V*, preualeas *M*, qui uales *P 2 m.* 3 copias *V* 4 uale *add. VMF*

6 *om. VMF* 8 desiui a *F*, desiui *V*, de suo *M* 10 herba moriens *VMF* 11 sed et *V* 12 iactito *V*

14 *om. VM* 15 ideo amicitia conparata est *Iuretus*, a deo conparatum est *Suse*, ita amicitia conparatum est *Kiessling* 16 praefata sententia] praefatassent *V* eximiae aetatis *V* 17 calistiani *VM* exortam *P 1 m. V* 18 imperationis *V*, imperatorum *M* 19 admone *P 1 m.* 20 si *om. P 1 m. VM* 21 uale *add. VM*

23 *om. VM* 26 aucmenta *V* 27 me e *V* otio] actio *P 1 m.* 28 secundus *P 1 m. V* uita nostra secura, uestra conspicua] *VM Π*, u [illegible] *P*

LXIIII.

AD PATRICIVM. *PVMF*

Propinquorum meorum causas Martyrius prosequetur, qui has a me litteras in suffragium suum meruit. quaeso, ut effectum sperati de te favoris optineat.

LXV a. 398?

AD PATRICIVM. *PVM*

In manus tuas veniet causa pignoris mei: adeo . . . . ut amica legibus fulciatur. sed ut est multiformis plerumque perfidia tutorum, in varias se frequenter artes vertit. *at* noxios credo nunc saltem sacro cessuros oraculo, si vestra aequitas suggerenda celebraverit.

AD ALYPIVM. *PVMF*

LXVI a. 378.

Salutationis honore praefato familiarem precationem tui iam securus adnecto. agris meis, quos in Caesariensi Mauretania possidemus, ut fieri per dominorum absentiam solet, nihil reliqui facit officii praesidalis improbitas. saepe ad rectorem provinciae delata querimonia parvi habita est per ignaviam iudicantis. ergo quoniam remedia minora non prosunt, ad maiora confugimus. feras opem, quaeso te, ne res tot iniuriis exhausta succumbat. debes hoc et tuae famae et amicitiae meae, ut peculiariter iuvare digneris iustitiam postulati.

LXVII.

AD ALYPIVM.

Qui sperat brevi in conspectum se amicorum esse venturum, solet scribendis epistulis abstinere; mihi et illa spes visendi te integra est et fastidium non creat litterarii usus officii. celebro igitur honorem tuum salute dicenda nec interim posco rescriptum, quia fenus stili mei fabularum munere ex proximo repensabis.

---

2 ad patr/// *P*, *om.* *VMF* 3 causas martyrius] *VF(H)*, cau... *P*, causas martius *M* litter... /fragium *P* 4 ut effectum] *VMF*, u... tum *P*

6 *om.* *VM* 7 adeo ut *PV*, *supple:* adeo igitur eximietatem tuam, ut tuo suffragio quamuis amica legibus fulciatur *vel simile quid* 9 at noxios] *C. F. W. Mueller*, obnoxios *PVM* nunc] ne *P* cessurus *PV* 10 uale *add.* *VM*

11 explicit ad patricium incipit ad alypium *P*, *om.* *VMF* 14 mauritania *VMF* possidem *V*, possideo *M* 16 decelata *V* parui habita est per ignauiam] *VF*, ... /iam *P* ergo quoniam remedia] *VMF*, *periit in P* 17 possunt *P 1 m.* *VF*, posset *V* ad maiora confugimus] *FM*, ad maiorum confugimus *V*, ////... /fugimus *P* te ne res] *VMF*, *periit in P* 18 iniiriis exhaustas *V* succum///ebes *P* /eae *P* 19 /ustitiam *P* postulanti *P 2 m.* *F*, postulantis *M* uale *add.* *VMF*

21 *om.* *VMF* 22 conspectu *VMF* 23 uidendi *F* 25 ex proximo repensabis] *VF*, et proximo ore pensabis *P*, ex proximo recompensabis uale *M*, exprimo repensabis uale *F*

LXVIII a. 395.

PVM

AD ALYPIVM.

Intellego diligentiam, quam sanctae domui tuae defero, nimium tibi esse compertam. hinc est, quod mecum laeta communicas et dominae ac filiae meae valetudinem stilo indicas in spem redisse meliorem. ago igitur uberes gratias et deos precor, ut tua secunda proficiant. nobis tardior Africanarum navium commeatus incutit curas et sterilitas conditorum. quapropter ad conlationem vocati remedia patriae usitata promisimus. sed votis opus est, ut voluntariae sponsion*i* solutio prompta respondeat.

LXVIIII.

AD ALYPIVM.

Tradiderunt memoriae, qui res priscas locuti sunt, in iudicium quendam voca*tum* *fur*ti, quod Aricia tenus precarium de amico cantherium mutuatus ulterioris clivi ardua praeterisset. fuerit haec parsimonia et diligentia pauperis saeculi, ut praetervectus decretum locum commisisse in amicitiam diceretur; at ego non vereor iumenta, quae dederas, demoratus, ne in tantis fortunae tuae copiis et animi benevolentia usurpationis arcessar.
2 adsumpsi igitur, quod amor tuus ingerebat, tantumque absum a metu suscensionis tuae, ut sperem de te ultro bonam fiduciae meae gratiam. necesse est enim probes, quod ipse fecisses. sed quid haec tamquam purga*nd*a produco? de Formiano ad te scribo integer valetudinis, unde equorum vestrorum copulam magis exercitam quam fatigatam remisi. mulos paulisper tenebo; hanc enim dederas optionem, quam si repudiassem, viderer libentius in usurpandis uti animo meo quam in permissis tuo cedere.

LXX.

AD ALYPIVM.

Cum molestias urbanas retracto, abesse delectat; cum vos cogitatione contemplor, taedet absentiae meae. medium est igitur levamen in litteris, quas ideo ad te dedi, ut simul et amicitiae satisfaciens et secutus exemplum tuas mihi epistulas praestes, in quibus vides plus esse solacii.

12 Val. Max. VIII 2, 4.

2 *om.* *VM* 3 deferum *V*, deferunt *M* 7 lationem *V*, opem ferendam *M* 8 promisi *V*, promisistis *M* sponsionis *PV* 9 uale *add.* *VM*
11 *om.* *VM* 12 priscas] ipsas *P* uocatum furti] *ego, cf. Val. Max. l. l.*, uocati *P*, uocat *V*, uocatum *M* 15 commisisise *P* diceret *VM* 17 arcersar *V*, accersiar *M* 18 absumam et usus censionis *VΓ*, assumam *M* 19 improbes *Γ* quid] quod *V* purganda] *C. F. W. Mueller*, purgata *PVM* 20 capulam *V* 21 exerceri tamquam *V* remisi mulus *P 1 m.*, remi simulus *V*, *om.* *M* 22 optione *V* 23 permissis] *Γ*, promissis *PVM*
25 *om.* *VM* 26 urbanans *V* 27 leuamen in] leuamini *P 1 m.* *V* 28 satisfaciam *P 2 m.* 29 uale *add.* *VM*

LXXI a. 397?

AD ALYPIVM. *PVMF*

Plurimum mihi opis atque adiumenti tuae litterae ad confirmationem sanitatis inpertiunt; primo quod te memorem nostri esse testantur, dehine quod indicia tuae prosperitatis adportant. fateor igitur adhuc infirmam valetudinem meam scriptorum tuorum adsiduitate refoveri, atque ex hoc intellego, quid ex praesentia tua commoditatis habiturus sim, cum tantum ex litteris salubritatis accipiam. vale.

AD FRATRES.

LXXII.

Mediolanium pervectus haec scribo et hinc honorificentiam vobis debitae salutationis exhibeo. aequum est, ut mea cura de vobis relatu piae vicissitudinis mitigetur.

LXXIII a. 397?

SYMMACHVS FRATRIBVS.

Pervenimus, sed venisse iam paenitet. nam ubi primum solum Baiani litoris contigi, statim pedis dolore correptus sum, atque ideo pauca dictavi mox in scribendo futurus uberior, si me sanitas optata respexerit et vestrae invicem litterae provocarint.

LXXIIII a. 397.

SYMMACHVS FRATRIBVS. *PVM*

Primo adventu, ut scripto superiore signavimus, valetudo nostra perculsa est, seu insalubribus aquis sive aëris mutatione. fors viderit. *nunc* status melior coepit adversa tenuare; sed prae ceteris remedio nobis fuit, quod vos salvere cognovimus. quod si etiam reditus nostri tempus inquiritis, ad idus Octobres legere iter, si dicto fortuna adsit, optamus.

---

2 *om. VMF* 4 indicie *P 1 m.* 7 salubritatis accipiam uale] *VMFΓ*, sal... *P* 8 explicit ad alipium incipit ad fratres *F*, ... ad alypi... incipit eius ... *P*, *om. VM* 10 peruectus haec scribo et] *VMF*, peruectu... *P* huic *V* debitae salutationis] *VMF*, ...tationis *P* 11 est *om. V* ut mea] *VMF*, *periit in P* uicissit... *P* uale *add. VM* 13 symmachus fratr... *P*, *om. VMF* 14 nam *periit in P* *fort. scrib.* Formiani, *nam epistulae 74 et VI 77, quae paucis diebus post hanc epist. scriptae esse videntur, Formiis datae sunt (p. 175, 20), neque anno 397 Symmachus Baias attigit; cf. interpolationes similes p. 43, 9; 211, 9* 16 prouocauerint *MF* uale *add. VMF*

18 *om. VM* 19 scriptu *P* superiores *V*, superi... *P* 20 nunc] *Iuretus*, noster *PVM* cepit *corr. ex* capit *P 1 m.* 21 praeteritis *V* 22 octobr *P*, octobris *VM* si dicto fortuna adsit optamus] *VM(Π)*, ...us *P* 23 uale *add. VM*

LXXV.

PVM SYMMACHVS FRATRIBVS.

Scio et desiderari et expectari a vobis litteras meas, quia moris est, ut munus huiusmodi a proficiscentibus inchoet*ur*. auspicium e*r*go vobis alt*ern*andae inter nos salutationis emitto nequaquam dubitans, tamquam signo dato ad respondendum vos desides non futuros.

LXXVI hieme 393/4.

SYMMACHVS FRATRIBVS.

Religiosum atque votivum est, ut a quaestoribus candidatis dona sollemnia potis- *VM* simis atque amicissimis offerantur, quo in numero iure censemini. offero igitur vobis eburneum diptychum et canistellum argenteum librarum duarum filii mei nomine [quaestorium munus exhibuit] et inpendio precor, ut hanc honorificentiam dignemini gratanter amplecti. vale.

LXXVII (LXXVI) a. 397?

PVM SYMMACHVS FRATRIBVS.

Subesse aliquas silentio meo causas sponte aestimare potuistis: nam quando omisissem religionis munia, si valerem? n*unc* paulatim dolore cedente officium salutationis differre non potui. vestri erit muneris referre mutuam vicem, quae mihi, si dies optata pertulerit, ad convalescendum fomenta praestabit.

LXXVIII (LXXVII) a. 397?

PVMF FRATRIBVS.

Postquam paginam, quae vobis salutationem ferret, emisi, in tempore adfuit, qui mihi vestras litteras exhiberet. qu*a*rum principio perceptione laetatus, ubi commune pignus decubuisse cognovi, conturbatus sum repente amaritudine lectionis. sed quia filium nostrum redditum sanitati subiuncta docuerunt, in tranquillum denuo animus remigravit. meae valetudinis statum scriptis superioribus indicavi, cuius denuo meminisse non opus est, ne vos sollicitae scriptionis conturbet iteratio.

---

2 ratribus *P*, *om.* *VM* 3 scio et desiderari et] *VM*(*Π*), *periit in P* litteras meas quia] *VM*(*Π*), lit *P* minus *P 1 m.* 4 huiusmodi a proficiscentibus] *VM*(*Π*), huius iscentibus *P* inchoetur] *ego*, inchoet.! *P*, inchoetis *V*, inauspicemur *M* auspicium ego (*sic*) uobis *VMΓ Π*, auspici bis *P*, ergo *Lectius* alternandae inter nos] *ego*, salutandae inte sinos *V*, salutanda et inter nos *P*, saluandae uitae si non *M*, *om.* (*Γ*) 5 saluta *P* dubitaris *V*, dubitas *M* signo dato] *V*(*Π*), o dato *P*, dato signo *M* 6 non] *P* ual *add.* *V*, ualete *add.* *M*

8 *om.* *VM*, *totam epistulam om* (*Π*) 9 a *om.* *P* a potissimis *P 3 m.* 10 quo in numero *usque ad finem epistulae om.* *P spatio* 4½ *versuum vacuo relicto* 11 clypticum *M*, indypticum *V* 12 qui quaestorium munus exhibuit (*Γ*), *uncis inclusi*

15 *om.* *VM* 16 causa *P 1 m.* amisissem *P 1 m.* 17 nunc] *M*, nostrum *PV* 18 differre] *VMΓ*, deferre *P* referri *V* 19 uale *add.* *V 2 m.* *M*

21 *om.* *VMF* 23 quorum *PV* 24 debuisse *P 1 m.*, deiubuisse *V* quod *VM* 25 reddit *V* 27 conturbat *V*

LXXVIIII (LXXVIII).

FRATRIBVS. *PVM*

De reditu filii nostri Fausti praenuntias paulo ante litteras misi, ut adcelerata securitas desiderii vestri inpatientiam mitigaret, sed munus salutationis iterare ipso etiam proficiscente non piguit. capite igitur geminam voluptatem primo ex ipsius reditu dehinc ex sermone fraterno, quo vobis redditos sanitati communes filios indicamus.

LXXX (LXXVIIII).

SYMMACHVS FRATRIBVS. *PVMF*

Superioribus diebus litteras frequentavi, sed nulla adsiduitas animum potest amantis explere. puto autem vobis ad cognitionem posse sufficere, quod valere nos scribimus, licet commune pignus paucis diebus effusione vexata otii nostri minuerit voluptatem. quae iam divina ope ad plenam sanitatem coepit emergere.

AD MESSALAM. *PVM*

LXXXI (LXXX) a. 399.

Fortuna cum civibus nostris revertit in gratiam, postquam te sibi respublica vindicavit. adnumerandus est igitur ceteris sperantibus aequitatem Iucundus amicissimus meus, quem morbo iam diu gravem praefectura eminens ad cognitionem privatae litis exciverat. et illi quidem votivum sub examine tuo respondere propositis, sed valetudo obnititur voluntati, quae effusione sanguinis sauciata itinerum recusat incertum. nec deerit ius adversantis petitioni, si ad vicarium tuum disceptatio transferatur. haec igitur summa est postulati, ut cum causae nihil de loco pereat, salutem homini peregrinatio remota conciliet.

LXXXII (LXXXI) a. 399.

AD MESSALAM.

Instruenda mihi atque adornanda praetura est, ad cuius nos editionem magnitudinis tuae processus animavit; inceptum enim meum viribus fratris utetur. quaeso igitur, ut mecum religiose votiva officia partiaris et familiaribus meis ad Hispaniae longinqua pergentibus ob equorum curulium coemptionem suffragia promovendi negotii digneris adnuere. longum fiat, si velim litteris praestanda percurrere: capita igitur rerum subiecto indiculo strictim notavi. tibi integrum erit adicere beneficia, si qua stilus petentis omisit.

---

2 *om. VM* 4 nostri *VM* 5 noluntatem *V* 6 indicaui *V*, indicauimus *M*
9 *om. VMF* 10 litteris *V* 12 uexato *P 1 m.*, uexatiori *M*
14 VIIII. explic̄ ad fratres incipit ad messalam *P*, *om. VM* 16 reuenit *V*, uertitur *M* re spu (*i. e.* spiritu) indicauit *P* 18 praefector aeminens *P 1 m.* 19 est illi *Mercer* 20 intinerum *P*, in tenerum *V*
25 *om. VM* 27 animaui *V* 29 negotii] *VMF*, ********** *P* 30 *restanda *P 1 m.*, praestandi *V*, res tantas *P 2 m.*

LXXXIII (LXXXII) a. 399.

PVM

AD MESSALAM.

Si quid pro amico atque unanimo meo Iucundo priora scripta valuissent, agendis magis gratiis quam renovandae petitioni a me sermo inpenderetur: sed quia in civili negotio auget eius infirmitatem crebra conventio, non iam pro causa sed pro valetudine familiaris mei instauro sermonem. et certe difficilis impetratio mea esse non debuit, postquam illi divinus adfatus longae peregrinationis gratiam fecit. cuius rei exsecutionem miror esse difficilem, cum lenitas tua soleat talia etiam sine rescripti auctoritate praestare. inpensius igitur quaeso, ut vicarii foro saepe in his iudiciis agitata causa reddatur, quando hoc et sacrae litterae imperant et iudiciorum non refutat humanitas.

LXXXIIII (LXXXIII).

AD MESSALAM.

Primam mihi scribendi causam religio fecit, ut amicitia nostra litteris excolatur: secundam suggessit humanitas, ut viro optimo Thalasso familiari meo tua concilietur adfectio. superest, ut et mihi sermonis tui vicissitudo respondeat et commendato ex sententia procedat optatum.

LXXXV (LXXVI. LXXVII).

PVMF

AD MESSALAM.

Numidam familiaritas nostra apud te debet iuvare: quem tuo trado suffragio, ut meritum, quod apud nos honestis officiis conlocavit, tua pro me cura conpenset. mores hominis ex meo pende iudicio et in omnibus, quae utilitas eius exquirit, votum commendantis imitare.

LXXXVI (LXXXIIII. LXXXV).

PVM

AD MESSALAM.

Et mei circa te propositi ratio poposcit, ut scriberem, et v. c. atque ornatissimo Eusebio adstipulatio mea deesse non debuit; quem probe de optimis viris meritum, quaeso tua . . . . . benignitas muneretur. nam laudabilis quisque hanc solam mercedem pudoris atque honestatis exoptat, ut ad intimam familiaritatem bonorum tuique similium pura conciliatione perveniat.

---

2 *om.* *VM* 3 quod *V* 4 gratus *V* renouandis petitionibus *P 2 m.* a me] *VM*, ****** *P* quia] quod *VM* 5 crebra] *VM*, *************** *P* 6 esse] est *V* 7 huius *V* 10 inperant *M*, impetrant *PV* 11 humilitas *VM*

13 *om.* *VM* 15 thalasio *M* 16 commendatio *V*

19 ad messalam *PF*, *om.* *VM* 20 nunidam *V*, *om.* *M* debeo *P 1 m.* trado suffragio] *VMF*, ************ *P* 21 officiis] *VMF*, ******** *P* cura] *VMF*, ********** *P* 22 eius] enim *V* totum *P* 23 commendandis *P*

25 *om.* *VM* 26 scriberem et niro clarissimo atque *F*, scriberem et q̄ c̄ atque *P*, scribere non metuam atque *V*, scriberem uiro tamen *M* 27 quem] *VM*, ******** *P* et meritum *P* 28 tua ** benignitas *P*, tua benignitas *V*, benignitas tua *M*

LXXXVII (LXXXV. LXXXVI).

AD MESSALAM. *PVM*

Omnis commendatio amicis testimonium tribuit, suffragium praestat incognitis. Processus igitur vir ornatissimus filius meus non est in ea parte numerandus, cui ex beneficio scripta praestantur, sed potius in ea, cui vicissitudo ex amore persolvitur. puto iam liquere tibi, quae circa illum familiariter tenenda sit a te forma iudicii, quem sine favore commendo. dignum est igitur, ut quantum apud me meriti conlocavit, tantum apud te benignitatis inveniat.

LXXXVIII (LXXXVII) a. 399—400?

AD MESSALAM. *PVMF*

Amicitiae parentum recte in liberos transferuntur, ut caritas semel inita successoribus eorum velut hereditario iure proficiat. quo nomine optimi quondam viri Gregorii filium diligendum pariter ac tuendum recepi: fuit enim mihi cum patre eius fidum foedus animorum. sed religiosi . . . . . . debitum tecum opto partiri. quapropter quaeso, ut curam meam pro eo in *i*is, quae usus poposcerit, exequaris. inter cetera autem vota iuvenis praecipuum liberalis animi signum est, quod cupit foro tuo non obscurus ortu actor accedere: cui, ut spero, et magisterium splendore dicendi et suffragium mentis bonitate praestabis.

LXXXVIIII (LXXXVIII) a. 399.

AD MESSALAM. *PVM*

Iamdudum litteras meas in manus tuas credo perlatas, quibus allegavi, quod indiciis adprobatum est, amicum meum Iucundum quamquam tui examinis cupidum per valetudinem non posse proficisci. huius in dies morbus augescit, et ideo repeto postulatum, ne incidat invidiam contumaciae, qui miserationem meretur. et sane civili causae nihil decerpet humanitas, si ad vicarium vestrum transferatis examen. nam pariter et laboranti detrahetur iniuria et negotio finis eveniet.

LXXXX (LXXXVIIII) a. 399.

AD MESSALAM.

Probavit effectus non inmerito a me sperata, quae praestare dignatus es, magisque me culpam potuisse contrahere, si apud amantem praetorias pignoris nostri ne-

---

2 *om. VM* 3 omnes *P 1 m.* 4 processus *2 m. spatio antea vacuo relicto inscriptum* (?) *P* 6 illum (u *2 m. in ras.*) *P* sit a te] si aetate *V* 7 conlocaui *P* 8 benignitas *V*

10 *om. VMF* 11 libros *P 1 m.* sua efforibus *V*, sua ex foribus *M* 12 uelud *P 1 m.* quendam *V* 13 recepit *V* 14 religiosi debitum *PV*, religionis debitum *FM*, *scribe:* religiosi fenoris debitum *vel simile quid* 15 his *PVMF* 17 auctor *V*, *om. M*

20 *om. VM* 23 morbos *P 1 m.* 24 miserationem — ciuili] *VM*(*Π*), *periit in P* 25 decerpet] *VM*, decerpit (*Π*), *periit in P* humanitas si ad] *VM*(*Π*), *periit in P* nostrum *V* transferatis examen] *VM*, transferatur examen (*Π*), tr//////////// *P* 26 et pari *post* pariter *inser. V* laboranti detrahetur iniuria] *VM*(*Π*), labora////////////iuria *P* eueniet] *VM*(*Π*), eue/// *P*

28 ad messa/// *P*, *om. VM* 29 a me sperata] *VM*(*Π*), a///rata *P* magisque] *VM*(*Π*), ma////// *P* 30 apu/ *P*

PVM cessitates pudore tacuissem. ornari ergo nos gaudeo frequentibus amoris tui testimoniis, et volo speres, quidquid gratiae editio nostra quaesiverit, ad tua beneficia me cedente referendum.

LXXXXI (LXXXX) a. 399.

VMH

AD MESSALAM.

Honores quidem semper vitae ac litterarum splendore *praec*essisti, sed bonorum nunc omnium gratulatio est, etiam publicum tibi decus esse delatum. opto igitur ex sententia partis fruaris insignibus et provectus in cumulum gloriae magnitudinem iudicii imperialis aequiperes.

LXXXXII (LXXXXI).

PVMF

AD MESSALAM.

Officii mei est nuntiare, quod valeam, voti, ut te salvere cognoscam. ego indicio prosperorum meorum partes amantis inplevi, tu mihi adhuc debes sanitatis tuae gaudia. quae ut solita fide in notitiam meam veniant et deorum favor et tua scripta praestabunt.

AD LONGINIANVM.

LXXXXIII (LXXXXII) a. 399.

Amico animo gaudia nostra participas et integratum Flaviani filii mei honorem stili gratulatione prosequeris. dignus es, cui laeta semper eveniant. hanc autem dignationis tuae benignitatem scio ex illius instituto venire, qui praestitit. laudabiliter igitur magisterium sequeris optimae voluntatis. tene quaeso, ut facis, constantiam rerum bonarum: illum imitare, nos dilige.

LXXXXIIII (LXXXXIII) a. 398—399.

AD LONGINIANVM.

VMF Honor militiae vestrae laudis beneficiis | enitescit. cum igitur te meritorum ratio summis proximum faciat, famae et gratiae decus benignitate conquire. nec procul *PVMF* abest, de quo huiusmodi fructum capessas. iuvandum enim tibi filium meum Desiderium litterae meae ingerunt, virum praeter fortunam cunctis rebus ornatum, quas sibi potest hominum cura praestare. sed illa quoque cum eo in gratiam, si faveris, revertetur. restat, ut velis, quod pro loci ac meriti tui viribus potes: facile inclinatum amici nostri negotium depulsa lite sanabis.

5 *om. VM* 6 litte rum *P* praecessisti] *ego*, gessisti *PVM* 9 aequipperes *V*

11 *in P huius epistulae non supersunt nisi haec:* 12 . . . qđ ualeam . . . cognoscam ego indi 13 . . . meorum partes amantis . . . i adhuc debes sanitatis 14 . . . ia quae ut solita fide in no . . . eam ueniant et deorum fauor et . . . scripta praestabunt 11 ad eundem *F*, *om. VM*

16 (plicit ad messalam inc ad longinianum *P*, ad longinianum *F*, *om. VM* 19 cui] qui *V* 20 ex *om. P* laudabiliter] lauda t *P* 22 dile *P 1 m.*

24 ad eundem *F*, *om. VM* 25 enitescit — 27 capessas iuuan *om. P spatio 6 versuum vacuo relicto* 26 ergo *post* famae *inser. F* 29 cura hominum *V* sed] et *F* 30 restet *F* uiribus tui meriti *F* inclinatam *F* 31 negotium] *PF*, negum̄ *V*, statum *M*, felicitatem *F*

LXXXXV (LXXXXIIII) a. 398.
AD LONGINIANVM. *PVM*

Amplecti amicitias domini et filii mei Flaviani ante dignatus es. sed nunc tempus datur, ut illi documenta verae familiaritatis exhibeas. sacris enim d. n. Honori augustissimi principis litteris ad officium magnifici consulis evocatus occasionem dabit, qua et ipsius meritum iudicio tuo pateat et tua in eum clarescat adfectio. interea partes parentis meus interventus exequitur, nec in dubium venit, quid habeat ponderis pignorum commendatio apud eum, qui suos diligit. haec autem summa est desiderii mei, ut in animo tuo reperiat amorem meo similem.

LXXXXVI (LXXXXV) a. 399—400.
AD LONGINIANVM.

In favorem me Dynami cohortaris, cuius tibi amore non cesserim. est enim vir artium bonarum cultus ornatu. libens itaque in tuam concedo sententiam dignumque esse praedico, qui nostro ordini copuletur: sed adicienda est ei praerogativa militiae, ut beneficio allectionis utatur. his quippe tantum munia relaxari divalia statuta vo- 2
luerunt, quos honor castrensis inluminat. si igitur et hoc insigne detuleris, quod annonarum et evectionum cumulet adiectio, prono cursu in consulares legetur. quare in tua manu est et illius meritum et meum studium supplementis talibus adiuvare.
interea nimis miror, quod in viro inlustri Flaviano domino et filio meo nec gradum 3
honoris nec ius amicitiae cogitasti. nam cum praestans auctoritas tua vinarii tituli debita flagitaret, | usque ad officii multa*m* con*t*em*p*tione progressa est. patienter *VMΠ*
admitte, neque praefecturam neque amantissimum tui virum tali contumelia debuisse perstringi. quaeso igitur, ut tantum ei posthac deferre digneris, quantum tibi invicem convenit exhiberi. ego certe amborum parens nihil a te patior stridoris emergere, quin immo officiis religiosis crescere inter vos causas mutui amoris exopto.

LXXXXVII (LXXXXVI) a. 399.
AD LONGINIANVM. *PVM*

Cepi ex litteris tuis gaudium, postquam familiares meos ad Hispaniam commeantes adiutos epistulari commendatione docuisti. quare acceptam gratiam et mente contineo et ore contestor. facit autem verecundia tua, ut de hoc parcius loquar: adfectum enim non verba desideras.

15 Cod. Theod. VI 35, 7.

2 *om. VM* 8 eam quis nos *V*
11 *om. VM* 12 fauerem *P 1 m.* medy naunicoortaris *P 1 m.*, medio amico hortaris *V*, amici hortaris *M* 14 nostrae *P 1 m.* 16 quo *V* detuderis *V*, detur *M* 19 meo et filio *V* 21 *inde a voce* flagitaret *maior contextus pars periit in P; supersunt haec:* pr/g . . . 22 neq. pf . . . uirum tali contume . . . 23 gi quaeso igitur ut tan . . . deferre digneris quanti . . . 24 conuenit — certe . . . parens — patior strid . . . 25 gere quin — religio . . . cere — amori . . . opto 21 multam contemptione] *ego*, multa condempnatione *VΓ*, multam depravationem *M*, condemnationem multa (*Π*) 22 praefectura *V* 25 religiosis] (*Π*), religionis *VM*
27 *om. VM* 28 cepi (ce *in ras.*) *P* postquam] *VM Π*, po//// *P* cōm//tes *P* 29 adiutus *P 1 m.*, adiutor *V* cōmendati/// *P* mente] *VM(Π)*, *periit in P*

LXXXVIII (LXXXVII) ante a. 399.

PVMF AD LONGINIANVM.

Iamdudum desiderabam litteras tuas: nunc inmodica animi gratulatione suscepi. *VMF* debita igitur reverentia et amore respondens adicio postulatum, | ut in reliquum frequentare digneris munus optabile, quod sponte tribuisti. sed in hac postulatione non opus est commorari. neque enim petitio mea debet elicere, quod tua promittit humanitas.

LXXXXVIIII (LXXXXVIII).

PVMF AD LONGINIANVM.

Cultum amicitiae libenter exerceo. video enim mihi a te talionem curae parilis non negari; magnus autem diligentiae incentor est amor tuus. quare beneficii loco exprobrare non possum, quod ex debito officio defero. ipse enim tibi auctor es officiorum meorum, quae scribendi adsiduitate sollicitas.

C (LXXXXVIIII) a. 399—400.

PVM AD LONGINIANVM.

Sentio, quid mihi adfectionis invicem deferre digneris, sed vehementer admiror, quod dominum *et* filium meum Flavianum, qui te parili amore conplectitur, erga amicitiam tuam esse inparem suspiceris. si igitur aliquid in adsertione mea putas esse gravitatis, *quaeso te*, ut huiusmodi persuasionem me adsertore deponas et exclusis aliquorum susurris constantiam serves sanctis moribus tuis et amicitiae congruentem. certe si quid in notitiam tuam aemulus sermo pervexit, mecum quaeso participes, ut amaritudo, quae ex aliorum *in*simulatione concepta est, fidis purgationibus diluatur.

CI (C).

AD LONGINIANVM.

Sancto Eusebio arbitror pro summa commendatione sufficere, quod eum mihi profiteor adprobatum. et ideo verbis pluribus elaborare non debeo, ut ei tuam conciliem

---

2 ad longinianum *om. P 1 m. spat. vac. rel., add. 2 m.*, ad eundem *F*, *om. VM* 3 littera tua *P 1 m.* 4 *inde a voce* postulatum *in P non supersunt nisi haec:* 5 . . . buisti sed 6 . . . opus est conmo . . . petitio — elicere . . . ttit humanitas 5 opus non est *V*, non est opus *M* 6 tua *om. Π*

8 onginianum *P*, ad eundem *F*, *om. VM* 9 cultum] *VMF, periit in P* enim] *VMF, periit in P* 10 non negari] egari *P* in utor *P* amor] animus *F* oco *P* 11 exprobare *P 1 m. VM* deforo *V*

14 *om. VM* 16 et] *ego*, *om. PVM* pari *VM* amicitias tuas *VM Γ* 17 susceperis *V*, sustines *M* 18 quaeso te] *ego*, nestrae *V*, nolo *M*, oro *Γ*, ********** *P* me] ne *P* deponas] *VM*, ************ *P* 19 constat *P* amicitia *P 1 m.*, amicitias *P 2 m.* congruentem] *VM*, ************** *P* 20 ęmulus *P 2 m. in spatio vacuo*, e multis *V*, ex multis *M* sermo] *VM*, ************ *P* ut amaritudo] *ΓVM*, ********** *P* 21 quae ex *P 2 m. in spat. vac.* insimulatione] *Lectius*, simulatione *PVM* contempta *V* est fidis *P 2 m. in spat. vac.* purgatoribus *P*

23 *om. VM* 24 mihi eum *V* 25 tuum *V*

voluntatem. praesumptum quippe teneo, *i*is, qui mihi fida obsequia detulerunt, favorem tuum minime defuturum. nos ex sententia valemus libenter habituri, si ipse sospitatis tuae litteras non negaris. *PVM*

AD PETRONIVM ET PATRVINVM.

CII (CI) a. 398. *PVMF*

Pro cognitis et probatis pauca dicenda sunt; mei enim officii non sui meriti testimonium ferunt. quapropter laborare non debeo, ut praestantiae vestrae domini et filii mei Flaviani merita commendem. siquidem vetus inter *v*os amicitia revertetur ad usum feliciorem. mei sermonis haec summa est, ut in patriam redux sibi perpetuum amorem vestrum, mihi mutuam reportet salutationem.

CIII (CII) a. 398—399.

AD PETRONIVM ET PATRVINVM. *PVM*

Opto ut hanc salutationem vigoris integer et prosperis laetus accipias. tradetur autem per optimum virum Desiderium, cui maximam laudem pura vita conciliat, testis haec officii mei pagina relatura ad me plurimum boni, si te plurimum in amicitiam tradentis adtraxerit. nam ut respondere digneris, enitendum mihi prae tuo amore non arbitror. haec una voti mei cura est, ut tuum favorem commendatus adquirat redeatque laudator beneficiorum tuorum, quorum utilitas ad illius commodum, ad meum sensum gratulatio redundabit.

CIIII (CIII) a. 399.

AD PETRONIVM ET PATRVINVM.

Video Flaviani filii mei honorem propterea hucusque iacuisse, ut ei testis melior eveniret. inciderat in tyranni beneficium iudicio bonorum temporum reservandus, *et* *VMH*
praestitit illi amissio praefecturae, quod mutavit auctorem. quae igitur verba tantum munus aequabunt? coniungite, oro, vos nobis ad referendas praecelso viro gratias. nam cum sin|guli vincamur rei magnitudine, opus est laudatoribus multis, ut nume- *PVM*
*ro*sum munus impleat onus debiti. et sane dominus pectoris mei, a quo profectum 2
est beneficium, non ex alterius verbis sed ex gaudio conscientiae mensuram facti sui

1 his *PVM* 2 ualere *VM* 3 suspitatis *V*

4 VIIII explic̄ ad longinianum inc̄. ad petronium et patruinum. *P*, symmachus petronio *F*, *om. VM* *sub hac inscriptione confusae reperiuntur epistulae partim ad Petronium, partim ad Patruinum, partim ad utrumque fratrem datae; prima ad utrumque pertinere videtur* 6 percognitis *VF* 8 internos *P*, inter nos *M*, in nos *V*, *om. F* 9 sibi reduxit *F*

12 *om. VM; epist. non ad fratrem utrumque, sed ad unum tantum scripta est* 14 per] pro *P 1 m.* 17 adquirit *P 1 m.*

21 *om. VM; ad utrumque fratrem* 22 honorē (ē *in ras.*) *P* protere *P 1 m.*, *om. M* *inde ab* melior *non servata sunt in P nisi haec:* 23 ficium iu . . . uandus sed pre . . . 24 fecturae quod mutat . . . igitur — tantum màn . . . 25 c̄iungite — nobis a . . . das praecelso — gratias n . . . 26 guli uincamur *usque ad finem* 23 et] *ego*, sed *PVM* 24 amisi *V*, amisso *H* praefecturaeque mutauit *V*, prefecturae quae immutauit *M* 25 munus] man// *P 1 m.* 26 uincamus *V* magnitudinem *V*, magnitud/// *P* numerosum] *ego*, numerum *V*, //merū *P 1 m.*, //meri *P 3 m.* (*H*), numerus *M* 27 munus *om. VM* et] // *P* pr/fectum *P*

PVM colligit nec ignorat, talia esse, quae praestat, ut vincat spem solutionis. nos tamen gratiae vicem fide amicitiae et observantiae rependemus damusque huius rei animos obsides, quibus satisfaciunt liberi lucis auctoribus. piis enim contractibus amor sufficit.

CV a. 399.

PVMF

AD PATRVINVM.

Agendis d. m. comiti excellentissimo viro gratiis par esse non potest mediocritas *VMF* verborum meorum. tibi igitur hoc munus iniungo, ut de impetratis evectionibus in adminiculum praetoriae functionis habitum mentis meae apud eum plenius exequaris simulque digneris eniti, ut in rem missis celer ad Hispanias transitus impetretur. *PVMF* adpetit enim tempus praetoriae functionis, | metusque est mihi, ne equorum curulium 2 tarda emptio et morosa deductio sollicitis artetur angustiis. de hoc etiam sublimem virum et praecellentissimum comitem securus impetrationis oravi. adieci praeterea commonitionem, cuius suffragator esse dignaberis, ut si molesta petitio non videtur, familiares meos datis ad potissimos Hispanorum litteris prosequatur. satis dictum est. si quid aliud tuis auribus amicorum meorum sermo suggesserit, oro, ut in curam sancti et fidissimi pectoris tui recipere non graveris.

CVI a. 399.

PVM

AD PATRVINVM.

Amor mutuus facit, ut tibi ex usu meo agenda delegem. cum igitur filii mei praetoria instet editio, quam vir inlustris comes omni virtutum genere sublimissimus evectionibus iuvare dignatus est, coemptioni equorum ex Hispania celeritas admovenda est. quare quaeso te, ut familiares meos ad Hispanias missos nulla tarditas demoretur, quos iuvari tuis litteris volo, ut illis merita tua Hispanorum mentibus inpressa suffragio sint.

---

1 ignorat] *P 2 m. VM*, ignorat (ignoramus?) *P 1 m.* talia] (*II*), alia *VM*, *om. P, ubi fortasse in margine additum erat* uincant *P 2 m.* nos tamen] nostrum *V* 2 fidei *V* rependemus] (*II*), repend *P*, rependere *V*, repende *M* 3 satisfaciant *V*

6 *om. VMF; simul cum epistula sequenti emissa, quae ad Petronium pertinet; haec ergo ad Patruinum* 7 d. m. *om. F* gratus *P 1 m. V* *inde a* mediocritas *non supersunt in P nisi haec:* S . . . bus 9 . . . functionis ha . . . pud enm plenius ex 10 . . . q. digneris — in rē . . . ad hispanias transitus im 11 . . . dpetit — praetoriae fun . . . ıetusque *usque ad finem* 9 eum *om. V* 10 misis *V* hispaniam *F* imperetur *V* 11 rulium *P* 12 contio *V*, coemptio *M* deductio] de ıco *P* he oc *P* *praetulerim:* sublimem et praecellentissimum uirum comitem 13 p̄cellentis nū *P* ora *P* 14 suf gator *P* dignaueris *P 1 m. V*, digneris *M* titio *P* 15 quatur *P*, prosequati *V*, prosequatur (quatur *in ras.*) *M* 17 fidelissimi *F* non graueris] digneris *F*

19 *om. VM; cum merita eius, ad quem epistula scripta est, de provinciis Hispanis commemorentur, Petronio, qui vicarius Hispaniarum fuerat, adscribenda est* 20 tum *VM* 21 praetoriana *V* uirtuttum *V* sublimissimis *P 1 m. V*, sublimis *M* 23 missos] uiros *V* 24 mentibus *corr. ex* tibi *P 1 m.*

CVII.

AD PATRVINVM. *PVMF*

Iuliani agentis in rebus modestiam novi, natales probo, doleo fortunam; fatalibus enim malis diu et graviter exhaustus est. sed credo cum eo omnia in gratiam esse reditura, si tuo patrocinio et humanitate foveatur. plura non dicam, cum praeclaris moribus tuis familiare sit opis indigos sublevare et huic petitioni meae etiam tuae mentis natura consentiat.

CVIII a. 398—402.

AD PATRVINVM. *PVM*

Post consensum partium, post vinculum pactionis allegataque in iudicio monumenta placitorum filius meus Caecilianus denuo ad incerta litis adtrahitur. nota est tibi qualitas causae: merito omitto conperta stilo exequi. hoc tantum de sancto animo tuo inpetratum volo, ut isdem viribus, quibus pro eo luctamina prima sedasti, repetitae medearis iniuriae, quia iustitiam tuam debet acrius incitare adversum fidem placiti rupta concordia.

CVIIII a. 398—402.

AD PATRVINVM. *PVMF*

Aperta est inprobitas eorum, qui reducunt in quaestionem pactionibus terminata et per inpatientiam quietis finem iurgii secunda lite commutant. aestima igitur filii mei Caeciliani dolorem, cui otium conciliare non potuit damnis patrimonii empta concordia. nam reducitur in longinqua iudicia, quibus facile, si suffragium tuleris, eruetur. est enim in te atque fratre portus omnium, quos fortuita sollicitant. prolixus in petendo esse non debeo, cum causae qualitas et tua iustitia plus de te favoris quam meus interventus eliciat.

CX a. 401.

AD PATRVINVM. *PVM*

Duo ad me bona parilis voluptatis recentes nuntii pertulerunt, et vos iustis honorum | crevisse processibus, et domino ac filio meo Flaviano fructum privati otii esse *VMH*

---

2 *om. VMF* 3 iuliani (iu *in ras.*) *P* noui natales *om. F* fortunam doleo *FM* 4 diu et] diues *V* 5 patrocinio tuo *F* 6 familiares et *V*

9 *om. VM; epistularum 108 et 109 altera ad Petronium, altera ad Patruinum scripta est* 11 cecilianus *PV* 13 impetrato *V* hisdem *P*, hisdem *VM* 14 mediaris *V* quia] quod *V*

17 *om. VMF; cf. adn. ad v. 9* 18 aperta] *VMF(Γ)*, comperta (com *in ras.*) *P* 19 sine iniurgii *V* commutata *V* 20 ceciliani *VMF* 22 seruetur *F* atque in *F*, et in *M* 23 esse] est *V* causa equalitas *P 1 m.*

26 *om. VM, ad utrumque fratrem* 27 recentis *P 1 m. V* bonorum *V*, *om. M* 28 *inde a voce* honorum *non supersunt in P nisi haec:* p. 208, 2 qua . . . uobis . . . 3 ūrō in u . . . diis etiam il . . . 4 toria edition . . . lata meminist . . . 5 iustis ut sollemni . . . 6 rescriptum itaq . . . sus oraui ut petit . . . 7 mihi uero iucundas . . . etiam minorum magistr . . . 8 exempla — mos . . . iubeat — benefi . . . 9 uiri — supra . . . na prestare *usque ad finem*

VMΠ delatum. sumpta igitur gemina fide vestras litteras super his expectare non debui, quas aestimavi per verecundiam differendas. quare aestimationem laetitiae meae vo-
2 bis relinquo, quia mensuram eius de vestro in nos amore colligitis. sed his gaudiis etiam illa opto coniungi, quae de praetoria editione filii mei iam pridem postulata meministis. nam vehementer admiror iustis et sollemnibus desideriis nondum adrisisse rescriptum. itaque secundis litteris *virum praecellentissimum comitem* rursus oravi, ut petitiones nulli graves, mihi vero iucundas, quibus *per*missa pariter etiam minorum magistratuum suffragantur exempla, benigne, ut mos eius est, tradi iubeat effectui.
PVM sed beneficentiam tanti viri, cui semper voluptas est supra spem magna praestare, promptiorem spero reddendam, si ut frequenter poposci, vestris admonitionibus provocetur.

CXI.

AD PATRVINVM.

VMΠ Fratrem meum Severum multo sermone | prosequerer, si novo aditu amicitiam tuam peteret aut praedicationi eius meum ingenium conveniret. parco igitur copiae tuoque cedo iudicio. ut diligentia eius tuae potius voluntati quam meis litteris adplicetur. vale.

CXII a. 397?

AD PATRVINVM.

Cum tibi omnium meorum cura praecipua sit, praesumo filio meo Arcentio spectabili viro, quem mihi iungit adfinitas, intimam familiaritatem tuam posse reserari, quam merito illi et vitae decus et familiae conciliat antiquitas. his propriis eius bonis etiam meae preces in augmentum commendationis accedunt, ut plane dubitare non possim, cumulatius ei et meum testimonium et tuum iudicium profuturum. vale.

CXIII a. 398.

PVM

AD PATRVINVM.

Dominum et filium meum Attalum de summatibus viris ad dominos et principes nostros amplissimus ordo legavit instructum variis de more mandatis. quae spectare

1 geminaui *V*, germani *M* his] (*Π*), hoc *VM*(*Γ* 2 uecundiam *Π* 3 quia] (*Π*), quod *V*, quam *M* colligitis] *VM*(*Γ*), colligimus (*Π*) 5 et] ut *P* arrississe rescriptum (*Π*), ... rescriptum *P*, arrisere scriptum *V*, uestrum arridere scriptum *M* 6 uirum praecellentissimum comitem] *ego*, *om.* *VM*(*Π*); *secundae illae litterae adhuc supersunt IIII 8* 7 permissa] *ego*, missa *VMΠ* 8 effectus *P*, *om.* *M* 9 si benificientiam *V*, siquidem benefitium *M* 10 sper... dendam *P* ... monitionibus *P*

13 *om.* *VM* 14 *quae vocem* sermone *sequuntur, perierunt omnia in P* 16 diligentia eius tuae] (*Π*), diligentiae iusticiae *VΓ*, diligentis iusticię tua *M* uale *om.* *V*

18 *om.* *VM*; *epist. ad Patruinum scripta esse videtur, cum Petronius eo tempore, quo Arcentius Mediolanium proficiscebatur* (*p. 154, 31*), *in Hispania fuerit* *totius epistulae in P supersunt haec:* 19 . . . t p̄su 20 . . . uiro quem . . . ā familia 21 . . . quā merito . . . ae conciliat anti 22 . . . nis etiam meae . . . mendationis acce . . . are non possim cu 23 . . . estimonium et tuum iudi 20 reserari] *Iuretus*, reseruari *VMΠ* 22 debitare *V* 23 uale *om.* *V*

25 *om.* *VM*; *simul cum sequenti emissa, quae ad Petronium scripta est; ergo ad Patruinum* 26 dominum et filium meum] *VM*(*Π*), ... eum *P* uiris ad dominos] *VM*(*Π*), ... inos *P* 27 amplissimus ordo] *VM*(*Π*), am... rdo *P* de more] *VM*(*Π*), ... e *P* spectare causa sunt *V*, spectant et causas et *M*

visa sunt bonum publicum. huic si fautor accesseris, futurum reor, ut illi pro labore fructus accommodet. quaeso igitur, vel legationis merito vel meo nomine in optimum virum bene consulas, qui satis animi confirmatus est, suffragio tuo successuram felicitatem. *PVM*

CXIIII a. 398.

AD PATRVINVM. *PVMF*

Beatum te, qui honorum emeritus otiaris: nos in patriae *salo* vivimus et fortunae fluctibus verberamur. quorsum ista protulerim, dominus et filius meus Attalus eloquetur, cui spes visendae prudentiae tuae laborem peregrinationis fecit optabilem.

CXV.

AD PATRVINVM. *PVM*

Duo mihi pariter iucunda delata sunt: primo sermo tuus, qui etiamsi posset esse continuus, fastidium non moveret, dehinc fratris nostri Frumentii exoptatus adventus, quem ego in numerum bonorum esse referendum, priusquam morum ipsius periclum facerem, ex praerogativa tui testimonii indicavi: | sed ubi propiore congressu probitatis eius ornamenta patuerunt, adverti minus eum, quam ratio postulavit, per verecundiam praedicatum, ne ipse laudationem suam mandatam litteris videretur ingerere. pro his ergo muneribus optatum tibi solvo responsum, quo me agere ex sententia et frui commoda cum meis valetudine recognoscas. huic autem rei nihil adiciendum puto, cum solo nostrae salutis indicio gratulatio fraterna possit expleri. *PV*

CXVI.

AD PATRVINVM.

Scis pro insita tibi humanitate, quid parvulis et parentum suffragio destitutis benignitatis ac misericordiae debeatur. merito mihi apud te utendum esse non arbitror longo ambitu litterarum pro inlustris memoriae viri Severi filiis, qui nisi bonorum iudicum inventur auxilio, praedae atque iniuriae subiacebunt. quidquid igitur eorum poscit utilitas, favor tuus non gravetur inpendere, ut publico saltem defendantur adiutu, qui familiaribus adminiculis deseruntur.

1 bonum] *VM*(*II* [illegible]) *P*
6 *om. VMF, ad Petronium scripta, utpote qui eo tempore vicariatum Hispaniarum deposuerit* 7 salo] *M*, solo *PVF* 8 uerueramur *P 1 m.*
11 *om. VM* 12 duo *in ras. P* 13 continuum *V* 14 mori *V* periculum *P 2 m. M* 15 *in voce* indicaui *desinit M* propriore *P* 16 aduerti iuinus *P 1 m.*, aduertimus *V* qua *V* 17 laudatione sua mandata *V* 19 commoda] *FV*, commodo *P* 20 explere *V*
22 *om. V* 23 paruulis et] paruulosi *V* destitutus *V* 26 iudicum *om. V* quidquic *P 1 m.*

CXVII.

PVF AD PATRVINVM.

Exsortem te sermonis mei esse non patior neque ab scribendi perseverantia silentii tui imitatione deducar. scio enim plerumque non amicitiae neglegentia sed *VF* obstrepentibus curis officia retardari. velim | . . . . credas et in posterum curam capessas integrandi istius muneris. quod ipse iam pridem moraris . . . . ero promptior litteris exhibendis, qui ne nunc quidem tempero, cum gratiam mutuam non reporto.

CXVIII.

VII AD PATRVINVM.

Certum habeo, nihil apud animum tuum amicorum litteris esse iucundius, et ideo promptissime frequento conloquia, quae scio apud eximium virum magni esse momenti. superest, ut ipse, quam benigne litteras meas sumis, tam libenter indicia propriae sospitatis emittas.

CXVIIII.

PVF AD PATRVINVM.

Cordi mihi est frequenter adloqui vos, ne videatur apud me officiorum familiarium cura tepuisse: atque ideo salutem vobis votis opto, litteris dico, petens, ut si quando epistularum mearum usus intervallo longiore cessaverit, causam silentii non voluntati aut desidiae meae sed occupationibus adplicetis.

CXX.

AD PATRVINVM.

VII Athanasius v. c. peregrinationis iniuriam iusto dolore suscepit. nam pactae ei et nobis arbitris vinctae obligatione pignorum nuptiae denegantur. exaggerarem facti

---

2 *om. VF* 4 deducor *P 2 m.* 5 *finis epistulae inde a voce* credas *periit in P* uelim credas *VF*, *supple:* uelim tamen me offensum credas *vel simile quid* 6 moraris ero *VF*, *supple:* quod si feceris *vel simile quid* 7 quidem *om.* (*Γ*)

10 *om. V*, *periit in P; reliquae epistulae supersunt haec:* 11 cer . . . amico . . . 12 promp . . . quae scio a . . . ēē momen . . . 13 benigne litt . . . indicia propri . . .

16 ad pat . . . *P*, symmachus patruino *F*, *om. V* 17 frequenter adloqui uos] *VF*, fr . . . *P* officiorum familiarium] *VF*, . . . liarium *P* 18 tepuisse atque ideo salutem uobis] *V*, tepuis . . . uobis *P*, tepuisse atque salutem ideo uobis *F*, tepuisse atque uobis ideo salutem (*Π*) litteris dico petens] *VF*(*Π*), litter . . . *P* 19 mearum usus interuallo] *V*(*Π*), mea . . . ternallo *P*, mearum *om. F* cessauerit causam] *VF*, cessau . . . *P* 20 desidiae meae] *VF*, desidi . . . *P* adplicetis *om. V*

22 ad patruinum *P*, *om. V* *epistula ipsa periit in P praeter litteras has: p.* 211, 1 . . . pud 2 . . . letur . . . ir auxi 3 . . . ndet et mu . . . t 23 u. c.] (*Π*), uir consularis *V* 24 abitris *V* uinctae] *VF*, iunctae (*Π*)

huius invidiam, *ni*si verba rebus essent minora. ipse apud te, quod quaesito opus est, plenius eloquetur. orare non debeo, ut tuo iuvetur auxilio, quod illi et amor tuus spondet et munita legibus causa conciliat. *VΠ*

CXXI a. 401.

AD PATRVINVM.

Scio ad indicium amicitiae pertinere, quod religionem tuam participem nostrae necessitatis adsumo. suscipe igitur, quaeso te, proclive mandatum, quod pro mutua diligentia etiam non rogatus curare deberes. *ur*si quam plurimi ad editionem muneris nostri ex †Italia devehuntur, quos cupi|mus celeriter in usum propinqui muneris ex- *PV*
hiberi. dignare igitur eorum transitum studio et diligentiae vindicare simulque adhibere custodiam, ne qua eos fraus avara commutet. maxime autem rumpendae sunt morae, quia dies proximus functionis cogendo apparatui non relaxat indutias.

CXXII a. 400.

AD PATRVINVM.

Probo modestiam tuam, sed damno mihi esse non debuit, dum sperata expectat impleri: et certe nunc, postquam rei effectus finem silentio dedit, dispendium meum frequentior stilus sarciat. est aliud, quo diu *negle*cta scripta conpenses: in agendis d. m. consuli pro beneficio suo gratiis nostram sortire personam eo adfectu, quo amicorum gaudia tibi vindicas. sed ut scio, luculentioribus verbis et propter ingenii tui magnitudinem et sine adulationis pudore absentis gaudium prosequeris. adde, si pla- 2
cet, quod a me postulatum tenes, ut aliarum Libycarum mihi emptio sacra auctoritate praestetur. quo impetrato omnium perceptione*m* donum putabo. de iuvene autem meo retexere non laboro, quae sponte meministi. intellego enim remitti modestiae meae precandi necessitatem, cum libentius a sublimi et magnificentissimo viro non expetita praestentur.

CXXIII.

AD PATRVINVM.

In viro optimo et amicissimo meo Petrucio Romana simplicitas est. taceo, quod illum longa militia et inculpata cohonestat; minora enim cetera facit morum eius in-

1 huius] (Π), eius V   nisi] *Iuretus*, si VΠ   te quod] (Π), *om.* V   quesito *ex* quesio *corr.* V *1 m.*   2 ille (Π)   amor tuus] (Π), a mortuis V   3 munita] *Iuretus*, minuta Π, munia V

5 *om.* V; *in P supersunt huius epistulae haec:* 5 . . . um 6 . . . iae ptinere . . . rticipē nr̃ae ne 7 . . . cipe igitur quaeso . . . tū qđ pro mutua 8 . . . rogatus curare debe . . . lurimi ad editionem 9 . . . ri ex italia deuehuntur . . . mus celeriter *usque ad finem*   8 etiam] et (Π)   ursi] *Lectius*, ut si V(Π) quam] V(Γ), quidem (Π)   a deditione V   9 *fort.* ex Praeualitana   muneris] V(Π), . . ris P   10 eorum] . . m P   studium V   diligentia P   11 neq/a P *2 m.*, neque V, neq/e (?) P *1 m.* eos *om.* V   12 quod dies V, quiad P *1 m.*   functionis P   apparatu V

14 *om.* V   17 quo diu neglecta] *ego*, quod iuncta PVΓ   18 d. m.] deū V   eo] ex V   21 lybicarum P, lybitarii V   22 perceptionem] *ego*, perceptionum PV   24 uiro *om.* V

27 *om.* V   28 Petrucio] V, *cf.* VIIII 60, petro P *sed add.* cio *1 m.*   29 longo P *1 m.* cetera] certe V

PV spectio. hunc si unanimitas vestra ante non didicit, iudicium meum secuta suscipiat. si usu aliquo iam proba*vit*, quaeso, ut illi honor testimonii mei conciliet apud vos amoris augmentum.

CXXIIII.

AD PATRVINVM.

Amicorum liberis usui esse debemus, quod etiamsi ipse nescirem, tuo exemplo et imitatione didicissem. ad hanc sententiam pertinet, qui tibi litteras exhibebit. fungitur autem militia in scriniis litterarum. cui satis opis et felicitatis eveniet, si ad clientelam splendidissimae domus tuae meruerit pervenire.

CXXV.

PVF

AD PATRVINVM.

Athanasium bonis artibus clarum securius amare coepi, postquam de eo iudicium *VF* tuum | conperi. magna enim praerogativa est, placuisse sapienti. quare commendatione eius abstineo, ne minora adferam, quam tibi credo sentir*i*. illa pars mihi pronior dict*u* est, ut ames in eo spem, quam dedisti, addasque inchoato beneficio *per*fectionem. quam si aliquis eventus eluserit, effice, oro te, maiora praestando, ut illi prioris voti prosit amissio.

CXXVI a. 401—402.

VII

AD PATRVINVM.

Non novum atque intemptatum ad te refero postulatum, sed quod ingestum tuis auribus recognoscas. inlustris memoriae viri Rufini expraefecti urbi filias paterna adfectione defendo, quarum solitudinem per vos, quibus reip. cura est, opto tutari, et ideo precator accedo, ut quidquid clarae quidem sed miserabilis domus usus exegerit, facili impetratione mereantur. res namque illis est per Apuliam non tam reditu ampla quam censu. haec nisi bonorum iudicum fulciatur auxilio, publicis oneribus fessa subcumbet. opis igitur tuae levamen expectat, meque tibi gratiae faciet debitorem, si gravi onere inc*lina*tas salutaris defensor erexeris.

---

1 si *om. P* animitas *P 1 m.* uestra] uestri *P* non didicium meum *V*, non didicit iundum (*sic*) meum *P*, cit iudi *in spatio ante vacuo relicto suppl. P 1 m.* secutae *V* 2 uisu (*P*) probauit] *ego*, probatum *V*, ++++++++++ *P*

5 *om. V* 6 amicorum — debemus *in ras. P* 9 pertinere *V*

11 *om. VF* 12 securus *F* iudm tu͂m *P*, *corr. 2 m.; quae sequuntur interierunt exceptis litteris his:* 15 b . . . 16 euen . . . presta . . . 17 sio 14 tibi] *V*, te *F* sentiri] *ego*, sentire *VF* pras (*i. e.* praestas) *V* 15 dictu] *Schottus*, dictum *VF* perfectionem] *Lypsius*, profectionem *VF* 16 qui si aliqui *V*

19 *om. V; haec epist. revera ad Patruinum scripta est, utpote qui comes s. l. fuerit; supersunt in P haec:* 19 ad . . . 20 Non non . . . fero postu . . . 21 aurib: reco . . . riae uiri ruf . . . lias paterna a . . . 22 quarum solitudinē p . . . est — et id . . . 23 ut — clare qu . . . bilis — exeger . . . 24 petratione mereantur r . . . est per — reditu amp . . . 25 censu — iudicum fu . . . auxilio — subcumbet 21 illustris memoriae (*II*), . . . riae *P*, i m̄te (*i. e.* in mente) *V* urbi] (*II*), urbis *V* 23 precatus *V* quidem sed] (*II*), quid si *V* 26 fassa *V* neque (*II*) 27 inclinatas] *ego*, uinctas (*II*) iuncta *V*

CXXVII.

AD PATRVINVM. *VII*

Promptiorem me circa Herennii laudabilis viri defensionem iudicia vestra fecerunt. habet enim plurimum voluptatis electio, et provocant animum sperata praesidia. sed meum non est scripto ostentare, quid negotio promovendo cura nostra contulerit. narrabit haec vobis ille, quem iuvimus; simul ipsius rei exitus officia nostra testabitur. cuncta enim, quae direptio sparserat, investigata patuerunt. itaque in ius Herennii revertetur legibus quidem debita, sed patris sensui acerba successio. nunc vestrae de me existimationi ago atque habeo gratias et spero fiduciam nostri apud optimates viros esse mansuram, cuius documenta cepistis.

CXXVIII.

AD PATRVINVM. *PVF*

Amor in te meus ex summis opibus adnititur. ut in dies singulos bonorum tibi cultus accedat, tantum abest, ut sinam veteres tibi amicos insimulationum inprobitate decerpi. inter quos v. c. Scipio, virtutum tuarum me quoque teste laudator, spoliatum se amore tuo per aemulos ingemiscit. sed mihi verisimile non videtur, stabilitatem animi tui falsis rumoribus potuisse mutari, cum bene conscius vitae nihil in se maledicis licere sermonibus debeat aestimare. quare hortor et deprecor, despuas, 2
si qua sunt inculcata mendacia, atque hunc honorem meritis tuis vindices, ut qualis ipse es, talem te ab omnibus intellegas iudicari. nemo in te transferat odii sui semina. iam dudum enim genus artis est ad alendas vires discordiae suae metum sollicitare potiorum. non ibo longius, cum mihi inpetrationem spondeat sapientia morum tuorum; quam puto eatenus responsuram litteris meis, ut non tam ignovisse te Scipioni c. v. quam nihil de eo adseras credidisse.

AD SIBIDIVM.

CXXVIIII.

Curam de te meam nolo ex epistula metiaris: pauca †salutantis verba sunt . . . . . sed vota prolixa. liceat igitur mihi imitari erga te parsimoniam religionum,

2 *om. V, periit in P, ubi supersunt haec:* 3 . . . ā ([ur]ā *i. e.* uestra) 4 . . . tis . . . perata 5 . . . ostenta . . . o cura nr̄a 6 . . . obis ille quē . . . i exitus officia 7 . . . a enim quae direp . . . igata patuerunt 8 . . . ii reuertetur legib; . . . sed patris sensui acer . . . ne uestrae deme exis 9 . . . go atque — et . . . iā nr̄i apud optimates ui 10 . . . nansurā — coe . . . s   3 defensione *V*   fecerunt] (*II*), fecerit *V*   6 haec] (*II*), hoc *V*   uiuinus *V*   8 quidem] (*II*), quod *V*   acerua *V*, acer// *P*. asseruata (*II*)   secessio *II*   nunc uestrae] non cura est *V*

12 *om. VF*   13 meus in te *F*   ut *om. P 1 m. VF*   in dies enim singulos bonorum cultus tibi accedit *F*   14 tantum — 15 decerpi *om. F*   tantum] *VΓ*, tanti *P*   insimulationum] *P 2 m. VΓ*, insimulationem *P 1 m.*   improbitate *P 2 m.*, probitate *P 1 m. VΓ*   15 decerpsi *V*   uir consularis *F*   laudatur *P 1 m.*   16 ingemescit *P 1 m.*   uirisimile *P 1 m.*   17 posse *F*   18 deueat *P 1 m.*   respuas *P 2 m.*   21 est artis *F*, arti (est *om.*) *V*   uirtutes *F*   sollicitare metum *F*, metum licitare *V*   22 mihi *om. F*   24 c. u.] *ego*, cum *P*, *om. VF*   adferas *P*

25 xxvi expliē ad petronium et patruinum incipit ad sibidium *P*, symmachus sibidio *F*, *om. V*   27 nolo meam *F*   salutantis] *P*, salutantium *VFΓ*   sunt ++++++ sed *P*, sunt sed *VF*   28 imitare *V*

PVF quibus iure amicitia confertur, et officium pium brevi pagina tamquam parvo . . . . . ac ore persolvere. neque enim requirit dictio . . . . excursum. tibi autem praescribo stili terminos: erunt mihi, quae de te scripseris, nimis magna, si laeta sint.

CXXX.

AD SIBIDIVM.

Aeger est animus meus, quamdiu fides certa sit, quod portum sanitatis intraveris. huic expectationi satisfacias volo. non enim mihi honorem fieri obsequio litterario, sed magnae sollicitudinis tribui levamen exopto.

CXXXI.

PV AD SIBIDIVM.

Numquam efficies silendo, ut me ad parem voluntatem ducat imitatio. cogito *VII* enim, non quid temporali causae sed quid per|enni amicitiae debeatur, cumque sim mei officii severus arbiter, curam tuam casu saepius quam fastidio credo cessare. sed ne longa conloquii intercapedo quamvis tui amantem cogat timere neclectum, quaeso constanter munia familiaritatis exerceas. quo enim pacto intellegere possum, grata esse, quae defero, si negaveris, quae reposco?

LIBER OCTAVVS.

I.

Compertum habeo, quolibet honorum culmine animum tuum non solere mutari — quidquid enim bene meritis honestatis accedit, id solutum magis videtur esse quam praestitum —, et ideo mirari me ac stupere confiteor, cur tanta virtute atque humanitate praeditus iampridem circa me munere litterarum [causis occupationis] abstineas. quod ego etsi occupatione magis quam voluntate arbitrer accidisse, tamen orare non desino, ut censuram tuam nostri memorem frequens sermo declaret.

---

1 iurae amicitia *P 1 m.*, iura amicitiae *P 2 m.* confertur] *ego*, consertor *V*, conseritur *F*, confers *P* pagina tam+++++++++ ac ore *P*, pagina tamquam paruo ore *VFΓ* 2 dictio excursum *VF*, datio excursum *P* 3 termino erit *V* mihi] tibi *F* *restitue hoc fere modo:* curam de te meam nolo ex epistula metiaris: pauca sa*cerdotis* litantis verba sunt *et sollemnia*, sed vota prolixa. liceat igitur mihi imitari erga te parsimoniam religionum, quibus iure amicitia confertur, et officium pium brevi pagina tamquam parv*a precatione* persolvere. neque enim requirit dictio *salutis longiorem* excursum. tibi autem *et q. s.*

5 *om. VF* 8 exopto (opto *in ras.*) *P*

10 *om. V* 11 me ad] meā/ *V* 12 sed quid per *claudit paginam in P; reliqua epistula interiit praeter has litteras:* 11 ca . . . tem . . . 15 muni . . . enim p . . . ta ēē qua . . . 16 posco 12 sim] *V*, sin (*Π*) 14 quamuis] (*Π*), quam *V* timere] *V*, temere (*Π*), tem// *P* 15 intellere *V*

18 q̄. . . . ēsular: ep . . . incipit l// . . . *P*, *om. V* 19 *inscriptio deerat etiam in P, reliquae epistulae supersunt haec:* comptum (m *prius in ras.*) habeo . . . culmine animū tı . . . 20 quidquid enim be . . . tatis — solut . . . esse — et id . . . 21 aestupere — cur . . . atque — p̄ditus iaı . . . 22 circa — litterarū . . . occupationis — 24 desino 21 me aestupere *P 1 m.* humilitate *V* 22 causis occupationis *delet Iuretus* 23 etsi] et// *P* occupationi *P 1 m.*, occupationem *V* arbiter *PV* 24 tuam] tamen (*Γ*)

II.

AD ALMACHIVM. *VII*

Mihi quidem multiplex a te et varium munus exhibitum esse . . . . . . sed adverti verecundia factum, quod tibi in solidum adsumere noluisti omnem capturae silvestris eventum. nam tua indage captum leporem gloriatus, aprum serviles manus adseris incidisse. an brevitas ferae indigna tibi visa est, quam laudi propriae vindicares? sed haec ioco dicta ridebis. nunc alia, quae de me requiris, adverte. diebus pauculis etiam nunc morari Capuae destinavi; dehinc mutationibus vicinorum locorum totum hunc mensem cupio producere, atque ita, si dii iuverint voluntatem, relegere Appiam . . . . molestiae accessu hiemis.

III.

SYMMACHVS FRVCTIANO. *PV*

Sollicitatus iamdudum litteris tuis pendeo animo, quamdiu de te secunda cognoscam. quid igitur vel medicorum curatio vel abstinentia tua ad salutem promoverit, opto cognoscere. ipse bonae valetudinis compos revisere patriam fortuna suffragante constitui, priusquam labor itinerum processu adultae hiemis augeatur.

IIII.

AD LOLLIANVM. *PVF*

Primas litteras sponte tribuisti, secundas mea cura debet elicere. sume igitur salutationem, quam vicissitudine munereris. polliceor itidem cum responsis tuis paria me esse facturum.

V a. 375—376.

AD PRISCIL*L*IANVM. *PV*

Essent mihi gratae litterae tuae, vel si nihil de meis apud Africam meritis ac laudibus continerent: *nunc* ut mihi decus aliquod, ita tibi pro mutua amicitia gau-

---

2 *om. V* *periit epistula in P praeter haec:* 4 . . . ae 5 . . . ge cap . . . riles man9 6 . . . s ferę in . . . di proprię 7 . . . ictari debes (i) . . . requiris aduer 8 . . . nunc morari ea . . . e mutationib; uici 9 . . . hunc mensem cupio . . . a si dii iuuerint uolun 10 . . . appiam ++++++++++++++ . . . ccessu ++++++++++++++ 3 multa lex *ΠΓ* esse sed *V*, est sed (*Π*), *supple:* gratanter agnosco *vel simile quid* 4 uerecundiae *V* in solidum] *Γ*, insolidus *V*, *om.* (*Π*) 5 aprorum *V* 6 uindicare *V* 7 ioco] *VΓ*, ioci (*Π*) dictari debes *Γ*, /ctari debes *P 1 m.*, dictare debes *V* requaeris *V* 9 uoluntate *Γ* relegere] (*Π*), religere *VΓ* 10 appiam ++++++++++++++ *P*, appiam pateris *V*. appiam poteris *Γ* hiemis] *VΓ*, *om. P spatio vacuo relicto; supple:* relegere Appiam constitui, antequam itineris crescant molestiae accessu hiemis *vel simile quid*

12 /////chus fructiano *P*, *om. V* 13 sollicitatus] *V*(*Π*), ////////atus *P* pendeo animo] *V*, ++++++++++ immo *Γ*, ++++++++++++++ *P*, tandiu angar (*Π*) cognosco menti igitur tibi medicorum *V* 14 prouenerit *corr. ex* promouerit *V 3 m*

18 ad lollianum *PV*, Symmachus Iuliano F^1, *om.* $F^{2.3}$ 19 tribuistis F^2 20 muneris *VF* itidem *om. F* me parem F^3 21 uale *add.* $VF^{1.2}$

23 ad priscilianum *PV* 24 uel *om. V* 25 nunc] *ego*, nam *PV* mutua] mea *V*

PV dium praestiterunt. hinc factum est, ut epistulam laetus emitteres. exultans quippe animus gloriatur et ostentatione sui non potest abstinere. *pro* tanto igitur in nos amore deorum te benignitas muneretur. etenim cum ipse me non esse solvendo ⟨dignum⟩ arbitr*er*, ad vicem meae gratiae favorem tibi praesidii caelestis exopto.

VI.

AD SEVERVM.

Gratae sunt quidem semper litterae tuae: nunc *autem* legentis animum momorderunt, cum te indicarent morbi diuturnitate macerari. quaeso custodes bonorum, *P* valetudini tuae medicas applice*nt* manus, ne optimi senatoris longa vexatio | fidem faciat, nihil curare caelest*es*. a qua ego opinione dissentio, teque protinus ope salutarium potestatum solidae sanitati praesumo reddendum. si modo ipse plenus spei la*e*tis cogitationibus elucteris adversa.

VII.

AD CAPREOLVM.

PV Adventante Euscio speravi | litteras tuas. sed fiduciam casus fefellit: ego tamen silentii tui imitator esse non potui. quare indebitis fungor alloquiis. ut qui praesul huius officii esse debueras, exempli necessitate ad diligentiam provoceris.

VIII.

AD EVSEBIVM.

Fuerit verecundiae tuae, quod nihil hactenus nobis adloquii detulisti. nunc sume fiduciam, quam tibi ad invitamentum familiaritatis ingerimus, et gratas tibi fuisse litteras meas sermonis adsiduitate testare.

VIIII.

PVF

AD MARCIANVM.

VF Scriptionis auspicio fiduciam tuam provoco. | quare familiaritatis nostrae aditum securus ingredere. vicissitudo officii tui faciet, ut inchoata per me amicitia convalescat.

1 hinc] nunc *V* 2 pro] *Lectius*, *om. PV* 4 dignum *uncis inclusi* arbitrer] *Wingendorp*, arbitror *PV* id inuicem *V*

6 ad seuerum *PV* 7 nunc autem legentis] *ego*, nunc/†legentis *P*, nunc legentis *V* remorderunt *V* 8 tum *P 1 m.* morbi] *P*, ++++++++++ *V* custodes] *P*, +++++++++++ *V* bonarum *P 1 m.* 9 medicos *P 1 m.*, medicus *V* applicet *PV* fidem faciat *usque ad finem om. V spatio vacuo relicto* 10 caelestis *P* 11 sanita++ *P 1 m.* 12 laetis] *Iuretus*, latis *P*

15 Aduentante Euscio speraui] *P*, A *et spatium vacuum 25 litterarum V* tuas prae fiducia *V* 17 ad] ob *V*

19 *om. V* 20 actenus *P 1 m.* 22 uale *add. V*

24 ad marcianum *PV*, Symmachus Martiano *F*[1], *om.* *F*[2.3] 25 scipionis *F*[2] prouoco *claudit columnam in P, reliqua perierunt* familiaritis *V* 26 ingredere securus *F*[1.2] per] pro *F*[1.2] uale *add.* *F*[1.2]

X.

AD IRENAEVM. *VΠ*

Expectasse te arbitror litteras meas, ut in mutua officia provocatus erumperes. sume igitur sermonem, cuius sequaris exemplum. ero posthac in scribendo diligentior, si coeptis nostris vicissitudo respondeat.

XI.

* * * * * * * * * *VF*

Adfectio in te animi mei non litteris aestimanda est. religio enim fide pectoris continetur: in verborum officiis latet plerumque simulatio. quare si tibi in scribendo rarior videor, nihil aestimes amori esse decerptum. et saepe evenit, ut homines tui nec profectionis *s*uae indicium mihi faciant et mutuas paginas non reposcant. sed de hoc loqui largius non oportet, quia sufficit | amanti brevis et *r*estricta purgatio. ad ea *PVF* transeo, quae utrique votiva sunt. hilaratus sum sanitatis tuae nuntio et rependo, quo gaudeas. nam mei quoque | corporis vigor post infirmam valetudinem coepit adsurgere. *VF*

XII.

AD PACATVM. *VΠ*

Et in deferendis et in rependendis tibi litteris desidem me arbitror non videri. quare etsi memini ad te diebus proximis officia nostra manasse, curavi tamen etiam *in*debito fenore sermonis absolvi. sed si umquam brevi intervallo usus iste cessaverit, velim cogites amicitiarum non frigere respectum. religio enim magis fide animi metienda est quam ostentatione verborum.

2 Ad Ireneum (*Π*), *om. V* *periit epist. in P exceptis litteris his:* 3 ex . . . in n . . . 4 sume . . . emplu . . . tior si coep . . . 4 sequeris (*Π*)

7 *versus vacuus in P, ante VII 105 hanc epistulam coll. F*[1] 8 *supersunt in P epistulae verba haec:* adfectio in te . . . manda est relig . . . 9 tinetur in uerborum of . . . simulatio quare si ti . . . 10 uideor nihil aestime . . . et saepe euenit ut hom . . . 11 fectionis tuae indiciū m . . . mutuas paginas n̄ reposca . . . 12 loqui largius n̄ oportet quia . . . anianti *usque ad* 14 quoque 8 est estimanda *F*[3] 9 rarior in scribendo *F*[2.3] 10 uidear (*Γ*) estimes amori esse *V, eadem fuisse in P, spatio computato efficitur,* amori existimes *F*[1], amori estimes *F*[2.3] homines] absentes *F*[3] 11 suae] *F*[2], tuae *PVF*[1.3] mihi indicium faciant *F*[1], indicium faciant mihi *F*[2], mihi *om. F*[3] 12 quia] quod *V* anianti *P 1 m.* restricta] *C. F. W. Mueller,* destricta *P,* districta *VF* purg//// *P* 13 sunt *periit in P* nuntio *om. F*[1] 14 infimam *F*[3] 15 uale *add. F*[1.2]

17 *supersunt huius epistulae in P haec:* 19 . . . ā 20 . . . d si . . . iste 21 . . . citiaru . . . io enī magis . . . 22 quā ostenta 17 Ad paccatum *V,* Paccato (*Π*) 18 in deferendis et in rependendis] (*Π*), inde************ et in repetendis *V* arbitror] *V*(*Π*), *fort.* adnitor non uideri] (*Π*), causari *V* 20 indebito] *ego,* debito *V*(*Π*) foenore (*Π*), honore *V* 21 frigere] (*Π*), frangere *V* enim] *P, om. V* 22 metuenda *Π*

XIII a. 400.

VH

AD APOLLODORVM.

Praevenisse *me* arbitror famam, quae te absolutum non modo honoris verum etiam curarum fasce vulgavit. si ita est, ero tibi nunc confirmator boni olim desiderati. mea cum filio sanitas ope divinitatis in solido est: tibi ut salus valida et reditus felix secundet, tam nostra vota quam tua merita praestabunt.

XIIII a. 400.

PV

AD CAECILIANVM ET PROBIANVM.

Abundo laetitia, postquam valere vos didici nostraeque amicitiae inter negotiorum P dura meminisse. | sed quando fiet, ut solaciis litterarum damna abstinentiae sarciantur? ego autem vos praetoris mei fascibus primos interesse voluissem festisque communibus decus facere: sed feram necesse est anteferri mihi causam senatus. quare in superioribus verbis desiderii magis contestatio est quam querella discidii. praestabit caelestium favor, ut mandatis patriae absoluti iter felix ad ludorum nostrorum sollemne relegatis.

XV.

AD ALEVIVM.

Ex debito venit sermo, qui redditur, ex beneficio, qui sponte defertur. secundae igitur mihi partes relictae sunt, postquam stilus tuus mea scripta praevenit. nunc vice salutationis repensa operam tuam curamque deposco in *i*is, quae Castor ex usu atque utilitate nostra promovenda suggesserit.

XVI.

PF

AD CARTERIVM.

Gratum habeo de testimonio meo non esse dubitatum, receptumque esse in familiam tuam Auxentium filium nostrum lectissimum iuvenem in meo aere duco. quo nomine amicitia nostra in artiora fidei iura convenit. praestabit usus longior, ut cum in eo bona plura cognoveris, adstipulationem meam de merito eius infra terminos veritatis stetisse fatearis.

---

2 *supersunt huius epistulae in P haec:* . . . pollodorū 3 . . . fama quae te ab . . . oris — cura 4 . . . uit si — ero tibi . . . tor — desidera 5 . . . io — diuinitatis . . . ibi ut — reditus 6 . . . undet — tua . . . a prestabunt   3 praeuenisse me] *ego*, preuenisse V, peruenisse *II*   te] *P*, *om.* V   5 cum filio] *II* , // /io *P*, dum V   est] *II* , sit V

8 // aecilianum *P*, ad cecilianum V   10 meminisse. nal *desinit V in media pagina*   absentiae *Iuretus*   sanciantur *P 1 m.*   11 ut *supplet 2 m. in spatio vacuo P*   15 religatis *P 1 m.*

20 his *P*

23 Symmachus Carterio F^1, *om.* $F^{2.3}$ 24 de (d *in ras.*) *P*   25 aumentium *F*, ·A· F^2 doctissimum F^1 meo aere] nota mea F^3 26 nomine] negotio F^3 in artiora] maiora F^3 et *ante* praestabit *inser.* $F^{1.2}$, etiam *inser.* F^3 27 plura bona F^3 intra terminos *Latinus Latinius*   28 fecisse *F*   uidearis F^2 *1 m.*   ipsum autem te malo delinimenta uerborum tuorum (*initium ep. 19*) *add.* F^2, *utramque epistulam coniungunt* $F^{1.3}$

XVII.

AD RVFINVM. *P*

Provinciali actione decursa, quae ad sacri auditorii *cognitorem* necessaria provocatione pervenit, delectatus sum fide ac diligentia tua et fortunam negotii non defensoris inscientiae sed voto iudicis inputavi. hortor igitur, ut amicitiae meae fiduciam geras et testimonii interim nostri adstipulatione contentus domum nostram, quae multis circumlatratur iniuriis, forensis industriae tuearis officio. nos ut sponte gratiam nudo et simplici protestamur adloquio, ita ad referendam vicissitudinem, si fors iuverit, pares esse nitemur.

XVIII.

AD PATRVINVM.

In agro me esse miraris. at ego iustius stupeo ad communem te patriam spreto ruris otio revertisse, nisi quod causam | tibi reditus iterata lis adtulit. alioquin, ut *H* est mens tua quietis cupida, mallet negotiis rusticis inmorari. mihi suburbanitas pedum aegritudine laboranti magis solacio quam voluptati est. nullam iucunditatem tristis morbo sensus admittit. sed spero, si innocentiam divina respiciunt, et te forensi observatione cariturum et me valetudinis reconciliatione sanandum. gratus et facilis erit aut *mihi* Romam reditus, aut tibi ad agrum, in quo nunc diversor, excursus.

XVIIII.

AD PATRVINVM. *F*

Ipsum te malo quam delenimenta verborum: tu contra epistulis absentiae moras redimis. quid si respondisset opimitas segetis aut vindemiae adrisisset ubertas? omnium temporum vices in otio ruris exigeres, qui patriam fame in agris dominante non respicis. an solo iuvaris aucupio, cuius me parte donasti? sed his quoque gulae inlecebris Romae positus largiter utereris. nam simul tibi et coempta ex foro cupedinario et ex suburbano tuo perlata suppeterent. quid quod etiam iactari morbo ma- 2
tronam tuam simulas? cuius valetudini, si vera praedicas, solitudo non conpetit. plura

3 sacri] *P 2 m.*, sa*** *P 1 m.* cognitorem] *Iuretus*, genitorem *P* 4 defensores *P 1 m.*

13 *inde a voce* causam *non supersunt in P nisi haec:* 15 bo . . . ti es . . . 16 bo sen . . . centia . . . 17 si obseru . . . tudinis r . . . gratus et fa . . . 18 redit⁹ aut tibi . . . diuersor excur . . . 14 tua] (*F*), tuae (*H*) 16 morbi (*H*), bo *P* 18 mihi] *Lectius*, in (*H*)

21 *om. F* *huius epistulae non supersunt in P nisi haec:* 22 ipsum te malo qua . . . uerborum tu contra . . . tiae moras redimqu (is *suprascr.*) . . . 23 disset — segite . . . mie — uberta . . . 24 porū — ruris . . . patriam — dom . . . 25 n̄ — iuuaris . . . cuius — sed . . . gulę — largiter . . . *p.* 220, 2 . . . cio . . . iugem 3 . . . atione 22 ipsum — contra *om.* F^2, *cf. p.* 218, 28 ipsum te] *P*, ipsum autem te F^3, ipsum autem de F^1 tu contra] *P*, tuorum *F* 23 redimqu (?) *P 1 m.* quodsi F^3 oportunitas F^2 segite *P* risisset F^3 24 exigeres] *H*, ageres $F^{1.3}$, agens F^2 patriam fame] PF^3, patriae famam $F^{1.2}$ dominantem F^1 25 an] PF^3, aut $F^{1.2}$ iuniaris F^2 cuius — 26 utereris *om.* F^2 *1 m.* in *ante* his *inser.* F^2 quoque] quo F^3 26 uteris F^1 simul tibi] simulac F^3 cupidenario F^1, cupe denario F^3 27 ex *om.* F^3 tua F^3 quid quod etiam iactari morbo] *H*, quin etiam morbo iactari F^3, qua et morbo lactari F^2, quamquam morbo iactari F^1 28 famulas F^2

F enim Romae salubritatis instrumenta sunt, maior medentium numerus. vide igitur, ne aliud genus suspicionis incurras. si obsessam a morbo coniugem vacuo secessu et intuta ablegatione maceraveris.

XX post a. 374.

PF * * * * * * * * *

Prae ceteris temporum vicibus aestate delector: non quod diurnas horas longior solis meta producit, ne*que* quod res rationesque nostrae nova fruge ditescunt, sed quod pacata navigatione desideratas mihi litteras tuas frequens invehit commeatus. quid enim vel animi voluptate iucundius vel ad officium amicitiae adcommodatius
2 praestari potest, quam ut te mei amantem usu crebri sermonis experiar? ergo dum anni tempus invitat, dum pervium mare est, pabula quaedam et nutrimenta mutuae adfectionis veluti in hiemem congerantur. cum haec scriberem, salus mihi ex sententia suppetebat, tuis videlicet adiuta votis. neque enim nobis alia de causa arbitror optata succedere quam iudicio et amore Carthaginis.

XXI a. 399.

LVCILLO.

Indulgere te otio opinionis falsus putabam: tu vero animum lectione, labore corpus exerces. hoc indicant scripta et munera tua stilo exsculpta et parta venatu. mihi Flaminia emetienda est ad novos fasces generosi consulis evocato. o si reditus tuus
2 antecaperet profectionis meae molitiones! iuvari me amplissimo viatico crederem. sed quia multo itinere discernimur et neque mihi mora neque properatio tibi commoda est, †verbis meis pagina nostra fungetur. praefata numinum venia praetorem Symmachum meum mox urbanum tribunal accipiet. festa eius frequentari a potissimis amicorum, quibus adnumeraris, exopto. da istam gratiam procul afuturo iisdem diebus. gratius est, quod defertur absentibus.

1 medentuum F^2 2 suspiciens F^2 recessu F^3, successu F^2 3 intuta abligatione *II*, diutina ablegatione $F^{2.3}$, diutina abnegatione F^1 uale *add.* $F^{1.2}$

5 *linea vacua in P* 6 prae ceteris temporum] *F*, *periit in P* delector non quod diurnas] *F*, delector non quia diurnas *II*, de . . . nas *P* 7 solis meta] *F*, *periit in P* producit] $F^{1.2}$, producat F^3, *periit in P* neque quod] *ego*, ne quod *P*, nec quod *F* nostrae noua fruge] *F*, . . . uge *P* 8 quod *om.* F^2 placata nauigatione $F^{1.2}$, pa . . . tione *P*, placida nauigatione F^3 litteras tuas] *F*, lit . . . *P* 9 quid enim] . . . m *P*, quid enim mihi $F^{1.2}$, quid mihi F^3 uel *om.* F^2 *1 m.* uoluntate $F^{1.2}$ iucundius uel] *F*, . . . l *P* accomodantius F^2, . . . datus *P 1 m.* 10 ut te mei amantem] $F^{1.3}$, ut te me amantem F^2, . . . mantem *P* experiar] *F*, xp . . . *P* 11 annum F^2, animum F^1 perhiemale est F^3 quadam *P 1 m.* 12 uelud F^2 congregantur F^1, congregentur F^3 13 alia nobis *F* 14 cartaginis *P 1 m.*, kartaginis F^2, caritatis F^3 uale *add.* $F^{1.2}$

16 Lucillo] *P*, Symmachus Lucillo *F*, *om.* *F II* 18 etsculpta *P 1 m.*, exculta F^3 uenatus F^2 19 flaminiae metienda PF^1, flamine metienda F^2, familie metienda F^3 est *om.* F^3 nouas faces $F^{1.2}$ euocato o si *add. P 1 m. in spatio ante vacuo relicto*, o si F^1, ·o)· o si F^3, quod si F^2 20 antecaperent F^2 molitionis *P* 21 mora] mo·· *P 1 m.* tibi properatio F^1, tibi probatio F^3 22 *fort.* uerbi uices pagina nostra] $F^{1.2}$, ·········· ura *P*, pagina F^3 uenia praetorem] uetita precatione F^3 syminachum *P*, simachum F^2, siuiatienm F^3 23 meum mox] morum F^2 eius] mihi F^2 a *om.* *F* 24 amicorum *om.* F^2 annumeraueris F^2, *om.* F^3 hisdem *P*, hisdem F^1, isdem F^2, hiisdem F^3 25 quod] quem F^2 *1 m.* differtur F^2 uale *add.* $F^{1.2}$

XXII.

AD ANDRONICVM. *PF*

In tuo ore vernat Musa Cecropia, mihi lingua Latiaris est, ne desideraveris aequa stili mei munera. litteris vincimur, amore certamus. sed haec merito rescriberem, si mihi solam epistulam detulisses; tu vero, ut es diligens amicorum, bibliothecae nostrae carminum tuorum divitias intulisti. quid tibi pro hoc dignum rependam tenuis ipse facundiae et pauper ingenii? tradam publicae admirationi, quae legenda misisti, et quamquam laudator inpar bonum saeculi publicabo. nihil ex hoc 2
derogabitur operis tui gloriae: nam et Homerum novimus a dissimilibus praedicari. careret quippe fama magnorum virorum celebritate, si etiam minoribus testibus contenta non esset. sed quid haec longius traho, cum brevitatem verecundia tua postulet? cura, ut valeas, et si quid stilo adieceris, cum mediocri iudice sed non ingrato lectore participa.

XXIII a. 396.

AD MARCIANVM. *Π*

Deos oro, ut quae mihi interim valetudo est, eadem tibi ac tuis suppetat. videor plene hoc anteloquio scribenda conplexus, de tua sanitate votum, de mea gaudium. sed epistulas breves esse non pateris. quae igitur ὑπόθεσις erit paginae longioris? ubi sim, quid egerim — nam praecipue amicitia rerum talium curiosa est —, si placet, prosequar. principium voluptatum de Formiano sinu nascitur, quae civitas 2
quondam Laestrygonum populo fertur habitata. hos ventri et gulae usque ad feritatis invidiam legimus obsecutos. plusculos in eo litore dies sed deliciarum parcus exegi tantum caeli salubritate et aquarum frigore suadentibus moram. adfuerunt pignora mea, quorum cupiens nostra urbe processeram. nec fuit operae mox ulterius iter adgredi, cum praesto essent desiderati. illorum dehinc arbitratu legi oram, quae 3
Formias et Cumanum litus interiacet. nunc mutuis invitationibus aut in Baulos aut in Nicomachi Gaurana migramus. amicorum subinde mihi adfluentium largiter est. non vereor, ne me lascivire in tanta locorum amoenitate et rerum copia putes. ubi-

2 Ad Andronicum] *P*, ad Martianum (*Π*), Symmachus Andronico *Γ*, *om.* *F* 3 cecropria *P 1 m.*, cęcropia *P 2 m.*, cycropia F^3 latialis F^1, latina F^3 nec *P 2 m.* aequa] umquam F^3 4 munia F^2 litteras *P 1 m.* hoc F^3 5 dedisses F^3 tu mihi ut (ut *om.* F^2 *1 m.*) es amicorum diligens *F* bibliotaecae *P* 6 pro hoc dignum] *P*, de hoc dignum F^2, de hac dignum F^1, dignum pro hoc F^3 7 cum *ante* tenuis *inser.* F^3 (facundiae *P*, facundia *F* ingenio *F* 8 et quamquam — 9 nam et *om.* *F* publicabo) *P* 9 nouimus homerum F^1, nouimus hunc erum F^2, noui homerum F^3 10 carerent F^3 flama bonorum uirorum F^2 celebritates si non minoribus contestatum esset F^3 11 quid *om.* F^3 hoc F^3 breuitate *P 1 m.* 12 curo $F^{2.3}$ ut] autem F^2 adiceris F^3 integrato F^2 13 uale *add.* $F^{1,2}$

15 *non supersunt in P huius epistulae nisi haec:* 17 da . . . de m . . . 18 uis ēē ı . . . erit pag . . . 19 egerim n . . . talium curio . . . 20 principium u . . . sinu nascitur qu . . . 21 lęstrygonum popul . . . hos uentri et gulae . . . 22 inuidiam legimus obs . . . in eo — sed del . . . 23 exegi — salu . . . ru frigore suadentib; . . . pignora mea quorū cu . . . 24 processeram nec fuit o . . . 25 iter adgredi cū pręst . . . ti illorum — arbitr . . . quae — litus int . . . *p.* 222, 1 . . . agimus . . . nmus 2 . . . la in con . . . entatio . . . enū procaces 3 . . . ee inluxòria (*corr. 2 m.*) 15 Ad Martianum *praecedenti epistulae proponit* (*Π*) *illius inscriptione* (Andronico) *in hanc translata*, Symmachus Marciano (*Γ*) 17 de mea gaudium] *Γ*, de me ac studium (*Π*) 18 breues] (*Π*), (uis *P* 22 sed] *P Γ*, *om.* (*Π*) 23 tantum] *P*, tantam (*Π*) 27 nichomachi (*Π*)

H que vitam agimus consularem et in Lucrino serii sumus. nullus in navibus canor, nulla in conviviis helluatio. nec frequentatio balnearum nec ulli iuvenum procaces natatus. scias nullum esse in luxuria crimen locorum.

XXIIII a. 396.

PF AD MAXIMIANVM.

Nihil inter te et optimum parentem tuum re aut adfectione divisum est. ergo et litteras, quas ad eius reverentiam misi, ut omnium particeps in acceptum referre potuisti. sed iam colendus es nobis etiam tuo nomine. praeterea cavi, ne respondente uno inputaretur . . . . munus duorum. convenit tamen brevitas huic paginae, quia relatu digna praecerpsi. quare sermonem istum tamquam amoris in te nostri testem tenebis. verum te in rescribendo decet esse prolixum. neque enim par condicio est a me iterati. utrique autem vestrum singularis laboris. duos meatus repleri uno fonte difficile est: uni alveo abunde influunt duplicata principia.

XXV a. 396.

AD ALBINVM.

Credo arbitreris, circumsessum me Campaniae amoenitatibus scribendi ad te hactenus neglegentem fuisse. non est ea fortuna horum locorum, ut seriam curam sepeliant voluptates. insolitis omnia necessitatibus strepunt et oneri cessere deliciae. quare negotium pro otio repperi. nec possum facile ad haec amicitiae munia animum retorquere. spondeo tamen reverentiae tuae, quod litteris meis praeferas. relegere ad vos iter avidissime studeo. eadem quippe me causa, quae vetuit scribere, cogit redire.

XXVI a. 396.

GREGORIO.

Dedi ad parentem tuum litteras, quibus contentus esse potuisti. nam ut est utrique vestrum unus animus, ita satisfaceret idem cultus ambobus. sed metui imitatio-

1 nauibus] *F*, auibus *H* 2 helluatio] *F*, belluatio *H* ulli] *F*, illi (*H*) 3 luxoria *P 1 m.*
5 *om. F* 6 nihil inter te et] *F*, *periit in P* optiumm parentem tuum re aut affectione] $F^{2.3}$, optimum parentem [illegible]etione *P*, parentem tuum optiumu re aut affectione F^1 et litteras quas] $F^{1.2}$, et litteras tuas quas F^3, [illegible]s *P* 7 misi ut omnium] *F*, *periit in P* referre potuisti] *F*, [illegible]uisti *P* 8 nobis etiam tuo] *F*, [illegible]o *P* ne respondente] *F*, *periit in P* 9 inputaretur [illegible]unus *P*, imputaretur munus $F^{1.3}$, imputaretur minus F^2, *sensus hic fere fuit:* ne respondente uno alterius litteris fraudarer aut mihi inputaretur munus duorum tamen brenitas huic] *F*, [illegible]uic *P* relatu digna] *F*, re[illegible] *P* 10 decerpsi *F* istum] *F*, [illegible]um *P* tanquam sermonis uel amoris $F^{1.2}$, tanquam uel amoris F^3 in te nostri] tui F^2 tenebis testem (*F*), interpretem tenebis *F* 11 scribendo $F^{1.2}$ enim *om.* F^3 est *om.* F^3 a me *om.* *F* iterari *F* 12 nostrum $F^{1.2}$ replere (*F*), repreni F^3 13 abunde *om.* F^3 uale *add.* $F^{1.2}$
15 *om. F* 16 arbitraris F^2, *fortasse recte* amoeniatibus F^1, amentatibus F^2 *1 m.* et scribendi F^2 actenus *P 1 m.*, eatenus *F* 17 est *om.* F^3 seriam curam *om.* F^3 sepeliantur uoluptatibus F^3 18 oneri] omnium F^2 cessare F^2 *1 m.* 19 ob hoc F^3 amiciae F^1 tuae *ante* munia *inser. F* nimia F^2 *1 m.* animum *om. F* 20 tamen] enim F^1 uerecundie F^3 legere F^3 21 ad uos *om.* F^3 me causa quae] *F*, metuus aquae *P* uetuit] ueni F^2 cogitque F^2 22 uale *add.* $F^{1.2}$
24 *om. F* 25 parentum F^2 *1 m.* 26 nostrum $F^{2.3}$ idem] ad F^3 imitationem *om. F*

nem, ne mihi alter e vobis duorum vice et ore rescriberet. quare, ut in honore nu- PF
minum solet fieri, litationi addo donarium, breve, fateor, et quod tu prolixius esse voluisses, sed in adiectis mensura non quaeritur. ipse copiam redde brevitati, quia familiares paginas eos oportet extendere, quibus non est necesse geminare.

XXVII a. 396.

AD CENSORINVM.

Prompta et avida manu litteras tuas, cum mihi offerrentur, invasi ut prospera cogniturus; sed cum percurrerem lectione enumerationem dispendiorum tuorum, voluptati successit offensio. et illa quidem adversa, quae cum plurimis pertulisti, more humani ingenii habent aliquod de societate solacium, hunc vero piraticae depraedationis ictum, quem speciatim casus tibi durus adiecit, inpressum altius puto, quia
neque habet participem et geminavit dolorem. | contra haec fortuita virtute atque ratione 2 F
animus armandus est, spes quoque adsumenda est meliorum. saepe titubantia in solidum reverterunt; nihil hominibus aeternum est; volvunt mortalia vices crebrae. et *in* omnium rerum fuga vivitur. paucis ista perstrinxerim, cum tibi pro eruditione plura succurrant; nunc ad illa respondeo, quae de me scire voluisti. quamprimum Neapolim pe-
titu civium suorum visere studeo. illic honori urbis religiosae intervallum bidui depu- 3
tabo. dehinc, si bene destinata dii iuverint, Capuano itinere venerabilem nobis Romam laremque petemus. inter haec, si mihi evenerit aspectu et conloquio tuo defrui, explebor gaudii satietate: sin maior necessitas negaverit nobis tui copiam, velim curarum nube detersa eam sapienter resumas animi alacritatem, quam tibi congressus noster sedulo conciliare potuisset.

XXVIII.

AD ROMANVM.

Meminisse te scio, quod me quoque idem de amico dolor perculit; sed iam nobis sermonum vices debent esse solacio. scribo igitur, ut respondere cogaris et a funestis cogitationibus redeas in officia viventium. fecerat religiosa causa, ne prior scriberes: non eris tam inreverens, ut provocatus abstineas.

---

1 nimihi *P 1 m.* minimum solet esse F^{2} 2 litterationi $F^{2.3}$ breue *om.* F^{3} prolixus F^{2} *1 m.* 3 reddere F^{2} breuitate *P 1 m.* quod F^{3} 4 uale *add.* $F^{1.2}$

6 *om. F* 7 manuṣ *P* offerentur $PF^{1}F^{2}$ *1 m.* 8 praecurrerem F^{1} lectionem enumeratione F^{3} 9 offentio F^{2} quidem] quasi F^{3} 10 hunc (u *in ras.*) *P*, nunc F^{2} 11 durus *om. F* quia que non habent participem geminant F^{3} 12 habuit F^{2} et] sed F^{1} *inde a voce* contra *non supersunt in P nisi haec:* 13 t . . . 14 nih . . . mort . . . 15 rerũ f . . . strinxe . . . plura succ . . . 16 pondeo qua . . . quã primũ neap . . . 17 suorũ uisere stu . . . urbis religiosę in . . . putabo dehinc sibe . . . 18 dii — capuano . . . rabilem — romã la . . . 19 inter — euene . . . et — defru . . . 20 gaudii — sin n . . . tas — nobis . . . 21 curarum — dete . . . resumas — ala . . . egressus — potuisset 12 haec] hoc F^{3} fortuna F^{2} *1 m.* 11 reuerterunt] *II*, conuersa sunt $F^{1.2}$, uersa sunt F^{3} est *om.* F^{3} in] *ego*, *om. F* 15 uiuitur] *IIΓ*, uinit $F^{2.3}$, iuuit F^{1} perstruxerim F^{2} *1 m.* plura pro eruditione F^{2} 16 illa] *F*(*Γ*), alia (*II*) uiuam *ante* quamprimum *inser.* F^{1} 17 suorum ciuium F^{3}, ciuium tuorum *Lectius* illic — deputabo *post* 19 petemus *colloc.* F^{2} honore F^{1} 18 dii *om.* F^{3} uinerunt F^{2} *1 m.*, iuuerunt F^{2} *2 m.* 19 defru/ *P*, frui *F* 20 societate *P 1 m.* F^{3} sin] sui F^{2} necessitas negauerit *om.* F^{3} copiam tui F^{2} 21 nube dete/// *P*, nubem detorsam F^{2} *1 m.*, nubem detersam $F^{1.3}$ 22 uale *add.* $F^{1.2}$

24 *periit epistula in P praeter haec:* 26 . . . nes 27 . . . a ui . . . ne prior 28 . . . ns ut pro 24 Ad Romanum] (*II*), *om. F* 26 respondem F^{2} *1 m.* rogaris F^{1} a funestis] mestis F^{3} 27 fecerit (*Γ*) ne] me F^{1} 28 uale *add.* $F^{1.2}$

XXVIIII a. 399.

H AD SALVIVM.

Vidi in litteris nuper mihi redditis religiosum pro nobis animi tui gaudium et apertissime deprehendi, quid ex amicorum prosperis rebus voluptatis usurpes. promptius igitur *te* diligo. postquam hoc votum bonae mentis inspexi, et quamvis ipse domino pectoris mei excellentissimo viro scriptorum gratiam pro Flaviani fratris tui honore retulerim, nihilominus tamen quaeso, ut etiam *tu* magnitudinem gratulationis meae apud auctorem tanti beneficii digneris adstruere.

XXX.

PF AD IOVIVM.

Interfuit publicae utilitatis, ut tibi maiora negotia crederentur. quare prolixa esse non debet gaudii mei adtestatio, ne adulationis suspicio devenustet iudicii veritatem. opto igitur, ut tibi suscepti officii cursus adrideat quamvis dubitare non possim, neque mutari posse probitatem et bonas artes stimulo praemiorum felicius incitari.

XXXI.

AD EVDOXIVM.

Exultavi gaudio ob amicitiae honorem, cum litteras tuas sumerem. sed ubi Annius noster, quod sis dubius valetudinis, indicavit, in gravem curam laetitia derivata est. video enim peregrinationi, quae morbi instar est, damnum sanitatis adiectum. solatur tamen sollicitudinem meam, quod parsimonia tibi familiaris est, quod cognita sapientia et adversis fortunae animus ingentior: quae bona reducere solent valentiam corporis et vigoris serenum. spero igitur de te cognitu laetiora et aures iam felicibus nuntiis paro. faciet iustitia, quae pios respicit, ut post huius incommodi citum transitum vitae tuae prospera longius porrigantur.

---

2 *in P non supersunt huius epistulae nisi haec:* 2 . . . uinm 3 . . . redditis reli . . . i gaudiu et ap 4 . . . quid ex amicorū . . . uptatis usurpes 5 . . . r et diligo postquā . . . m̄tis — et quam 6 . . . ino — excellen . . . scriptorū — flaui . . . i honore retulerim 7 . . . m̄ quaeso — mag . . . tulationis — apud 8 . . . eneficii — ads 2 . . . uinium *P*, Symmachus Saluio (*Γ*), Saluino (*Π*); Saluinus *etiam in cod. Theod. XI 1, 27 nuncupatur* 5 te] *Lectius*, et *P* 7 detulerim (*Π*) tu] *ego, om. P*

10 *om. F* ad *periit in P* 11 interfuit] *F*, *periit in P* publicae] p/ licae *P* ut] uel F^{2} prolixa gaudii mei esse desinit attestatio F^{2} esse non debet] non est F^{1} 12 ueritatem iudicii F^{3} 13 possum nec *F* 14 imitari F^{3} probitatem] proluctantem F^{3} uale *add.* $F^{1.2}$

16 *om. F* 17 in *ante* gaudio *inser. F* animus F^{2}, nuncius F^{3} 18 nester F^{2} *2 m.* F^{3} quod sis] quod si F^{1}, quasi F^{2}, quam sis F^{3} dubie F^{3} peregrinationem *post* ualitudinis *inser.* F^{2} *2 m.* indicauit F^{1} graue F^{2} *1 m.* diriuata F^{2} 19 inuideo F^{3} additum F^{2}, additum uel adiectum F^{1}, *om.* F^{3} 20 solatus F^{2} tamen *om.* F^{3} quia noui *post* meam *inser.* F^{2} *2 m.* parsinio F^{1} cognata *P 2 m.* 21 et *om.* $F^{1.2}$ 22 corporis sereni uigoris F^{2} spero] scribo F^{2} cognita leticia F^{2} *1 m.* fidelibus F^{1} 23 post] propter *F* huius incommodi] huiusmodi F^{3} 24 tuae] $F^{1.3}$, uiae *P 1 m., del. 2 m.*, suae F^{2} uale *add.* $F^{1.2}$

XXXII.

AD VRBICVM. *P*

Auspicium mihi scribendi prior, ut mos est, facere debuisti, cum te huius diligentiae domestici tabellarii reditus commoneret. quia nobis vel oblivio vel occupatio religionis tuae desideratum munus invidit, ego usurpo principium, aestimaturus in reliquum de raritate vel copia scriptorum tuorum, utrum voluntate litteris ordiendis an magis necessitate defueris.

XXXIII.

AD IVSTINIANVM.

Scio me in scribendo tardum fuisse. consulto distuli stilum, dum refoveo itinere tenuatum vigorem, quo tibi de me laeta cupienti voto similis pagina traderetur. fiat igitur ex optimo nuntio morae compensatio. certe ego eam dico legem litteris amicorum, ut adsiduitate illorum animos probent, meum bonitate delectent.

XXXIIII.

AD EVSEBIVM.

Scribere ad te ante voluissem, sed commeantibus multis fidam occasionem debet excerpere scribentis electio. accepisti | causam tardioris officii: quae si animo tuo *H* satisfecit, curare dignaberis, ut ad me quoque responsa tua idoneis commissa perveniant.

XXXV.

AD IOHANNEM. *F*

Quod sero ad te scribo, amicitiae tenacis indicium est, cuius memoria repetitis ex intervallo probatur officiis. ipse quoque silentium tuum non aliter interpretor. nam et*si* stili honorificentiam quaero, certus fidei tuae etiam de tacito amore non dubito. sed vereor, ne ista sententia tibi suadeat neglegentiam scriptionis et haec amicitiae munia indicii mei securus omittas. hortor igitur quaesoque, ut illam potius cogites partem, quae adsiduitati gratiam parit, non quae promittit veniam raritati. vale.

XXXVI.

AD QVINTILIANVM. *H*

Ad indicium mei circa te amoris haec scribimus, et ut ipse ad respondendum provoceris exemplo. cum igitur ego partes religionis inpleverim, expecto, ut ipse etiam vicissitudinis solutione fungaris.

3 diligentia domestica *P 1 m.* 4 sed quia *Iuretus* 5 relicum *P 1 m.*
17 *inde ab* accepisti *periit P columna altera paginae abscisa*
21 Ad Ioannem (*Π*), Symmachus Iohanni (*Γ*), *om. F* 23 interpretor] precor *Γ* 24 etsi] *Scioppius*, et *ΓF* stili *om.* F^1 etiem F^1 25 suadant F^2 26 quoque *ante* munia *inser.* F^2 quaeso F^1 cogites] F^1, quaeras $F^{2.3}$ 27 parte F^2 *1 m.* assiduitate F^2, assiduam F^3 quae *om.* F^2 *1 m.* promittit] *Π*, permittit *F* raritatis F^2 uale *om.* F^3

XXXVII.

Π

CHRYSOCOMAE.

Proxime penatibus meis redditus etiam nunc te mente et cogitatione respicio atque omnem illam iucunditatem, quam coram de sermone tuo hucusque capiebam . . . . . . voluptate compenso. cui si mutua cura responderit, *cum* tanta*m* mihi delata amicitiae scriptio gratiam tribuat, quanto amplius relata praestabit!

XXXVIII.

AD ROMVLVM.

Salus pignoris communis in tuto est, cuius studia sollicitudini meae delegata proficient. meae quoque valetudinis esto securus et ad vicem talium nuntiorum curam de te meam similibus absolve responsis.

XXXVIIII.

AD DYNA*M*IVM.

Queri de silentio meo non potes, qui nihil scriptorum mihi hucusque tribuisti. sed si simile stili opperiris auspicium, sume exemplum religio*s*i officii, quod debeas aemulari. ero deinceps ad exercendum stilum promptior, si me fructu mutui sermonis animaveris.

XXXX.

P

AD AVENTIVM.

Secessionem tuam etiam tacitus adprobavi. nam cum interveniente discordia supremis congeneri interesse non posses, maesta profectione visus e*s* satisfecisse pietati. ipse quantum civi optimati fuerat deferendum, triduo domi commoratus implevi, non famam captans, sed humanae fortunae vices cogitans. quid enim tam rationabile est quam tribuere collegae, quod tibi quandoque bonos cupias exhibere?

XXXXI.

AD ANTIOCHVM.

Nunc primum honoris limen ingressus, nimis inmature adventum successoris exoptas. agnosco inpatientiam Graecis deliciis congruentem, qua*m* velim toto anni orbe dissimules ac te migrasse in tribus Romuleas recorderis. quid enim dignum conque-

---

2 Crisocome (Π) 4 omnem] amni Γ capiebam uoluptate (Π), capiebam uoluptatem Γ, *supple:* stili *vel simile quid* 5 cum tantam] *Lectius*, tum tanta ΓΠ 6 tuae *post* amicitiae *inser.* Γ tribuat] Γ, tribuet (Π)

8 *huius epistulae non supersunt in P nisi haec:* 10 . . . le . . . lium

13 ... ū P, *reliqua epistula periit*, Dunanio (Π), *om.* (Γ). Dynamio *Latinius* 15 simile] (Π), *fort.* timide *aut* sollemne religioni (Π)

19 ad auentium *denuo incip.* P 21 posse emęsta P uisus es satisfecisse] *Iuretus*, uisu senatis fecisse P

26 ad anthiochum P 28 quam] *Scioppius*, qua Γ, a qua P

stione perpessus es? nondum te militares contumeliae perculerunt, nondum catervas P mulierum scissa veste fugisti, | nondum ante ianuas eminentium potestatum vigilem H noctem salutator expertus es et iam delicato fastidio renuis magistratum? commuta, si vales, animum teque in annum vel biennium obdura.

XXXXII (XXXXI).

Probabilem causam . . . . quis enim Siciliam recto itinere petens sermonem meum potest reddere in longinquis †studiis constituto? sed definit*um* tene. curam circa te meam de numero epistularum non debere perpendi. diligentia enim mea erga amicos iugiter manet, occasionum vero *r*aritas scripta distinguit. sed de 2
his satis dictum puto: nunc elegantia mihi ingenii tui et inventionum subtilitas prae*di*canda est. novum quippe musivi genus et intemptatum superioribus repperisti, quod etiam nostra rusticitas ornandis cameris temptabit adfigere, si vel in tabulis vel in tegulis exemplum de te praemeditati operis sumpserimus. vale.

XXXXIII (XXXXII).

AD CALLISTIANVM. F

Inter cetera parentum decedentium bona amicitiae quoque adfectanda successio est et fortasse studio validiore captanda familiaritatis hereditas, quia facultates fortuna praestat, caritas iudicio foederatur. volo igitur, ut inter nos promptius convalescat familiae tuae propagata coniunctio. consentaneum quippe naturae est, ut officia a te inchoata, a me probata coalescant. ergo in reliquum sermonis esto munificus; mea cura non deerit, quae te stili vicissitudine muneret. vale.

XXXXIIII (XXXXIII).

AD PASTINATVM. H

Litteras tuas agrorum fructibus iure contulimus: nam ut illorum proventus non fallit temporis sui debitum, ita fidem nostrae expectationis annuus dignationis tuae sermo non decipit. huius nunc mihi per homines nostros adportatio satisfecit. lectis igitur paginis valere te gaudeo et adloqui*i* tui honore delector. nec me arbitror in respondendo inparem iudicari. praestabit divinus favor, ut has inter nos officiorum vices aetas prolixa multiplicet. vale.

---

1 perculerunt *corr. ex* pertulerunt *P* 2 scissa] a *Γ* *in voce* fugisti *desinit P* 3 fastidior ennius magis eratum *Γ*

6 *hanc epistulam cum praecedenti coniungit* (*H*), *divisit epistulas* (*Γ*) *ex coniectura Lectii?* probabilem causam ****] (*Γ*), *om.* (*H*) 7 studiis] *H, latet nomen oppidi, quod in Italia meridionali situm erat sed non in itinere, quo Roma Siciliam petentes ire solebant; fort.* Rudiis definitum] *Suse*, definit *Γ*, desinit (*H*) 9 raritas] *Iuretus*, charitas *H* 10 his] hoc (*Γ*) praedicanda] *Iuretus*, prec*anda *H*, precanda *Γ*

15 *om. F* 16 dona F^3 amicorum F^2 17 non est *ante* studio *inscr.* F^3 captandae $F^{1,2}$ haec editas F^2 18 indicio F^2 *1 m.* foederatur] *F* (*Γ*), foederat *H* ut *om.* (*H*) promptis F^2 *1 m.* 20 calescant F^2, conualescant F^3 isto F^2 *1 m.*, ista F^2 *2 m.* 21 qui F^1 muneret] *H*F^2, muneretur $F^{1,3}$ uale *om.* F^3

24 contulerim *Iuretus* 27 alloquiis (*H*)

XXXXV (XXXXIIII).

H AD PIERIVM.

Redditum mihi esse annuum quodammodo sermonis tui debitum . . . . tibi quoque gaudium sollemne de nobis haec responsa praestabunt. quae quia propter tantam longinquitatem frequentare non possumus, deb*it*a fide certis temporibus exhibemus. maneat igitur hic usus et quo*tannis* salutis indicio mutua inter nos securitas recondatur. vale.

XXXXVI (XXXXV).

AD STRATEGIVM.

Agis mecum desiderio amantis, ut redeam. iamdudum hoc animus meus vestri expetitor efflagitat. sed valetudo saucia obstrepit voluntati. humor enim noxius articulis inlapsus etiam nunc me tenet lectulo et vix litorali siccitate tenuatur. tribue igitur tempus refectioni, quod ego vindicaveram voluptati. prae me autem fero, quod tibi in tanta bonorum multitudine post discessum meum nihil, ut ante, iucundum est.
2 sed puto, qu*od* pia adfectione fallaris, quia parvum est in amante iudicium. et ego quidem non ex his primum litteris, quid de me sentias, scio. prope est tamen, ut agere gratias absentiae meae debeam, quia mihi syngrapham quandam testimonii tui praestitit. verum haec missa faciam. non morabor expectationem tuam post conciliationem vigoris: sed quia hoc longum est diligenti, v*i*sis, quae in proximo possidemus, reditum maturabo. spero enim tantundem accessurum sanitati meae ex conspectu vestro, quantum sperari possit ex otio. vale.

XXXXVII (XXXXVI).

F AD VALERIVM.

Vellem sedatam filii mei aegritudinem nuntiare, sed nihil prosunt figmenta sollicitis. audeo tamen sperare meliora. imminutio enim febrium deo auctore ad fiduciam sanitatis coepit accedere. tuae pro nobis sollicitudini gratias ago et caelestem conprecor potestatem, ut tuo circa amicos animo prosperorum omnium vicissitudo respondeat. vale.

XXXXVIII (XXXXVII).

H AD MAXIMILIANVM.

Soles in scribendo esse prolixus pro ingenii tui viribus: postquam te honor aulicus in procinctum vocavit, tu quoque verba succingis et tamquam levis armaturae

2 Ad Pierium (*H*), Symmachus Pierio *F* 3 debitum tibi (*H*), *lacunam indicavi* 4 quia *om.* *F* 5 debita] *ego*, de bona (*H*), sed bona (*F*) 6 quotannis] *ego*, quodam (*H*)

15 quod] *Iuretus*, quia *H* paruum] rarum *F* 19 diligenti uisis] *Scioppius*, diligentius is *F*, diligentius his (*H*) 21 posset (*F*)

23 *om.* *F* 24 uelle F^2 *1 m.* mei] nostri F^3 25 enim] tantum F^2 26 pro nobis *post* gratias ago *colloc.* F^2 27 potestatem] *H*, maiestatem $F^{1.3}$, sanitatem F^2 tuo] *F*, tibi *HF* prosperumque F^1, prosperorumque F^2 28 uale *om.* F^3

31 solebas *Latinius* *fort.* postquam autem te 32 et] *F*, *om.* *H*

miles rorarios aemularis. quid faciam senex garrulus, cui mensura sermonis a iuvene praescribitur? trahit nos vitium senile *ver*bositas, sed occurrit exemplum, et fastidia aurium tuarum de stili brevitate coniceto. non enim violanda est interim mihi paginae tuae formula. expectabo tamen, an copiam de me exigas, si plura rescripseris. *H*

XXXXVIIII (XXXXVIII).

AD VITALEM. *F*

Diu sanitati pariter ac venustati litterarum tuarum mediocris eloquii conscius respondere dubitavi, sed religio rupit timorem. malui enim tibi stilo quam superbia displicere. quidquid igitur hoc est, quod tenet pagina, quaeso, ut boni consulas teque submittas ad mediocritatem scriptorum meorum, ne retundatur officium meum, dum desperatur imitatio. vale.

L (XXXXVIIII).

AD IOVIVM. *H*

Iamdudum datis ad te litteris mutua scripta non merui, et tamen propositum meum servans honorificentiam scriptionis instauro. credo enim, quod negatam primo officio vicem vel nunc impetrare possit iteratio.

LI (L).

AD MAXIMILIANVM. *F*

Adsiduitatem scriptorum meorum tibi esse fastidio prope adserit raritas tua: es enim praeter solitum parcus eloquii. sed tueor constantiam diligentiae nec a proposito argumentatione deducor. erit potestas tua hunc animi mei habitum vel augere silentio vel litteris amovere. vale.

LII (LI).

Quatenus me absentia tua contristet, intellegis; nam ideo . . . . necessitatem tibi a filio meo scribis iniunctam, ut publici negotii excusatione purgeris. alterum igitur religioni tuae ex utroque faciendum est, ut aut cervorum aut aprorum copiam mittas aut in conspectum amici celerius revertaris. nulla enim satisfactio iust*a* ia*m* suppetit, si et illi venatum et mihi solacium denegaris. *H*

---

1 miles *om. F* rorarios] *F*, rurarius (*H*) 2 uerbositas] *Iuretus*, ubositas *H* 3 enim] (*H*), *fort.* ergo *aut* igitur 4 si plura rescribserim *F*, cui rare scripseris (*H*)

7 *om. F* 8 diu] qui F^3 suauitati F^2 *2 m.* uetustati F^2 *1 m.* tuarum *om.* F^3 9 stilo tibi F^3 10 ut] uel F^2 teque] et F^3 11 summitas F^2, sumas F^3 ne] $HF^{2.3}$, non F^1 retundatur F^2 12 desperatur] (*H*), speratur *F* uale *om.* F^3

19 *om. F* 20 assiduitate F^1 21 adloquii (*F*) diligentissime n̄ apposito F^3 proposita (*H*) 22 argumentationem F^2 animum F^3 mei habitum uel *om.* F^3 23 admonere F^3 uale *om.* F^3

25 ideo necessitatem (*H*), *supple:* ferarum conquirendarum *vel simile quid* 27 tuae] *F*, meae (*H*) et aprorum *Scioppius* 28 iusta iam] *ego*, iustitia (*H F*) 29 suppetit] *F*, supplebit (*H*)

LIII (LII).

Π — LEPORIO.

Debitum tibi rependo sermonem: dudum enim parem mihi scriptorum tuorum honorificentiam communis amicus exhibuit. cuius verecundia et honestate diligenter inspecta dignum esse, quem diligas, adprobavi.

LIIII (LIII).

F — MARCIANO.

Seras tibi videri arbitror litteras meas: sed si itineris mei dies numeras, ratio moram diluet. intervenit praeterea ex humore solito dolor corporis officiorum familiarium sequestrator. nunc quia labori et valetudini quies reddita est, salutationis verba non differo pretium laturus obsequii de remuneratione responsi. vale.

LV (LIIII).

Π — AD MAXIMILIANVM.

Si bene in te animum meum nosti, dubitare non potes, adversam valetudinem corporis mei missitandis hucusque litteris obstitisse. hac parte purgatus salutatricem tibi paginam reddo, quae testabitur, esse me sospitem, postquam sanitas silentii excusationem removit.

LVa (LIIII).

Venturum te ad Campaniam filii mei adsertione cognoveram. hinc factum est, ut scribendis litteris abstinerem. sed dum te aut curae urbanae aut voluptates morantur, paene culpam silentii expectatio nostra contraxit. fungor igitur erga te salute dicenda et tibi eligendum relinquo, utrum mihi adventum praestare malis an responsum persolvere.

LVI (LV).

AD ROMANVM.

Servo observantiam, quam mos priscus instituit, ut domo profecti litteras auspicentur, et salvere me nuntio. ex debito venit, ut emisso a me muneri solvas amica responsa.

7 *om. F* 8 ueras F^2 *1 m.* mei *om. Γ* 9 moram *om.* F^2 diluet] *Lypsius*, deluit F^1, diluit $F^{2.3}$ ex humore solito *post* corporis *colloc.* F^2, *fort.* dolor corporis ex humore, solitus officiorum familiarium sequestrator familiarium] (*Π*)F^3, *om.* $F^{1.2}$ 10 nunc quia] namque F^3 ualitudine F^1 11 respondi F^2 *1 m.*, respondendi F^2 *2 m.* uale *om.* F^3

15 missitandis] (*Γ*), scriptitandis (*Π*)

19 *hanc epistulam cum praecedenti coniungit* (*Π*), *post* 16 esse me sospitem *novam incipere, suspicatus est Iuretus, post* 17 remouit *divisi ego* 22 an] *Γ*, aut (*Π*)

27 ut emisso] *Iuretus*, ut te emisso (*Π*), ut tu emisso (*Γ*) *ex coniectura Lectii?*

LVII (LVI).

AD VALERIVM. *F*

Filium meum Romulum ego accerso, tu retines: ego in eum mihi personam parentis adrogo, tu ius adfinis exerces; mihi ex voluntaria sponsione praesentiam suam debet, a vobis spe sociandi itineris retentatur. sed cum mihi etiam *tuus* promittatur adventus, quaestuosa taxatio est morae, quae mihi pro uno utrumque promittit. cedo igitur voluntati tuae et paucorum dierum patientiam non nego. fratri quoque tuo Romulo nimis gratulor, cuius nobis ambo solacium pio et amico certamine vindicamus. vale.

LVIII (LVII).

AD MARCIANVM. *H*

Filius meus cum bona dei venia periculo caret, sed defectum virium patitur prope usque ad aegritudinem. redire consilium est paulatim mansionibus in spatia minora divisis. ego quoque meorum contagio socius accessi, credo ex vigiliis nocturnis, quarum in praesentia exiguus fuit sensus, noxa post eruduit. conprimere tamen nitor diligentia et parsimonia ingruens malum. ergo caelestibus advocatis iter paramus ordiri. vestrae in nos diligentiae grates referrem, si se amor speratus et ex mutuo debitus laetari laude pateretur.

LVIIII (LVIII).

AD ROMANVM.

Ad scribendum creber esse voluissem et hoc sperandum esse promiseram, sed valetudo filii mei diu in dubio versata cessationem mihi ab huiusmodi officiis imperavit. qui ubi primum suffragio salutarium potestatum . . . . . . coepit emergere, secutus est ilico scribendi usus securitatem. accipe igitur libens a me dictam salutem, quam si fors optata iuverit, mox sequemur.

LX (LVIIII).

AD SERVIVM.

Opperiris, ut intellego, litteras meas, quasi ipse familiaris officii praesul esse non debeas. fortasse allegatione moris uteris, quoniam plerisque persuasum est, auspicium salutationis profectis esse capiendum. absolvo te consuetudinis observantia aut lege pigritiae. satis erit mihi ad plenam satisfactionem, si aversatus scribendi occupare principium saltem sequaris exemplum.

---

2 *om.* *F* 3 Romulum] ·R· F^{2} accelero F^{3} ego *post* retines *om.* F^{1} personam] *H*, personas $F^{2.3}$, *om.* F^{1} patris F^{2}, *om.* F^{3} 5 nobis F^{1} retentatur] *H*, retinetur *F* etiam] et F^{2} etiam mihi F^{3} tuus] *Lypsius*, mutuus F^{2}, inuitus F^{3}, munus F^{1} 6 est taxatio F^{2}, taxatio uel existimatio est F^{3} mihi] (*H*), *om.* *F* credo F^{1} 7 tuo *om.* $F^{2.3}$ romidolo F^{1} 8 uale *om.* F^{3}

12 ad aegritudinis magnitudinem *Γ* rediit *corr. ex* rediret *Γ* in *om.* *Γ* 13 diuiduae *corr. ex* diuisis *Γ* 14 sensus] (*Γ*), usus (*H*) 16 gratias (*Γ*) 17 debitus] *Γ*, *om.* (*H*)

22 potestatum coepit (*H*), *supple:* e periculo *vel simile quid*

LXI (LX).

Π AMICIS ROMAM.

Iter Capuam promovemus. forsitan suspicemini interventuram soliti in vos officii oblivionem per longitudinem viae; vulgati quippe proverbii est, enavigato Maleo oblimari eorum memoriam, quos domi reliqueris. me, quoquo versum pedem tulero, amicorum cura comitatur. sperate igitur honorem huius muneris circa vos esse mansurum, si optatis fortuna consenserit.

LXII (LXI).

F AD ROMVLVM.

Non sum opinionis ambiguus, expectari litteras meas. nam ego quoque parem desiderii impatientiam de epistulis tuis patior. una igitur est nostri causa sermonis, ut tuum merear; cuius, ut in potu fontium, ideo maior est sitis, quia sapor dulcior. vale.

LXIII (LXII) a. 398.

Π AD LAMPADIVM.

Admonueras, cum proxime urbe digrederer, si vellem tibi aditum scriptionis aperire, ut prior litteras inchoarem. satisfacio voluntati tuae, quae observantia*m* prisci moris amplectitur. absolutus igitur hac religione erumpe in familiaris stili munera mecumque communica, quidquid in administranda urbis tutela ex bono publico feceris, nec quidquam vero scribentis detrahat pudor, ne voluptati meae damno sit epistulae verecundia.

LXIIII (LXIII).

F AD DIONYSIVM.

Offenderat nos, quod immature ante discesseras. diluit fortuna peccatum suum, quae bonis te pari festinatione restituit. sed quid me iuvat amici reditus absentem? solare hunc litteris frequentibus casum. scribe etiam, quid tibi apud urbem mandata cura permiserit, ut cum mihi spem visendae eximietatis tuae promiserit dies largior, ego quoque vix post urbanas molestias usurpato otio longius fruar. vale.

---

9 *om.* F 10 spectari Π egoque F^{2}, ego F^{3} 11 de epistolis tuis impatientiam F^{3}, etiam patientiam de epłis tuis F^{2} uana F^{2} igitur est] (Π), est enim $F^{1.2}$, est ergo F^{3} nostri] mei F^{3} 12 ut in] (Π) F^{3}, ut *om.* $F^{1.2}$ fontibus F^{2} est *ante* dulcior *inser.* F^{3} 13 uale *om.* F^{3}

17 obseruantia (Π)

23 *om.* F 24 offendant F^{2} *1 m.* nos] F, bonos Π 25 bonis] Π, nobis $F(\Gamma)$ te pari] ΠF^{3}, de patris $F^{1.2}$ abscentem F^{2} 26 etiam] igitur F^{2} 27 cura *om.* F^{3} permisit F^{2} mihi] ipse F^{3} spem] spes F^{1} largior] Π, longior F 28 uale *om.* F^{3}

LXV (LXIIII) a. 398.

AD LAMPADIVM. *Π*

Indicio quietis urbanae tempus quodammodo usurpandi otii prorogasti. abesse enim longum placiditas me civium sinit consiliis tuis parta, quibus plebs redacta est in paenitendi verecundiam. *nunc* ergo post curarum omnium fugam producere mihi ferias, ut ita dicam, pingues licebit. quamvis praecipere animo tuo incerta non debeam, qui sim mihi conscius tenerae in vos adfectionis et illius desiderii, quo *prae* cunctis vitae voluptatibus patriam meam diligo.

LXVI (LXV).

AD HERCVLIVM.

Agerem tibi largiter gratias, quoniam me haud dudum a vobis profectum dicenda salute praeveneris, nisi hanc sibi gratulationem meam spes auct*o*ris beneficii vindicaret. ipse enim diceris adfuturus, cuius rei nomine vadari me tibi in maioris gratiae modum fateor. velim tamen scriptis tuis sperato bono adstrui fidem, ut qui tali opinion*e* delector, multo amplius gaudeam confirmationis securitate.

LXVII (LXVI).

DYNA*M*IO. *F*

Litteras meas amore desideras, sed infrequentem me videri communis filius facit, qui rescripta non repetit. hoc tamen strictim dixisse sufficiat, ne illius verecundiae oneri sit nostra purgatio. *nunc* tibi honorem salutationis inpendo nec exposco, quod sponte facturus es, ut nos mutuis . . . . . . adloquaris, cum mihi hanc vicem et religio animi tui et consuetudo promittat. vale.

LXVIII (LXVII).

AD TITIANVM.

Desideratas quidem litteras tuas libens sumpsi, sed cognitio actuum tuorum, quorum testis atque narrator Euscius fuit, uberiorem mihi adtulit voluptatem. itaque hortor ac moneo, ut bene coepta non deseras et praemium laudis honestate secteris. subiungerem curam meorum, si mihi esset alius adloquendus, sed cum facias ultro, quae meus sermo posset expetere, partes commendationis omitto; quia quidquid ex fiducia amicitiae praesumitur, plus habet gratiae, si sponte praestetur. vale.

5 nunc] *Iuretus*, nec (*Π*) 6 *fort.* praeripere tuo *om.* *F* 7 prae] *Modius*, *om.* (*Π*) 12 auctoris (*Π*) 15 opinioni (*Π*)
17 Dynanio (*Π*), *om.* *F* 18 ex *ante* amore *inser.* F^3 communis *om.* F^3 *spatio vacuo relicto* 19 hec F^3 tamen] (*Π*)F^2, iam F^1, inde F^3 stricte F^3 20 oneri] F^1, crimen F^2, honus F^3 nunc] *Iuretus*, nec *F* reposco F^2 *1 m.*, te posco F^2 *2 m.* 21 mutuis alloquaris $F^{1.3}$, mitius alloquaris F^2, *supple:* epistulis *vel simile quid* 22 promittat] F^3, promittit $F^{1.2}$ uale *om.* $F^{1.3}$
24 Ad Ticianum (*Π*), *om.* *F* 26 enarrator $F^{2.3}$ Euscius] (*Π*), eustius $F^{1.3}$, ·E· F^2 nobiliorem F^3 27 laudis *om.* F^3 subiungere F^1 29 quia quia F^2 30 amicitiae] *Π*, *om.* *F* uale *om.* F^3

LXVIIII (LXVIII).

H AD VALERIANVM.

Rusticari te adseris et ducendis vitibus aut arboribus inserendis crudam senectutem fovere. non hoc litterae tuae sapiunt, nisi forte Gallia tua dedux Heliconis, alios sulcos stilo intermoves, alios ordines pangis. ego autem, quoniam scire nostra desideras, in domicilio Latiaris facundiae otio et studio torpeo. dii dabunt incrementa annorum parvulo meo. ipse me praefata Fortunae venia ad studiorum suorum societatem vocabit. interea frequentibus epistulis desidiam meam stimula. unum quippe hoc litterarum genus superest post amaros casus orationum mearum, quod me ad usum scribendi possit adlicere.

LXX (LXVIIII).

F AD ROMANVM.

Nunc demum adfluo voluptate, quod te curarum vacuum nuntiasti, nam me hactenus rerum tuarum amaritudo mordebat. itaque salutis praesides deos conprecor, ne umquam paginas tuas mens tristis infuscet. interea talibus litteris pretium rependendum est: quare vicissim sume, quo de me gaudeas. in bono statu valetudinis sumus et relegere . . . . . . urbi propinqua meditamur. sinat fortunae benignitas hoc inter nos manere commercium, ut prosperis scriptis responsa consentiant. vale.

LXXI (LXX) a. 400.

H AD PRAETVRAM MVLTOS INVITAT.

Praefato divinitatis favore urbanae praeturae fasces filius meus Symmachus kalendis Ianuariis sortietur. praesentia tua ornari eius officium participata petitione deposcimus.

LXXII (LXXI) a. 400.

SIMILIS.

Divinitatis honore praemisso filius meus Symmachus kalendis Ianuariis praeturae urbanae accipiet magistratum. quaeso, ut praesentia tua festa nostra cohonestet.

LXXIII (LXXII).

F AD MARCIANVM.

Silentium mihi duci vitio non oportet: familiarium quippe usus officiorum inter adversa neglegitur. sed quia spes datur Symmacho meo integrandae paulatim bonae

---

4 non] *F*, nam (*H*) sit *post* dedux *inserit F* 5 ordines] *Iuretus*, ordine (*H*) 8 uocanit (*H*) desidiam meam] *F*, desideria mea (*H*)

12 *om. F* 13 diffluo F^3 14 ideoque F^3 deos praesides F^2 16 quo de me] (*H*), quod F^3, quo $F^{1,2}$ 17 relegere urbi *F*, *supple:* relegere iter in urbi propinqua sinat fortunae] HF^3, nult nanque F^1, *om.* F^2 hoc] fortune hoc det F^2 2 *m.* 18 scripturis F^3 consentiant] *H*, conueniant *F* uale *om.* F^3

29 *om. F* 30 dici *H* 31 simacho F^2, symaco F^3

valetudinis, redit animus ad amicitiae munia, ut si quem tibi taciturnitas mea metum fecerat, sermonis securitas absolvat. vale. *F*

LXXIIII (LXXIII).

ANTIOCHO.

Certum habeo, nihil te litteris meis antiquius aestimare: nam mihi quoque eadem de tui sermonis iucunditate sententia est. merito amicitiae munus adripui: quod si pari lance reddideris, studium meum incitamento religionis acuetur. vale.

LIBER NONVS

CONTINENS COMMENDATICIAS.

I a. 380—382.

AD PALLADIVM.

Si amicitiae veteris memoria perseverat nec ulla oblivione tenuata est, credo, quod litteras meas libenter accipias, quas fiducia mutui amoris emisi, multum relaturus gratiae, si officio vicissitudo respondeat. nunc te pro amico meo Benedicto oratum volo, quem gradu atque honore militiae fortuna magis quam culpa privavit, ut innocenti fautor adrideas nec eum publicae felicitatis, quae ad universos pari ratione manavit, solum exortem esse patiaris. interest enim serenissimorum temporum gloriae, ut sicuti omnibus in hac vita positis ac locatis communis est caeli spiritus, lux diei, ita clementia*m* maximi principis nostri sentiant vota et fa*t*a cunctorum. vale.

II.

AD IAMBLICHVM. *Π*

Plerisque amor est undique gentium pretiosa conquirere: me iuvat studiosos sapientiae viros in amicitiae possessionem vocare: quorum te esse summatem iamdiu adtestantur experti. in primis familiaris noster cunctis probatus Eudoxius diligens iudex bonorum, qui degustatis propius virtutibus tuis ceteros aeque ad honesta ten-

1 cor redit F^3 animus] $ΠF^3$, *om.* $F^{1.2}$ si] $ΠF^3$, *om.* $F^{1.2}$ tibi *om.* F^3 mea *om.* F^2 2 facerat (*Π*) sermonis securitas] *Π*, securitas sermonis F^3, sermonis *om.* $F^{1.2}$ uale *om.* F^3

4 Anthioco (*Π*), *om.* *F* 5 certum — aestimare *om.* F^3 antiquo F^2 *1 m.* 6 sententia] summa F^3 est *om.* F^2 7 uale *om.* F^3

8 Q. Aurelii Symmachi epistolarum lib. VIIII. continens commendatitias (*Π*), *om.* *F* 11 *om.* *F* *epistulas, quae inter 1 et 36 in reliquis F codicibus leguntur, om.* F^3 12 oblatione F^2 *1 m.* *Γ*, oblitteratione *Suse* 13 amoris] *Π*, *om.* *F* es *post* relaturus *inser.* F^2 *2 m.* 14 meo *om.* F^1 Benedicto] ·B· F^2 15 fortuna militiae F^2 17 temporum] imperatorum F^2 *2 m.* 18 dei F^1 19 clementia F^1F^2 *1 m.* sentiat F^1 fata] *Suse*, facta *F* cunctorum igitur consensu F^2, *sequitur p.* 236, 2

21 Ad Iamblicum (*Π*) 25 quid ego statis breuius *Γ* aeque] ea quem *Γ*

Π dentes laudare didicit, illis desiderium doctrinae vitaeque tribuens, tibi perfectionem. F invitatus | igitur consensu famae et optimorum testium fide amicitiae tuae dexteram porrigo simulque opto, ut mihi epistula a te relata declaret concordiam voluntatis tuae et mutuae in nos diligentiae impetrationem. vale.

III a. 398—401?

Π

AD ZENODORVM.

Repetenda mihi apud te, non inchoanda est Euscii commendatio: nam cum Romae ageres, meo precatu in eius suffragium provocatus libenter partes benevolentiae recepisti. tempus est igitur, ut meas utilitates in Euscio iuves, cuius modestia ita negotiis nostris aderit, ut famae iudicis nihil deroget. vale.

IIII a. 398—401?

AD DIONYSIVM.

Iamdudum te mihi et morum et medicinae fama commendat. hortatu igitur laudis utriusque amicitiae tuae manum porrigo et te sponte ad fidem nostrae familiaritatis invito. dabit autem tibi iudicii mei non mediocre documentum, quod his, quos erudiendos misimus arte medicinae, praeceptor adhiberis. repende igitur mihi pignus mutuae voluntatis et suscipe in disciplinam medendi, quos et fidei tuae et honestati Euscio tradente committimus. vale.

V a. 398—401?

AD AVXENTIVM.

Amicitias inter nos, cum Romae ageres, inchoatas munere scriptionis adcumulo, ut fidem tibi animi mei faciat coulati in absentem pignus officii. tuam circa nos diligentiam privatim litterarum vicissitudo, publice forensis pro Euscio cura testabitur. vale.

VI a. 398—401.

* * * * * * * * * *

Actores absentium, quibus res longinqua committitur, tamquam soluti legibus vivunt, quoniam procul positis nullus dominorum terror incurrit. opus est igitur iudiciali vigore, ut locationibus adscripta persolvant. quare quaeso, ut suggestiones notarii mei, cui adhibenda nonnulla ad praetoriam functionem et debita ab obnoxiis servis eruenda mandavi, iuvare digneris et vicem sollicitudinis meae in curam tuam recipere non recuses. vale.

---

1 illis] Γ, ille Π   perfectionem] Γ, perfectionis Π   2 | igitur consensu *incip.* F   amiciae F[2]   3 te] tu (Π)   4 mutuam Π

13 hortatu] *Scioppius*, portatu Γ, hortator (Π)   16 arte] *ego*, arti (Π)   adhiberis] (Γ), exhiberis (Π)

26 *inscriptionem om.* (Γ), Ad Carterium (Π), *fortasse supplendum:* Ad Vincentium, *cf. p.* 237, 2, *ut in Π idem mendum fuisse sumamus, quod p.* 221, 15   27 committitur] Γ, remittitur (Π)   28 dominorum] *Rittershusius*, damnorum ΓΠ)   30 *fort.* adquirenda

VII.

AD CARTERIVM. F

Pro filio meo Auxentio parentis religionem, petitoris ambitum, fidem testis in me recepi. si quid igitur tantarum rerum auctoritas apud te ponderis habet, admitte quaeso in familiam tuam iuvenem cunctis vitae bonis et fortunae muneribus excultum. vadem me tibi in omnia spondeo, quae solet parentum sollicitudo trutinare. licet noverim futuros generos moribus aestimari, *at*tamen huic post ornamenta naturae etiam census ad honestatem redundat. possem de eo copiosius loqui, sed non vult 2 veritas *verbis* iuvari. quare si tibi videor non inanis adsertor, perpende hominem de testimonio meo et ei, quem pignoribus meis libenter adnumero, dignare filiae tuae respondere coniugium. credas velim, cum vota processerint, interventui meo non minorem te gratiam, qui rogaris, habiturum, quam istum, quem commendo. vale.

VIII.

AD POMPEIANVM. H

Arguere diuturnum silentium meum non potes, qui me in sacro comitatu hactenus fuisse didicisti; unde nuper regressus honorificentiam dicendae salutationis exerceo. vicissitudo testabitur, quod paginam meam libenter acceperis. interea commendo scripta reddentem. mihi enim proficiet, si quid suggestioni eius favoris inpenderis. vale.

VIIII.

AD VINCENTIVM. F

Probo homines ad clientelam tuam pertinere cupientes — nam quaedam scintilla sapientiae est, virtutum luminibus adplicari —, et ideo amici mei Zenodori laudabilem voluntatem commendatione non differo eundemque in domus tuae sacrarium tamquam mystagogus induco. fac quaeso, ut et meo studio et ipsius voto impetratio prompta respondeat. vale.

X.

AD LEPORIVM.

Fortunae telo graviter sanciatus nunc primum epistulae maesta verba committo: neque enim diu ab officio debui temperare, cum tanti vulneris dolor nulla temporis diuturnitate possit aboleri. salutato igitur te simul amicissimum meum Silvanum

2 Ad Vincentium (*H*), *cf. p.* 236, 26, Symmachus Carterio *Γ*, *om.* *F* 3 Auxentio] ·A· *F*² 4 tantorum *F*² *1 m.* 5 muneris *F*² *1 m.* exculptum *F*² 6 tercimare *F*² 7 attamen] *ego.* et tamen *F* 8 etiam *om.* *F*² incenso *F*² *1 m.* 9 uitas *F*² *1 m.* uerbis] *Lypsius*, *om.* *F* 11 presserint *F*² *1 m.*, precesserint *F*² *2 m.* minorem] debere *F*² *2 m.* 12 gratia *F*² *1 m.* habiturum] (*Γ*), *om.* *F* commendo] *H*, committo *F*(*Γ*)

21 *om.* *F* 23 amplificari *F*² zenodari *F*¹, ·Z· *F*² laudabile *F*² *1 m.* 24 commendatione] *HF*², commendari *F*¹ *fort.* non desero 25 mystagogus] *Lypsius*, mystagogum *F*¹, mixtagogum *F*² impetrato *F*¹, intratio *F*² *1 m.*

28 *om.* *F* 29 caelo *F*² *1 m.* 30 diu *om.* *F*² cum tanti] cunti *F*¹ 31 salutato *F*², soluto *F*¹ igitur] ergo *F*¹ Siluanum] ·S· *F*²

F diligentiae *tuae* promptus commendator insinuo; qui refovendi patrimonii mei gratia laboriosam peregrinandi necessitatem recepit, eoque dignior est boni cuiusque suffragio

2 . . . . ullis edictis designationem personarum videmus expressam, sed principalibus et tabulariis liberum est, alios a dispendio vindicare, aliis indebitum munus inponere. unde quaeso, ut hanc partem et nostrae utilitatis et tuae *laud*is consideratione discutias. postulant enim capitulani taxationem tironis ab hominibus meis nulla super hoc publicae *valid*itatis monumenta prom*entes*: unde mihi non *in*iusta suspicio est, quod in excusationem sui aut suorum nostros quoque homines falsa adscriptione subdiderint. et ideo dignum est, ut provincialibus vel edicto vel subscriptione tua instructio plena pandatur, ne tabulariorum et curialium vaga et libera exactio quaestum praestet licentiae. vale.

XI.

H SYMMACHVS MARCELLO.

Cum vicem praesentiae meae et possit et debeat tuus interventus inplere, miror suggestionibus Amazonii occupationes nostras frequenter onerari. exequere igitur, oro te, partes amicitiae congruentes, ut auxilio tuo tutata possessio et ipsa a molestiis

2 vindicetur et nobis aliquid commoditatis exhibeat. inter reliqua autem, quae idem Amazonius intimavit, magnopere deprecatus est, ut Vrsum, quem dudum domui nostrae cum familia sua dicit obnoxium, ab omni publica conventione secernas, quo facilius . . . . delata munivit. sed maior ei opitulatio ex tuo, arbitr*i*, favore proveniet, cum causae eius etiam iustitia non desit. circumscriptus enim, quantum res docuit, inprovida cautione, non debet noxam rusticae *faci*litatis incidere. vale.

XII a. 399.

AD PERPETVVM.

Votiva domus meae functio tua adiumenta deposcit; proxime enim, si optata nostra favor divinitatis adiuverit, filius meus praeturae editione fungetur, cui equorum curulium paranda nobilitas est. si quid igitur apud te valet amicorum absentium cura, quaeso te, ut ex omnibus gregibus, quibus pollet Hispania, iectissimos genere et velocitate praestantes diligenter edecumes, quos amici mei in rem missi iusta pretii definitione mercentur. stabit apud me i*u*git*e*r beneficii tui gratia, si huic negotio studium, quod religio mutua promittit, inpenderis. vale.

1 dilengiae F^2 *1 m.* tuae] *Scioppius*, *om.* *F* 2 eoque] $\mathit{H}F^2$, eo quod $F^1\Gamma$ dignior] $\mathit{H}\Gamma$, dignius *F* cuiusque suffragii ullis Γ, cuiusque suffragium ullis illis F^2 *1 m.*, cum *2 m.*) *F*, cuius usus ullis *H*, *lacunam indicavit Scioppius* 4 alio F^1 5 uindicate F^2 ut] et F^2 6 laudis] *Lypsius*, salutis *F* postulent F^2 *1 m.* capitulani] $\mathit{H}\Gamma F^1$, capitulam F^2 7 super hoc] superest F^2 *1 m.*, superest cuius F^2 *2 m.* ualiditatis] *ego*, utilitatis *F*, auctoritatis *Iuretus* 8 promentes] *Lypsius*, promittis F^1F^2 *1 m.*, promittentes F^2 *2 m.* ininsta] *Lypsius*, iusta *F* 9 nostros] nos F^1 subdetur F^2 est *om.* F^2 10 scriptione F^1 pandatur] $\mathit{H}F^2$, pendatur F^1 11 curalium F^2 licentiae *ante* uaga *colloc.* (Γ)

19 quo facilius ++++ delata muniuit] (Γ), *om.* (*H*) 20 arbitri] *ego*, arbitrii (*H*) 22 facilitatis] *Iurctus*, foelicitatis *H*

26 diuinitatis] Γ, diuinus (*H*) 28 te *om.* (Γ) 30 iugiter] *Lectius*, igitur (*H*)Γ

XIII a. 401.
SYMMACHVS VALERIANO. *Π*

Ingeniorum video inter nos esse certamen in eo negotio, quod ratio amicitia tempus abolere debuerat. modum igitur expostula*tion*ibus mutuis facio, ne amarissimae scriptionum vices sine fine procedant. munus totius Liviani operis, quod spopondi, etiam nunc diligentia emendationis moratur. sed a te praedicti muneris posco vectorem, quia meos praetori*us* apparatus *spars*i*m* in longinqua egit . . . . . . retinet et ignotos. vale.

XIIII a. 399.
SYMMACHVS APOLLODORO.

Curarum tuarum me esse participem iure praesumis, quas ego animo meo etiam non commonitus pro amicitia vindicarem. pars igitur sollicitudinis tuae filia mea adventante minuenda est, quam proxime Roma suscepit dimissura in conspectum tuum, cum se interposita refectione recreaverit. interea de communis patriae victu celeriter invehendo silere me apud te non sinunt angustiae conditorum. quaeso itaque te, ut vigore, quo praeditus es, annonarios urgueri iubeas apparatus. adiciet enim plurimum gloriae tuae Romana securitas. vale.

XV a. 400—401.
SYMMACHVS GEMINIANO.

Consuetudinem meam servo et religiosa in amicos instituta custodio. quare salutationis honore praefato mutuum de te posco responsum, et si memoria viget mandatorum meorum, ut securum me de apparatu praetoriae functionis facere digneris, exhortor. crescit enim per dies singulos cura apud me, quoniam propinquat editio, et nihil de vestibus atque animalibus, quae olim sub aestimatione ac definitione tua per meos coemi debuerunt, miror exhibitum. et quoniam sollicitor tarditatis, nota- 2
rium meum misi, qui tuis praeceptis et monitis obsecutus devehenda cuncta suscipiat actoresque nostros ad pretia, quae statueris . . . . haetenus tuum declinasse conspectum. tandem igitur partes religionis exequere, ut exemplo diligentiae tuae in officiorum vicissitudine*m* provocemur. vale.

XVI a. 399—401.
SAPIDIANO.

Leontius agens in rebus et honestate vitae et militiae exercitatione bonis quibusque placitus meum quoque iudicium adsidua diligentia provocavit. inter amicos igitur

---

4 expostulationibus] *Iuretus*, expostulantibus *Π* 5 fine] *Γ*, fide (*Π*) 7 praetorius] *Iuretus*, praetorios (*Π*), praeconos *Γ* sparsim in] *Iuretus*, pars in (*Π*)*Γ* egit retinet et ignotos] *Γ*, egit *reliquis omissis* (*Π*), *supple:* ludorumque expectatio retinet et ignotos *vel simile quid*
13 minuenda est] *Γ*, ++++++++ (*Π*) 16 iuues *Γ* apparatus] *Γ*, paratus (*Π*)
21 de te posco] (*Γ*), deposco (*Π*) 27 actoresque nostros ad pretia quae statueris +++ actenus tuum declinasse conspectum] *Γ*, *om.* (*Π*), actoresque nostros ad pretia, quae statueris soluenda inpellat, ne pecuniarum uideantur inopia hactenus tuum declinasse conspectum *Scioppius*, *vix recte* 29 uicissitudine (*Π*

Π ac familiares meos iure numeratur. hunc tibi in manum trado petens, ut exemplum nostrae circa eum adfectionis imiteris; quod te sedulo praesumo facturum. interea de animalibus ludorum apparatui praeparandis admonitionem frequentare non desino, cum incam sponsionem, qu*od i*am me istius curae vacuum reddidisti. mandavi tamen Leontio monitoris officium, cui aurem praebere digneris, si quando ipse publica et maiora tractanti hanc quoque petitionem domestica insinuatione suggesserit. vale.

XVII.

AD VENVSTVM.

Integrum mihi situm praetorii mei et picturam quandam fabrilis operis ante oculos conlocasti: ita adaperta distributio vel adhuc adsurgentia vel iam absoluta signavit. dissimulo igitur meorum tantisper accusare s*e*gnitiem, qui in iisdem molitionibus fabricatione haeserunt, dum suavitate paginae tuae mulceor. volo tamen relegendo . . . . tione castiges. vicem mei fellis exerceas, ut de tua obiurgatione coniciat, quanta illi pernicies, nisi omissa curaverit, ex mea indignatione metuenda sit.

XVIII a. 399.

F SYMMACHVS POMPEIAE.

Votiva emersit occasio, quae tibi salutationis adportaret obsequium. nam cum *ob* praeturam filii mei familiares nostros ad Hispanias mitteremus, quibus equorum curulium mandavimus emptionem, litterarum cultum tibi par fuit exhiberi simulque adicere postulatum, ut nobilissimos quosque de tuis gregibus equos digneris excerpere, quos in rem missi sub iusta taxatione mercentur. quaeso igitur, ut si qua apud te memoria domus meae residet, rem tibi factu facilem, mihi vero iucundam atque honoratissimam promptissima beneficentia digneris adnuere.

XVIIII a. 399.

Γ SYMMACHVS FLAVIANO.

Votiva me in amicitiam tuam causa deducit. quamvis ob decus generis et morum tuorum familiaritas tua mihi fuerit ambienda, praetura filii mei — fors dictum iuvet — equis curulibus instruenda est. dudum per meos . . . . . . gregibus tuis pecoris . . . .

---

4 quod iam me istius] *ego*, quam me istius *Γ*, tu me huius (*Π*)

11 signitiem (*Π*) 12 relegendo ⋯⋯⋯tione castiges] *Γ*, relegendo ⋯⋯⋯⋯⋯⋯ castiges (*Π*), uolo tamen relegendo iter Capuanum architecti nostri tarditatem seuera oratione castiges et uicem mei fellis exerceas *Scioppius* 13 uicem] (*Π*), ut uicem *Γ*

17 *om. F* 18 cum ob] *Iuretus*, cum ad (*Π*), ad *F* 19 mei *om.* (*Π*) famulares F^2 Hispanias] (*Π*), hispaniam *F* mitteremus] (*Γ*), misimus *F* 20 exhibere (*Γ*) 21 adicio F^2 exerpere F^2 *1 m.* 22 ista tractatione F^2 *1 m.* 24 uale *add. F*

26 *hanc epist. om.* (*Π*), *primus edidit Scioppius in Verisimilium l. IIII 11*

XX (XVIIII) a. 399.

SYMMACHVS BASSO. F

Salutationis honore praemisso subtexo necessarium postulatum: filii nostri instat editio; huic equorum curulium paranda nobilitas est. quapropter ad Hispanias fidelissimos cum copiosis sumptibus misimus, ut generosas quadrigas sub diligentissima lectione mercentur: sed quia veremur, ne equorum transitum hiemis interventus excludat, quaeso te, ut si necessitas postulaverit, tribus aut quattuor hibernis mensibus pabula illis in re tua pro numero iubeas ministrari, ut incipiente temperie sine vexatione perveniant. praeterea adiumentum meis oro decernas ad equorum coemptionem, 2
si quos in Arelatensi urbe cursu et genere praestantes meorum cura reppererit. amplectenda est enim vicinae emptionis occasio, si eximium aliquid casus obtulerit. stabit apud me iugis memoria beneficii tui, cum votivae editioni nostrae fraterna, ut spero, cura profuerit.

XXI a. 399.

SYMMACHVS . . . . VICARIO HISPANIARVM. Γ

Senatoriis editionibus convenimur, quarum necessitas equorum curulium desiderat em*ption*e*m*. huius igitur rei gratia familiarissimos meos ad Hispaniam misi, ut quadrigas ex omni gregum nobilitate mercentur. his ad peragenda mandata tuum posco suffragium summoque beneficio profiteor obligandum, si rem fact*u* facilem, sed imper . . . . promoverit.

XXII (XX) a. 399.

SYMMACHVS AVRELIANO. Π

Domum nostram in apparatu esse ludorum, quos deo iuvante filii mei praetura deposcit, quantum credo, didicisti. missurus igitur ad Hispanias meorum aliquos, qui curules quadrigas ex omni gregum nobilitate merc*e*ntur, iam nunc in favorem praetereuntium curam tuam provoco, ut illis et velocitas transeundi et evectionum praestetur adiectio. haec interim pro tempore praelibavimus: sed plura tribues vel tuo provisa studio vel illorum suggestione conperta.

---

2 Symmachus Basso] *Lypsius*, basso (Π), *om.* F 3 instat edictio F^1F^2 *2 m.*, instacedictio F^2 *1 m.* 4 hinc F^2 quod propter (Γ) 6 lectione] (Γ)F^2, electione F^1 transitus F^2 7 a quatuor F^2 *1 m.*, uel quatuor (Γ) mensibus hibernis F^2, hiemis mensibus (Π) 8 teperie F^2 *1 m.* 9 ad equorum coemptionem *om.* F^2 10 araletsi F^2, aurelatensi Π cura meorum F^2 repperit F^2 *1 m.* 11 enim] (Π), *om.* F temptationis Γ 12 tui *om.* F^2 *1 m.*, tui beneficii F^2 *2 m.* 13 uale *add.* F

15 *hanc epistulam om.* (Π); *primus edidit Scioppius Verisim. IIII 11* Symmachus Vicario Hispaniarum Γ, *deest nomen* 17 emptionem] *Scioppius*, emtation. Γ 19 factu] *Scioppius*, facta Γ sed imper promouerit Γ, *fort.* sed impetratione gratam tua cura promouerit

22 Symmachus Aurelio (Γ) 25 mercarentur Π 27 haec] (Γ), hoc (Π)

XXIII (XXI) a. 399.

Π SYMMACHVS MARCELLO.

Requirunt te per Hispanias aliae litterae meae; illic enim te degere ob rei familiaris amplitudinem duxeram. postquam te in avitis penatibus otiari constantior fides adtulit, egi huic errori gratias, qui mihi praestitit, ut te rursus adloquerer. et tamen ista geminatio, quamvis satisfacere animo tuo debeat, nondum meo sufficit: vellem quippe ita continue honorare amicitiam tuam litteris, ut mente iugiter colere
Γ 2 numquam dissimulaverim. | subiungo postulatum. iampridem commendata sensibus tuis praetoria filii mei. si fors dictum iuvet, instat editio. ea nos admonet, ut quadrigas nobiles in certamen . . . . . quae posset ex multorum gregibus edecumare meliores. non obsit securitati meae, quod Hispanias longinqua sede *mu*tasti: admot*os a* me equorum coemptioni tantum litteris iuva. valebit pro nobis, ut spero, apud amicos curae tuae delegatio.

XXIIII (XXII) a. 399.

F SYMMACHVS BASSO.

Multam capio animi voluptatem, quotiens sermonis tui munus accipio. est enim in illis litteris et sanitatis tuae et amoris indicium. praeterea laetitiae mihi est, quod brevi te adfore polliceris. quo magis autem venire deproperes, nuntio filium meum, si favor divinus adriserit, praetorios fasces anno veniente sumpturum. de qua re ad *te per* familiares meos plenius scripsi, quibus equorum de Hispania mandavimus emp-
2 tionem. sed quia suadet occasio, nunc quoque reposco postulatum et quaeso te, ut si forte equorum reditum *in*temperies hiberna retardaverit, stabulari in agris tuis equos nostros paucis mensibus iubeas atque ad nos inde verno tempore incipiente proficisci. interea hominum tuorum cura submota est, quos et praesentia mea et iudiciaria tuitio defendit. denuntiavi enim litem moventi, quod ad me causa pertineat, nec defuturum eis meae actionis auxilium. quod non dubito *exími*etatis tuae homines indicasse. vale.

XXV (XXIII) a. 399.

Π AD VINCENTIVM.

Facio officium meum, si quando te cultu sal*u*tationis inpertio, nec dissimulo referre grates, quod invicem me frequentet remuneratio scriptorum tuorum. sed haec produci longius non oportet, quia bonae amicitiae iactationes refutant; illud nunc de

4 duxeram] (Γ), didiceram (Π) 8 *vox* dissimulauerim *ultima huius epistulae est in* (Π). *quae sequuntur, primus edidit Scioppius Verisim. IIII 13* subiunge Γ 10 certamen ***** quae Γ 11 longinqua sede mutasti] *Scioppius*, longinquas edecumasti Γ admotos] *Suse*, admotus Γ a me] *Lectius*, ad me Γ

15 Symmachus Basso] *Lypsius*, *om.* F 16 multum F^2 cui F^2 *1 m.* 17 tuae *om.* F^2 18 breui te] Π, in breui F uenire] Π, redire F noncio F^2 *2 m.*, non scio F^2 *1 m.* 19 praetorias F^2 ueniente] Π, ineunte F 20 te per] *inserit Mercer*, *om.* F equarum F^1 21 occasionem quoque F^1 22 equorum reditum *om.* F^2 intemperies] *Lypsius*, temperies F 25 deciani F^1 litem] F^1, litterae F^2 *1 m.*, lictori F^2 *2 m.* nec] ΓF^1, ñ F^2 26 eis meae] Γ, me eius F eximietatis tuae] *Wingendorp*, aetatis tuae Γ, praestantiae tuae F^1, etiam tuos F^2

29 saltationis Π

te impetratum volo, ut litteris et apparitore decreto iuvare digneris curam meorum, *Π* quibus *e*mendas ex Hispania curules quadrigas in apparatum praetoriae functionis iniunxi. oro praeterea, ut equorum tractoriis, quas vir inlustris Theodorus emisit, con- 2 firmationem per epistulam praestes, ne mutato iudice beneficii lentescat auctoritas. exambirem super his nimio precatu gratiam tuam, sed apud verecundas aures tuas simplicitas efficacior est, et libentius pudor adnuit, quod cum fiducia postulatur. velim tamen teneas, nunc quidem in petendo esse me parcum, sed fore in agendis post impetrationem gratiis copiosum.

XXVI (XXIIII).

AVRELIANO. *F*

Iuvat animum meum, quod saepe mihi vitio *v*ortis scribendi ad te neglegentiam. amoris enim tui signum est vicissim desiderare, quae praestas. et tamen dissimulandi . . . . destinatio tua voverat. contristavit me fateor nec tibi conveniens nec mihi sperata iactatio irriti beneficii. ne quid igitur ingenua verecundia *tua* simile rescriberet, malui premere mut*u*m dolorem; nam inter absentes alterna epistularum decertatio plerumque ad odia procedit. nunc redeo in usum simplicis stili gratus magis voluntati tuae quam reus casui; te oro, ut iam desinas amicitiam meam, quae nihil tibi indixerit oneris, damnosam putare.

XXVII (XXV) a. 399—401.

ALEXANDRO.

Silentium circa te meum nullo iure culpabis, si tuum cogites. et fortasse iustius tibi huius rei subeunda est verecundia, qui ob rem . . . . . . Romam saepe litteras mittens amicitiae circa nos munia praeteristi; meos autem sola ferarum emptio Aquileiam conpulit praeterire. nec tantum susce*n*sionis meretur unius occasionis oblivio, quantum laudabilitas tua inter adsiduos commeatus tuorum ex contemptu mei contraxit invidiae. sed *sit* venia utrique nostrum, quamquam inparis neglegentiae. posthac et ipse omissum munus instaura et nobis rescribendi per eosdem copiam praesta: difficilis est enim mihi hinc pergentium inquisitio. denuo stili cessabit officium, nisi familia*res tui* nostra ad te redituri susceperint. vale.

---

2 mendas *Π* 3 oro praeterea — 4 auctoritas] *Γ*, *om.* (*Π*)

10 Aureliano] (*Π*), Symmachus Aureliano *Lypsius*, Symmachus Valeriano (*Γ*), *om. F* 11 uortis] *Lypsius*, duxi fortis F^2, duxi sortis F^1 13 *post* dissimulandi *spatium vacuum trium versuum in ΓΠ*, dissimulandi destinatione *F* 14 tua uouerat] *Γ*, *om. F* me fateor] *Γ*, quia *F* est *post* conueniens *inser. F* desperata F^1 15 tua] *ego*, *om. F* 16 mutum] *ego*, mutuum *F* 17 stili simplicis F^2 18 indixerit] $ΠF^2$, induxerit F^1 19 uale *add. F*

21 *om. F* 23 rem romam *FΠ*, *supple:* familiarem *vel simile quid* 24 munia circa F^2, nos *add.* F^1 *2 m.* 25 suscensionis] *Lypsius*, successionis (*Γ*) *F* 27 sit] *Lypsius*, *om. F* in partes F^2 neglegentiae posthac] *Γ*, negligentiae sumus posthac F^1, negligentiae simus posthac F^2 29 hinc] *Γ*, *om. F* inquisitio] *F*, conquiri∗∗∗∗ *Γ* nisi tui familiares nostra ad te redituri acceperint *Scioppius*, nisi rei familia nostra ad te reditus acceperit *Γ*, nisi ad te redituri susceperint *F*

XXVIII (XXVI).

F

MAXIMO.

Agitare te venatibus feras et hibernis mensibus Appennini gelida lustrare, valetudinis tuae aestimatione . . . . putavi; amicior enim litteris, quam laboribus videbaris. horum alterum de te ignoratum munus silvestre patefecit, alterum bene creditum paginarum tuarum cultus adseruit. quare inter sodales Apollinis ac Dianae sectator utriusque numerabere, etsi te magis, ut scripta testantur, venaticae artis gloria iuvat. nam cum te nivosis saltibus inerrasse describeres, supra epistulae temperamentum verbis tripudiasti. nimirum laetus ex ard*uo* et adhuc calens montani operis eventu. interea satis fuerat Appennini spolia misisse: adiecta autem de corte plura fastidio esse potuerunt, nisi amor tui removisset satietatem. vale.

XXVIIII a. 397.

Π²

SYMMACHVS VARO.

Dum provincialium mederis adversis et salutarem laborantibus manum porrigis, gravior Apulos casus incessit. a quibus ob inanem famam fecunditatis frumenta poscuntur et detrahenda provinciae et reip. usui non futura. quando enim in hiemem vergente anno poterit maturari tantae frugis . . . . si igitur tibi suppetit, facultates . . . .

XXVIIII A.

. . . . itineris celeriter ad Campaniam promovendi, scire me facito, ut te paulisper opperiar: aut si promissum maior causa mutavit, id ipsum notitiae meae protinus pande, ut Symmachus noster diu in Formianis litoribus otiatus propere mecum ad studia revertatur. vale.

XXX (XXVII).

Π

SYMMACHVS LEONI.

Opto quidem te in tantum copiis pecuniae familiaris adfluere, ut possis opima praedia comparare, sed mallem sine amicorum noxa atque iniuria oculum te ac desiderium novis emptionibus admovere. nam ego Postumianensem rem iure optimo sine ulla mentione consortii tui ab antiquissimo possessore mercatus nunc primum tua admonitione convenior, ut prope iam inveterata possessione decedam, cuius pretium non

2 Maximo] Π, Symmachus Maximo *Lypsius*, *om.* F   4 aestimatione putaui F, aestimatione numquam putaui *Lypsius*, *plura deesse videntur*   amicicior ΠF¹   7 utrique F²   8 myosis F² describeres] Π, descripseris F¹F² *2 m.*, descripsis F² *1 m.*   9 ex arduo] *Lypsius*, exardeo F   10 operis montani F²   11 decŏrtae Γ, decurte F   potuerunt esse F²

13 *haec fragmenta om.* (Π), *primus edidit Iuretus in Symmachi editione secunda p. 304, hoc loco collocavit Scioppius*   Symmachus Varro (Γ)   15 famem Π²   16 prouincias Γ, prouinciis (Π)²   17 frugis si (Π)², *lacunam indicavi*   18 *post* facultates *spatium vacuum trium versuum in* Γ. facultas itineris celeriter (Π)², *epistulas divisit Suse*

eius mediocritatis est, ut emisse delectet. *i*deo cum possim tibi legibus obviare et *H*
desiderio eius, cuius res aguntur, obsistere, copiam tamen facio, ut quod argenti dedimus venditori, id homini meo Euscio, cui summa conperta est, digneris expendere: si tamen praeoptas nostra mercari quam tua nexu obligationis absolvere.

XXXI (XXVIII).

AD CARTERIVM.

Quod defe*r*endum socero erat, cuius te momordit querella, conpetenter in Epictetum commotus inplesti. caret foro et inconsultae linguae pretium tulit, ac si quid mihi credis, contumeliae talione correctus est. nunc ingenium tuum moresque considerans flecte ad veniam placabilem voluntatem. seis causidicorum saepe inprovidos 2
lapsus, et cum ornares tribunalia ante defensor, post cognitor iurgiorum tal*e*s advocationis error*e*s plerumque re*press*isti. sed quia nunc aliqui, quorum tuta flagitia sunt, Epicteti amici mei silentio claruerunt, quaeso, ne diu infortunato potius quam *n*ocenti patiaris inludi. faciet vir amplissimus communis frater, quidquid te velle cognoverit: 3
erit etiam ille promptus ad restituendum ei munus orandi, si voluntatis tuae sumat indicium. tu modo benignam mentem litteris meis adplica, et qui togae amicus es, cuius laude supra alios splenduisti, et honesto ordini notam detrahe et homini parum cauto rogatus ignosce.

XXXII (XXVIIII).

AD IANVARIVM.

Solebas antehac, cum tribunalibus praesiderem, fori tirones commendare iudiciis: quod nunc officium versa condicione suscepi, qui magisterio tuo causidicinae insinuo candidatos. qua in re meum necesse est sequ*a*ris exemplum, ut qua facilitate oblatos a te frequenter admisi, eadem religione suscipias meos me adsertore productos.

XXXIII (XXX).

Adsectatores diligo litterarum, non quod mihi cum talibus studiis sit ulla cogn*a*- *F*
tio, sed quia professio bonarum artium quasi pulchritudo, etiam in alieno corpore locata delectat. merito Valentinianum congressu mihi primore conpertum litteris prosequi officium meum duxi, ut ei apud te primam ianuam meus sermo reseraret, sua vita atque eruditio conciliaret amicitiam pleniorem. vale.

XXXIIII (XXXI).

Religiosa cura est, quae amicorum liberis exhibetur, praesertim si familiaritas *H*
delata maioribus cumuletur meritis posteriorum. in rem praesentem spectat praefata

---

1 ideo] *Wingendorp*, adeo (*H*)

7 deferendum] *Suse*, defendendum (*H*) 11 tales aduocationis errores plerumque repressisti] *ego*, talis aduocationis erroris plerumque resisti *F*, talis aduocationis errori restitisti (*H*) 13 nocenti] *Suse*, innocenti (*H*) 17 parum cauto rogatus] *F*, paras mea ut arrogatus *H*

23 sequeris (*H*)

26 assertatores F^1, assectores F^2 cognatio] *Lypsius*, cognitio *F* 27 profectio F^1 etiam in alieno] (*F*), in alieno etiam F^1, in alieno esset F^2 28 delectati F^2 Valentinianum congressu] *H*, ualentini congressum *F* primore compertum *H*, primo repertum *F*

H sententia. nam Lamp*ad*ium c. m. v. non usque ad sep*ulturam tantum p*ensi habui. ut solet esse multorum caduca et fragilis adfectio, sed ex eo genitos et in bona paterna uitentes propagato amore conpl*ecto*r. hos tibi trado ab omni iniuria vindicandos. quaeso, ut vicem meam, si usus tulerit, iustus arbiter exequaris. multum huius beneficii impetratio in tuam laudem, in meam gratiam promovebit.

XXXV (XXXII).

F Multas inter nos officiorum vices scribendi cunctatione perdidimus; non sinam produci longius commune delictum. adsumo igitur mihi religiosi muneris partes priores, et si referre verba distuleris, non mutabo propositum. tuae deliberationis erit intercapedo rescripti, modo ut memineris, adceleratum gratiae recursum voluntatis signa praeferre, serum necessitatis. satis mihi videor instaurandis commerciis litterarum locutus: aliquid sermo noster portanti litteras meas utilitatis debet adferre. est enim mihi familiaris dignusque patrocinio tuo: quem si placido ore respexeris, fortunas suas crevisse gaudebit.

XXXVI (XXXIII).

Taceas licet et salutationi respondere dissimules: numquam me a religioso officio demovebis; excudam quandoque, ut hac obstinatione decedas. interea nondum recuperata fiducia tui audax munus ingredior: commendare enim tibi huius scripti studeo vectorem, iuvenem gravitatis exactae mihique dudum probatum per honesta documenta nec inexpertum, si recte aestimo, iudicio tuo; quia securus vitae et militiae vetus numquam refugit examen superiorum. sed fac mediocriter a te bona homin*is* esse perspecta, fas non est, si quid tribuis amicitiae nostrae, ut post testimonium meum tamquam novus amicus tibi accedat.

XXXVII (XXXIIII).

H Pend*e*o animo usque ad vale*tud*inis tuae nuntium: nam infirmis adhuc viribus tuis laborem longi itineris addidisti. nec possum super hoc commeantium sermonibus esse contentus: siquidem maior adfectio falsis acce*nse*t dubia rumorum. expecto igitur litteras, quarum fides adportet mihi de te certam securitatem. si quid ipse meorum actuum scire postulas, ab epistulae perlatore *c*ognosces. est enim nobis conciliatissimus ob vitae integritatem dignusque me teste, qui sedulo domus tuae cultoribus in*s*eratur.

---

1 Lampadium] *Lectius*, lampium (*H*) usque ad sepulturam tantum pensi] *ego*, usque ad saepem si *Γ*, usque adpensi *H* 3 conplector] *Iuretus*, contemplor *(HΓ)*
9 uerba *om.* F^2 10 uoluntas seruit praeferre signa necessitatis F^2 11 litterarum] *F*, epistularum (*Γ*) 12 aliquid sermo — 13 tuo quem] *H*, denique probum familiarem tuoque patrocinio dignum *F* 14 creuisse] *H*, *om.* *F* uale *add.* *F*
16 salutationem *Γ* officio] *H*, studio *F* 17 dimouebis *H*, remouebis F^1 excudam] *HF*, extundam *Γ* ut ab hac obtinerotie (s *add. supra* t *2 m.*) discedas F^2 numdum (*H*) 18 ingredior] *H*, ingrediar *F* studeo] (*Γ*)*F*, *om.* *H* 21 examen superiorum] *H*, tamen superiorem *ΓF* mediocritate F^2 bona hominis esse perspecta] *Lypsius*, bona hominem esse perspecta F^2, bona hominum esse perspecta F^1, bominem esse perspectum (*Γ*) 22 quid] quem F^2 23 uale *add.* *F*
25 pendo (*H*) ualedunis *H* 27 accenset] *ego*, accepit (*H*), pro falsis accepit *Modius* exopto (*Γ*) 29 cognosces] *Iuretus*, recognosces (*H*) 31 inseratur] *Iuretus*, inferatur (*H*)

XXXVIII (XXXV).

Antistianus vir ordinis nostri olim mihi probitate vitae conplacitus est et honestis carus officiis. quod me ex vero potius quam in gratiam eius adserere, qualitas praesentis desiderii ostendit. nam diu patriae suae functus defensionem desiderat tandem portum privatae quietis adipisci, quae res tibi commendabilem facere . . . . etiamsi meus non interveniret adfatus. soles enim pro tua virtute diligere cupidos otii et nescios ambiendi. oratus igitur atque exoratus litteris meis dignare concedere optatam requiem vacare cupienti. nec deerit subrogandus, cum facile ex tot optimatum numero parem fide atque industria virum tua edecumare possit electio. *H*

XXXVIIII (XXXVI).

Desiderium mihi amicitiae tuae frater meus Nicias cum primis philosophorum numerandus incussit, postquam nobis per epistulam fecit indicium, quod ei filiam tuam fida pactione desponderis. quae res testimonio est, sincerum tibi inesse iudicium et propterea familiaritatem tui ultro omnes bonos debere sectari. adserit enim probabilem mentem talis electio. quare optimae voluntati tuae calcar admoveo teque hortor, ut quamprimum laudatissimum generum diis iuvantibus sortiaris: cuius accessio tibi et conciliabit gratiam plurimorum et decus adfinitatis adiciet. vale. *F*

XXXX (XXXVII).

Ratio quidem semper habenda iustitiae est, sed circa nobiles probabilesque personas plus debet esse moderaminis, ut perspiciatur in discretione iudicium. hoc eo proloquor, ut interventum meum generalitate commendem: genus autem petitionis huiusmodi est. agri sororis meae Italicae inlustris feminae culturae vacuati et fessi onere munerum publicorum iudiciaria auctoritate refovendi sunt. hanc ego opem de tui animi aequitate promisi: certa est enim de bonorum mente praesumptio. sponsioni igitur meae, si tibi cordi sum, fidem praesta, et quidquid rebus atque rationibus matronae absentis adcommodum est, nutu facili tribue meae inputaturus gratiae, quidquid illi favoris inpenderis. vale.

---

4 defensione (*Γ*) 5 facere etiamsi *H*, *supple:* deberet *vel simile quid* 7 atque exoratus] *Γ*, *om.* (*H*) 9 tua edecumare possit eiectio *Γ*, tu edecumare possis (*H*)

11 desiderium *denuo inc.* F^3 tuae] F^3, *om.* $F^{1.2}$ frater meus *om.* F^2, meus *om.* F^3 Nicias] F^1, ·N· F^2, *om.* F^3 12 incussit] HF^3, incutit $F^{1.2}$ postquam] quandoquidem F^3 tuam] meam F^3 13 inesse tibi F^2 14 familiaritates F^2 ultra F^1 probabilem] pro paginae F^2 15 tuae] (*H*)$F^{1.3}$, *om.* F^2 16 laudacissimum F^3 17 conciliabit] *H*, conciliet $F^{1.2}$, conciliat F^3 uale *om.* F^3

19 ratio] facio F^3 semper habenda iustitiae est] *H*, sera habenda iusticiae est F^2, sero habendum insticie est F^3, insticiae sero habenda est F^1 20 prospiciatur F^3 haec ergo F^2, nunc eo F^3 21 generaliter F^1 22 agri] $\overline{st}$ $\overset{i}{g}$ F^3 Italicae] F^1, ythalice F^3, ·I· F^2 cultore *Lypsius* uacuati] *H*, euacuati $F^{1.2}$, euacnari F^3 et fessi] *H*, oppressi *F* 23 ego] (*H*), ergo F^1, igitur F^2, igitur queso F^3 24 certe F^1 est *om.* F^1 25 concordi *H* praesta fidem F^3 et *om.* F^2 rebus *om.* F^1 26 mat⁹ne F^3 27 uale *om.* F^3

XXXXI (XXXVIII).

H Silere non debui eo commeante, qui tuus est, siquidem necessitudo inter vos futura persuadet, ut utrique vestrum similis a me diligentia deferatur. quare salutationem litterarum tibi defero et hortor, ut virum devotissimum Titianum mihique amicissimum promissae coniunctionis quamprimum conpotem praestes.

XXXXII (XXXVIIII).

F Fructus laboris est placere melioribus et pro industria atque animi integritate palmam iudicii promereri. quapropter Benignus v. c. filius meus rei frumentariae negotium pervigili animo et puris manibus executus solam de te mercedem iusti amoris expectat. testatur insomnes curas eius inbecillitas corporis. nihil enim de Sardinia reportavit nisi bonam conscientiam et malam valetudinem, horreis autem tantum fru-
2 gis invexit, quantum illi provinciae anni fortuna contulerat. nullus de eo rumor adversus, nulla conquestio nisi semper ad arguendum paratae. horum omnium locupletissimum pretium est, si amicitia tua dignus habeatur. quod mihi declive ad impetrationem videtur: siquidem necesse est te delectet eorum probitas, quorum non fefellit electio.

XXXXIII (XXXX).

Religiosa potius quam invidiosa quaestio est, quae fidem pactarum repetit nuptiarum. nolo igitur existimes, culpabiliter ad me esse perlatum, quod pactas filiae tuae nuptias cum Herculio amicissimo meo haesitatione suspendas: sed ceteris, quos matrimonii de te impetrati vel adiutores scit fuisse vel testes, me quoque voluit ad-
2 movere, ut suspensa diu vota novi hortatoris inpulsus acceleret. maneat igitur, oro te, stabilitas promissorum nec senatoriam fidem voluntatis mutatio devenustet. *prosit* etiam pacto foederi meae pro illo petitionis adiectio. cui non sine contumelia placita denegabis, cum prompte nobis deferre etiam intemptata debueris. certe ea viri modestia, ea in foro Romano dignitas est, ut quantum ei gratiae tribuisti, tantum orna-
3 menti ex gener*o* consequaris. uberes laudes eius et vitae honestamenta prosequerer,

---

3 similis] (*Γ*), *om.* *H* 4 ticianum (*H*)
7 melioribus placere F^{2} atque] et F^{3} animi *om.* $F^{2,3}$ 8 promoueri F^{1} quapropter] *H*, quare $F^{2,3}$, qua te F^{1} u. c. filius] *H*F^{2}, ut confilius F^{1}, confilius F^{3} negotia F^{3} 9 et *om.* F^{1} monibus *H* amoris] *H*, laboris *F* 10 enim *om.* F^{2} sordinia *H*, sardinio F^{1}, sardino F^{2}, sardonia F^{3} 12 de ea (*Γ*) 13 nulla conquestio nisi] *Γ*, nullae conquestiones *F*, nulla conquaestio (*om.* nisi) *H* paratae] *ΓF*, parata *H* 14 mihi] *hoc loco habent HΓ*, *post* impetrationem *coll.* $F^{1,2}$, *post* decliue F^{3} declunae F^{2} impetrationem] *HΓ*$F^{2,3}$, impetrandum F^{1} 15 siquidem necesse est] *Γ*$F^{2,3}$, si quid necesse est F^{1}, *om.* *H* te] *Γ*, ut te *F*, cum te *H* 16 uale *add.* $F^{1,2}$
18 pacturam *H* 19 esse perlatum] *H*(*Γ*), delatum *F* 20 Herculio] *H*(*Γ*), herculeo *F* caeteros F^{1} 21 patrimonii F^{3} impetrari F^{2} admonere F^{1} 22 impulsus *H*, impulsu *F* igitur] *H*, *om.* *F* 23 nec] sed F^{1} mutatio uoluntatis F^{3} uoluntatis *om.* F^{2} prosit] *Lypsius*, et prosit *F* 24 etiam pacto foederi] F^{1}, in pacto fidei $F^{2,3}$ meae] (*H*)$F^{2,3}$, mea F^{1} cui non *om.* F^{3} placida F^{2} *1 m.* 25 deferre] *H*, deferta $F^{2,3}$, deserta F^{1} etiam] et F^{1} intemptamenta F^{2} decreueris F^{3} certa F^{2} 26 Romano] ratiocinatio F^{3} ut] in F^{2} ex genere ornamenti F^{2} 27 genero] *Lypsius*, genere *F*

si tu novum aliquem videreris admittere: at cum tibi eius bona esse comperta, evi- *F*
denter adstruat dudum recepta condicio, non debeo eius protelare praeconium, quem tibi suscepti foederis pignus indicat iam probat*um*. vale.

XXXXIIII (XXXXI).

D*u*sarius medicinae professor vir*um* sanctae memoriae atque inlustris patrem tuum *H*
spe . . . . et quia ei cohaerere decreverat, rerum suarum in Aquitanicam nonnulla praemisit. n*unc* contra bonorum omnium votum tanti viri obitu destitutus, relegere ad suos iter, ut parens adtestatur eius, exoptat. iuva, quaeso te, piam iuvenis voluntatem, et quae ei pro insita moribus tuis fidelitate reddenda sedulo spo*po*ndisti, iube ocius reportari, ne illi supra vulnus amissae spei iniuria longae peregrinationis addatur.

XXXXV (XXXXII).

Pervectae sunt ad me litterae tuae, cum in Campanis litoribus otiarer. credo te *F*
fando aut lectione didicisse, quanta sit huius regionis venustas: vicit epistula tua adpositas voluptates. spretis igitur ceteris, quae ingerebat loci gratia, totum animum recensendae paginae usque ad memoriam mancipavi. utinam plura dictasses! mihi tamen saepe repetita instar multorum fuerunt. posthac cave parcius promas, quod ex abundantia ingenii tui nascitur, *ne* me quoque, cui stilus pauper est, in artum revocet voluntaria frugalitas tua. quod restat, Aurelium tibi denuo in manum tradimus, non quo inefficax fuerit prior commendatio, sed ut meritum eius nostramque curam testetur etiam iteratio. vale.

XXXXVI (XXXXIII).

Quisquis a nobis in commendationem sui litteras petit, praestat gratiam, ... accipere. antiquior est enim mihi amicitiae cultus, quam illis praesidii impetratio. repende igitur huius pro me operae mercedem scripta reddenti et pro mediocritate fortunae hominem munerare. in tuo iure est, an etiam me tui officii honore digneris:

1 aliquid F^3 uideris F^2 enideat F^2 *1 m.* 2 eius *om.* F^3 3 pignus] *H*, si genus $\Gamma F^{1.2}$, signum F^3 indicat iam probatum] F^3, indicat iam probat $F^{1.2}$, indicat an probat Γ, inductum cōprobauit *H* uale *om.* F^3

5 Dusarius] *Mommsen*, disarius (*H*) uirum] *Scioppius*, uir (*H*)Γ tuum spe +++++++++++ et] Γ, tuum ++++++++++++++ et (*H*) 7 nunc] *Gruter*, nec (*H*) 8 optat (Γ) 10 spondisti (*H*)

13 perfectae F^1 campaniis F^1 credo te fando aut lectione] *H*(Γ), credo autem te fando lectione F^2, credo autem te fando lectioneque F^1, credo autem fando lectione F^3 14 regionis] F^3, religionis $F^{1.2}$ uetustas F^2 15 spretis — 16 mancipaui *om.* F^2 ceteris] F^3, litteris F^1 quae] *H*, *om.* *F* 16 usque ad memoriam (meriam Γ) mancipaui] *H*Γ, *om.* *F* 17 saepe repetita] Γ, saepe petita *H*, sero petita $F^{1.3}$, sero potita F^2 multarum F^3 posthaec (*H*) 18 tui *om.* F^3 nascatur F^3 ne] *Lypsius*, *om.* *F* cui] tui F^2 *1 m.* 19 fragilitas F^3 manus F^3 20 non] nam F^3 quo] ΓF^1, quod F^2, *om.* F^3 fuit F^3 21 etiam] (Γ), *om.* *F* uale *om.* F^3

23 parerat F^2 *1 m.* gratiam +++++++++++ accipere] (*H*), gratiam +++cipere Γ, gratiam accipere *F*, gratiam, quam se putat accipere *Scioppius* 24 enim mihi est F^3 mihi *om.* F^2 illius F^2, ullis F^3 interpretatio F^1 25 responde F^3 huius *om.* F^3 pro me] (*H*), promptae *F* pro mediocritate] (*H*), pro medicritate F^3, pro *om.* $F^{1.2}$ 26 an etiam me tui officii] F^1, an ęę (*i. e.* esse) me tui officii F^2, ut etiam me tui officii F^3, me etiam mutui officii *Iuretus*

F neque enim verborum fenus exerceo, ut te de solutione conveniam. grave enim est te ad leges debiti redigi, qui me officiis voluntariis saepius onerasti. vale.

XXXXVII (XXXXIIII) a. 398.

ΠF Bonorum virorum curam tibi esse non ambigo: mores enim tuos necesse est similium [virorum] coniunctione gaudere. si quid igitur mihi tribuis, amplectere, quaeso te, amicitias domini et filii mei Flaviani, quem non solum parentis . . . . verum etiam testis fidelitate commendo. reperies in eo mentem dignam amore tuo et meliore fortuna, licet sacri beneficii magnitudo casibus eius occurrerit et ad cumulum lenitatis adiecta sit evocatio. unde aequum est, ut quem respicit imperiale suffragium, familiaritas vestra non deserat. vale.

XXXXVIII (XXXXV).

Π Ad posteros amicorum curam transferre debemus, ne fides cum homine interisse videatur. exigit igitur a me memoria Petronii ex consularibus, cui lar apud Ariminum fuit, ut eius filios hereditario amore defendam. horum . . . . militaribus habitanda decernitur, et ni publica succurrat auctoritas, extremum patietur excidium. si quid igitur interventui meo tribues, datis ad Ariminensium magistratus atque ordines minacibus litteris arceri ab ea hospites iubeatis et restituere penatibus parvulorum priscam securitatem. in iudicis enim iubentur esse tutela, qui a parentibus deseruntur. vale.

XXXXVIIII (XXXXVI).

ΠF AD IVSTVM.

Voto ac desiderio suo me adiutorem Severus vir honestus adscivit: cuius cum petitionem probabilem iudicassem, totiens flagitatas litteras negare non debui. summa autem petitionis huiusmodi est, ut filio eius coniunctionem filiae tuae spondeas. cuius rei impetrationem facilem fore, personarum promittit aequatio et honestate et possibilitate congruitas. expecto igitur, ut responsio tua testimonium meum vires apud te habuisse declaret. vale.

---

1 fenus nerborum F^2, fenus *om.* F^3 te *om.* F^3 desolatione F^2 *1 m.* F^3 enim] (*Π*), *om.* *F*(*Γ*) 2 debite religionis F^3 uoluntarie *Γ* saepius onerasti] *Π*, saepe superasti *F*

5 uirorum *uncis inclusi*, uirtutum *Iuretus* te quaeso amicitias *F*, amicitias quaeso te (*Π*) 6 Flaniani] ·F· secundum F^2 quem] $\overline{qm}$ (*i. e.* quoniam) F^2 parentis uerum (*Π*) $F^{1.3}$, parentes uerum F^2, *supple:* parentis adfectione *vel simile quid* 7 testes F^1 *supra* amore *add.* F^2 *1 m.* honore amore tuo et *om.* (*Π*) 8 sacri] sic F^3 tui *post* beneficii *inser.* F^3 9 sit] (*Π*) F^3, *om.* $F^{1.2}$ est equum F^2 ut] (*Π*) F^1, *om.* $F^{2.3}$ *Γ* quem] qm F^2 10 uestra] (*Π*), tua *F* uale *om.* F^3

12 homine] (*Γ*), hominibus (*Π*) 14 horum ·········· militaribus] (*Π*), horum domus uiris militaribus *Iuretus*

21 *om.* *F* 22 ac] et F^2 tuo F^3 me adiutorem Seuerus uir honestus asciuit (*Π*), Seuerus uir honestus me adiutorem adsciuit F^1, ·S· ū (*i. e.* ubi) honestus me adiutorem assiuit F^2, securus uir honestus me ad tutorem asciuit F^3 23 toties flagitatas (*Π*), flagitatas totiens F^1, totiens *om.* (*Γ*) $F^{2.3}$ 25 personarum *om.* F^2 promittit fore F^2 aequitas F^1 nam *post* aequatio *inser.* F^3 et compassibilitate F^3 26 congruitas] $F^{1.2}$, congruitis *ΠΓ*F^3 meum] nostrum F^3 27 declarat F^2 uale *om.* F^3

L (XXXXVII).

AD CAECILIANVM. *Π*

Quantum domui meae cultum Lucillus quondam pictor adiecerit, cum potissimis amicorum nosse te certum est. huius filium, per naturam quidem . . . . . . et per necessitatem procul positum, ... bus iniusta sollicitat, orto certamine inter numerarium quendam et Opinatorem dudum supradicti possessoris colonum, qui superiorum temporum ratiocinia in Lucilli vertere damna nicum . . . . posco, non gratiam, licet interventui meo etiam voti et studii accessio debeatur. et primo loco postulo, *ut* domus viri pudentissimi longeque degentis per officia publica et ordines tuta praestetur, dehinc, ut si quid inter illos decertationis est, tuo †cedatur examini, ne quando alteri iudici servata cognitio recidivam Lucilli filio gignat iniuriam.

LI (XXXXVIII) a. 399—400.

*A*POLLODORO.

Quintus et Felix Hippo*n*ensium curiales has de me litteras summatibus viris intervenientibus impetrarunt; debui enim probitatem hominum de testibus aestimare. interest igitur amicitiae nostrae, ne spes eorum, qui me ad impetrationem validum crediderunt, decepta videatur. quare si quid eorum poscet utilitas, benignitatem adde iustitiae. credo enim talia esse poscenda, quae nec intervenientis petitionem nec praestantis iudicium decolorent.

LII (XXXXVIIII).

MAXIMILIANO.

Me ex sententia valere significo, tibi secunda opto suppetere. post haec de te postulo, quod spontanea benignitate fecisses, ut conductorem rei meae Siciliensis ad provinciam revertentem celeri transcursu ad destinata dimittas . . . .

LIII (L).

Adsiduae scriptionis nullum potest esse fastidium. fungor igitur apud te salute dicenda simulque hortor et deprecor, ut hominum meorum curam gerere non graveris. quibus non solum tribuenda est fiducia, si quid usus desideret, suggerendi, verum etiam necessitas admovenda. haec est enim natura servorum, ut adire metuant profuturos, dum culpam suam metuunt deprehendi. *ΠF*

3 meae] (*Γ*), tuae (*Π*) 4 nosse] (*Γ*), nosce (*Π*) quidem et per (*Π*), *lacunam indicavi* 5 positum bus iniusta sollicita tortu *Γ*, positum iniusta sollicita certo (*Π*) 6 quendam] *Γ*, quondam (*Π*) dudum] (*Π*), totum *Γ* 7 in Lucilli uertere damna nicum +++++++++ posco] *Γ*, in Lucilli +++++++++ posco (*Π*) 9 ut] *ego*, *om.* (*Π*) pudentissimi] (*Γ*), prudentissimi (*Π*) 10 cedatur examini] (*Π*), caedatur examine (*Γ*), cedat examini *Kiessling*, sedetur exauine *Iuretus*, credatur examini *Lectius*, decidatur examine *cod. Bertinianus* (?)
13 Pollodoro (*Π*) 14 Ippomensium (*Π*) 16 nostrae *om.* (*Γ*) 17 crediderunt] (*Γ*), crediderint (*Π*)
22 suppetere] (*Γ*), superpetere (*Π*) post haec] (*Γ*), posthac (*Π*) 24 reuertentem *post* transcursu *repetit* (*Γ*) *punctis epistulam claudit* (*Π*)
26 assidua F^2 *1 m.* 29 admouenda] (*Π*), admonenda F^3, amouenda F^2, amouenda est F^1 enim] (*Π*)F^3, *om.* $F^{1,2}$ 30 dampna sua F^3 uale *add.* $F^{1,2}$

LIIII (LI) a. 402?

HF AD POEMENIVM.

Tacenda sunt damna fortunae, ne sera cons*ol*atio scindat praeteriti cicatricem doloris. rectius ergo tecum de filii nostri Nemesii ornatissima indole vel potius fecunda laudum fruge contulerim. habes virum dignissimum pro numerosa prole censeri. hunc tibi in manum reddo, quod facere de utroque voluissem. aestimabis de cultu morum eius ac litterarum, quantum illi studiorum mora potuisset adicere, nisi respectum paterni desiderii timor noster habuisset.

LV (LII).

H AD EVSEBIVM.

Communis amici Eusebii merita longo sermone prosequerer, nisi *de* probitate eius atque militia plura sentires. qui nunc de loco suo anxius, postquam de eo conperit esse dubitatum, allegationes suas properavit adstruere lectione publici scripti, n*on* adsertione verborum. qui in re et fautor . . . . liberis, quorum alterum nobis tua amicitia promisit, fides alterum pollicetur. nam dudum eum ad scholam Gallicam palatii translatum esse meministi. quod ideo te credimus ipso absente siluisse, ne existimaretur gratiosa esse suggestio. n*un*c maiore fiducia aderis veritati, cum allegationes praesentis au*d*ieris. vale.

LVI (LIII).

GEMINIANO.

Felix eum et domus tuae cultor esse diceret et humanitatem commendationis meae amicis intervenientibus postularet, desiderio eius familiarem paginam non negavi: qua principe loco fungor apud te salute dicenda, dehinc prosequor receptam petitionem, quae supradicto, si nondum tibi cognitus est, praestet clientelae aditum, si iam notus, augmentum. vale.

LVII (LIIII).

HF QVINTILIANO.

Moris mei est bene cognitis adprobatisque ferre suffragium nec personas hominum sed vitae merita cogitare. cum igitur Asellus domesticus noster in urbanis ca-

2 Ad Poemium (*H*), Symmachus Poemenio (*Γ*), *om. F* 3 consolatio] *Iuretus*, consultatio *HF* praeteritam F^2 cicatricem doloris praeteriti F^3 4 de] *ΓF*, *om.* (*H*) Nemesii] (*H*), *om. F* honoratissima F^3 facunda F^3 5 nunc F^2 6 in manu trado uel reddo F^3 de utroque placere F^2 meorum F^3 7 eius ac litterarum *om.* F^3 nisi *om.* F^2 *1 m.* 8 uale *add.* $F^{1.2}$

11 de] *Pareus*, *om.* (*H*) 13 non] *Iuretus*, nunc (*H*) 14 qua in re *Lectius* fautor *********** liberis] (*H*), fautor ***********beris (*Γ*) 17 nunc] *Iuretus*, nec (*H*) 18 audieris] *Iuretus*, adiuueris (*H*)

23 receptam petitionem] *Γ*, recepta est (*H*)

27 (Quintiliano] (*H*), *om. F* 28 approbatisque (*H*), et probatisque F^3, ac probatis (*Γ*) F^1, atque probatis F^2 29 Asellus] F^1, ·a· F^2, Assellus (*H*), ansellus F^3

stris militiae stipendia sine offensione confecerit, quaeso, ut admissus in clientelam tuam et meum sibi patrocinium profuisse et tuum accessisse laetetur. ΠF

LVIII (LV).

AD CAECILIANVM. Π

Intervenire pro iustis debitis non recuso; malitiae est enim repudiare locum gratiae in his, ... Formianis ad egestatis levamen certum ex Africa olei modum decrevit antiquitas. poscunt a te morem longa aetate servatum, cui debet adicere celeritatem praestantis humanitas.

LVIIII (LVI).

AD IOVIVM.

Non novum vel incognitum sed conpertum iam fide et antiquitate militiae Eusebium amicum meum promptus commendator insinuo: quem ad hoc aevi nulla actuum culpa foedavit, sed absentia, quae plerisque occulit merita, si testimonio praesentium deseratur, locum eius dicitur in ancipitem statum deduxisse fortunae. singularis tamen animi tui aequitas non patietur, ut spero, adversum stipendiorum praerogativam casum valere. et mea igitur hortatio et ipsius fiducia iudicium tuum respicit. quaeso, ut causa cognita veterum eius stipendiorum iusta confirmes, praestaturus et nobis amici securitatem et honestum collegis eius de optimi viri retentione consortium. vale.

LX (LVII).

AD PROBINVM.

Omnibus, qui occasionem scriptionis inpertiunt, et commendationis quandam rependo mercedem. nunc optimo viro Petrucio factum volo, quem scio hanc epistulam non tam *in* sui commendatione*m* quam mei officii gratia postulasse. cuius operam versa vice munerandam putavi: poposcit litteras, ut tibi probare*m*ur inpensius: ego contra ideo scripsisse me fateor, ut tibi ille acceptior redderetur.

LXI (LVIII).

AD PACATVM. F

Vix adducor, ut credam, litteras meas saepe repetitas nihil Leontio remedii contulisse: quia si nihil virium frequens interventus noster habuisset, desisteret suffragium meum totiens elusus optare. cum igitur apud me querellae istius fides dubia sit, experiri volo, cui potissimum parti dubitatio mea debeat adplicari. est igitur in

2 sibi patrocinium] (Π), patrocinium sibi F accessisse] (Π) F^{1}, accepisse $F^{2.3}$ uale *add.* $F^{1.2}$
5 est] (Γ), *om.* (Π) 6 *lacunam punctis indicat* (Π), quae ipsa postulati aequitas commendat *supplet Scioppius* 8 praestantis] (Γ), praesentis (Π)
14 fortunae] *Kiessling*, fortuna (Π) 17 amici] *Suse*, amicis (Π)
21 et *om.* (Γ) 23 in sui commendationem] *ego*, sui commendatione (Π) 24 munerandam putaui poposcerit (Γ), numerandam ****** poposcit (Π) probaremur] *ego*, probaretur (Π), probarer (Γ)
27 Ad Pacatum] (Π), *om.* F 28 Leontio — 29 nihil *om.* F^{3} 29 habuisse *ante* frequens *repetit* F^{3} noster internentus F^{2} 30 elusus] F^{3}, elusum $F^{1.2}$ fides querelae istius $F^{2.3}$

F manu tua, utrum posthac tenere in scribendo morem meum debeam, an verecundiae nostrae continua *i*am taciturnitate consulere.

LXII (LVIIII).

Π ROMVLO.

Tu quidem paterna adfectione pignus commune commendas, sed illi efficacius studia et amorem bonorum probabilis vita conciliat. habes iuvenem, cuius debeas fruge gaudere, etsi scio, patres avaros esse voti nec ulla filiorum bona putare esse perfecta desiderio et cupiditate potiore. forte laetari animum tuum indicas dulci potius nuntio quam fideli . . . . confore, cum tibi eius reditum favor divinus adnuerit, ut in illius meritis deprehendas mei testimonii veritatem.

LXIII.

Γ Observantiam vetus usus induxit, ut domo profecti praestent auspicium mutuae scriptionis, sed ego longae expectationis inpatiens ordinem servare non potui. prior igitur tibi honorificentiam stili defero: dehinc subicio postulat*um*, cuius haec forma est, ut Laurentium domesticum meum, quod domus meae poscit utilitas, suffragio tuo non dissim*u*les adiuvare.

LXIIII (LX).

Π PACATO.

Incitare debueras: sed prolixus in hac conquestione esse non †pigeo. itaque ad commendationem viri devotissimi Olympii amicissimi mei flecto sermonem teque sedulo rogo, ut eum securus testimonii in penetralia familiaritatis admittas. reperies in eo morum bona, qualia iudicii tui circumspectio consuevit eligere.

LXV (LXI).

ALEVIO.

Vehiculi rotae cuius debeant esse mensurae, linea missa testabitur. superest, ut omne carpentum adfabre et firmis conpaginibus explicetur. si parte pretii ad hoc opus est, quod dandum scripseris, iubebo numerari. humanitas xeniorum tuorum debet esse moderatior; religio enim animis potius quam muneribus aestimatur.

2 nostrae *om.* F^3 continua iam taciturnitate] *ego*, continua etiam taciturnitate F^1, *et idem correxit Π ex* continua taciturnitate, *quod in editione Lypsii invenerat, ita ut saltem vox* etiam *in Π fuisse videatur*, etiam taciturnitate F^2 *2 m.*, et taciturnitate F^2 *1 m.*, taciturnitate *Γ* F^3 uale *add.* $F^{1.2}$
8 potiorum *Kiessling* lactari] *Γ*, laetari *Π* 9 fideli comfore cum *Γ*, fideli cum fore (*Π*). *supple:* sed scio *vel simile quid* 10 illius] *Γ*, illis (*Π*)
11 *epistulam om.* (*Π*), *primus edidit Scioppius in Verisim. l. IIII 17* 14 postulat. *Γ* 16 dissimiles *Γ*
19 non debeo *Kiessling*, non pergo *Latinius* 22 circumspectio] *Iuretus*, circumspectionis *Π* eligere] *Γ*, elicere (*Π*)
21 Leuio (*Π*). Symmachus Alleuio *Γ* 25 esse debeant *Γ* linea] *Γ*, in ea *Π* 27 xeniorum] *Γ*, semorum (*Π*)

LXVI.

AD SAECVLAREM. Π^2

Pretia desertorum confuso errore poscuntur. nam neque iudicia . . . . certus futuri laboris institues. fixum enim ac definitum tenet amplissima praefectura, nullum eius esse meriti, ut sublimitati tuae debeat subrogari.

LXVII (LXII).

Et quiete provinciae et vigoris tui delector laude, nec quidquam magisterio meo vindico, cum omne, quod spectat ad gloriam, tuae potius indoli debeatur. macte igitur primi honoris auspiciis et ad honorem et gloriam felices tende conatus, ut et tibi ad celsiores gradus ianuam pandas et Romanum nomen claritudine administrationis inlumines. F

LXVIII (LXIII).

Soleo amicitias optimorum primus expetere: nunc fortunae meae inclinatio, ne praevenirem, effecit. tribuenda est igitur venia tarditatis non neglegentiae sed maestitudini meae et bono omine familiaritas copulanda, cui auspicium fortunatius praestitisti. sed licet me ipse officii ordine et dignatione praeverteris, in posterum tamen nequaquam residem iudicabis, ut animorum nostrorum conciliatio, quae tuo invitamento sumpsit exordium, meis litteris frequentata cumuletur. vale.

LXVIIII (LXIIII).

Mallem quidem reditum tuum quam litteras impetrare, sed habent etiam solacia locum, quotiens fraudamur optatis. vereor autem, ne te diu ab urbe protermines, namque hoc nobis minatur tarditatis tuae elaborata defensio. quare velim noveris, nullas morae allegationes desiderantibus iustas videri. quidquid igitur ipse causationis adtuleris, surdis, ut aiunt, auribus ingeretur. haec interim de quarto Latinae viae mox agrum Laurentem petiturus emitto. est enim familiare maerentibus animi curas migratione discutere. vale.

---

2 *epistulam om.* (Π), *primus edidit Iurctus in editione Symmachi secunda p. 304, hoc loco collocavit Scioppius*

7 tui] mei F^3 delector laude] (Π), laude delector F 8 potius laudi (laudis *2 m.*) debeatur indoli F^2 9 oneris F^2 et ad] F^1, ad $F^{2.3}$ tende] F^1, tarde F^2 *1 m.*, trade F^2 *2 m.*, tendere F^3 et tibi *om.* F^2 11 uale *add.* $F^{1.2}$

13 me F^2 *1 m.* ne praeuenirem] Π, ut praeueniret $F^{1.2}$, ut praeuenirer F^3 14 est *om.* F^3 igitur] ergo $F^{2.3}$ uenia] $\Pi F^{2.3}$, nota F^1 15 homine F^2 16 me ipse] Π (F)F^1F^2 *2 m.*, uici p̄ F^2 *1 m.*, me nunc ipse F^3 puerteris F^2, praeueneris F^3 18 cumulata frequentetur F^3, frequentata curetur Π uale *om.* F^3

20 quidem] quoque F^3, *om.* F^2 etiam *om.* (Π) 21 fundamur F^1 ab urbe] ΠF^3, ad urbem $F^{1.2}$ 22 defentio F^2 noueris uelim F^2 23 istas F^2 *1 m.* igitur] (Π), *om.* F causationis] excusationis F^2 24 ingeratur F^3 de quarto] $\Pi F^{2.3}$, die quarto F^1 25 emitto] $\Pi F^{2.3}$ omitto F^1 26 nigratione discurrere F^2 *1 m.* uale *om.* F^3

LXX (LXV).

H Accusarem silentium tuum, nisi te in fratre vidissem. ille et officii tui satisfactionem et praesentiae tuae imaginem mihi solus exhibuit: nam omnia bona in eo agnovi, quae in te dudum probavi. amo igitur ven*am* familiae vestrae, de qua nobis, etiam qui adhuc conperti non sunt, praerogativa optimi generis laudabiles iam videntur. superest nunc mihi sollemnis illa efflagitatio litterarum, quam nec omittendam penitus existimo, ne remissius cures, qua*e* putas non desiderari. nec magnopere perurgendam, ne tibi perpetua conventio spontanei gratiam decerpat officii.

LXXI (LXVI).

Quamvis relegere iter atque ilico parem rure dece*de*re, hoc ipsum tamen breve intervallum diei vacuum esse litteris non patiar, primum ut officium scriptorum tuorum vicissitudine sermonis aequiparem, dehinc ut expetitas amicitias relatu gratiae intellegar munerari, postremo ut indicio adventus mei pauxillum de te, *qu*i mox abire
2 decreveras, residendi tempus obtineam. ob has causas epistulam venturus ipse tamquam praesulem misi. sed in his praecipua mihi fuit ratio non silendi, quod prior votum sanciendae familiaritatis habuisti: unde curare me decuit, ne culpam fastidii contraherem dissimulando responsa. atqui mallem semper mea opera amicitias inchoari. tantum abest, ut pigre et neglegenter accipiam munus religionis oblatae. ago igitur gratias bonae voluntati tuae et curabo sedulo officiis meis, *ut* credas potuisse me scribendi ordine praeveniri, diligentia animi non posse.

LXXII (LXVII).

Alexandrum, sicuti loquuntur historiae, gravis momordit invidia, quod Achilli fortissimo aevi sui Homerum praeconem fortuna tribuisset. at mihi animus gliscit gaudio, quod eventus reip. prosperos parili tuo sermone ornasti. unde factum est, ut nostris quoque obtutibus, qui procul agimus, quaedam gestorum facies subderetur. quare et fortunae tuae gratulor, quae spectatorem te secundis rebus adposuit, et facundiae, quae talium negotiorum magnitudini orationis gravitate respondit. caelestis nutus efficiet, ut ornatissimo linguae tuae promptuario numquam desit materia talium nuntiorum.

LXXIII (LXVIII).

Cura anxius eram, priusquam litteras tuas sumerem, utrum commode peracto itinere ad destinata pervenisses: sed ubi certior factus sum, nihil valetudini tuae ex labore itineris deminutum, animus ad securitatem revertit. praestabit divinus favor, ut sicuti de absentia tua optata cognovimus, ita tuo reditu gaudeamus.

4 uenam] *Iuretus*, ueniam *H* (*Γ*) qua nobis] (*Γ*), nobis (*H*) 7 quae] *Iuretus*, quam (*H*) 10 decedere] *Iuretus*, deducere *H* 13 qui] *ego*, si (*H*) 17 atqui] (*Γ*), atque (*H*) 19 officiis meis ut] *Iuretus*, ut officiis meis (*H*)
26 quae spectatorem — facundiae] *Γ*, *om.* (*H*) 28 ornatissimo] (*Γ*), ornatissimae (*H*)

LXXIIII (LXVIIII) a. 398—400?

Editionibus nostris amicam operam polliceris. intellego litteris benevolentiae tuae effectum respondere potuisse, si honoris tui tempus felicitas provinciae prorogasset. sed quamvis depositis reip. habenis nequeas promissis terminum dare, ego tamen fateor ita me tibi vadatum gratia, ut *si* sperata perfeceris. voto enim faventis non exitu rei animus obligatur. interea abundo gaudio, quod tibi omnium rerum fama floret, et in partem quaesitae a te laudis accedo. vale. F

LXXV (LXX).

Beasti curiam nostram forumque Romanum, de quo sortiri Sicilia magistratus anteriorum recordatione metuebat. ades igitur nobis expectatus, illis desiderandus, et praesume tibi accepto ferendum, si provinciae commodaverit posterioris imitatio: auctor est enim bonorum sequentium, qui reliquit exemplum. vale.

LXXVI (LXXI).

Querebar tacitus ipse mecum de silentio tuo, sed amicam suscensionem recens sermo placavit. ergo in usum veterem revertamur et mutuam diligentiam religiosis salutationibus excolamus. vale.

LXXVII (LXXII).

Scripta tua plurimum mihi trib*u*unt voluptatis. sed si paululum Romae residere voluisses, multo amplius nobis praesentia tua quam sermo gratiae contulisset. fero tamen aequo animo, quod desiderio nostro amorem patriae *prae*tulisti, et spero, visendi filii tui gratia, qui nunc liberalibus studiis eruditur, reddendam mihi saepius tui copiam. interea dum absumus, frequentanda tibi est opera scriptionis, ut meus etiam stilus ad vicissitudinem provocetur. H

LXXVIII (LXXIII).

Credo miraris, quod adhuc crudo fortunae meae vulnere silentium ruperim. haec solacia mea, his pascor, his recreor: etsi illa duco maiora, quae mihi ex tuo pectore et sermone redduntur. sed nolo tantisper a me exigas litteras longiores: breves sunt doloris indutiae, et mox in miseras cogitationes recurrunt dissimulata paululum mala. F

---

2 tuae *om.* F^2 3 bonis tuis F^3 5 tibi] (*F*), *om* *F* si] *cod. Pithoei*, *om.* *HΓF* uote F^2 *1 m.* fauens F^3 6 integre F^2 abundo gaudio] HF^3, abunde gaudeo $F^{1.2}$ 7 inquesitae partem F^2 a te] $HF^{2.3}$, ante F^1 uale *om.* F^3

9 curam F^2 de quo] (*H*) F^3, *om.* $F^{1.2}$ sortita F^3 magistratus] F^3, magistra $F^{1.2}$ anteriorum] F^1, animorum $F^{2.3}$ 10 desiderantibus F^3 11 commoda erit *H* potioris F^3 imitatio] (*Γ*)*F*, mutatio *H* 12 auctor est] F^1, auctorē F^2, *om.* F^3 enim] (*H*), *om.* *F* sequendus F^1 reliquerat F^2 uale *om.* F^3

14 querebam tñ tacitus F^2 mecum] (*H*), *om.* *F* antiquam F^3 successionem F^2 16 uale *om.* F^3

18 tribunt (*H*) 20 praetulisti] *Iuretus*, contulisti *H*

26 mea] F^1, mera F^2, amo F^3 27 sed] *H*, *om.* *Γ* tantisper] *H*, tamen *F*

F ergo tua potius redundet oratio, quae et tibi laudem pariat servatae amicitiae et mihi solamen adferat praesentis aerumnae.

LXXVIIII (LXXIIII).

H Vtinam te melior causa tenuisset: facile absentiae tuae damna ferremus. utrumque tamen . . . . desiderium tui litterarum solacio mitigasti: quas frequentare dignaberis, si qua tibi adhuc moram necessitas familiaris indixerit. vale.

LXXX (LXXV).

Et sancti animi tui adfectione et sermonis adsiduitate delector; ne illud quidem beneficii minoris existimo, quod ad scribendum mihi idoneas tribuis facultates. spero enim vel has litteras meas tibi posse restitui, quas reposcunt, qui tuo iudicio portitores huius officii deliguntur. ea vero, quae pro mutua amicitia dignaris iniungere, libenter exequenda suscipio, quotiens desiderant operam meam, quos commendatione prosequeris; sed si quid aut neglegentius aut serius sortitur effectum, eorum dissimulationi, quos commonendi cura deserit, oportet adscribi. ceterum tam iusta et honesta sunt, quae ipse plerumque delegas, ut mihi vel ultro adpetenda sit executio probabilium litterarum.

LXXXI (LXXVI) a. 398?

Diu litteras tuas desiderasse me fateor, quarum adportatio expectationi meae plenissime satisfecit. praecipue autem mihi gaudio fuit, quod te pro voto agere nuntiasti, dehinc quod adventus tui dedisti obsidem sponsionem: et quoniam te mutuis de me praesumo gaudere, post ingentia pericula, quae solus in communis patriae perturbatione toleravi, in bonum me statum redisse significo. superest, ut ad plenitudinem prosperorum laetitia nobis sperata proveniat, quod mihi de tuo reditu spopondisti. vale.

LXXXII (LXXVII).

Pomis tuis abunde honorem scripto facerem, si valerem: nunc obsessus membrorum omnium doloribus, silvarum tuarum laudem sequestro. faciet frequens humanitas tua, ut saepe alias in Marsos bona Phaeacum translata celebremus.

LXXXIII (LXXVIII).

Ruri cum parentibus otiabar, ut algore Praenestini diversorii flagrantiam torridae aestatis excluderem. eo me loci reppererunt litterae tuae, quas expectatione prosperioris indicii principio laetus accepi — namque ad hoc locorum nullo me munere sermonis hilaraveras —, sed ubi omnes molestias, quas Pado auctore tolerasti, sollicita

1 ergo] quare F^3 potius redumdat F^2, redundet potius F^1 pariat] F^1, palmae F^2, seruat F^3 2 affert $F^{2,3}$ aerumnae] *H*, uitae ruinae. uale F^1, ruinae. uale F^2, iniurie F^3

4 et *post* tenuisset *inser.* (*Γ*) 5 tamen desiderium (*H*), *lacunam indicavi* 6 quam (*Γ*

10 has *om.* *Γ*

22 *praetulerim:* superest ad plenitudinem prosperorum, ut ex te laetitia nobis sperata proueniat

31 eo *om.* *Γ*

lectione percensui, accusato vernula tuo flumine, cuius turbidos meatus et infidum agmen expertus es, retuli conservationis tuae gratiam diis auctoribus bonaeque fortunae. quamobrem conplacitum est mihi serum exhibiti sermonis officium, cuius longam cessationem secundis rebus tuis incusare potuissem. factum est enim religione qua debuit, ut prius liberationem tuam quam periculum discerem. quare penes sospitatores tui deos manebit haec cura, ut beneficiis suis ingiter immorentur teque ob meritum donent largo aetatis excursu, ita ut senectus nihil decoquat firmitatis. interea quoniam te grata secessio et quies dulcis amplectitur, quaeso curam dignatus adripias nobiscum saepius loquendi. adicies plusculum refectioni corporis, si aut emittendis epistulis aut vicissim sumendis peregrinationem levaris. Certe nobis nihil antiquius erit quam te legere, quibus blanditias oris tui interim non contingit audire. vale. *Π* 2 3

LXXXIIII (LXXVIIII).

Quod ait noster comicus: numquam te adeo, quin abs te doctior abeam. id ego de epistulis tuis iure memoraverim, quae multis salibus nonnumquam sententiarum, plerumque versuum farciuntur. veluti nunc litterae tuae halantes Platonicum nectar quantum mihi muneris et honoris dederunt! nam nisi tibi bonarum partium spectatus essem, numquam me Atticis Musis inpertiendum putasses. quare huiusmodi operi frequenter accingere et amicitiae diligentiam sedulo persevera, cum hoc negotium tibi nostri officii vicissitudo commendet. vale. *F*

LXXXV (LXXX).

Amicae voluntatis indicium est, quod adeptus amplissimum consulatum cognitionem mihi et societatem tanti gaudii praestitisti. quare huius tibi apud me muneris opima laus est, quando ita securus es mei, ut tuis rebus prosperis scias nos posse laetari. quid quod etiam consulare negotium fuit honoris tui nuntium latius promovere? gaudia enim, quibus pauci fruuntur, angusta sunt: dehinc ipsius aeterni principis beneficium celebrius atque ornatius reddidisti, cui sub occasione talium litterarum apud multos gratias videris egisse, quod tam benigne animadvertat officia. facito, oro te, ut istam gratiam scribendi adsiduitate continues. vale. *Π*

LXXXVI (LXXXI).

Conpotem me optati nuntii praestitisti: fateor enim verae amicitiae hanc esse rationem, ut commoda nostra mutuo gaudeamus. gratulor igitur cum tibi familiaritatis nostrae, tum famae temporum, quam recentis iudicii aequitas in aeternam gloriam vindicavit. functus es optimi civis officium multa opera, perpeti sollicitudine;

13 Terent. Eun. 791

---

2 retulisti *Γ* 6 suis] *Iuretus*, tuis (*Π*)*Γ* 11 audire] *Γ*, *om.* (*Π*)

13 comicus noster F^2 *2 m.*, amicus noster F^2 *1 m.* adeo te F^3 14 iure *ante* de epistulis *repetit* F^3 non unquam F^1 15 sarciuntur F^3 nunc *om.* F^2 tuae *om.* F^2 halantes] *Iuretus*, alantes F^3, alentes F^2 *1 m.* *Π*, olentes F^1F^2 *2 m.* 16 et honoris *om.* F^3 tibi *om.* F^3 partium] *Γ*, artium *F*, patrum *Π* 17 Atticis] a tuis F^3 quare et F^3 18 diligentiam] *Γ*, diligentia *F* 19 uale] *Π*, *om. F, qui epist. 87 cum hac coniungunt*

24 tui] sui (*Γ*) 27 quod tam] *Susc*, quam (*Π*) animaduertantur (*Γ*)

31 igitur cum] (*Γ*), ergo (*Π*)

H sed nolo paeniteat virtus durioribus negotiis enitescit et aspernatur declivem facili-
2 tatem maximoque sudore arduum laudis adnititur. adde huc, quod *in* ore fortissimi principis agis et publico bono sine satietate defrueris, quae res non compensat modo sed etiam commendat laborem. iam illud quale est, quod in causa non tantum tua fortunae eluctatus incertum nulli nostrum debes victoriae tuae gratiam! plura vellem. sed videor mihi *in* praesentia satis fecisse *ver*borum. nunc si tibi potestas est, malo, ut iam recurras; si quid morarum est, quaeso respondeas.

LXXXVII (LXXXII).

F Summa tibi apud me laus et solida gratia est. quando i*ta* adfectas amicitiae cultu*m*, ut nos litterarum honore digneris. sed pars epistulae tuae, quae laudem mihi adsignavit eloquii, sit licet nimis iucunda, minus tamen est vera. non audeo scribere: mentiris et decipis, cum haec de me praedicas, sed illud potius: scio, quod amore fall*a*ris. tu quemquam facundum voces, vir in dicendo summarum partium, cui sit patriciae dignitatis oratio? ergo parce verbis lenocinantibus et fuco oblitis et ad gratiam comparatis. amicitiae nostrae forte conveniat, ut talem videri me ceteris cupias. pudoris tamen mei est, ut mi*nime* ipsi talem me esse persuadeas.

LXXXVIII (LXXXIII).

H Olim te mihi fecit optabilem cultu fama litterarum tuarum, sed diu officium scribendi per verecundiam distuli, ne in aula positum viderer ambire: cuius morbi ita crebra est adfectatio, ut diligent*es* existimationis viri pro alienis vitiis erubescant. iam remota est causa haesitantiae, postquam me prior salutatione dignatus es. patentes amicitiae tuae fores benigne accitus intrabo et compensare meditabor pudentis
2 silentii moras crebrioribus paginis. tu tantum bona venia respice obsequium linguae inopis et paulisper imperialis magistri submitte iudicium. indicasti certe meorum te aliqua legisse: eandem posco patientiam. novus tibi non ero nec inexpertum formidabo arbitrum; omnia mea ferre didicisti. accessit etiam nobis familiaritas, quae te mihi aequiorem iudicem faciat. gratiosa quippe est amicitia et a severo examine in
3 blandiores sensus caritate mutatur. quodsi ego deposito ingenii pauperis metu adsiduas tibi epistulas spondeo, vides, quanto amplius sperem de promptuario largiore. fatendum tibi est amice: Gallicanae facundiae haustus requiro: non quod his septem montibus eloquentia Latiaris excessit: sed quia praecepta rhetoricae pectori meo senex olim Garumnae alumnus inmulsit, est mihi cum scholis vestris per doctorem iusta
4 cognatio. quidquid in me est, quod scio quam sit exiguum, caelo tuo debeo. riga nos ergo denuo ex illis Camenis, quae mihi lac bonarum artium primum dederunt, et si te in meis scriptis aliquid offenderit, auditorem quondam popularis tui aut silentio tuere aut tu quoque rursus institue.

2 in ore] *Gruter*, more (*H*) 6 in] *Iuretus*, *om.* *H* uerborum] *Iuretus*, uborum *H*

9 apud me laus et solida gratia est] (*H*), laus apud me et solida est gratia $F^{1.3}$, laus apud me est et solida gratia F^{2} ita] *Suse*, id *F* cultum] *Suse*, cultu *F* 11 uera est F^{2} 12 et decipis] (*H*), sed decipis $F^{1.3}F^{2}$ *1 m.*, sed deciperis F^{2} *2 m.* sed illud — 14 dignitatis oratio] *H*, *om.* *F* 13 falleris (*H*) 16 minime] *ego*, mihi *F* ipsi] (*H*)$F^{2.3}$, ipse F^{1} me] (*HF*), *om.* *F* non persuadeas F^{3} uale *add.* $F^{1.2}$

20 diligentis (*H*) *F* 32 garundae alumnus (*H*), garunna calumniis *F*

LXXXVIIII (LXXXIIII).

Accuso litteras tuas, quas male credulus desiderio meo facturas medicinam putavi: *H* at illae decursae oculis admoverunt mihi taedas ferventiores. adfluebant enim multo melle facundiae, quod avectum tecum dolemus; itaque parvae lectionis sapore commonitus tristiorem damni nostri sensum recepi. inter haec occurrit mihi altera cogitatio, amarius esse, si taceas. quapropter condicio durior vertit me ad optionem prioris. peto igitur scribas, sed fac epistulis tuis temporis intervalla breviora. sae- 2
pius ad me commeent et confabulationem praesentis imitentur. fruamur adsidue ea parte, qua melior es. quod si aliquid prolixioris curae et elaborati a te operis adiunxeris, prope erit, ut mihi non solum Romae sed in Athenaeo quoque nostro, qua soles gratia, perorare videaris.

LXXXX (LXXXV).

In curam tuam redisse me gaudeo: sed huius tam subiti [operis] boni ornatissimus iuvenis Asterius mihi auctor est, qui parandae commendationis gratia, ut tandem scriberes, impetravit. et illius quidem familiaritati, licet a nobis olim repertae, ob meritum recens adiecimus animi diligentiam. te vero non patiar ultra expectare monitores et aliorum potius usui operam navare quam mutuae inter nos adfectioni debitum pium solvere. non invideo poscentibus testimonia vel suffragia tua, sed validior est amicitiae causa quam gratiae. precarias epistulas postpone legitimis: his frequentius caritas studeat, illas nonnumquam praestet humanitas.

LXXXXI (LXXXVI).

Expectare non debui litteras tuas, quibus indicium mihi faceres honoris accepti. *F* itaque verecundiam tuam gratulatione praevenio et opto, ut augeat gradum meritis tuis iure delatum continuata felicitas. restat, ut stili adsiduitate acuas inter nos amicitiae diligentiam vincasque officii sinc*eritate suc*cessus tuos. ille enim vere incrementis suis maior est, quem sublimitas parti honoris inclinat. vale.

LXXXXII (LXXXVII).

In cassum dissimulationis et taciturnitatis accusor, cum debitam diligentiam Iove teste non deseram; sed nequitia meorum arbitror accidisse, ut missa ad te scripta residerent. quaeso igitur, ne ex infrequentia litterarum meus in te animus aestimetur. nam plerumque officiis simulatur adfectio, amicitiae autem sinceritas pectoris magis fidem postulat quam delenimenta sermonis. vale.

---

2 in te *post* desiderio *inser.* (*Γ*) 8 fruemur (*Π*
13 operis *uncis inclusi* 14 mihi] (*Γ*), *om.* (*Π*)
24 continua F^2 *1 m.* assuduitate F^2, uita *2 m. in ras.* 25 officii sinceritate successus] *ego*, officiis intercessus *FΓ*, officiis successus *Gruter* uere] *Π*, uenire *Γ*, uenie status *F* 26 suis] s̄s F^2 parca honoris inconsinat F^2 uale *om.* $F^{1.3}$
28 diligentiam tuam $ΠF^3$ Ioue] *Π*, deo *F* 29 testante F^3 30 igitur] ergo F^2 ex *om.* F^3 31 autem] at F^3 32 postulat fidem F^3 uale *om.* F^3

LXXXIII (LXXXVIII).

F Pignora nostra coniunximus, atque ideo consentaneum videtur, ut quos coetus participes habuimus, etiam honore sportulae prosequamur. duos igitur solidos offerendos tibi misimus. parvum munusculum, si aestimatur pretio sui, religiosum, si amore pendatur.

LXXXIIII (LXXXVIIII).

H Romam te venturum certa fama promiserat: spem visendae praestantiae tuae multo gaudio ceperamus: sed inproviso mutatus nuntius indicavit, quod pio accitu domini et principis nostri ad votiva remeares. ergo officium salutationis, quod coram speraveram deferendum, stili honore conpenso teque oro, ut ingravatam vicem referas, quae *per*suadeat, desiderari ex me crebra conloquia, si ostenderit, prima placuisse.

LXXXXV (LXXXX).

Pro utroque nostrum causam diuturni silentii reddidisti, nam me quoque fateor scribendi officio hactenus temperasse. tua igitur purgatione defensus diluere litteris, quod commune est, non laboro. nunc omnium statu in tranquillum redacto aemulis studiis omissa repetamus. ita enim demum proba*bi*tur temporis fuisse, quod diu int*er* nos stilus quievit, si nunc reddita facultate mutuam diligentiam frequens sermo reparaverit.

LXXXXVI (LXXXXI).

Etsi tu a litteris temperasti, exempli tui imitator esse non debeo. integro igitur tibi largam salutationem nec diffido, reddenda saltem mihi esse officia, quae a te fuerant inchoanda.

LXXXXVII (LXXXXII).

Solet bonis livor obstrepere: ut nunc speratum praesentiae tuae gaudium mihi subduxit invidia. hactenus vires suas in damna voti communis intenderit: sic ero contentus, quod me adventus tui expectatione fraudavit. ipsum te sospitem manere patiatur et tandem cum utroque nostrum redeat in gratiam. instar beneficii erit, si mihi contingat de te ex voluptate securitas.

---

2 ideo] F^3, idem Γ, id F^1F^2 *2 m.*, hic F^2 *1 m.* coetus] *Lypsius*, coitus $F^{1.2}$, cogi Γ, contra Γ^3 3 *fort.* habere noluimus etiam] $F^{1.3}$, et in F^2 prosequamur] F^3, prosequantur F^1, consequantur F^2 4 si] sed F^3 estimetur F^2 5 uale *add.* F^2

11 persuadeat] *ego*, suadeat (*H*) ostenderit] (*Γ*), ostendero *H*

16 probabitur] *Mercer*, probatur (*H*) inter] *Lectius*, intra (*H*)

20 tu] (*H*), *fort.* diu ingero *Latinius*

28 *fort.* pro uoluptate

LXXXVIII (LXXXIII).

Amo litteras tuas, sed expecto praesentiam; nam mihi dierum ratio . . . . pollicetur. plura me scribere spes adventus tui non sinit, sed quod nunc epistulae [tuae] detrahimus, coram fabulis rependemus. *Π*

LXXXVIIII (LXXXIIII).

Gratum mihi est, quod promptissimum studium rei nostrae dignaris inpendere et quod te nostri memorem scriptorum adsiduitate testaris. hinc fit, ut officiis tuis etiam cura nostra respondeat. libenter igitur tibi rependo sermonem. et quamvis spontaneam iuvandis hominibus meis adhibeas voluntatem, hortamentum tamen petitionis adicio, ut officia, quae ultro tribues, cumules provocatus.

C (LXXXVIII).

Sumpto adventus mei nuntio, de quo non potuit apud te fama reticere, expectavi, ut prior scriberes, vel quod est amabilius, ut ipse Formias commeares. sed quia utrumque mihi vel dissimulatio tua vel occupatio denegavit, in partes tuas libenter ipse succedo teque oro, ut mihi aut excursum tuum praestare digneris, aut si obstat aliquid, saltem litteraria salutatione respondeas. *Γ*

CI.

Conquestio tua de raritate epistularum mearum magis religiosa quam iusta est. nam cum ex amore descendat, non habet tamen . . . . quievit. nunc tamen emenso itinere promitto praeterita officiorum dispendia crebris a me epistulis sarcienda. *Π*[2]

CII (LXXXV).

Dum petis beneficium, praestitisti: plus enim mihi ex amicitia tua quam tibi ex nostra defensione quaesitum est. nihil igitur adsumam gratiae meae, cum plurimum tuae debeam. potest tamen adhuc istiusmodi munus augeri scribendi adsiduitate, ut cumulet voluntas familiaritatem nostram, quam nunc videtur necessitas inchoasse. *Π*

CIII.

Totis viribus adiuvandi sunt communis patriae corporati, praecipue mancipes salinarum, qui exercent lavacra lignorum praebitione. his plerique sunt debitores, quos *Π*[2]

2 nam mihi] *Γ*, nam etsi (*Π*), quam mihi *Scioppius* ratio pollicetur (*Π*), *supple:* nam mihi dierum ratio sollemnium te confestim adfuturum pollicetur *vel simile quid; cf. p.* 170, 20 4 tuae *del. Iuretus*
10 ultro tribues] (*Γ*), sponte tribuis (*Π*)
12 *epistulam om.* (*Π*), *primus edidit Scioppius Verisim. l. IIII* 17
18 *epistulam om.* (*Π*), *primus edidit Iuretus in editione Symmachi secunda p. 305, hoc loco collocavit Scioppius* 19 tamen quievit (*Π*)[2], *lacunam indicavi*
23 dum] (*Γ*), cum (*Π*) 25 augere (*Γ*)
28 *epistulam om.* (*Π*), *primus edidit Iuretus in Symmachi editione secunda p. 305, hoc loco collocavit Scioppius*

Π² nisi ad solutionem vigor iudicialis adstrinxerit, eliciet publicam querellam series incommodi. quare quaeso, ut inter cetera, quae sibi de studio tuo Roma promittit, hanc quoque partem diligentiae tuae vindices.

CIIII.

Γ Parva fatemur esse, quae misimus, sed honorificentiae *prae*b*entis* religione potius quam m*odo* muner*um* aestima*n*tur. haec ipsa tamen exi*l*is oblatio plus ad me gratiae portabit, si religio tua usui suo a me delibata susceperit.

CV (LXXXVI).

Π Iuvandi sunt mancipes salinarum, qui splendori atque usui patriae communis inserviunt. dignaberis igitur auditis eorum querellis adeuntibus deferre iustitiam et urbi Romae utilem et tuis moribus congruentem. vale.

CVI (LXXXVII).

Pro filiis nostris deo iuvante coniunctis in duobus solidis ad te misimus sportulam nuptialem, quam cum prompta dignatione susceperis, documentum dabis, omnia amicorum festa esse communia.

CVII (LXXXVIII).

Nuptiis quidem filii mei te quoque inter amicorum potissimos interesse voluissem: sed quia longinqua absentia tua desideratum mihi negavit officium, in duobus solidis sportulam misi, ut *v*igere apud me tuam memoriam votiva oblatione testarer. parvum quidem munusculum est, si aestimatur pretio sui, religiosum, si amore pendatur.

CVIII (LXXXVIIII).

Omnia, quae sine auctore iactantur, incerta sunt; sed ego in sacrae virginis famam nihil patior licere sermonibus. quare officio pontificis, fide senatoris admoneor proferre comperta. diceris ante annos legibus definitos vest*a*li secreto velle decedere. nondum credo rumori, sed adsertionem tuae vocis expecto, quae opinionis dubium aut agnoscat aut respuat.

CVIIII (C).

Tandem de actibus tuis certum me facere dignatus es: quibus lectis atque decursis laetatus sum. vitae et innocentiae tuae apud iustum . . . . ceteris

1 series] (Π)², senius Γ 3 uindices] (Γ), uendicet (Π)²
5 *epistulam om.* (Π), *primus ed. Scioppius a. 1608* praebentis] *C. F. W. Mueller*, parentis (Γ) 6 modo munerum aestimantur] *C. F. W. Mueller*, me de munere aestimatur (Γ) exilis] *Scioppius*, ex illis (Γ)
10 dignaberis] (Γ), *om.* (Π) deferre] (Γ), deferto (Π)
18 longinqua] (Γ), longa (Π) 19 uigere] *Iuretus*, ingere Π 20 manusculum (Π)
24 uestili Π
28 actibus] uocibus Γ 29 iustum ceteris (Π), *lacunam indicavit Scioppius*

in rescribendo diligentiam defuisse. quos tu ad referendam gratiam dignaberis incitare, ut intellegam vicissitudine provocatus, epistulas meas iisdem fastidio postea non futuras. *Π*

CX (CI).

Aliorum quidem tibi spectanda est sententia, quos decet de pa*r*ibus iudicare: mei ingenii exilitas etiam parva miratur. quare velim credas, nihil tibi ex meo testimonio honoris accedere. nam etsi laudari ab laud*a*to v*i*ro vetus dictum est, nostri tamen mediocritas non multum famae tuae claritudinem iuvat. sed quia voluntati tuae mos gerendus est, quid e medio *unus de* orationibus tuis sentiam, iussus expediam. prope est, ut te arguere debeam, quod saeculo nostro Tullianum stili *t*am 2 parcus inv*i*deas. respondebis, omnem te operam condendae historiae deputasse. ignosce avaritiae meae, si utrumque desidero. nam pari nitore atque gravitate senatorias actiones et Romanae rei monumenta limasti. ut plane Homerica appellatione usus περιδέξιον (id est aequimanum) te esse pronunti*e*m. perge igitur quaeso et stude hanc posteris dotem relinquere. ut quae divisa in singulis auctoribus ante placuerunt, eadem nunc in te coniuncta laudentur.

CXI.

. . . . condicio ac difficultatem ducendae aquae inter labores censere *Γ* Herculeos debeamus. nunc me Neapolis mutata sede suscepit, unde post breve intervallum dierum transire Capuam tui desiderii gratia non morabor.

CXII (CII) (a. 370?)

Cum iam Decembrium kalendarum tempus adpeteret, redditae sunt mihi litterae, *Π* quae te annalem trabeam meruisse loquerentur. credas velim, multo ex ea re gaudio mentis meae habitum splenduisse, primo quod ita natura comparatum est, ut omnes sibi delatum decus iudicent, quod dign*u*s acceperit, dehinc quia honor iampridem togae et ordini rarus nimisque difficilis tandem summatem civilium partium virum respicit, postremum quod amicitias nostras necdum aliis officiis inchoatas prompta evocatione iunxisti. videsne quam probabiles laetitiae meae causae sint? sed vereor, ne 2 his parum credas, cum accitus excusem, quamvis iusta ratio sapientem non possit offendere. quo enim pacto ad prima fascium tuorum vocatus auspicia, paucis diebus Galliarum longinqua penetrarem? exime itineris apparatum, cogita hiemis impedimen-

7 Naevius ap. Cic. Tusc. IIII 31, 67; ad fam. V 12, 7, XV 6. 14 Hom. Il. XXI 163.

5 paribus] *ego*, patribus (*Π*) 7 laudato uiro] *Iuretus*, laudito uro *Π* 9 quid e medio unus de orationibus] *ego*, qui demediorationibus *Γ*, quicquid de orationibus (*Π*), quid quidam e medio de orationibus *Scioppius* 10 tam] *ego*, fame *Π* 11 inuideas] *Iuretus*, inuadas *ΓΠ* 13 homeri∗∗∗∗∗∗∗ relatione usus ∗∗∗∗∗∗ (*Π*), homerica appellatione περιδέξιον *Γ* 14 id est aequimanum *uncis inclusi* pronunciam (*Π*) igitur *om.* *Γ* et stude *om.* *Γ* 15 dotem] totam *Γ* quae diuisa in] quod *Γ* 16 eadem nunc *om.* *Γ*

18 *omisit epistulam* (*Π*), *primus edidit Scioppius a. 1608* censere] *Pareus*, censurae (*Γ*)

22 *epistula ad Probum consulem a. 371 scripta esse videtur* KL (*Π*) 23 credam (*Π*) 25 dignas *Π* 26 togato ordini rarum *Γ* difficilitas *Γ* 29 excusem] *Γ*, accusem (*Π*) possit] potest *Γ* 30 pacto] *Γ*, precio (*Π*) uocatus] *Γ*, sum uocatus (*Π*) 31 penetrarem exime] *Γ*, pene∗∗∗∗∗∗∗ ex me (*Π*) hiemis] *Γ*, ∗∗∗∗∗∗ *Π*

H tum, defectum cursus publici et brumalis lucis angustias? nonne mihi ante kalendas Ianuarias futurus erat irritus labor, aut post inverecundia . . . . ventus? haec oro te, aequo animo . . . . pronuntiet amicitiae nostrae bonus auctor esse dignaris. eo animo interpretare, quae iure adstruo, quo rogasti, nec propositum tuum deseras. solus enim benigne creditur advocasse, qui excusatione non laeditur.

CXIII (CIII) a. 380.

Multa me gratia nexuisti, et cum prioribus officiis tuis adhuc solvendo non sim, denuo aliud posco, quod debeam. consul me amplissimus auspiciis honoris sui interesse praecepit, cuius litteris tua quoque accessit oratio. haec ut venturo honesta est, ita excusanti vehementer onerosa. sed tua aequitas verecundiam meam vana felicitate relevabit: ille ut sit placatus adnitere, cui me tristis de fratre casus excusat.
2 nam mihi turpe atque inpetibile est adtonito animo et fronte maesta laetos adire conventus. quid fortunam meam deceat, agnosco, cum qua nimis contumaciter agit, qui *ex*cepto vulnere statim miser esse dissimulat. si iusta, si necessaria, si vera praetendimus, facito, oro, ut tam prompta venia ignoscat absentiae meae, quam bona adfectione, ut pergerem, postulavit.

CXIIII (CIIII).

F Recte Caecilius comicus, homo, inquit, homini deus est, si suum officium sciat. hanc ego in te dixerim sententiam convenire, qui †gratia tua in nostris negotiis curam vigilem praestitisti. hinc in nostro pectore memoria, laus in ore versatur, nec in praesentia modo floret facti et studii tui gloria, sed ut mens augurat, aevum
2 vigebit. prolixior agendis gratiis sermo etiam nunc conpeteret, ni vererer, ne simul totum videar expendisse, quod debeo. inpatiens est accepti beneficii, qui nexu properat liberari, nec videtur mutuam operam quasi amicus accipere, si erubescit ad moram gratiae. alia mei ingenii ratio est: pecuniae fenus accelero persolvere, officiorum vices diu opto debere. vale.

CXV (CV) a. 375—376?

H Mones, ut aequo animo feram vel aemulorum facta inproba vel ingratorum foeda decreta. convenit cum studio atque ingenio nostro consilii tui qualitas. nullius quippe tam vehemens nequitia est, ut motu meo digna sit. an ego istud feram moleste, qui noverim Marcellorum monumenta sublata Verre praetore et Marianis trophaeis nequa-

18 Caecil. frg. v. 261 Ribbeck

1 kalendas Ianuarias] *Gruter*, kl. Ian. *H* 2. 3 *lacunas indicat H*, *nec explet F*. inuerecundior aduentus *Iuretus*
9 hortatio *Suse* 10 uana] *F*, uera *H* 11 adnitere] *Scioppius*, admittere *F*, enitere *H*; 14 excepto] *Scioppius*, et cepto *F*, accepto *H* 15 *fort.* prona adfectione
18 cecilius *F*, caecilicus *F* 19 ergo *F*[2] gratia tua in] *H*, *om. F* negotiis] officiis *F*[2] 20 huic *F*[1] pectore nostro *F*[3] nostra *F*[2] pectore *om. F*[2] 21 nec] haec *F*[2] modo] in *F*[2] tui] *F*[3], *om. F*[1.2] aeuum] exinde *F*[3] 22 uigebat *F*[2] etiam] quia et *F*[2] *1 m.*, quia etiam *F*[2] *2 m.*, quod *F*[3] nisi *F*[2.3] uerere *F*[1] 23 beneficii *om. F*[3] 24 *fort.* qui erubescit 25 alia mei] alearum *F*[3] ingenii mei *F*[2] est ratio *F*[3] 26 opto diu *F*[2] uale *om. F*[3]
28 mones — *p.* 267, 1 pepercisse *om. F* ingratorum] *F*, gratorum *H*

quam manus in*vi*das pepercisse? | in sola conscientia est fructus et ratio virtutis. nihil moror statuas et publica falsa titulorum: fucum faci*a*nt provincialium oculis, qui animis occiderunt! quod si mihi ullus honor testimonii publici adfectandus foret, iudicio tuo et similium contentus esse deberem, vel fidicinis exemplo, qui indignatus considentium turbam sibi et Musis cantum ciebat, vel secundum Heraclitum physicum, qui summam laudis arbitrabatur placere uni, *si* esset optimus, qui probaret. quare esto securus patientiae nostrae et gratulare mihi, quod ego solus torqueo corda liventium, cum alii, quibus statuae quoquo modo tributae sunt, nihil habeant invidendum. *F* 2

CXVI (CVI).

Valeo, quantum sinit aeger animus. atque utinam leges aeque mecum valerent, quarum sanitas ab ipsis plerumque corrumpitur, quibus curanda mandatur. non pergam longius, cum hoc aenigma nostrum frater meus Bulephorus possit aperire, cui ut amicitia mea cara, ita querella comperta est. is ubi te scientem dolor*is* mei fecerit, confido tali adiutore leges ad fora nostra redituras. *H*

CXVII (CVII) (a. 394).

Exprobraveras mihi antehac feras, quibus non est usa quaestura filii mei. mordebar commemoratione irriti beneficii, de quo arguere amicum nec compotem gratiae debuisses: tu vero etiam pretia, ut vir excellentissimus communis frater Protadius allegat, nec speratae nec traditae rei e*x*postula*s* . . . . . . me, si credis, a verecundia ad pecuniam *tran*slata conventio: minus enim grave est debitorem quam ingratum videri. est igitur optio tua . . . . . . quos tempestate dicis amissos, naufragia taxare, habes in manu, quanto aestimare mihi debeas inefficacis voti benignitatem: tantum maneat amicitia nostra nihilque fortunae in eam liceat. summam pone dispendio, non subducam pecuniam meam navis tuae casibus.

CXVIII (CVIII).

Hospitem tuum Faustinum senatus amplissimus in societatem recepit. tanta apud nos testimonii tui antiquitas fuit, ut differri, quae velis, instar iniuriae . . . . sit. tibi igitur acceptum ferat studium totius ordinis: nam ut beneficio sacro debet dignitatis impetrationem, ita tuo decreti nostri celeritatem.

1 Valer. Max. III 7 ext. 2. 5 Heracl. frg. 113 Bywater.

1 inuidas] *Iuretus*, incudas *Π* et *om.* *F*[2] *fort.* et gratia uirtutis 2 nihil moror *om.* *F*[3] qui *ante* fucum *inser.* *Γ* faciant] *ego*, faciunt *ΓF* qui] *Π* (*ΓF*[3], quae *F*[1.2] 3 occiderunt] *F*[1.3], acciderunt *F*[2], exciderunt *Γ*, *om.* (*Π* ullus honor] *ΠF*[3], honor ullus *F*[2], ullus fauor *F*[1] 4 fidicinis] si demis *F*[3] indignatus] ingratus *F*[3] 5 *fort.* confidentius *aut* non audientium turbam] *Π*, cimbam *Γ*, turbe et *F*[2], turbae *F*[1.3] tantum *F*[2] *1 m.* sciebat *F*[2] eraclitum *F*[1.3], eraditum *F*[2] 6 arbitratur *F*[3] uni si] *Mercer.* uni is *Π*, unid *Γ*, uni *F*[1.2], *om.* *F*[3] si esset — probaret *om.* *F* esset optimus] *Π*, esse optimum *Γ* quare] *Π*, pro qua re *F* 7 patientiae] patrie *F*[3] ego] (*Π* *F*[3], *om.* *F*[1.2] torquet *F*[3] uinentium *F*[2] 8 alii quibus] (*Π*), aliquibus *F* quoque modo tributa *F*[2] sunt] *F*, sint *Π* quae niehil *F*[3] nale *add.* *F*[1.2]

12 buleforus *Π* 13 doloris] *Iuretus*, dolorem (*Π*)

18 debuisses] *Γ*, debui *Π*, debuisti *Gruter* 19 expostulas] *ego*, epistola (*Π*), postulas *Γ* *lacunam punctis indicant* (*ΠΓ*), *supple:* iuuat *vel simile quid* 20 translata] *ego*, etiam lata *Π*, lata (*Γ*) 21 *lacunam indicant* (*ΠΓ*) 22 mihi] (*Γ*), *om.* (*Π*)

26 hospitem] *Γ* *ex coniectura Gruteri?*, sospitem (*Π* 27 fuit] (*Π*), est (*Γ*) iniuriae sit (*Π*), *scribe:* instar iniuriae uisum sit *vel simile quid*

CXVIIII (CVIIII) a. 394.

H Plerique te accitu consulis Mediolan*i*um venire credidimus, pars in Gallia resedisse iactabant. inter haec opinionum varia, quonam mittenda essent quaestoria dona, dubitavi. postquam mihi solvendi officii occasionem tribuit adventus tuorum, Clarentio, cuius spectatam fidem noveram, consueta munerum deferenda commisi. non aspernabere, ut aestimo, diptychi et apophoretici oblationem. neque enim grave est verecundiae tuae sollemnia et votiva suscipere. quae cum amicitiae deferantur, pertinet ad caritatis confessionem, ut deberi sibi haec animus sumenti *per*suadeat.

CXX (CX).

Ariminum saepe praeteriens magisterio tuo didici amicos honorare munusculis. quare tuo institutus exemplo necessaria usui magis rependo quam defero. quae nisi prompta dignatione susceperis, videbere meam facilitatem de acceptis totiens notare muneribus.

CXXI (CXI).

Promptum mihi atque declive negotium credidisti, in quo nullum nisum tibi operae meae vendito. quippe ubi primum spectabilem virum Faustum tua epistula, meus sermo convenit, ut Epiro mancipium, de *quo* ambig*itis*, in examen accersat, nequaquam adversatus est postulatis. spero igitur, accitu eius brevi adfore hominem, quem vestrum alteri disceptatio familiaris adiudicet. sed de hoc satis verborum est. te oratum volo, ut nos subinde scriptorum honore locupletes, et quod nunc causa cogente fecisti, id amicitia hortante non deseras.

CXXII (CXII) a. 392—393.

Praesumebam quidem iustitiam tuam fratris mei Magnilli sinceris actibus adfuturam, sed fide cognitionis audita, quam bonis omnibus adventantium sermo patefecit, admodum gratulatus sum, quod illi aequum iudicem fortuna praestitit. ago igitur gratias pro amici †tui securitate, cuius innocentissimam vitam sententiae testimonio conprobasti, et spero contemplatione tua brevi ceteras infortunii eius reliquias submovendas. itaque ut promptius partes ingenitae tibi aequitatis adripias, precator accedo, memor semper futurus beneficii tui, si eum, quem constanter purgare dignatus es, tandem securitas plena respexerit.

CXXIII (CXIII).

Plurimum voluptatis ex litteris tuis ante capiebam: nunc lacrimabili conqu*est*ione mentem legentis infuseas. ubi illa prudentia, quae te et naturae bono *et* veterum

2 mediolanum (*H*) 5 Clarentio] (*Γ*), olarentio (*H*) 8 sumenti persuadeat] *ego*, sumentis suadeat (*H*), sumentis agnoscat (*Γ*)

17 de quo ambigitis in] *Mercer*, de ambiget sin (*H*)

24 nobis omnibus *Scioppius*, *praetulerim*: pronis auribus 25 praestiterit (*Γ*) 26 tui] (*H*), *delet Modius*, nostri *Kiessling* 27 contemplatione tui *Scioppius*, commendatione tua *ego* 28 promptius] (*Γ*), promptus (*H*)

32 conquestione] *Iuretus*, conquisitione *H* 33 et] *Iuretus*, *om.* (*H*)

lectione contra omnia fortunae tela firmavit? dignam viro adsume patientiam, et quae mutari nequeunt, desiste lugere. leviora tibi cuncta post inprobum generum debent videri. cur autem torpori atque otio vaces et patrimonii neglegens feriatum pascas dolorem? curae sint tibi reliquiae rerum tuarum, quas facinorosus invasor exhaustas et laceras reliquit, ne in his reipublicae necessitatibus recuperata sustentare non possis, quae prius amissa contempseras. *II*

CXXIIII (CXIIII).

Coactum te licet fatearis, ut scriberes, ego tamen non minus acceptum tibi refero, quod me stili honore dignatus es, quam si hoc sponte fecisses. sed videris, qui fuerit auctor muneris tanti: mihi ex illis litteris non hon*os* tantum, *sed* gaudii fructus evenit. didici enim commeatu annonario convalescere urbis securitatem simulque res tu*rbid*as in tranquillum redire. quae bona, etsi honoris tui necessitas coniungit, meum tamen animum tamquam duplicata iuverunt. sed *ult*e*r*iora metuentes nondum explet hic nuntius, quamdiu in alteram messem procedat ratio conditorum. facito igitur sciam, quid invehant horreis dies singuli, ut voluptas otii mei cum patriae copiis augeatur.

CXXV (III).

A. d. sextum kal. Novembr. quaestoriae editionis exordiis interesse me praecipis. huius evocationis litteras ante biduum temporis praestituti circa Neapolim sumpsi. purgat, ut vides, absentiam meam long*u*s itineris tractus et functionis dies proximus: sed diis iuvantibus *f*ultis spectaculis vestris compensabo obsequii mei debitum. nunc veniae dandae facilem quaeso te praebeas: neque enim fas est, ut tanto dispendio meo etiam culpa iungatur.

CXXVI (IIII).

Propositi atque ingenii mei est eorum famam curare, quos diligo: tibi autem plus me favoris inpendere hortatur adfinitas. quocirca inpatienter fero, apparitorum not*a*riis senatu*m* nuntiari, quod Romani populi magistratus abesse patiaris, et in tuam referri invidiam, quod patriae functiones ab obnoxiis deseruntur. id e*t*si falso in aures publicas praesumo perlatum, fungor tamen in admonendo parentis officio et depreceor, ut ceteris administrationis tuae laudibus hunc quoque titulum, de quo laboramus, adicias. grave quippe est, ut generosae familiae viro summis per Africam 2
tribunalibus praeside coll*e*gar*um* nonnulli munia Romana detrectent et annus paene editionibus vacuus proconsulari fasti*g*io gignat invidiam. audiant certe, qui deserunt

3 feriatum] (*Γ*), feriatus (*II*)

10 honos] *Lectius*, onus (*II*) sed gaudii] *ego*, gaudii sed *II* 11 securitatem ······· codicem constitisse *II*), *sequitur p.* 273, 26; *finis epistulae inde a* simulque *epistulae 2 libri V insertus erat* (*v. p.* 277, 28) *simulque omnia, quae sequuntur usque ad p.* 273, 24, *in librum V translata. partes huius epistulae coniunxit Suse, reliqua huic libro reddidi ego* 12 res turbidas] *ego*, restituas (*II*) coniungit] *ego*, contigit (*II*), iungit *Γ* 13 ulteriora] *ego*, altiora (*II*) 14 quamdiu] *Γ*, quae *II*.

20 longus] (*Γ*), longius *II* 21 fultis] *ego*, multis *II*

27 notariis senatu (*II*) 28 id etsi] *Iuretus*, idem si *II* 32 collegarum] *Iuretus*, colligar *II* 33 editoribus (*Γ*) fastigio] *Iuretus*, fastidio *II*

Π functiones, quanta inpendii mediocritate anni superioris praetor Aedesius urbanos fecerit ludos, et de exemplo colligant, quid praesentibus magistratibus honoris et levaminis deferatur.

CXXVII (V).

Interesse votis tuis animus adfectat, sed valetudo corporis longum recusat excursum. nam ut est morborum ferax otium, denuo me pedum vinxit dolor, dum quieti ruris indulgeo. da igitur, quaeso te, officio meo iustam remissionem, et interim sine nuptialibus me domus vestrae *paulisper* abesse pignoribus, ut foederibus sanatus admiscear.

CXXVIII (VI).

Non solet ab amicis anxie venia postulari: quapropter *in* pauca cogo sermone*m*. otianti mihi in agro solitus unius pedis morbus *obrepsit*. itaque obeundis officiis . . . . . vacationem desiderati muneris peto. dabunt dii auspices facultatem, ut nuptialibus familiae vestrae votis compos sanitatis intersim.

CXXVIIII (VII).

Frater meus Rabilianus genere et *hon*ore conspicuus iniuriae suae acerbitatem privata apud me conquestione deflevit. adserit enim procuratorem suum sine cuius-
Γ quam denominatione correptum, et cum vindictam de te impetrare debuerit, | quam cum Romae degeres, postulavit, auctam domus suae cognovit iniuriam. id ego oblivione arbitror accidisse: quando enim praeciperes, quod incoram positus inprobasti? quare ut parens moneo, ne angere, quae doluit, genus putes esse conscientiae. certe si adest aequitas iudicatis, familiariter mihi ede rationem †ita ut noveris, pro absentibus dominis rectorem suscipere debere partes defensionis.

CXXX (VIII).

Π- Iucunda mihi fuit perceptio scriptorum tuorum: amicitia enim mutuis gaudet officiis. sed utinam hominum meorum diligentia fidem tuae pollicitationis inplesset! nam cum scripseris, eos ad solvendam pensionem profectos, exiguam partem redituum pertulerunt, nec illis pudori fuit cumulum debitorum sub tanta anni fecunditate contrahere. dignare igitur curam nostrae utilitatis adripere et ad solutionem cogere debitores. quid enim iuvat, quod studio tuo et beneficiis adiuvantur, cum hoc commoditas nostra non sentiat? vale.

———

8 paulisper *post* pignoribus ut *colloc.* Π, *transposui; eodem loco* paulo post *inser.* Γ *ex coniectura, ut videtur*

11 in pauca cogo sermonem] *Iuretus*, pauca cogo sermone Π Γ   12 obrepsit] *Lectius*, oppressit Π   officiis uacationem ΠΓ, *supple:* inpar *vel simile quid*

16 honore] *Scioppius*, amore Π   18 *in voce* debuerit *desinit* Π; *quae sequuntur, primus edidit Lectius a. 1601 ex* Γ   20 praeciperes] *Rittershusius*, praecipere Γ   21 *fort.* constantiae

25 *epistulas 130—133 primus edidit Iuretus in editione Symmachi secunda p. 303, inter ep. 129 et 131 colloc. Scioppius*   27 soluendam] Γ, soluendum Π²

CXXXI (VIIII).

Salute praefata, quam litteris anteferre sollemne est, ut seriem familiarium scriptorum vota praeveniant, silere apud te nequeo, Caietanae formae temptamenta frigere, et nisi praesentia tua coeptis calcar admoverit, vereor, ne operi moliendo aestiva oportunitas subtrahatur. quid igitur super hoc agendum sit, in tuo iure constituo; mihi satis est in *i*is, quae ad laudem tuam pertinent, partes amici monitoris inplesse. vale. Π²

CXXXII (X) (a. 399—400?)

Abundantissime gaudeo, tibi esse curae, ut filii mei editio ursis pluribus instruatur, statimque pretia adnumeranda misissem, nisi hiemalis asperitas inpediret invectionem. sed paulo post, ubi oportunitas veris molliverit itinerum difficultatem, curabitur ferarum emptio, cui definitionis iustitiam spopondisti. interea tibi ago atque habeo gratias et provocatum me ad amicitiae incrementa protestor, licet sponte digneris advertere, honesta beneficia apud memores non perire. vale.

CXXXIII (XI) (post a. 384).

Per amicum communem Gaudentium propinqui mei Valentini preciculas misi sane ad fidem meam et conscientiam pertinentes. nam frater eius Proserius cum premeretur extremis et praesentem me et per epistulam summis precibus obsecravit, ut impetrata sacri auctoritate rescripti filia eius fratris sui filio copuletur: quod multis esse concessum manifesta testantur exempla. quare piae supplicationi adiumentum 2 meum negare non possum, quoniam fidem meam super his nuptiis voluntas propinqui morientis adstrinxit, ut epistula precibus conexa declarat. dignare igitur iuvare effectum pii desiderii eatenus, ut si quis conturbare temptaverit mandatum paternum, comminatione infamiae terreatur. rescripti autem beneficium cum fuerit impetratum, spectatae fidei perlator adportet. vale.

CXXXIIII (XII. VIII).

Meretur auxilium tuum causa communis: nam quidquid ad senatorias pertinet Π functiones, participata ope et coniuncta animositate peragendum est. iuva igitur auctoritate, qua dignum est, partes atque rationes ad amplissimam curiam pertinentes, multum ex hoc negotio laudis habiturus, si munia ordinis nostri, quae iamdudum fluctuare manifestum est, solutio ab obnoxiis efflagitata *re*paraverit.

CXXXV (XIII. VIIII) (a. 399—400).

Editioni nostrae fortuna consuluit, quae te regendae Apuliae voluit admovere. F utere igitur occasione praestandi et ad praeturam domus nostrae, ad quam feliciter

6 his] Π²
13 ad *om.* F
17 Proserius] (F), Prosericius (Π²)
30 laudis] (F), *om.* (Π)   31 reparauerit] *Iuretus*, parauerit Π
33 *hanc ep. post ep. 137 coll. F, transposuit* (Π)   regnde F^2, rege F^3 uoluit F^3 amouere $F^{1.2}$, admonere F^3 34 occasionem F^2 praetoriam F^3

F de transmarinis locis ursi proxime perferentur. convenientia decerne praesidia, ut prioribus officiis tuis huius quoque cumulus adplicetur. vale.

CXXXVI (XIIII. X).

H Diligentia tua et iudiciali vigore delector: sed inop*i*a vel potius egestas ordinis
Formiani etiam curationis inpatiens est. nam sicut adfecta diuturno morbo corpora
saeviorem medicinam ferre non possunt, ita curia numero et paupertate tenuata du-
2 ritia inmodicae emendationis extinguitur. libens igitur parentis s*u*me consilium, qui
non defendit ordinis culpam sed correctionis modum postulat. habenda est ratio vec-
tigalium publicorum et lavacri aestivi instauratio cum reip. viribus conferenda, ut si
quid redundat expensis ceteris, in sumptum operis conferatur: dandum quoque est
3 instaurationi largius tempus, ne quid deroget firmitati praecipitata reparatio. nihil
Γ ex hac mora tuae gloriae detrahitur: | ad praesentem enim i*u*dicem veteris curiae
culpa non pervenit. possem plura conectere, sed cum rerum omnium consideratio
apud sapientiam tuam vigeat, parco esse prolixior una admonitione contentus, magno-
pere bonis esse curandum, ut levamen potius ordinibus aliquot exhaustis tuus ad-
ventus adportet.

CXXXVII (XV. XI) a. 399—400.

F Si novum beneficium de ursorum conparatione peteremus, longior ambitus esset adhibendus. sed cum promissa rep*e*tantur, admoneri potius te quam rogari convenit. haec igitur epistulae meae summa est, ut homines meos, quibus ferarum iam mandavimus emptionem, iuvare adminiculo non graveris: ut editio nostra, quam deo auspice pro filio properabimus, tuis auxiliis, meis sumptibus instruatur. vale.

CXXXVIII (XVI).

*H*² Suessa honestorum civium patria est, ita ut merito dixerim, minimae quoque fortunae homines extra vitia plebeia esse censendos. volo igitur credas, nullum ex illa urbe ad fori strepitum processurum fuisse, nisi acerba coegisset inpressio. de qua meae litterae non loquentur: vehementius enim vox publica suffragabitur eorum dolori, quam privata potuisset. audientiae tantum per me optant facilitatem mereri: quidquid autem spoliatis atque vexatis properandum est, favor tuus et legum norma praestabit. vale.

1 de] sede F^3 proxime *om.* F^3 perferentur] *H Γ*, proferentur $F^{1.3}$, deferentur F^2 uero cerne F^3 2 applicetur HF^2, amplictur $F^{1.3}$ uale *om.* F^3

4 inopina *H* 7 parentis sume] *Iuretus*, parentissime *H* 12 *in* detrahitur *desinit* (*H*): *reliqua primus edidit Scioppius a. 1608* iudicem] *Scioppius*, inuicem (*Γ*)

18 notum beneficii F^2 ursorum *corr. ex* uxorum F^2 *3 m.* habitus F^2 19 habendus F^1 repetantur] *Iuretus*, reputantur *F* admoneri] (*Γ*), admonere *F* potius te] *Γ* F^2, te potius F^1, te *om.* F^3 rogari] (*Γ*), rogare *F* 20 iam] (*Γ*), *om.* *F* 21 inuare *om.* F^3 ut et ditio F^2 auspice *om.* F^3 22 properabimus] *ego*, properauimus F^2, praeparauimus F^1, imperauimus F^3, praeparamus *Lypsius* sumptionibus *Γ* uale *om.* F^3

24 *primus edidit Iuretus in secunda Symmachi editione p. 304; inter ep. 137 et 139 colloc. Scioppius* 29 fauor] *Γ*, uigor (H)^2

CXXXVIIII (XVII. XII).

Suessanorum allegationes commendat tibi publicus magistratus, mihi privata miseratio; atque ideo a te iudiciarii vigoris auxilia, a me verba poscuntur. fungor igitur partibus meis, et familiariter te rogo, ut auditis infelicium deplorationibus in eam partem, quae est iuri et miserationi amica, movearis. vale. F

CXXXX (XVIII. XIII).

Prima mihi scribendi causa est, ut tibi honorificentiam salutationis exhibeam, secunda, ut probatam mihi modestiam tuam iusta petitione conveniam. plurimi enim de familia domus meae per fugam *e*lapsi in *i*is locis, quae tibi commissa sunt, delitescunt. hos auditis allegationibus procuratoris mei quaeso restituas: convenit enim tuis moribus, et amicitiae nostrae contemplationem gerere et servili nequitiae negare perfugium. vale.

CXXXXI (XVIIII. XIIII) a. 400—401.

Postquam de freto Siculo litteras tuas sumpsi, ad curam vicissitudinis incitatus salutem mihi nuntio secundare, tibi opto subpetere: dehinc de apparatu nostrae editionis admoneo, quamvis religiosus animus monitorem alium non requirat. prae ceteris autem, quae Romana spectacula desiderant, c*r*ocodillos functio theatralis efflagitat. de quibus fidam tuam teneo sponsionem, cui facilis succed*e*t effectus, si peculiariter in rem missos suffragii tui nisus adiuverit. vale.

CXXXXII (XX) a. 400—401.

Plures de Dalmatia ursos in apparatum domus nostrae proxime esse venturos, fides adserit nuntiorum. quorum subvectionem dispositis vehiculis etiam privatim debemus instruere. huius mihi curae absolutionem diligentia tua usu explorata promittit. quaeso igitur, ut hanc provinciam confestim . . . .

CXXXXIII (CXXIIII. CXIIII).

. . . . codicem, constitisse rationem. nam cetera, quae post secuta significas, ipso invito opinor exorta, et sperare debemus, talem fore in reliquis disceptatorem, qualem tibi ostendit prima cognitio. ego tamen ad incitamentum iustitiae, quam meritis tuis arbitror deferendam, familiares litteras misi, quas si ratio popos- H

2 suesanorum F^3 4 te familiariter F^1 audis F^2 deplorationibus] (Γ)F^3, uel de implorationibus F^2, implorantibus F^1 5 uiri F^3 uale *om.* F^3

7 scribenda causa F^3, causa scribendi F^2 8 ista F^2 *1 m.* enim *om.* F^2 9 elapsi] *Lypsius*, lapsi F iis] his F commissa] *ego*, comina Γ, communia F^2, contigua F^3, uicina F^1 10 hos] hiis F^3 procuratoris mei] (Γ), meis F enim] (Γ)F^3, *om.* $F^{1.2}$ 12 uale *om.* F^3

15 nostrae] $F^{2.3}$, meae F^1 16 alium] $F^{2.3}$, alterum F^1 17 qui F^1 cocodrillos F^3, cocodrylos F^1, corcodiuos F^2 aefflagitat theatralis F^2 18 fidem F^2 teneo] F^3, *om.* $F^{1.2}$ facilis] sacculis F^3 succedet] *Lypsius*, succedit F^3, succederet $F^{1.2}$ si specu*l*ariter F^2 19 in rem missis F^1, in remissos F^3 uale *om.* F^3

21 *hanc epist. ante IIII 56 coll.* F^1, *ante VII 102* $F^{2.3}$, *hoc loco* Γ proxime in apparatum nostre domus F^3 uestrae F^2 esse] (Γ)$F^{2.3}$, *om.* F^1 22 subuectione F^1 etiam *om.* (Γ) 24 confestim ineundis capituli Γ, confestim ineundam capitali F, *sequitur p.* 277, 28

27 extorta *Gruter*

H cerit, in manus eius facies pervenire: aliud enim salubritatis genus condicio temporum non permittit adhiberi. volo autem scias — et sponte pro amicitia nostra debes advertere — curam pro te meam non desiderare monitorem, sed non posse amplius fieri, quam ut tibi animum disceptatoris petitio nostra conciliet.

CXXXXIIII (CXXV. CXV) a. 398—400.

Ludos praetorios praeparamus, quorum ornatus peregrina animalia desiderat, ut novo cultu Romana splendescat editio. addaces igitur et pygargos †studio mihi opto praestari, quorum copiam limes vobis finitimus subministrat. dignare igitur amicitiam nostram votivo pignore foederare: non ero inpar ad vicissitudinem rependendam, si quid etiam tuus usus exegerit.

CXXXXV (CXXVI. CXVI).

Spem mihi adventus tui de longo tempore pollicebar: tu etiam nunc de me scriptorum vices postulas et diuturnam quodammodo minaris absentiam. nam quid sibi vult mutui solacii postulatio, si reditus apparatur? si quid igitur apud te consiliis meis loci est, suadeo urbem revisas, ad quam te et amor civicus vocat et cura quaestoria, cuius apparatus, etiamsi copias divitis habet, requirit tamen diligentiam candidati. vale.

CXXXXVI (CXXVII. CXVII).

Animum, quem nobis rependis, agnovimus recentium serie litterarum, sed moleste ferimus huius muneris raritatem et ideo adhortamur, ut frequenter adripias indicium familiaris officii. petitio tua super hereditate c. m. v. Aërii neque mihi neque aliis, qui tui curam gerunt, probabilis visa est. nam quae iure ac legibus sunt
2 relicta, alienari inpetratione non possunt. quod ita esse Valentinianus communis amicus expertus est, qui magnopere laboravit, ut aliquid, si fieri posset, excu*lp*eret: sed cum refragante iustitia deseruit laboris effectus. proinde si quid mihi credis, remove a te huius petitionis invidiam, quod etiam consorti petitionis tuae opto suaderi. malo enim vobis integram esse famam quam inputari huiusmodi petitionem. haec me amice et benigna circa te voluntate suadere, pro mutua in nos diligentia recognosc*es*: intellegis enim, nihil me magis quam existimationem familiarium nostrorum debere curare.

CXXXXVII (CXXVIII. CXVIII).

More institutoque maiorum incestum Primigeniae dudum apud Albam Vestalis antistitis collegii nostri disquisitio deprehendit: quod et ipsius, quae contaminavit pudicitiam sacram, et Maximi, cum quo nefandum facinus admisit, confessionibus claruisse, gesta testantur. restat, ut in eos, qui caerimonias publicas abominando scelere polluerunt, legum severitas exeratur. quae tibi actio de proximi temporis exemplo servata est: et ideo dignaberis, reip. utilitatem legesque considerans facinus cunctis usque ad hunc diem saeculis severissime vindicatum conpetenter ulcisci. vale.

---

1 temporis *Γ*
7 studio] *Π*, tuo studio *Iuretus*. *fort.* struthionesque 9 fenerare *C. F. W. Mueller*
14 iam paratur *Γ*
24 exculperet] *ego; cf. rel.* 34, 11. 13, excluderet *Π*, exculeret *Γ* 26 quod] quam *Γ*
28 recognosces] *Parcus*, recognoscis *Π*, recognoscit *Γ*
35 actio de] *Π*, qd *Γ*, quae tibi quoque proximi temporis exemplo seruanda est *Sus*

CXXXXVIII (CXXVIIII. CXVIIII).

Secundum proximae aetatis exempla clarissimo et excellentissimo viro fratri nostro praefecto urbi Primigeniae virginis, quae sacra Albana curabat, a collegio nostro vindicta delata est: sed quia litteris eius causae probabiles adseruntur — quod neque muros urbis aeternae tanti criminis ream fas sit intrare, neque ipse ad longinqua possit occurrere, cum facinus, ubi admissum est, debeat expiari —, necesse esse perspeximus, potestatem finitimam convenire et cui provinciarum iura mandata sunt, ut in Primigeniam, quae pu*di*ci *nu*minis maculavit arcana, corruptoremque eius Maximum, qui quidem flagitium non negavit, severitas semper his adhibita criminibus exseratur. dignaberis igitur consideratis confessionibus, quae nefandi criminis tragoediam prodiderunt, iniuriam castissimi saeculi reorum suppliciis vindicare. *Π*

CXXXXVIIII (CXXX. CXX) (a. 390).

Idoneum tempus est, quo probemus, quid amicitiae nostrae religionis exhibeas. delatus est enim a clementissimis principibus ordinarius consulatus, et ideo curam tuam efflagito in providendis omnibus, quae poscit editio. homines mei specierum pretia ministrabunt; in hoc tantum studium tuum curamque desidero, ut quamprimum pervehi iustis pretiis conparata praecipias. vale.

CL (CXXXI. CXXI) (a. 384—385).

Apud eos, quibus curae debet esse fama temporum, ea quae sunt iusta, non sileo certus atque securus, nullius studium legibus obfuturum. ob reliqua areae vinariae, quae multis praefectis superiores principes exigenda mandarunt et quae magna ex parte conlata imperiali constat aerario, soceri mei Orfiti olim praefecti et ante annos quindecim sine ulla tituli huius conventione demortui pulsatur hereditas obtentu epistulae, qua divus Constantius, id quod operibus publicis constabat inpensum, integrari per eum statuit minatus ipsi atque officio, ut fieri adsolet, sub condicione dispendium, si exactioni cura competens defuisset. sed neque ipse mandatum 2
sibi munus omisit, et frequentes principes, quae praefectura susc*i*per*e*t, ad posteriores iudices transtulerunt. hoc inclytus Valentinianus omni aetate memorabilis princeps et divus Gratianus sacris litteris censuere, a quorum definitione non decet deviari. dehinc cum etiam crimina morte soleant terminari, in hac tantum causa contra optimos principis mores ad posteros inopinata damna tenduntur et tamquam integrum designatur, quod partim solutum est, partim a rectoribus provinciarum const*at* *c*it*o* eruendum. super hoc cum divina iussa sumpsissem, fidem veri occultare non debui, cum 3
leg*es* audientiam tribuerent his, qui neque in cognitione constiterant neque sumpserant relationis exemplum. accedebat etiam causa robustior, quod materfamilias mea dudum emancipata bonorum possessionem patre mortuo non poposcit atque ideo rescripto se adseruit non teneri. misi igitur sub relatione monumenta gestorum sperans, etiam

5 ream] (*Γ*), reum (*Π*) 7 et *om.* (*Γ*) 8 pudici numinis] *Lectius*, publici criminis *ΠΓ*
15 prouidendis] *Γ*, prodendis (*Π*)
19 ea quae sunt iusta] (*Π*), *fort.* aequa et iusta 21 et quae] (*Γ*), atque (*Π*) 26 si exactioni cura] *cod. Pithoei*, flexat doni cura *Π* 27 quae] (*Π*), quod *Γ cod. Pithoei* susciperet] *ego*, susceperit (*Π*) 31 tenduntur] *in Π additum erat:* traduntur 32 constat cito] *ego*, constituit (*Π*) 34 leges] *ego*, legis (*Π*)

Π tuae religionis auxilio novum exemplum posse removeri in ea praesertim causa, quae
I nos iure non implicat. teneantur potius veri huius tituli debitores: extat vetus professio Campaniae consularis, extant acta apud Etruscum confecta rectorem, quibus docetur exactio promissa reliquorum. parcatur innoxiis. ne in omnes, qui rempublicam curant, inusitata forma procedat. convenit saeculo [tuo] ista iustitia, cuius existimatio vestris consiliis debet ornari. vale.

CLI (CXXXII. CXXII) a. 398—400.

SYMMACHVS HONORIO.

Meretur de praeclaro animo tuo votiva causa suffragium. †praetoria donum novum deo iuvante expectat, in qua me crocodillos et pleraque peregrina civibus exhibere et aliorum hortantur exempla et propria compellit animositas. quare amicum meum Cyriacum benigne in curam tuam dignare suscipere, ut *pla*cita promoveat. habebis in posterum tantae gratiae non inmemorem debitorem.

CLII (CXXXIII. CXXIII) a. 398—401.

Quod scribis, voluntariae benignitatis est, quod scro, curarum: nos autem religionem meritis tuis debitam et otium nostrum stili adsiduitate testamur. Euscium nostrum circumsessum domesticis negotiis deduci in obsequium tuum praecipe, et quae in meam notitiam pertulisti de instruenda editione ludorum, ipsi familiariter curanda committe. vale.

CLIII (CXXXIIII. CXXIIII) a. 391.

Sportulam consulatus mei et amicitiae nostrae et honori tuo debeo. hanc in solido uno ad te misi orans, ut benigno animo sollemnia officii mei libamenta suscipias. vale.

LIBER DECIMVS

CONTINENS EPISTVLAS FAMILIARES AD IMPERATORES SENTENTIAS SENATORIAS ET OPVSCVLA.

I a. 375—376.

F SYMMACHVS THEODOSIO SENIORI.

Etsi scio, esse virtuti cognatum pudorem, desideravi tamen in litteris celsitudinis tuae copiam maximarum rerum gloriae congruentem: primo quod amicitia postulabat, ut apud amantem tui naevum iactantiae non timeres, dehinc quod aeque manu et ore

5 tuo *uncis inclusi*

8 *om.* Π 9 praetoria donum nouum] Π, praetura *Lectius*, domum nostram *cod. Pithoei* 11 impellit Π 12 Cyriacum] *cod. Pithoei*, byriacum Π placita] *ego*, incita Π

24—26 Q. Aurelii Symmachi epistolarum lib. x. continens epistolas familiares ad Imperatores, sententias Senatorias et opuscula: editus post eius obitum a Q. Flauio Memmio Symmacho VC. Π 28 Symmachus Theodosio seniori] Π, *om.* F 29 uirtuti esse F^3 30 quod] quidem F^2 31 nouum Π iactantem F^3 dehinc] de me F^2 ore] oratione F^3

promptus fidem gestorum tuorum debueras linguae honore dotare. nunc me ad famas F
reicis et s*in*is aurem de te praebere rumoribus, cum tanti negotii dignitas parem
testem requirat: sed qui animi mei securus es, meritum tuum voci publicae credidisti
contentus veritate pro laude. ergo Africa revaluit ex morbo sane invictorum prin- 2
cipum medente consilio. quorum remedium tu fuisti. solent enim, qui medicinam
callent, cum iam *exp*erti usu in magisterium provehuntur ac fiunt artis emeriti, proxi-
mis impe*r*are et feriata manu curationem iuvare praeceptis. tua igitur palma laus
temporum est; de qua ego plene et indulgentius loquerer, nisi obsequerer singulari
verecundiae tuae et mihi oppido praecaverem, ne laudatus proxime ab excellentia
tu*a* feneratam gratiam viderer retulisse. hoc est quod aiunt: mutuum scabere *m*ulos. 3
cui proverbio ne videar esse confinis, praeconia virtutum tuarum presso dente re-
stringo praeclarae conscientiae tuae pendendum relinquens, quid vel ipse merearis,
cuius ductu provincia mihi amica respirat, vel quid ego tibi debeam. cuius fama sub
tali teste numquam succumbet invidiae. vale.

II a. 376.

GRATIANO AVGVSTO. Π

Scio amore factum, quo summates viros plerumque dignamini, ut sacrae orationi
vestrae lector adhiberer: sed cum intellego, sermonem illum praenitere omnimodo
*r*escriptis aliis, quaecumque ad hoc locorum senatus audivit, me quoque arbitror pluris
habitum esse quam ceteros. magnis enim negotiis itidem ut magnis comoediis ede-
cumati adponuntur actores: non idem honor in pronuntiandis fabulis Publi*li*o Pellioni
qu*i* Amb*i*vio fuit, neque par Aesopo et Roscio fama processit. quare, optimi prin- 2
cipes, quae in me bene consultatis, ut divinitus oblata conplector. laus tua, domine
Gratiane, officium est meum, quoniam ita animatus es, ut cum reip. medicinam facis,
operam meae vocis accersas. tu nobis publicas turbas in tranquillum redegisti. mi-
nim*um* rest*i*tit, quin omnes occumberemus, tantum flagitii dissignaverant, qui amplis-
simas potestates malis artibus possidebant. ferox ille Maximinus ob res secundas, 3
incubator iudiciorum, difficilis decidendis simultatibus, promptus | ineundis, *poena* ca- F
pitali exiti*a* cunctorum lacrim*as*que expiavit. nunc interlucet homo homini; senatus

---

1 gestare F^3 tuorum] (Π), *om.* F famas] ΠF^2, famam (Γ)$F^{1.3}$ 2 sinis] *ego*, solis Π. iubes F de te praebere rumoribus] Π, rumoribus de te praebere $F^{1.3}$, de te rumoribus praebere F^2 3 qui animi mei] Π, qui animis au Γ, quia nimis $F^{1.2}$, qui nimis F^3 4 ueritate] uirtute F^2 ergo] eo F^3 reualuit] Π, reuoluitur F ex] pro F^3 sane] (Π), *om.* F in uictoriam F^2. inuicto F^3 5 quorum] quo F^3 medianam F^3 6 experti] *ego*, forti Π, forte F usui F^1 prouenitur F^3 artis emeriti] Π, emeriti officii F 7 imperare] *Lypsius*, impetrare F seriata F^1, f racta F^2 curatione F^3, curata F^2 praeceptis] Π, *om.* F 8 temporum] exemplo F^3 plane (Γ) nisi obsequerer] (Π), *om.* F 9 et] (Π), nisi F praecauerem] F^3, praeuaricarem $F^{1.2}$ 10 tua] *Lypsius*, tuae F foeneratam Π, fameratam ΓF uiderer] Π, uidear ΓF est] autem F^3 mutuum] nimium F^2 scribere F^3 mulos] *Lypsius*, aemulos F 11 affinis F^3 restringo] F, perstringo Π 12 tuae pendendum relinquens] (Π), relinquens pendendum F quod F^1 uelut F^3 mercaris F^2 13 ductus F^2 quod F^3 tibi] (Γ), *om.* F famae cuius F^2 14 tali te teste numerus succumberet F^2 uale *om.* F^3

18 praenitere] (Γ), praemittere (Π), praeminere *Mercer* 19 rescriptis] *ego*, descriptis (Π) 21 Publio Pollioni (Π), *cf. Commentationes Mommsenianas p. 800* 22 qui Ambiuio] *Iuretus*, quam bauio Π et Roscio] *Guilielmius*, et ruscio Γ, ethrusco Π 24 quoniam] (Π), quando (Γ) 25 minimum restitit] *ego*, minima res stetit (Π), minimo stetit (Γ) 28 promptus simulque restituas ΠΓ, *sequitur p.* 269, 11 — 273, 24; *altera epistulae pars deerat in* Π, *in* ΓF *epistulae 142 libri VIIII adnexa est; membra disiecta coniunxit Suse* ineundis] (Γ), ineundam F^2 *2 m.* F^3, in eundem F^1, ineunda F^2 *1 m.* poena] *ego*, *om.* ΓF capitali] F, capituli Γ 29 exitia] *ego*, exitio F cunctorum lacrimasque] *ego*, cunctorum lacrimisque Γ, lacrimisque cunctorum F expiauit] Γ, expies F homo] $F^{1.3}$, hoc F^2

F *ius* antiquum obtinet: vivere libet, natum esse non paenitet. et ad salutem spectant
omnia. nulli a paupertate discrimen est. resp. se in vetustatem recepit et decre-
4 pitos † mutavere animos, postquam vos ad virtutem verba fecistis. pari vigilia pro-
spectum videmus, ut res annonaria satietati urbanae liberalius ingeratur. flandae
monetae nequitiam decoquat larga purgatio, nullo iam provincialis auri incremento
trutinam spectator inclinet, mille alia, quae si persequi velim, vestrae gloriae memor,
meae infantiae inmemor deprehendar. nam nemo prudens humanis verbis corrupit
5 oracula. igitur divina *mens* tua, iuvenis Auguste, Romani nominis decus, vehatur
curru eloquii sui: nos in agendis gratiis humile reptamus socco magis idonei quam
cothurno. postquam facundia res esse coepit imperii; nam, quod sciam, Musis in pa-
latio loca lautia tu dedisti. quae res prospere vortat vobis vestraeque pietati! quia
fastus et otium fortunae grandioris vitia nihil moramini. mihi satis salutis est, cum
valetis. felicitas voto publico exorata praestabit, ut clementiae vestrae, quanta est
reddendi voluntas, tanta suppetat copia negotiis promovendis.

Reliqua desiderantur.

Quae praeterea libro decimo adscripta erant, quaere partim in libro nono ep. 125—142, partim in Relationibus.

---

1 ius] *Lypsius, om. F* locum *post* obtinet *inser. F*^{3} et *om. F*^{3} 2 se in uetustatem] (*Γ*), in uetustatem se *F* recipit *F*^{3} decrepitos mutauere animos] *F*, decrepito in placidum mutauere animi *Γ*. de crepero *Scioppius*, de trepido *Suse*, *lacunam a librario codicis Γ male suppletam latere suspicor; fort. scrib.:* decrepitos mutauit aetatis uere annos 3 profectum *F*^{1} 4 flandae] *F*$^{2.3}$, fraude *F*^{1} 5 decoquat larga] (*Γ*) *F*^{3}, decoqunt larga *F*^{1}, decoqueat tam larga *F*^{2} auro *Γ* 6 spectator] *ΓF*$^{1.3}$, *om. F*^{2} inclinet] *Γ*, inclinat *F* uelim] (*Γ*), uellem *F*$^{2.3}$, uellent *F*^{1} 7 infantie mee *F*^{3} deprehendar] (*Γ*), deprehenderer *F* nam nemo — 8 mens tua] *Γ*, *om. F* 8 mens] *Scioppius*, manens *Γ* o iuuenis *F* decus sed ille uehebatur *F*^{3} 9 humile] *ΓF*^{1}, humiles *F*^{3}, humi *F*^{2} repetamus *F*^{1}, reputamus *F*^{3} 10 tothūrno *F*^{1} facundiaei *F*^{2}, facunda *F*$^{1.3}$ cupit uel caepit *F*^{1} quid *F*^{3} 11 lautia tu] *Γ*, lautiora *F* dedistis *F*^{1} quod *F*^{2} uertat nobis *F*^{3}, uortant nobis *F*^{2} 12 fastus] *Lypsius*, faustus *F*^{1}, festus *F*^{3}, tatum *F*^{2}, fastum (*Γ*) gndioris *F*^{2} uitia] (*Γ*), uitia sunt *F*$^{1.3}$, uia sunt *F*^{2} moramini] (*Γ*), memoramini *F* satis] *Γ*, *om. F* esse *F*^{1} 13 felicitatis *Γ* 14 reddi *Γ* uoluptas *F*^{2} suppetit *F*^{2}, superat *Γ* uale *add. F*$^{1.2}$, *om.* (*Γ*)


Q. AVRELII SYMMACHI V. C.

PRAEFECTI VRBIS

RELATIONES.

T = cod. Monacensis 18787, olim Tegernseensis, saec. XI.
M = cod. Mettensis 500, saec. XI.
Γ = editio Sigismundi Gelenii (Basil. 1549).

Stemma codicum:



1 (XV. XXII) a. 384.

D. N. VALENTINIANO SEMPER AVG. SYMMACHVS V. C. PRAEFECTVS VRBIS. *TMΓ*

Quieto mihi et iam pridem a desideriis honorum remoto praefecturam multis cu-
pitam sponte tribuistis. ago gratias tot bonorum erga me principum voluntati, sed
intellego, quanto plus sollicitudinis habeat magistratus, qui ex iudicio, quam qui ex
gratia venit. ille enim ut meritis datus spem sui debet aequare, iste ut per bene-
ficium quaesitus a periculo *ex*pectationis alienus est, domini imperatores. quis ergo 2
me huic honori parem faciet? scilicet vestra clementia, cuius interest, ne temere
existimer electus: mihi ad conscientiam satis est non adfectasse publicam curam.
iam qualis inveniar, in manu temporum est: bonos enim magistratus favor principum
facit semperque de moribus vestris virtutes iudicum fluunt. facite, ut omnes in- 3
tellegant, si forte desit rectoribus integer vigor et iusta conscientia, hominis culpam
esse non saeculi. non sum voti inmodicus, cum honorem meum commendo auctoribus
suis. quantum est enim, quod ego numini vestro ago gratias? facite, ut vobis etiam
res p. pro me grata sit.

Inscriptionem om. TM, Epistolarum Symmachi uiri clarissimi, praefecti urbis, liber primus *Γ*   de praefectura sibi delata *T*, q. aur̄. symachi u. c. de prefectura sibi delata. et idolatria defendenda *M*   2 simmachus *TM*   praef̄ *T*   4 erga (*om.* me) *TM*, circa me *Γ*, ergo *Meyer*   5 habeant *TM*   6 uenit *corr. in* ueniunt *M*   iste] *Γ*, ille *TM*   per *om. M*   7 expectationis] *ego*, spectationis *TMΓ*   domini imperatores] *TM*, D. Imperator *Γ*; *in exemplari ad Augustum misso scriptum erat ita:* domine imperator Valentiniane inclyte uictor ac triumphator semper Auguste, *sed Symmachus, ubi relationes primum collegit et edidit, formulam hanc et eius similes plerumque breviavit perturbavit omisit, quae ut a scriptore ipso profecta corrigenda non duxi*   8 oneri *Γ*   cuius ·ʒ· interest *T*   temere] *Γ*, timere *TM*   9 electus existimer *Γ*   10 principum] populi *M*   13 sum] solum *M*   15 *dies et consules omissi sunt*

II (XVI. XXIII) a. 384.

TMΓ D. N. THEODOSIO SEMPER AVG. SYMMACHVS *V. C.* PRAEFECTVS VRBIS.

Olim me, ut res indicat, cogitationes numinis vestri secundo favore respiciunt: neque enim aliter imperatoribus nihil temere praestantibus inter primos aut primus occurrerem. dilatus ergo hactenus mihi cum re p. videor, quae ubi in longinquas imperii partes maiestatis vestrae curam vocavit, repperit apud vos meditata iudicia.
2 ddd. nnn. imperatores. angustum est igitur, ut aeternitati vestrae pro solo honore, quem cepi, gratias agam: praefectos saepe fecistis et inmensa aetate facietis, sed quos adsiduitas et usus ingesserit; me dudum proconsularem virum cedentem iam diu potentium moribus ante capere magistratum quam expectare voluistis. nunc vos oro atque obsecro, ut favore perpetuo factum vestrum iuvetis. amabile est praeesse civibus, sed placere difficile. multum enim sibi . . . . et inter cognitos semper
3 dura constantia est. quid, quod plerumque evenit, ut . . . . aliqui longae potentiae usu iam nesciant? honorem meum non deseruerint, qui dederunt; ego enitar, ut potero, ne clementiam vestram fefellisse de me prior fama videatur: vestri numinis erit communem causam tueri. nam in bonis magistratibus maiorem gloriam quaerit temporum fama quam iudicum.

III (LIIII. LXI) a. 384.

TMA D. N. THEODOSIO SEMPER AVG. SYMMACHVS V. C. P. V.

Vbi primum senatus amplissimus semperque vester subiecta legibus vitia cognovit et a principibus piis vidit purgari famam temporum proximorum, boni saeculi auctoritatem secutus evomuit diu pressum dolorem atque iterum me querellarum suarum iussit esse legatum. cui ideo divi principis denegata est ab inprobis audientia,
2 quia non erat iustitia defutura, ddd. nnn. imperatores. gemino igitur functus officio et ut praefectus vester gesta publica prosequor et ut legatus civium mandata commendo. nulla est hic dissensio voluntatum, quia iam credere homines desierunt, aulicorum se studio praestare, si discrepent. amari coli diligi maius imperio est. quis

1 de prefectura sibi delata *T* 2 d. *om. M* dd. nn. Theodosio et Arcadio semper Augg. *Meyer, recte quidem, sed vitium Symmachi non librarii corrigens* simmachus *TM* u. c. *om. TMΓ* praef *M* 3 secundo fauore *om. M* 4 aut] et *M* 5 occurerem *TM* ergo] enim *M* rp̄ *T* 6 uocabit *TM* 7 D. Imperator *Γ*, *scribe:* domini imperatores Theodosi et Arcadi inclyti uictores ac triumphatores semper Augusti angustum] *Γ*, aug̅ *TM* 9 incesserit *TM* 10 capere *om. M* nunnos *T* 11 oro *om. M* perpetuo] primo *M* iubetis *T*, iubeatis *M* 12 sed *om. M* enim sibi et *TM*, enim et *Γ* 13 ut aliqui *TMΓ*, *supple:* multum enim sibi licentiae usurpant et inter cognitos semper dura constantia est. quid, quod plerumque euenit, ut aliis obsequia praestare aliqui longae potentiae usu iam nesciant? *vel simile quid* longo *Γ* 14 nesciunt *M* dederunt] *Γ*, deerunt *TM* 15 nominis *Γ* 16 commonem *M* 17 indicum] *M*, indicium *TΓ*

A = consensus codicum Ambrosianorum; A^1 *= cod. Vaticanus 286 s. VIIII—X;* A^2 *= cod. S. Gall. 94 s. VIIII* incipit relatio symmachi (simmachi A^1) praefecti urbis romae *A*, de idolatria defendenda *T*, *om. M* 19 *om. A*, d *om. M*, ddd. nnn. Valentiniano Theodosio et Arcadio semper Auggg. *Meyer recte, sed cf. p.* 279, 7 20 senatum A^2 21 et apprincibus *M* 22 auctoritate A^1 23 deneganda *T*, denegandam *M* 24 quia non — defutura *om.* A^1 futura *M* domini imperatores ualentiniane theodosi et archadi incliti (incliyti A^2) uictores ac triumfatores semper augusti *A recte, sed cf. p.* 279, 7 25 publica] p. *M* prosequar *M*, persequor *T* 26 nullus A^2 uoluptatum *M* homines credere *M*, credere hominem A^1, credere A^2 27 praeberestrare *T* manus *M*, magis *T*

ferat obfuisse rei publicae privata certamina! merito illos senatus insequitur, qui po- *TMA*
tentiam suam famae principis praetulerunt: noster autem labor pro clementia vestra
ducit excubias. cui enim magis commodat, quod instituta maiorum, quod patriae
iura et fata defendimus, quam temporum gloriae? quae tunc maior est, cum vobis
contra morem parentum intellegitis nil licere. repetimus igitur religionum statum, 3
qui reip. diu profuit. certe dinumerentur principes utriusque sectae utriusque sen-
tentiae: pars eorum prior caerimonias patrum coluit, recentior non removit. si ex-
emplum non facit religio veterum, faciat dissimulatio proximorum. quis ita familiaris
est barbaris, ut aram Victoriae non requirat! cauti in posterum sumus et aliarum
rerum ostenta vitamus. reddatur saltem nomini honor, qui numini denegatus est.
multa Victoriae debet aeternitas vestra et adhuc plura debebit: aversentur hanc pote-
statem, quibus nihil profuit: vos amicum triumphis patrocinium nolite deserere. cunc-
tis potentia ista votiva est: nemo colendam neget, quam profitetur optandam. quodsi 4
huius ominis non esset iusta vitatio, ornamentis saltem curiae decuit abstineri.
praestate, oro vos, ut ea quae pueri suscepimus, senes posteris relinquamus. con-
suetudinis amor magnus est; merito divi Constantii factum diu non stetit. omnia
vobis exempla vitanda sunt, quae mox remota didicistis. aeternitatem curamus fa-
mae et nominis vestri, ne quid futura aetas inveniat corrigendum. ubi in leges ve- 5
stras et verba iurabimus? qua religione mens falsa terrebitur, ne in testimoniis men-
tiatur? omnia quidem deo plena sunt nec ullus perfidis tutus est locus, sed plurimum
valet ad metum delinquendi etiam praesentia numinis urgueri. illa ara concordiam
tenet omnium, illa ara fidem convenit singulorum, neque aliud magis auctoritatem
facit sententiis nostris, quam quod omnia quasi iuratus ordo decernit. patebit ergo
sedes profana periuriis, et hoc inclyti principes mei probabile iudicabunt, qui sacra-
mento publico tuti sunt? sed divus Constantius idem fecisse dicetur. cetera potius 6
illius principis aemulemur, qui nihil tale esset adgressus, si quis ante se alius de-
viasset. corrigit enim sequentem lapsus prioris et de reprehensione antecedentis ex-
empli nascitur emendatio. fas fuit, ut parens ille clementiae vestrae in re adhuc
nova non caveret invidiam: num potest etiam nobis eadem defensio convenire, si
imitemur, quod meminimus inprobatum? accipiat aeternitas vestra alia eiusdem principis 7
facta, quae in usum dignius trahat. nihil ille decerpsit sacrarum virginum privilegiis,
replevit nobilibus sacerdotia, Romanis caerimoniis non negavit inpensas, et per om-
nes vias aeternae urbis laetum secutus senatum vidit placido ore delubra, legit in-
scripta fastigiis deum nomina, percontatus templorum origines est, miratus est con-
ditores, cumque alias religiones ipse sequeretur, has servavit imperio. suus enim 8
cuique mos, suus ritus est: varios custodes urbibus cultus mens divina distribuit: ut

1 re *ante* obfuisse *inser.* *A*[2] rei puplice *A*[2], rp *TM* 2 suam *om.* *M* contulerunt *M* aut *T* 4 facta *A*[2] tu maior est *A*[2], tum maiorem *A*[1] 5 dicere *A*[2] respeximus *TM* 6 rp. *T* numerentur *A* 7 pars eorum prior] proximus eorum *A* recentio *M* 8 proximorum *om.* *M* igitur *post* quis *inser.* *TM* 9 barbaris *om.* *TM* non requirat uictoriae *M* aliarum] talium *A* 10 ostenta uitamus] ostentauimus *M* tamen saltim *A* numini *M* denegatur (*om.* est) *M* 11 debebit plura *A*[2], pulchra debebit *T* auertentur *TMA*[2] 12 desidere *M* 13 uotiua est ista *T* profitentur optandam *T*, profitendam neget *M* 14 hominis *TA*, nominis *M* saltim *A* 16 constanti *A*[2] 17 nobis *T* uitanda sunt] uel uidistis *add. int. lin.* *M* fama *A*[2] 19 uerba *om.* *M* iurauimus *A*[2] 20 adeo *A*[2] 21 numinis] religionis *A* concondiam *M* 23 nostris *om.* *TM* 24 profina *A*[1] aperiuris *T*, apeiuris *M* incliti *AM* 25 dicitur *A* 26 principes *M* emulentur *TM* talem *T* esse *M* 27 et deprehensione *TM* 28 ille *om.* *M* 29 nunc *TM* 30 imitetur *A*[2] minimus *A*[2] 31 nil *A* 32 repleuit] *A*, decreuit *TM* romanus *T* cerimonias *M* 33 legit] *AM*, uidit *T* 34 numina *A*[2] percunctatus *A*[2]*M* est templorum origines *A*[1], est *om.* *A*[2] 35 ipse *om.* *TM* 36 suus *om.* *A*

TMA animae nascentibus, ita populis fatales genii dividuntur. accedit utilitas, quae ma-
xime homini deos adserit. nam cum ratio omnis in operto sit, unde rectius quam de
memoria atque documentis rerum secundarum cognitio venit numinum? iam si longa
aetas auctoritatem religionibus faciat, servanda est tot saeculis fides et sequendi sunt
9 nobis parentes, qui secuti sunt feliciter suos. Romam nunc putemus adsistere atque
his vobiscum agere sermonibus: optimi principum, patres patriae, reveremini annos
meos, in quos me pius ritus adduxit! utar caerimoniis avitis, neque enim paenitet!
vivam meo more, quia libera sum! hic cultus in leges meas orbem redegit, haec
sacra Hannibalem a moenibus, a Capitolio Senonas reppulerunt. ad hoc ergo ser-
10 vata sum, ut longaeva reprehendar? videro, quale sit, quod instituendum putatur:
sera tamen et contumeliosa est emendatio senectutis. ergo diis patriis, diis indigeti-
bus pacem rogamus. aequum est, quidquid omnes colunt, unum putari. eadem
spectamus astra, commune caelum est, idem nos mundus involvit: quid interest, qua
quisque prudentia verum requirat? uno itinere non potest perveniri ad tam grande
secretum. sed haec otiosorum disputatio est: nunc preces non certamina offerimus.
11 quanto commodo sacri aerarii vestri Vestalium virginum praerogativa detracta est?
sub largissimis imperatoribus denegetur, quod parcissimi praestiterunt? honor solus
est in illo veluti stipendio castitatis: ut vittae earum capiti decus faciunt, ita insigne
ducitur sacerdotii vacare muneribus. nudum quoddam nomen inmunitatis requirunt,
quoniam paupertate a dispendio tutae sunt. itaque amplius laudi earum tribuunt,
qui aliquid rei detrahunt; siquidem saluti publicae dicata virginitas crescit merito,
12 cum caret praemio. absint ab aerarii vestri puritate ista conpendia! fiscus bonorum
principum non sacerdotum damnis sed hostium spoliis augeatur! illud tenue lucrum
conpensat invidiam? atqui avaritia in mores vestros non cadit. hoc miseriores sunt,
quibus subsidia vetera decerpta sunt: etenim sub imperatoribus, qui alieno abstinent,
quia resistunt cupiditati, ad solam detrahitur amittentis iniuriam, quod desiderium
13 non movet auferentis. agros etiam virginibus et ministris deficientium voluntate le-
gatos fiscus retentat. oro vos, iustitiae sacerdotes, ut urbis vestrae sacris reddatur
privata successio. dictent testamenta securi et sciant, sub principibus non avaris
stabile esse, quod scripserint. delectet vos ista felicitas generis humani. coepit cau-
sae huius exemplum sollicitare morientes. ergo Romanae religiones ad Romana iura
non pertinent? quod nomen accipiet ablatio facultatum, quas nulla lex, nullus casus
14 fecit caducas? capiunt legata liberti, servis testamentorum iusta commoda non ne-
gantur: tantum nobiles virgines et fatalium sacrorum ministri excludentur praesidiis
hereditate quaesitis? quid iuvat saluti publicae castum corpus dicare et imperii aeter-
nitatem caelestibus fulcire praesidiis, armis vestris, aquilis vestris amicas adplicare
virtutes, pro omnibus efficacia vota suscipere, et ius cum omnibus non habere? itane

1 nascentis A^2 ingenii A^2, ingenii *T*, gemi *M* 2 deus A^2 asseruit *M* aperto *TM*, operato *A* demo++ria A^2 3 conditio *T* numidum *M* 4 saecilis *T* nobis sunt *M* 5 putamus *TM* 6 principes *A* 7 ut utar *A*, ut a *TM* auitiis A^2 8 hinc A^1 9 sennonas *M* 10 reprehendat A^1 quale sit *om.* *A* quid *A* constituendum *TM* 11 tamen] *AM*, autem *T* indigentibus *A* 15 otiosorum disputatio est haec *T*, occiosorum disputatio haec est *M* non] nunc *M* certamen afferimus *TM* 17 denegatur *A* 18 uelut *A* uitae *TMA* 19 dicitur *TM* sacerdoti *TM*, sacrificii *A* quodammodo *A* inminutatis *M* requiruntur *TM* 20 a *om.* *TM* 21 dicat A^1 22 aerari A^1, aerariis A^2 ita A^2 23 illud tenue] *Meyer*, illud tene *TM*, ullumne *A* 24 inuidia *A* adqui *T*, et quia *A* 25 quibus — imperatoribus *om.* *M* quibus] quia A^1 26 quia] qui *A* admittentis *T* 27 legato *T*, legatus A^2, *om.* A^1 28 retentatur *TM* 31 religione sub A^2, religiones sub A^1 32 oblatio *T* 33 cupiunt *M* ligata *A* libertis A^2, liberque *T*, libertati *M* 34 excluduntur *A* praesidiis *M*, praediis *A* 35 qui A^2 publicae] p. *M* 36 adpublicare A^2, apublicare A^1 37 efficatia *TMA* itane — *p.* 283, 1 impenditur *in marg. add.* *T* itaque *A*

melior est servitus, quae hominibus inpenditur? rem publicam laedimus, cui numquam *TMA*
expediit, ut ingrata sit. nemo me putet tueri solam causam religionum: ex huius- 15
modi facinoribus orta sunt cuncta Romani generis incommoda. honoraverat lex pa-
rentum Vestales virgines ac ministros deorum victu modico iustisque privilegiis; stetit
muneris huius integritas usque ad degeneres trapezitas, qui ad mercedem vilium baiu-
lorum sacra castitatis alimenta verterunt: secuta est hoc factum fames publica et
spem provinciarum omnium messis aegra decepit. non sunt haec vitia terrarum, nihil 16
inputemus austris, nec rubigo segetibus obfuit, nec avena fruges necavit: sacrilegio
annus exaruit. necesse enim fuit perire omnibus, quod religionibus negabatur. certe
si est huius mali aliquod exemplum, inputemus tantam famem vicibus annorum: gra-
vis hanc sterilitatem causa contraxit. silvestribus arbustis vita producitur et rursus
ad Dodonaeas arbores plebis rusticae inopia convolavit. quid tale provinciae per- 17
tulerunt, | cum religionum ministros honor publicus pasceret? quando in usum hominum *TMA*[1]
concussa quercus, quando vulsae sunt herbarum radices, quando alternos regionum
defectus deseruit fecunditas mutua, cum populo et virginibus sacris communis esset
annona? commendabat enim terrarum proventum victus antistitum et remedium magis
quam largitas erat. an dubium est, semper pro copia omnium datum, quod nunc
inopia omnium vindicavit? dicet aliquis sumptum publicum denegatum alienae reli- 18
gionis inpendiis. absit a bonis principibus ista sententia, ut quod olim de communi
quibusdam tributum est, in iure fisci esse videatur. nam cum res publica de singulis
constet, quod ab ea proficiscitur, fit rursus proprium singulorum. omnia regitis, sed
suum cuique servatis, plusque apud vos iustitia quam licentia valet. consulite certe
munificentiam vestram, an adhuc publica velit existimari, quae in alios transtulistis.
semel honori urbis delata conpendia desinunt esse tribuentium, et quod a principio
beneficium fuit, usu atque aetate fit debitum. inanem igitur metum divino animo 19
vestro temptat incutere, si quis adserit, conscientiam vos habere praebentium, nisi
detrahentium subieritis invidiam. faveant clementiae vestrae sectarum omnium ar-
cana praesidia et haec maxime, quae maiores vestros aliquando iuverunt. vos de-
fendant, a nobis colantur. eum religionum statum petimus, qui divo parenti numinis
vestri servavit imperium, qui fortunato principi legitimos suffecit heredes. spectat 20
senior ille divus ex arce siderea lacrimas sacerdotum et se culpatum putat more vio-
lato, quem libenter ipse servavit. praestate etiam divo fratri vestro alieni consilii
correctionem: tegite factum, quod senatui displicuisse nescivit. siquidem constat ideo
exclusam legationem, ne ad eum iudicium publicum perveniret. pro existimatione
est temporum superiorum, ut non dubitetis abolere, quod probandum est, principis
non fuisse.

---

1 melior est] meliorem *M* impeditur A^2 rp. *TM* 2 expedit *A* me pudet *T*, putet me *M* tueri *post* religionum *colloc.* *A* 3 honerauerat *T* 4 uictum modico A^2, modico uictu *M* 5 degeneras A^2 trapezetas *M* 6 sacrae *A* famis A^2 7 prouintiarum omnium *AT*, omnium prouinciarum *M* 8 inputamus astris *A*, austris imputemus *M* abena *T* negauit *A* 9 hominibus *Iuretus* 10 mali huius *M* tanta A^1 famam A^2 11 sterelitatem A^2 aura *A* constrinxit A^1 arbutis *Em. Hofmann* 12 addoneas A^2, adidoneas *TM* conualuit *T*, contulit *M* prouintiae TMA^2 pertulerunt explic A^2 16 prouentus A^1 18 aligenae *T*, alienigene *M* 19 olim *om.* A^1 20 fisci iure *M* rp. *TM* 21 fit] sit A^1 22 ualet *om.* *M* 23 adhuc] haec A^1 25 uecum *T* 26 praesentium A^1 27 trahentium *TM* archana TMA^1 29 nominis *M*, culminis A^1 30 seruabit *TM* heredes] honores *M* 31 more uiolato putat *M* 32 seruabit *T* prestab̄ *M* 33 correptionem *M* 34 pro] per *T* 35 non *om.* A^1 est *om.* *M* 36 fuisse. explicit relatio symmachi uiri clarissimi preti urbis A^1

IIII (XVII. XXIIII) a. 384—385.

TMΓ D. N. THEODOSIO SEMPER AVG. SYMMACHVS V. C. P. V.

Quod apud germanum clementiae vestrae divum principem non sileremus, si eo res Romana frueretur, custodibus famae eius insinuo ea devotione, qua praefectum vestrum decet fidem praeferre blanditiis, domini imperatores. falso creditum est, quod urbanae fastigium potestatis peregrini ac superbi vehiculi usus adtolleret: haec ratio sola novum statutum benigno tunc persuasit ingenio, ut veterem magistra-
2 tum dives pompa gestaret. recusat istius modi decus honor sobrius, quem numquam paenitet sui: cui si quid patimur accedere, fatemur hactenus defuisse. itaque oculi quaerunt civitatis privati vehiculi nobilem modum et degenerem praefecturam populus Romanus existimat, quae posteriora traxit exempla. absit ut moderator urbis liberae atque ideo devotae tamquam Salmoneus Elius invehatur. nihil moramur ex-
3 terna miracula. inritamentum superbiae Roma vestra non patitur memor scilicet bonorum parentum, quos Tarquinius fastus et ipsius Camilli currus offendit. nam tanto illi viro albentes quadrigae exilium triste pepererunt. at contra Publicolae decus tribuit inclinatio potestatis: submisit enim contioni civium consularem securem et honoris sui culmen infregit, ut libertatem civitatis erigeret. ergo moribus potius quam insignibus aestimemur. non culpamus novum beneficium, sed bona nostra praeferimus. submovete vehiculum, cuius cultus insignior est; illud maluimus, cuius usus antiquior.

V (XVIII. XXV) a. 384—385.

D. N. THEODOSIO SEMPER AVG. SYMMACHVS V. C. PRAEF. VRBIS.

Inter praecipua negotiorum saepe curatum est, ut erudiendis nobilibus philosophi praeceptores ex Attica poscerentur: itaque nonnullos et*iam* auctoritas publica in usum nostrae urbis accivit, domini imperatores. nunc vestri saeculi bonitas ultro optimatem
2 sapientiae Romanis gymnasiis adrogavit. siquidem Celsus ortus Archetimo patre, quem memoria litteratorum Aristoteli subparem fuisse consentit, iuventuti nostrae magisterium bonarum artium pollicetur, nullum quaestum professionis adfectans atque ideo dignus in amplissimum ordinem cooptari, ut animum vitiis avaritiae liberum

de remouenda carruca *T* 2 d. *om. M*, n. *om. Γ et ita deinceps* ddd. nnn. Valentiniano Theodosio et Arcadio semper Auggg. *Meyer recte, sed cf. p.* 279, 7 p̄ urƀ *T* 4 costodibus *M* 5 decet *om. M* d. imperator *Γ*, *scribe:* domini imperatores Valentiniane Theodosi et Arcadi inclyti uictores ac triumphatores semper Augusti 6 uehiculi *om. T* 7 enim *ante* ratio *inser. Γ* statum *M* 10 ciuitatis quaerunt *Γ* nouilem *TM* 11 popls ·R· *M* quae — exempla *om. T* moderator] *Γ*, modera *TM* 12 salmuneus *T* elyus *M*, aelyus *T*, alius *Γ* moramur] *Γ*, miramur *TM* 13 superuiae *T* scilicet memor *M* 14 Tarquinii *Γ* Carnilli *Γ* 15 at contra — 16 potestatis *om. Γ* 16 summisst (*sic*) *M*, summisit Publicola *Γ* enim *om. Γ* 18 estimetur *M* 19 uehiculum — 20 antiquior *om. T in ima pagina* malumus *Γ*

de prebendis annonis celso philosopho *T* 22 d. *om. M*, ddd. nnn. Valentiniano Theodosio et Arcadio semper Auggg. *Meyer recte, sed cf. p.* 279, 7 sym̄ *T* p̄ ū *M* 24 nonnullos etiam] *ego*, nonnullo ius et *T*, nonnullos ius et *MΓ* publia *M* 25 acciuit] *Meyer*, accipit *TM*, accepit *Γ* d. imperator *Γ*, *scribe:* ddd. imperatores Valentiniane Theodosi et Arcadi inclyti uictores ac triumphatores semper Augusti bonitas saeculi *M* oprimatem *M* 26 Romanis *om. M* gynasiis *T*, gymnasium *M* arcetimo *TM* 27 literarum *Γ* aristotelem *M* consendit *corr. ex* contendit *T*, *om. M* iuuenti *T* 28 professionis *corr. ex* profectionis *TM* 29 cooptari] *Γ*, coaptari *TM*

dignitatis praemio muneremur. sunt huius rei exempla nobilia, quae prudens aemu- *TMΓ*
letur imitatio. nam et Carneaden Cyrenaeum et Poenum Clitomachum Atheniensis
curia societate dignata est, itidem ut nostri Zaleucum legum Locrensium conditorem
civitate donarunt. dignum est igitur aeternitate numinis vestri, Celsum genere eru- 3
ditione voluntate laudabilem adiudicare nobilibus pignore dignitatis, cum praerogativa
scilicet consulari, ne sumptum eius magis quam magisterium quaesisse videamur non
sine avaritiae nota, si ab eo munia publica postulemus, qui spondet gratuita praecepta.

VI (XVIIII. XXVI) a. 384—385.

DD. NN. THEODOSIO ET ARCADIO SEMPER AVGG.

Praecipua quidem beneficia numinis vestri populus Romanus expectat, domini
imperatores, sed ea iam quasi debita repetit, quae aeternitas vestra sponte promisit:
non quod sibi tribuenda diffidat — nusquam enim maior . . . . . est quam in bonorum
principum sponsione —, verum ne existimetur oblata fastidiose sperare, nisi instanter
exegerit. orat igitur clementiam vestram, ut post illa subsidia, quae victui nostro 2
largitas vestra praestavit, etiam curules ac scaenicas voluptates circo et Pompeianae
caveae suggeratis. his enim gaudet urbana laetitia, cuius desiderium pollicitatione
movistis. expectantur cotidie nuntii, qui propinquare urbi munera promissa confir- 3
ment: aurigarum et equorum fama colligitur: omne vehiculum omne navigium scae-
nicos artifices advexisse iactatur. et tamen amor perennitatis vestrae acuit desideria
plebis, non cupiditas ludicrorum. date igitur interim, quae petuntur, ut sit locus ce-
teris, quae sine fine tribuetis.

VII (XX. XXVII) a. 384.

DD. NN. THEODOSIO ET ARCADIO SEMPER AVGG. SYMMACHVS *V. C.* PRAEFECTVS VRBIS.

Kalendas anni auspices, quibus mensium recursus aperitur, inpertiendis strenis
dicavit antiquitas, domini imperatores Theodosi et Arcadi inclyti victores semper Au-
gusti. huius instituti usum munificentiae festinatione praevertitis, seram putantes
liberalitatem, quae statutis temporibus admovetur. felix me hercule saeculum, quo
principes cohibere diu nesciunt tribuenda devotis, cum sibi debita cunctentur exigere!
quid ergo primum, quid potissimum praedicem? promptamne numinis vestri et cele- 2
rem largitatem an circa absentes memorem diligentiam an quod sacrum munus auxi-

---

2 cerne aden *T*, cerneandē *M*, carneadem *Γ* cyreneum *T*, cyrencū *M* clytomachum *Γ*, clytumachum *T* 3 longum *M* 7 munia publica munia *T*

de mittendis scenicis ad urbem *TM* 9 archadio *TMΓ* aug̅ *M* Symmachus praef. urb. *add. Γ* 10 *praetulerim:* perpetua quidem beneficia, *cf.* 20 date igitur interim, quae petuntur, ut sit locus ceteris, quae sine fine tribuetis popls ·R· *M* DD. *Γ* 11 imperat̄ *M*, imper̄ *T* *scribe:* domini imperatores Theodosi et Arcadi inclyti uictores ac triumphatores semper Augg. *cf. p.* 279, 7 12 maior est *TM*, maior spes est *Γ*, maior fides *Meyer* 13 principium *M* 15 praestauit] *Mercerus*, praestabit *TMΓ* scemicas *M* 17 nuntii] num̄ *corr. ex* nom̄ *M* 19 perhennitatis *TM* 20 lidicrorum *M* igitur *om. M*

de strenis missis *TM* 23 archadio *TMΓ* aug̅ *M* symmachus praefectus urbis et u. c. *T*, symmachus. p. u. et uc. *M*, u. c. *om. Γ* 25 mensuum *T* 26 dicabit *TM* DD. *Γ* impt̄ *M* archadi *TMΓ* *scribe:* uictores ac triumphatores aug̅ *M*, augg. *Γ* 28 statis temporibus ammonetur *Γ fortasse recte* 29 deuita *TM* 30 quod potissimum *T* promptamne] *Γ*, promptam *TM*

TMΓ stis honore verborum? dicam, ut res est, curasse clementiam vestram, ut tamquam coram locatus et adloquiis principum fruerer et augusta in ipsis donis ora venerarer. quando mihi eveniet expressa potius et viva gaudia capere de vobis? quantum veri-
3 tatis est bonum, cuius species et imago mirabilis est! ago igitur atque habeo gratias et meam vicem, qui solvendo non sum, caelestibus delego virtutibus. illae clementiam vestram dignis processibus munerentur; nos colimus, nos amamus, quod scitis omnibus rebus esse praestantius, qui ideo salutariter rem publicam regitis, ut haec sola mereamini.

VIII (XXI. XXVIII) a. 384.

DD. NN. THEODOSIO ET ARCADIO SEMPER AVGG. SYMMACHVS V. C. PRAEFECTVS VRBIS.

Omnium beneficiorum, quae tribuit potior fortuna subiectis, certa sunt tempora, domini imperatores, solae leges, quae in bonum commune procedunt, numquam patiuntur occasum. agit igitur divinis sanctionibus vestris gratias ordo reverendus etiam nomine posterorum, quibus res publica emendata tradetur. nam cum foeda iactatio senatorias functiones gravibus inpendiis obruisset, et moribus et sumptibus nostris sanitatem veterem reddidistis, ne aut inpares facultate collegas tenuis decoloraret
2 editio aut per verecundiam viribus maiora conatos effusio inconsulta demergeret. eiusdem praeterea orationis salubritate vetus dicendarum sententiarum forma reparata est, ne summum cuique decernendi locum non ratio munerum sed honorum fortuna praestaret atque id assensio ceterorum vel invita sequeretur, quod ante omnes felicior censuisset. credimus igitur his remotis ad regnum suum redisse virtutes: in editionibus parsimonia, in senatu ordo retinebitur, nec se ostentabit opulentia semper bonis
3 infirma temporibus. superest ut ea, quae serenitas vestra patribus deliberanda legavit, cognito senatus consulto lex augusta confirmet. nullo enim dissentiente decretum est, quis modus censuum semel aut saepius fungendis . . . . mediocritas editionibus adplicetur, quae gladiatorio muneri et quae scaenicis ludis sumptuum temperamenta conveniant, quid libertatis habere mereatur praesentis expensio, quid damni
4 absentium contumacia debeat experiri. haec aeternitas vestra venerabilis cum senatui statuenda mandaret, referri ad se protinus imperavit, ut placita cunctis inmortali lege solidentur. iussis paruimus: expectamus oraculum, quo salutariter, ut vestro numini familiare est, patrum decreta firmetis, adiecta comminatione, si ullus aliquando ambitus haec vel illa corruperit, quae consilio caelesti pro ordinis dignitate sanxistis.

16 C. Theod. XV 9, 1 dat. VIII kal. Aug. Heracleae, Richomere et Clearcho coss.

1 dictam *T* 2 locatus] *Γ*, locutus *TM* angusta *M* 3 eueniat *TM*, continget *Γ* 5 par *post* soluendo *inser:* *Γ* 6 dignius *M* 7 rē. p. *TM*
de suscepta oratione quam dominus theodosius misit *TM* 10 dnn *M* archadio *TMΓ* auggt *T*, aug. *M* 11 p̄ ū *M* 13 DD *Γ* imperat *M* *scribe:* dd. imperatores Theodosi et Arcadi inclyti uictores ac triumphatores semper Augusti, *cf. p.* 279, 7 14 agi. Igitur *TM*, agit *Γ* reueredus *M* 15 rp. *TM* ianctatio *M* 16 et moribus] *Γ*, et *om.* *TM* 18 conatus *TM* 19 rationis *Γ* reputata *M* 20 munerum] *Γ*, numerum *T*, numerorum *M* fortunam *M* 21 assentio *T* feliciorem fuisset *M* 22 uirtutes redisse *M* 23 ordo *om* *M* 25 augusta *M* decretum est *om.* *Γ* 26 censuum] *Meyer*, censum *TM*, censitum *Γ* fungendis mediocritas *T*, fugiendis mediocritas *M*, quae fungendis mediocritas *Γ*, *supple:* quis modus censuum semel aut saepius fungendis muneribus obnoxius sit, quae instruendis mediocritas editionibus adplicetur *vel simile quid* 32 ullum *M* habitus *T*

VIIII (XXII. XXVIIII) a. 384—385.

DD. NN. THEODOSIO ET ARCADIO SEMPER AVGG. SYMMACHVS V. C. PRAEFECTVS VRBIS. *TMΓ*

Gratias beneficiis vestris *agere pro urbe Roma ut officii probabilis ita insolentis
audaciae est. nam neque ingentibus rebus verba conveniunt, et personam populi
Romani nulla inplet oratio, domini imperatores. sed quia in talibus negotiis voti
magis quam ingenii ratio versatur, non metuo inparis famam, dum fugio nomen in-
grati. urbem caelo et sideribus acceptam! cui bona terrarum omnium congeste prae- 2
stavistis atque id praecipue vobis putatis accedere, quod Roma quaesiverit. recepi-
mus veteris praerogativae fidem, securitatem. siquidem constat imperantibus vobis
populi esse Romani, quidquid ubique generosum vel gignit natura vel informat in-
dustria. enimvero etiam posteris egregium dedistis exemplum: scient futuri ita de-
mum adfluere publicas voluptates, si eas palatia non requirant. hoc est specimen
animi continentis sibi negare, quod aliis deferatur, et laetitiam ceterorum propriis
anteferre solaciis: hic usus bonos principes decet. namque aurium et oculorum fruc-
tus caducus est, largitatis aeternus. alii triumphis suis haec dona servassent, ut 3
posita lauru novis actoribus personarent Pompeiana proscaenia, ut pro captivis tetrar-
chis Indicae currum beluae praevenirent, ut equorum longus ordo instar gentium du-
ceretur: vester triumphus Arsacidas post tergum revinctos et gazas victae Babylonis
accipiet. in magnos quippe animos non cadit adfectata iactatio. nescitis tribuenda
differre; quidquid nationum famulatus obtulerit, statim publicum est. merito vos se- 4
natus ac populus ore celebrat, devotione veneratur, amore conplectitur. mihi credite,
arcana omnium pectorum possidetis, illa bonarum necessitudinum loca, quibus libe-
rorum, quibus parentum inmoratur adfectio. et quia omne praemium, dum beneficiis
vestris confertur, angustum est, invenit ordo amplissimus amabilem vicem, qua se
gratum probaret. nam familiae vestrae et stirpis auctorem, Africanum quondam et
Brittannicum ducem statuis equestribus inter prisca nomina consecravit, qui felici sa*t*u
numen i*n* imperium salutare progenuit. sic coluntur, quorum liberi ad bonum publi-
cum nati sunt. at vero populus imperialis munificentiae muneribus expletus in amo- 5
rem vestrum prompta inclinatione concessit. qui ubi conperit meo praefatu, adfore
dona publicorum parentum, portis omnibus in longinqua fusus erupit, feliciorem ce-
teris iudicans, qui primus bona vestra vidisset. ergo cum expectari munera princi-
pum soleant, nunc accita venerunt. praetereo illum diem, quo elefantos regios per
conferta agmina equorum nobilium pompa praecessit; malo fremitum Murciae vallis 6
exponere atque illam quadrigarum distributionem, in qua sibi cum fortunatior vide-

---

de aequis et elefantis *T*, de equis et elephantis *M* 2 dnnn *TM* et] *MΓ*, ae *T* ar-
chadio *TMΓ* aug̅ *M* ·u· c. p. u. *M*, u. c. *om.* *Γ* 5 rebus *om.* *Γ* populi ·r· *M*
6 DD. *Γ* impr̄ *M* *scribe:* domini imperatores Theodosi et Arcadi inclyti uictores ac triumphatores
semper Augusti, *cf. p.* 279, 7 8 erga *ante* urbem *inser.* *Γ* congesta *Γ* praestanistis] *ego*,
praestabitis *TM*, praestatis *Γ* 9 recepimus] *Γ*, recipimus *TM* 10 fidam securitatem *Lectius*
securitate *M* 11 esse ·r· *M* 13 requirant] *Γ*, requirunt *TM* 15 usus] rursus *M*
16 dona] *Γ*, iona *TM* 17 lauro *Γ* nobis *TM* 18 currum] *M*, cursum *TΓ* 19 poster-
gum *T* inuictae *M* babilonis *TM* 20 magno *T* affecta *TM* 23 possidetis
pectorum *M* 25 augustum *M* 26 probaret tam *M*, probetretam *T* 27 nomina] *TΓ*, numina *M*
felici satu numen in imperium] *Meyer*, felicis adunum enim imperium *TM*, felicissimum sydus et imperio *Γ*
28 pergenuit *T* 29 pignoribus *Γ* 31 dona] *Γ*, iona *TM* 32 nostra *M* 34 Murciae] *Iu-
retus*, urciae *TM*, martiae *Γ*

TMΓ retur, cui electionem mox urna tribuebat, par vel potior erat, quem sors fecisset
extremum. quotiens sequenti primus invidit? dubia est optio, cum de similibus
iudicatur. nec putetis istiusmodi voluptatem plebi Martiae parvam videri, cui dele-
nimenta circensium finitimorum conubium praestiterunt, cui summus honor visus est,
ut ovantes equorum dorsa gestarent, ut triumphantes currus inveheret. quare Vic-
7 toria genti Romuleae familiaris clementiam vestram pro voto omnium muneretur. fe-
cistis ut urbs cana luxuriet in primam reducta laetitiam et ver illud quondam vigentis
aetatis. audeo iam sperare potiora: mittetis etiam regiam classem, quae annonariis
copiis augeat devotae plebis alimoniam. hanc vero in Tiberinis ostiis mixtus populo
senatus excipiet; venerabimur tamquam sacras puppes, quae felicia onera Aegyptiae
frugis invexerint. non sunt avara vota, quae saeculi excitavit humanitas: de exem-
8 plis venit ista fiducia: magna sumendo maiora praesumimus. nunc legite senatus ac
populi fausta suffragia, licet sciam, plus inesse animis, quam vocibus explicari, et
quaedam libamina publici in vos amoris accipite. si parva adhuc dicta sunt, mu-
nerum vestrorum inputate miraculis; nam magnitudo stuporis locum multis plausibus
non reliquit.

X (XXIII. XXX) a. 384.

DD. NN. THEODOSIO ET ARCADIO SEMPER AVGG. SYMMACHVS V. C. PRAEFECTVS VRBIS.

Laetarum rerum index esse malueram, domini imperatores, sed ratio officii pu-
blici necessitatem mihi nuntii tristis inposuit. Praetextatus vester, Praetextatus bono-
rum, antiquae probitatis adsertor, invida sorte subtractus est, vir omnium domi foris-
que virtutum, in cuius locum vestrae quoque aeternitati, quae optimos novit eligere,
2 nimis arduum est similem subrogare. itaque summum sui in re publica desiderium
magnumque civibus gratis reliquit dolorem. nam ubi primum Romae amarus de eo
rumor increpuit, recusavit populus sollemnes theatri voluptates memoriamque eius in-
lustrem multa adclamatione testatus graviter egit cum livore fortunae, quod sibi in-
clytorum principum beneficia sustulisset. et ille quidem functus est lege naturae,
nos vero socios animi sui vestrique iudicii tanto dolore confudit, ut otii remedium
3 postulemus. sileo cetera, quae me non sinunt praefecturam ferre patienter: vel haec
una consortis amissio iusta est ad impetrandam vacationem. ament alii perpetuas
potestates: mihi summus est fructus felicitatis, ut coram vestrum numen advenerer,
intuear benign*a salu*tis meae sidera. hoc unum pro omnibus, quae praestitistis, ex-
opto. simplex petitio est nec viam capessendi honoris adfectat; semel enim claru*er*it
nihil aliud esse, quod cupiam, cum supplex refuderim magistratum.

---

2 enim *ante* optio *inser.* *Γ* 4 conubia *M* 5 ouantes *om.* *M* quare] quando *Γ* 6 famiaris *M* omnium uoto *M* 8 audeo] *Γ*, aut eo *TM* iani *T* 9 hanc uero] *M*, hannero *T*, hanc ergo *Γ* hostiis *TM* 10 uenerabuntur *Γ* feliciora *T* honera aegiptae *M* 13 animo *M* 14 sunt dicta *Γ* 16 relinquit *M*

de nuntio mortis praetextati *T* 18 dnnn. *T* archadio *TMΓ* 19 ·PV· *M* 20 DD. *Γ* impr *M*, *scribe:* domini imperatores Theodosi et Arcadi inclyti uictores ac triumphatores semper Augusti, *cf.* *p.* 279, 7 publici officii *M* 21 pretextatus uester bonorum *M* honorum *Γ* 22 inuidia *T* morte *Γ* 23 quos obtimos *M* 24 rp. *T*, re ·p· *M* 26 increbuit *Γ* 28 beneficium *Γ* 31 una *om.* *M* uocationem *M* 32 fructus est *M* 33 benigna salutis] *ego*, benignitatis *TMΓ* pro] prae *M* 34 semel] satis *Γ* claruerit] *ego*, claruit *TMΓ* 35 refudero *M*

XI (XXIIII. XXXI) a. 384.

D. N. VALENTINIANO SEMPER AVG. SYMMACHVS V. C. PRAEFECTVS VRBIS. *TMΓF*

Licet arbitrer litteras meas nuntiis aut rumore praeventas — quid enim fama potest esse velocius, domini imperatores? — ego tamen officii publici necessitate cogente excessum viri inlustris crudo adhuc dolore non sileo. Vettium Praetextatum veteribus parem virtutum omnium virum fata rapuerunt summo patriae gemitu, cui decus insigne praestabat. cuius ego laudes et iusta praeconia animi consternatione praetereo; neque enim locus est cuiusquam testimonio, cum vitae eius gloriam clementiae vestrae iudicia testentur, mortem celebrem dolor omnium fecerit.

XII (XXV. XXXII) a. 384.

DD. NN. THEODOSIO ET ARCADIO SEMPER AVGG. SYMMACHVS V. C. PRAEFECTVS VRBIS. *TMΓ*

Licet Vettius Praetextatus naturae lege resolutus sit, vivit tamen in memoria et amore cunctorum felicior civium lacrimis quam quisquam gaudiis suis, atque hoc uno punit invidiam, quod tantum ei mors ad gloriam contulit, ut huic quoque fortunae livor debeat invidere, domini imperatores Valentiniane Theodosi et Arcadi inclyti victores ac triumphatores semper Auggg. nam praeter illum populi Romani inusitatum 2 dolorem etiam senatus inpatiens dispendii sui solacium petit de honore virtutis vestrumque numen precatur, ut virum nostra aetate mirabilem statuarum diuturnitas tradat oculis posterorum, non quod ille praemia terrena desideret, qui gaudia corporis, etiam cum hominem ageret, ut caduca calcavit, sed quia ornamentis bonorum incitatur imitatio et virtus aemula alitur exemplo honoris alieni. hinc factum est, ut rusticis adhuc saeculis optimi quique civium manu et arte formati in longam memoriam mitterentur. atque utinam nihil huic decori facilitas adulantium postea derogasset! quamvis paria non sint, quae dispari arte quaeruntur. dignum est igitur, ut 3 qui in pectoribus omnium manet, sit in ore populorum: ille semper magistratibus suis celsior: in alios temperatus, in se severus; sine contemptu facilis, sine terrore reverendus; cui si quod commodum successionis evenit, ad testatoris proximos mox

---

F^1 = *editio Argentoratensis a. 1510*, F^2 = *cod. Paris. 8559 s. XII*, F^3 = *cod. Vat. Reg. 1575 s. XIII*. *F* = *consensus codicum florilegii* de nuncio mortis praetextati *T* 2 Symmachus Valentiniano semper Augusto F^1, *om.* $F^{2.3}$ n. *om.* *Γ* u. c. *om.* *Γ* p̄ ū *M* 4 meas literas *Γ*, litteras melius *TM* aut] ac F^2 quid enim — 5 imperatores *om.* *F* quod *T* 5 domini impr *M*, D. Imperator *Γ*, *scribe:* Domine imperator Valentiniane inclyte uictor ac triumphator semper Auguste. *cf.* p. 279, 7 6 illustris uiri excessum F^3 adhuc *om.* F^2 uecium *corr. 2 m. in* uetcium *T*, uectium *MΓ*, uetitium F^1, uetitum F^2, uicticium *corr. in* uictricium F^3 7 cui — 8 praestabat *om.* *F* 8 ergo F^2 obstinatione F^2 10 testentur indicia F^3 uale *add.* $F^{1.2}$

de nuncio mortis praetextati *T* 12 ddd. nnn. Valentiniano Theodosio et Arcadio semper Auggg. *Meyer recte* dnnn. *T*, dnn. *M*, dd. *Γ* archadio *TMΓ* aug̅ *T* u. c. *om.* *Γ* 13 ·pu· *M* 14 uetcius *T*, uectius *MΓ* 15 felicior — gaudiis suis *om.* *Γ* hoc *om.* *M* 16 fortunae] sententiae *M* 17 domini — 18 auggg. (*sed* archadi inclyti *TM*, augg *M*) *TM*, DD. Imperatores *Γ* 18 populi ·r· *M* 19 dolori sui dispendii *M* petit *om.* *T* uestrumque] *Γ*, uestrum *TM* 21 terrena praemia *M* 22 ut caduca] *Γ*, ut adcaduca *T*, et adcaduca *M* bonorum *om.* *M* 23 aligeni *T*, alienigeni *M* 25 posthaec *M* 27 in aure populorum *M*, in ore plurimorum *Γ*, in ore populi Romani *Kiessling*

TMΓ revertit; qui nullius prosperis fractus est, nullius risit adversa: indecorae nescius largitatis ille, quem semper invitum secutus est honor, ... cuius aequitati 4 conterminus quisque limites suos credidit. plura de eo vellem, plura deberem, sed clementiae vestrae testimonio cuncta servanda sunt; inlustrior enim laus est de caelesti profecta iudicio. ergo ut probitatis patroni bona temporum vestrorum futuris quoque visenda proponite. certe ille est Praetextatus, quem iure consulem feceratis, ut fasti memores celebre nomen extenderent. aliis titulis fatalia damna reparate. abierit cum homine praemium, sed iudicium post hominem perseveret. probate casibus adversum gloriam nihil licere. nam quod meruit a civibus, singulare est, illud multis commune, quod perdidit.

XIII (XXVI. XXXIII) a. 385.

D. N. VALENTINIANO SEMPER AVG. SYMMACHVS V. C. PRAEFECTVS VRBIS.

Si divinae clementiae tuae merita cogitentur, nullae opes, quas aut natura sufficit aut fortuna circumfert, gratiam nostri erga te amoris aequabunt, sed ut mea fert opinio, publicum de optimo imperatore iudicium non est muneribus aestimandum.
2 senatus tamen promptus obsequii omnes officiorum partes ultro adripit, quibus indicatur adfectio, et salutare numen tuum precatur, ut in hac oblatione, quae nonnihil superioribus addidit, intellegas hoc esse curatum, ne sub te minus posse videamur. nam divis parentibus tuis ob decennium singulis minor summa decreta est: etiam divus frater mansuetudinis tuae, cum tertium lustrum aevi imperialis exigeret, parciore munificentia honoratus adseritur. nunc in amorem tuum studia nostra creverunt. nam mille sescentas auri libras decennalibus imperii tui festis devotus ordo promisit
3 urbanis ponderibus conferendas, id est trutinae largioris examine. quodsi pares animo vires senatus habuisset, scires in publico amore perennitatis tuae esse divitias. sed maluit clementiae tuae solutionis fide placere quam magnitudine perfidae sponsionis. dehinc sub imperatore primaevo sanus muneris modus votum est saepe faciendi. absit, ut bono principi plus quam possumus ingeramus: amantium quippe largitio non iure deterit offerentes. ergo et nunc libens sume sacro aerario decreta subsidia et futuris processibus imperii tui obsequiorum similium spem reserva.

XIIII (XXVII. XXXIIII) a. 384—385.

D. N. VALENTINIANO SEMPER AVG. SYMMACHVS V. C. PRAEFECTVS VRBIS.

Habeant hoc publicae necessitates, ut inpossibilia plerumque persuadeant, domine imperator, sed cauto opus est, ne asperitas negotii effectu inrito solas arcessat offensas, quae nulli magis evitandae sunt, quam iuveni et principi. cuius gratia cum

1 reuertitur *MΓ* nullis prosperis *Γ* 2 sequutus honor *M* honor cuius *TMΓ*, *supple:* indecorae nescius largitatis (*i. e. ambitus*) ille, quem semper inuitum secutus est honor: quaestus iniusti nescius, cuius aequitati conterminus quisque limites suos credidit *vel simile quid* 3 de eo *ante* deberem *repetit Γ* 5 profecto *M* 6 uisendo *M* 7 titulis] utiles *Γ* 8 hominem] *Γ*, homines *TM* 9 aduersus *Γ* ciuibus] *Γ*, cuubus *T*, curibus *M*

de oblatione facta a senatu *TM* 12 D. Theodosio *Γ* u. c. *om. Γ* ·pu· *M* 13 cogitantur *Γ* sufit *M* 16 obsequi *Γ* ultro *om. T* 17 numen] *Γ*, nomen *TM* oblatione] *Γ*, obligatione *TM* 18 esse curatum *om. M* 19 nadiuis *M* obdennium *M* 20 uestrae *Γ* partiore munificentiae *TM* 22 fastis *Γ* 23 quid si *T* 24 asenatu *M* perhennitatis *M* 26 primeuos *TM* 28 largio *M* uires deterit offerentium *Γ*

de corporum excusatione *T* 31 u. *om. Γ* p. u. *M* 32 habent *Γ* *scribe:* domine imperator Valentiniane inclyte uictor ac triumphator semper Aug., *cf. p. 279, 7* 34 eiorandae *M*

aetate debet adolescere. ergo numinis vestri famam simulque arduum re*i* cogitans *TMΓ*
corporatos negotiatores, membra aeternae urbis, ad equorum conlationem, quam lit-
teris imperastis, vocare dubitavi, ne librationem clementiae vestrae querella publica
praeveniret. integra res est: adhuc salubritatem consilii diligentioris expectat. iusti-
tiae praestate, quod remittetis invidiae. de exemplo veniunt, quae cavemus: si- 2
quidem caeli particeps parens clementiae vestrae, cum munus exiguum huic hominum
generi mandare temptasset, motus libertate plebis abstinuit. et certe paucorum cu-
ram res illa poscebat magisque officium desiderabatur tractandae pecuniae publicae
quam dispendium conferendae. consuluit tamen gloriae suae, ne quid iuberet invitis,
et diligentissimus ac serius imperator speratum emolumentum tamquam popularis ig-
novit. nec putet aeternitas vestra ab incepto temere destitisse deo proximum virum; 3
noverat horum corporum ministerio tantae urbis onera sustineri. hic lanati pecoris
invector est, ille ad victum populi cogit armentum, hos suillae carnis tenet functio,
pars urenda lavacris ligna comportat, sunt qui fabriles manus augustis operibus ad-
commodent, per alios fortuita arceantur incendia. iam caupones et obsequia pistoria,
frugis et olei baiulos multosque id genus patriae servientes enumerare fastidium est.
ad summam liquet privilegium vetus magno inpendio constare Romanis: iugi obsequio
inmunitatis nomen emerunt. quod si adiciantur insolita, forsitan consueta cessabunt. 4
quare paternum clementiae tuae ingerimus exemplum. praetuli oraculum, quod pius
successor imiteris. oro atque obsecro, ne populum, quem triumphantes saepe venera-
mini, ceteris urbibus conferatis. dabit fortuna melior, quidquid castrensis usus effla-
gitat; humanitatis merito necessitas vestra sedabitur.

XV (XXVIII. XXXV) a. 384.

DDD. NNN. VALENTINIANO THEODOSIO ET ARCADIO SEMPER AVG*GG*. SYMMACHVS V. C. PRAEFECTVS VRBIS.

Ab exortu paene urbis Martiae strenarum usus adolevit auctore Tatio rege, qui
verbenas felicis arboris ex luco Streniae anni novi auspices primus accepit, ddd. im-
peratores. nomen indicio est, viris strenuis haec convenire virtute atque ideo vo-
bis huiusmodi insigne deberi, quorum divinus animus magis testimonium vigilantiae
quam omen expectat. sumite igitur, defensores publicae salutis, sollemniter auro ducta 2
munuscula, non quia divitis metalli honore gaudetis, sed ut nostra devotio felicis
saeculi testetur opulentiam. bonis principibus bene parta libamus. suscipite a indi-
cibus aperta obsequia, qui pretia occulta damnatis. merito vobis sollennes pateras
cum quinis solidis ut numinibus integritatis offerimus, quibus nec vester pudor nec
noster census oneratur. maneat aevum talis circa vos usus officii et honorem cle- 3
mentiae vestrae interminus annorum recursus instauret. libenter strenis sollennibus
praefectura fungetur strenuis deferenda.

19 Cod. Theod. XIIII 2, 1.

1 rei cogitans] *Suse*, recogitans *TMΓ* 3 librationem] *Γ*, liberationem *TM*, deliberationem *aliquis apud Iuretum* 5 remittitis *Γ* 6 uestrae] *MΓ*, tuae *T* 7 dare *T* 9 iuueret *TM* 10 imperatori *TM* 12 honera *TM* 13 inuentor *T* 14 *inter* lauacris *et* ligna *inserit p.* 302, 14 libertum esse — 313, 22 pudore ditatur *M* augustis *TM* commodent *M*, accommodant *Γ* 18 abitiantur *M* 19 protulit *Meyer*

24 ddd. nnn.] dd. *Γ* archadio *TMΓ* aug̃ *TM*, augg. *Γ* 26 sternarum *M* adolebit *T* tacio *T* autoritate Tatii regis *Γ* 27 domini *T*, dd. *Γ* impratores *M* *scribe:* ddd. imperatores Valentiniane Theodosi et Arcadi inclyti uictores ac triumphatores semper Auggg., *cf. p.* 279, 7 28 uirtute] *Mommsen*, uirtutem *TM*, ob uirtutem *Γ* 29 huiusmodis *T* 30 nomen *T* 31 diuitis] *Γ*, diuitiis *M*, diuitias *T* 35 oneratus *TM* 36 strenis] *Γ*, strenuis *TM*

XVI (XXVIIII. XXXVI) a. 384.

TMΓ

DDD. NNN.

Profiteor ultro, quod scio clementiam vestram posse rescribere: verecunde potius quam iure suscepi provocationem non extante sententia, ne existimarer offensus liberae quidem sed inmaturae vocis obiectu, ddd. imppp. nam cum inter proximos Euphasii c. m. viri itemque heredes scriptos, qui olim beneficio praetoris corporibus defruuntur, super testamenti iure actio verteretur et sententiam de possessione inpatienter exigerent, quibus ab intestato bonorum possessio minime conpetebat, quia heredibus scriptis secundum tabulas docebatur indulta, Priscianus et Polemonianus ad
2 denuntiationem dilato negotio provocarunt, et cum ab *i*is ratio quaereretur, alios vocis suae incentores fuisse testati sunt, ut gesta litteris conexa monstrabunt. nec officium partibus defuit ad multam praeiudicii suggerendam, sed iudicem vestri saeculi decuit vim constitutionis sacro oraculo reservare. cum allegaverint petitores, quod se ad incautam provocationem alienus hortatus inpulerit.

XVII (XXX. XXXVII) a. 384—385.

DDD. NNN.

Fidem meam convenit amor saeculi vestri et cura rei publicae, ne corrigenda dissimulem, ddd. imppp. cum ad praefecturam urbanam civilium rerum summa pertineat, minoribus officiis certa quaedam membra creduntur; quibus regendis industrios et probatos oportebat adhiberi, ut suum quisque munus inculpata facilitate pro-
2 moveat. tales nunc de iudicio numinis vestri publicus usus expectat. sed nolo culpare praesentes, cum satis sit sollicitudini meae, si melioribus viris officia intramurana mandetis. meis quippe umeris rerum omnium pondera sustinentur cedentibus reliquis, quos clementiae vestrae multiplex occupatio probare non potuit. habet temporum felicitas digniores; bonorum virorum vena fecunda est. melius urbi vestrae in posterum consuletis, si legatis invitos.

XVIII (XXXI. XXXVIII) a. 384—385.

DDD. NNN.

Felicitas quidem vestra aeternae urbi sollemnis alimoniae copiam pollicetur. ddd. imppp., sed re magis quam spe tuti esse debemus. quod facile factu est, si hanc

13 Cod. Theod. XI 36, 26, cf. XI 30, 44.

incentorem prouocationes *T* 2 D. Theodosio semper Aug. Symmachus praef. urb. *Γ* 3 uere. uerecunde *TM* 5 uoces *TM* ddd impr *M*, D. Imperator *Γ*, *cf. p.* 279, 7 6 Emphasii *Γ*, Euphrasii *Meyer* cm. uiri *T*, c. u. *Γ*, *om. spatio vacuo relicto M* idemque *TM* 8 minine *M* quia] quod *Γ* 9 prescianus *M*, p̄sciamus *T* polemoniamus *T* 10 his *TMΓ* 13 *fort.* uindictam constitutionis *aut* uim constitutionis exerendam allegauerit *T*, alliganerint *M* incautum *TM* 14 alienis ortatus *M*

ut iniungatur nonnullis necessitas publica *T* 16 D. Theodosio semper Aug. Symmachus praef. urb. *Γ* 17 rep. *T*, rp. *M* 18 dissimilem *T* ddd impr *M*, domini imppp *T*, D. Imperator *Γ*, *cf. p.* 279, 7 20 probatos] *Meyer*, priuatos *TMΓ* 21 nolo] *Γ*, *om. TM* 22 intramurana] *Γ*, intra mura *T*, intra muros *M* 24 reliquis] ceteris *M* 25 felicitas] *Γ*, facilitas *TM* nostrae *Γ* 26 imposterum *MΓ* legatis] *Γ*, litigatis *TM*

ut triticum de affrica mittatur *T* 28 D. Theodosio semper Augusto Symmachus praef. urb. *Γ* 29 ddd impr *M*, D. Imperator *Γ*, *cf. p.* 279, 7

quoque partem clementiae vestrae cura respexerit. nam aestate provecta cum ex 2 *TMΓ*
Africanis portibus minimum devehatur, non inani tangimur metu, ne res annonaria in
graves cogatur angustias, et ideo oro quaesoque perennitatis vestrae salubre praesi-
dium, ut iudices Africanos et notarium, cui aeternitas vestra mandavit frumentarios
commeatus, severiora scripta destimulent, missis in hoc negotium strenuis, qui onera
consueta, dum tractabilis navigatio est, victui urbis exhibeant. hoc saeculo vestro, 3
hoc divinis virtutibus dignum est, ut securitatem Romani populi inter praecipua et
prima curetis. aderunt optatis cursibus plena navigia et Romanos portus frequens
atque onusta classis intrabit, si adspiraverint numinis vestri secunda suffragia.

XVIIII (XXXII. XXXVIIII) a. 381—385.

DDD. NNN.

Difficilis est exitus veterum iurgiorum: res enim multis agitata iudiciis et actio-
num varietate et cognoscentium motu et personarum mutationibus inplicatur, ddd.
imppp. ut mihi nunc venit usus, cum inter Gaudentium curatorem Marcianae claris-
simae feminae itemque Liberium procuratorem amitae eius, eodem nomine dum vi-
veret nuncupatae, annosum luctamen audirem. nam in ipso limine quaestionis, cum 2
procuratio, quam c. m. f. senior Marciana mandaverat, invalida diceretur, quod ante
cuidam Principio esset iniuncta, ubi refusas in dominam conperimus actiones atque
actis praetoriis in Liberium denuo iure translatas, obiectum cassae praescriptionis
amovimus. tunc defensio partis adversae negavit stare personam, cuius procurationem 3
superioris gesta iudicii non tenerent. contra neque exactam prius mandati recita-
tionem et inter partes tributum procuratori beneficium reparationis aiebant. huic
parti longius quam oportuit immorata contentio est. sed quia prior cognitor ut iusto
defensori restituerat temporum cursum, qui per actores non potest impetrari, et pro-
curatio legebatur praetoris allegata iudicio, haec quoque praescriptio conquievit. suc- 4
cessit aliud, ut obitu Marcianae c. m. f. mandatum diceretur extinctum. sed contra
venerabilis Iuliani sanctio stare procuratorum iussit officia causarum dominis viven-
tibus inchoata. ergo cum et reparationem superstite Marciana et conventionem partis
adversae super aestimandis bonis Liberius impetrasset, pronuntiavimus non perisse
mandatum. dehinc petitore properante, ut ex constitutione numinis vestri servandi 5
debiti causa in materna corpora mitteretur, quod adversaria aestimationem bonorum
conventa facere noluisset, responsum est, de supplicationis fide prius esse tractandum.
id quia probabile videbatur, admisi. facto autem aditu de precibus disputandi de- 6
fensor c. f. Marcianae notare sibi visus est mendacium supplicantis, quod, cum Pris-

27 Cod. Theod. II 12, 1.

2 partibus *Γ* minimum] *Γ*, nimium *TM* 5 negotio *M* honera *M* 6 tracta uilis *TM* exibeant *M* 7 uirtutibus diuinis *Γ* dignum *om.* *M* romani ·p· *M* 8 obtatis *M* romanus *TM* 9 honusta *M* intrauit *T*

diuersis lectionibus prolatis consuluit imperatorem *T* 11 D. Theodosio semper Aug. Symmachus praef. urb. *Γ* 13 metu *M* ddd impr *M*, D. Imperator *Γ*, *cf. p.* 279, 7 14 martianae *TMΓ* 15 feminae *om.* *Γ* uiuerent *TM* 16 noncupatae *T* lumine *T* 17 cm. f. et *M*, c. f. *Γ* martiana *TMΓ* 18 principi *Γ* iniuncta] inquesita *corr. ex* quesita *M* confusas *T* 19 iura translata, obiecta *Γ* 20 tum defenso *M* 23 ut] aut *M* 24 poterat *Γ* 25 coquieuit *T* successit] *Γ*, suggessit *TM* 26 obitum *M* martianae *MΓ* *hic et deinceps* c. f. *Γ* 27 sanctio iuliani *M* iuuentibus *M* 28 ego *T* superstitae Martianae *Γ* 30 petitorem *TM* 31 materia *T* 33 quia] quod *Γ* autem] igitur *Γ* 34 cm. f. *TM*

TMΓ cae matris suae testamento neptes eius ex Placidiano genitas hereditatem cepisse dixisset, non omnes neptes ab ea scriptas probaret heredes. responsum est, de *iis* tantum, quas avia heredes instituit, supplicatum nec usquam factam omnium men-
7 tionem sed earum, quibus fuerat delata successio. his deiectum curatoris patrocinium coepit exigere, ut petitor ediceret, ex quibus nominibus propositae descenderent actiones. tunc e diverso veniens ex Placidiani c. m. viri nomine, qui pater adultae fuit, inmodicarum donationum causam manasse respondit; supplementum vero unciarum ut ab herede Placidae, cui soror Marciana successit, adseruit postulari. haec adversarius eatenus refellebat, ut diceret c. f. iuniorem Marcianam non Placidiani tantum patris successionem sed etiam Placidae germanae suae pro certis unciis con-
8 secutam, nec tamen ullam Placidae mentionem precum serie contineri. sed cum allegatio diversae partis adstrueret, rem se obnoxiam persequi designatis titulis actionum et id, quod in litem venit, pro certa parte Marcianam c. f. possidere eiusque nomen cum designatione causarum doceret precibus conprehensum, stetit iudicii mei deliberatio, hoc adserente, personam Placidae supplicationi adici debuisse, illo negante, post designationem rei et eius personae, quae hodie possessione corporum de-
9 fruitur, quidquam esse quaerendum. accessit cunctationi meae causa vehementior, quod iubente lege, ut intra quattuor menses ad aestimationem bonorum possessor *pe*titor*i* teneatur, nunc, ut gesta monstrabunt, angustum nimis ex conventione tempus
10 fuisse visum est peregrinis corporibus aestimandis. et ideo motus ambiguis oraculo numinis vestri discingenda cuncta servavi: nam in rebus dubiis una salubritatis est via, ut divina quaeque vel deo proxima consulantur. coniunctae paginae allegationes partium et supplementa sumpserunt: quae cum maiestatis vestrae iustitia perpenderit, precor, ut metas curiosae liti absoluta definitione ponatis.

XX XXXIII. XXXX a. 384—385.

DDD. NNN.

Cum clementia vestra meminisset faciendae carrucae inpendium de sacro aerario esse decretum, censuit, ut eius argentum publicis conditis redderetur, ddd. imppp. sed examinis repperit fides ex aliis titulis adsumptam speciem, quam vehiculi ornatus accepit. cuius rei etiam vir inlustris prodecessor meus Anchenius Bassus perennitati vestrae rationem dicitur intimasse; et ideo saeculi vestri aequitas imperavit, ut exa-
2 minata et conperta suggererem. cum fiscus in tempore, quod praebendum fuerat, non haberet, ex arca quaestoria itemque ex formarum conditis, praeterea ex argentariorum parsimonia argentum iusso operi ministratum est, cuius solutio, si carrucae
3 usus maneret, de thesauris imperialibus iure peteretur. sed nunc carpenti novitate submota suum quisque deposcit, nec difficile credimus impetrari, quod a legum pa-

1 neptes *om. Γ* 2 his *TMΓ* 3 suplicantum *M* unquam *Γ* 6 c. u. *Γ* 7 causa *Γ* 8 ut ad heredem *TM*, ab haerede *Γ* Placidiae *Γ hic et deinceps* 9 dicerent *M* c. t.] *Γ*, cm̄. f. *TM* 11 ullam] *Γ*, nullam *TM* 12 se *om. M* 13 c. f.] *Γ*, cm̄. f. *TM* 15 persona *TM* aduci *M* 16 possessionem corporum *M*, corporum possessione *Γ* definitur *M* 18 quo iuuente *M* intra] *MΓ*, in *T* petitori] *Mercerus*, apetitore *TMΓ* 21 discengenda *M*, distingenda *Γ* est salubritatis *Γ* 23 maiestas uestra *M* institia *om. M*

de reddendo argento carrucae quod fiscus occupauerat *T* 26 dddnnn. *TM*, D. Theodosio semper Aug. Symmachus praef. urb. *Γ* 28 d̄d̄d̄ impr̄ *M*, D. Imperator *Γ*, *cf. p.* 279, 7 29 assumptam *Γ*, absumptam *TM* 30 praedecessor *Γ* Anthenius *Γ* 31 ratione *TM* 33 archa *T* 34 carruchae *T* 36 impetrare *M*

rentibus postulatur. quaeso, ut digna temporibus responsa reddatis, quo v. c. et in- *TMΓ* lustris sacrarum largitionum comes refundendum esse cognoscat publicis titulis privatisque personis, quod sine lacuna imperialis aerarii deprompsit aliena conlatio.

XXI (XXXIIII. XXXXI) a. 384.

Scio quidem naturae humanae vitio probitatem subiacere livori, sed miror eo progressas insidias aemulorum, ut crudo mendacio insontis fama peteretur, ddd. imppp. quid enim non audeant quidve intemptatum relinquant, qui in arce terrarum Christianae legis iniuriis vindicata fana finxerunt? flevit, credo, scaenae istius fabricator, 2 cum de ecclesiae penetralibus raptos ad tormenta simularet, cum de longinquis ac finitimis urbibus duci antistites in vincla describeret: neque enim serenum clementiae tuae animum sine his argutiis conpulisset sacro edicto populum convenire, ut asperioribus, quam pietati tuae mos est, litteris praefectum, quem sine ambitu legistis, argueres. reddat nunc, quisquis ille est, causas fallaciae suae, qui sub occasione iu- 3 stae inquisitionis, qua me cultum spoliatorum moenium investigare iussistis, tragicas quaestiones de ministris catholicae iactavit agitatas; respondeat litteris episcopi Damasi, quibus adsectatores eiusdem religionis negavit ullam contumeliam pertulisse. non magnopere officii mei praetendo responsa, a quo ideo quaesita est rerum fides, ne factum aliquod recordationem cognitoris effugeret: credatur eius legis antistiti, quae laesa simulatur, credatur populo Romano, qui perennitatis vestrae admonitus edicto miratur in procinctu creditum, quod Roma nescit admissum. omitto iniu- 4 riam praefecturae et conscientiae meae, quando eo processit insimulatio, ut vos quoque ipsos auctores honoris mei quadam reprehensione praestringat. nam qui summi loci iudices decolorant, sacri testimonii facilitatem videntur incessere. iam dudum me divus genitor numinis tui praecipuo honore dignatus est, ille meritorum arbiter singularis, cuius imperium cum moribus recepisti. paternum sequere, tuum tuere iudicium: qui praefecturam sine ambitu meruimus, sine offensione ponamus. suggestionibus viri excellentis et de re publica bene meriti Prae- 5 textati praefecti praetorio abusus existimor. quid, si ex illo decreto, quod probabiliter impetravit, necdum a me quaestio ulla temptata est? praevidi enim, quid possint aemuli suspicari, atque ideo obsignat*a* officio praefecturae sacra iussa commiseram. nec me huiusmodi coniectura decepit: siquidem severe executus insimulor, quod non convincor adgressus. haec omnia fide actorum conprehensa subieci, unum 6 illud adiciens, ut me perennitas vestra necessitate inquisitionis huius absolvat, cuius auctoritatem referri ad scrinia palatina iussistis. nam si tantum de me inprobis licuit extante praecepto, quid retractatis litteris non licebit? sane laudabili viro episcopo denegante ullum e suis aut carcere aut vinculis adtineri et officio eadem sug-

23 Cod. Theod. I 6, 9.

1 repensa *M* quo] *Γ*, quod *TM* uir consularis *Γ* 3 deprompsis *M* 4 DD. Theod. et Archad. semper Augg. Symmachus praef. urb. *Γ* 5 labori *M* 6 ddd impr *M*, DD. Imperatores *Γ*, *cf. p.* 279, 7 7 quodue *T* 8 istius scenae *T* 9 ac] *M*, ac de *Γ*, et *T* 10 uincula *Γ* 11 *et* 12 uestrae *Γ* 12 argueret *Γ* 14 quam *T* spoliatorem *TM* inuestigandas *M* 15 iactat *Γ* damasi episcopi *M* 17 non] nam *M* est *om. M* finis *M* 18 quaesitoris *Γ* 19 populo Romano] *Meyer*, pr. *TM*, praefecto *Γ* quae *M* 20 credatur *M* 22 perstringat *Γ* 23 facilitate *TM* 24 merito *M* 25 *post* recepisti *in infima pagina add.* me *T* 27 suggestio *M* rp. *TM* 28 improbabiliter *M* 29 quod *T* 30 possent *Γ* obsignata] *Iuretus*, obsignato *TMΓ* 31 me] *Γ*, *om. TM*, *sed cf. adn. ad l.* 25 32 auctorum *M* 33 huius] eius *Γ* 34 auctoritate *T* palatinum *M* 35 quod *T* 36 ullum e suis] *Γ*, ullumuis *TM* carcere] *Γ*, arcere *TM*

TMΓ gerente ignoro, quos potissimum praeceperitis absolvi. tenent quidem leges variorum
7 criminum reos, sed ut conperi, a ministerio Christianae legis alienos. quid igitur aeternitas vestra decernat, devotus opperior et quaeso, ut fallaciam retundatis, quae divini pectoris tui sollicitavit quietem, quae ad edicti necessitatem venerandi principis curam coegit. me munivit invidia: apud aures enim sacras locum postea non habebit convicta mendacii. si quid tamen denuo obtrectantium murmur ingesserit, opto iudicium: experientur me sub imperiali disceptatione constantem, qui nocentem probare non possunt.

XXII (XXXV. XXXXII) a. 384—385.

De tribunatu suarii fori nuper orta contentio causam mihi adtulit legum arbitros consulendi. ddd. imppp. provectus instabat, ut delatum sibi sortiretur officium; vetus e *lege*, quae tempora istiusmodi actibus certa decrevit, recusabat honore decedere. secutus morem longa aetate servatum eum, qui recens maiestatis vestrae beneficium praeferebat, admisi: sed ut deinceps, si forte usus tulerit, cunctationem iudicii absoluta forma submoveat, statui sacrum numinis vestri oraculum sciscitari, utrum fas sit novos tribunos servata lege differri an magis veteres oporteat praelata devotione removere.

XXIII (XXXVI. XXXXIII) a. 385.

Vnum levamen iniuriis meis tribuit eventus, ddd. imppp., ut Romam publicae utilitatis gratia v. c. et inlustris clementiaeque vestrae semper dicatus comes Hesperius mitteretur: nam si eum testem contumeliarum, quas pertuli, non haberem, quis dubitaret, eam praefecturam, quae Romae est superior ceteris, turbidum aliquid pro potestate fecisse? is, quoniam semper amicus est veritati et famam bonorum temporum colit, si dederit aeternitas vestra copiam, contemptum legum ac saeculi non silebit: ego, ut potero, de multis pauca narrabo repetitis paululum causis, quae
2 mihi, ut arbitror, has insidias excitarunt. cum pro diligentia, quae debet omnibus inesse iudicibus, argenti publici ratio quaereretur, quod censualium editores munerum contulerunt, inter ceteras fraudes repertum est, quosdam functionibus absolutos sumptum debitum rei publicae non dedisse et, ut fallacia ista tegeretur, ex alieno argento tantundem censualibus falsis titulis inputat*um*, quantum duo conferre debuerant. hoc cum clarissimi viri sponte sine adiectione dispendii reddidissent, senatum prisco more consului, quid in communi causa patrum innueret auctoritas. dictis aliquot sententiis
3 factum meum reverendi ordinis probavit adsensio. interiectis diebus cum Romam v. c. et laudabilis vicarius commeasset, v. c. causidicus fori mei Celsus, socius eius, qui

2 mysterio *Γ* aligenos *TM* 3 operior *Γ* 5 me muniuit inuidia *ante* 4 quae ad edicti *collocandum videtur* 6 mendaciis *TM*

9 D. Theodosio semper Aug. Symmachus praef. urb. *Γ* 10 uinarii *Γ* mihi *om. M* 11 ddd impr *M*, D. Imperator *Γ*, *cf. p.* 279, 7 dilatum *TM* 12 e lege] *Lectius*, eligit *TMΓ* decere *M* 13 morem *om. M* 14 admissi *M* 17 remoueri *Iuretus*

18 D. Theodosio semper Aug. Symmachus praef. urb. *Γ* 19 ddd impr *M*, D. Imperator *Γ*, *cf. p.* 279, 7 22 eamq *T* superior est *Γ* 23 semper *om. T* 24 copiam *om. T* ac] et *Γ* 25 ego] *Γ*, ergo *TM* 27 censualibus *Γ* 29 reip. *TMΓ* non *om. T* 30 inputatum] *Meyer*, imputatis *TMΓ* duo] *Γ*, ·ii· *T*, *om. M* debuerat *M*, debuerant contulerunt *Γ* 31 spontem *T* 32 innueret] *Γ*, iuneret *TM*, inberet *Meyer* 34 comes esset *M* u. c. causidicus] *Γ*, causidicus uc. *TM*

debitum refudit inpendium, tuitionem contra me et annonae praefectum clarissimum *TMΓ*
virum de sede vicaria postulavit, cum *e*go aditus in causa publica civilem conventio-
nem matri eius, *quae retinere adseritur patrimonium candidati*, super nepotis sui mu-
nere detulissem responsione servata. praefectus vero annonae v. c. pistorem publicae
annonae verbo tantum reposcere diceretur, quem manibus officialium Celsus eruerat.
hic iam vestrae perennitatis est aestimare contumeliam praefecturae, cuius causidicus
nihil passus auxilium secundis iudiciis impetravit. par*va* haec visa sunt: quoniam pa- 4
tientiam meam minime perculerunt, adiectum est, quod dissimulare non possem. nam
cum ad examinandos actus v. c. Bassi ex praefecto urbi potestas vicaria ad secreta-
rium commune prodi*i*sset, nescio quis, ut aiunt libello dato, de officii mei conludio
vel iniquitate conquestus est, quod Memorius litigator iussus a Basso solvendi debiti
gratia ad iudicia Africana deduci, cum et a viro inlustri decessore meo Aventio et a
me per libellos, ne eo pergeret, postulasset, navi esset abductus. hunc ilico v. c.
et laudabilis vicarius, ut subscriptio libelli indicat, adesse praecepit. ubi pariter ambo 5
consedimus et seriem querellarum recitatione cognovi, admonui, ut is, qui adierat
vicariam sedem, probaturus intraret. tunc officium eius hominem deesse respondit,
*q*uem praecepto iudicis sui in examen accir*e* debuerat. quid hic aestimandum sit,
relinquo sapientibus. semel atque iterum praeconis vocibus advocatur nec tamen in-
clamatus adcurrit. tunc nullo adsistente apparitio urbana coepit urgueri, quod ad 6
Africam transvectus esset, qui Bassum clarissimum virum criminis posset arguere.
suggestum est, paritum esse sententiae, quam cum Bassus post luctamen partium pro-
tulisset, provocatio non removit. ad haec Fulgentius v. c. tribunus et notarius con-
ventos adiutores urbanae sedis adseruit, ne Memorius navigaret. a quo cum require-
retur, an ad eum aliquid super Bassi criminibus Memorius detulisset, ait querellas
eius libellorum paginis contineri, credo, simulare non ausus, quod accusator esse
voluisset. ad hoc urbani adiutor officii per Felicem sibi a clarissimo viro Fulgentio 7
mandatum esse respondit, ut secundum sententiam Memorius ad Africam duceretur.
mox Felicem censuimus adtinendum, quo posset liquere, an huius mandati inter-
nuntius extitisset. interea vir laudabilis vicarius, cum adessent alii, quos in Bassi
causis possemus audire, ob eius absentiam, quem facile est ex Africanis revocare
provinciis, iudicium omne deseruit, nescio an ex usu eorum, qui ut audirentur ad-
fluxerant. promissa relatione discedo. Felix, qui in communi iudicio iussus est ad- 8
tineri, officii executione corripitur. is cum a me insequenti *die* tuitionis auxilium po-
poscisset et unius nomenclatoris, ut in urbe pacata, adminiculo fretus incederet post
vehiculum praefecturae, iussu Fulgentii c. v. per Gaudentium et Victorem agentes in
rebus et Bonifatium palatinum, qui hactenus in officio urbano militavit, violenter ad-
reptus deducitur in eius aedes, de cuius mandatis fuerat audiendus. quod cum sibi 9
Fulgentius v. c. auctor contumeliae meae invidiosum putaret, ad circi secretarium

---

2 ego] *Mercerus*, ergo *TMΓ* 3 quae (qua *Γ*) retinere (retine *T*) asseritur patrimonium candidata (candidati *Iuretus*) *post* 4 responsione seruata *colloc. TMΓ*, *transposui* 4 praef̄ *T*, pref̄ *M* 7 secundi iudicis *Lectius* parua haec] *ego*, phaec *TMΓ* uisa sunt *om. Γ* 9 ad examinandus *T*, ad examinandum *M*, examinandos *Γ* actus Bassi praefecti urbis *Γ* 10 commune *om. M* prodiisset] *Iuretus*, prodidisset *TMΓ* 13 naui] *Γ*, nam ui *TM* 16 probaturus] *Γ*, probatus *TM* responditq, quem *M*, respondit q3 (*i. e.* quia) quem *T*, respondit: qui *Γ* 17 accire] *Meyer*, acciri *TMΓ* 19 urgere *Γ* ad *om. M* 21 pari itum *T*, pari iterum *M* 23 nauigaret] *Γ*, nauigasset *TM* 24 aliquod *M* Bassi] hisce *Γ* querelorum *M* 26 adhaec *Γ* 28 mandati nuntius esset *M* 30 quem] quae *T* 31 usu] iussu *Γ* alluxerat *M* 32 dissedo *M* iudicio *om. Γ* 33 excussione *M* corrupitur *T* die] *ego*, *om. TMΓ* sequenti uitionis *M* 34 numen cultoris *T*, numen latoris *M* 35 c. u. *om. Γ* per *om. M* 36 bonifacium *TΓ* actenus *TM* milauit *M*

TMΓ convolavit facti inliciti volens praestare rationem, quod sibi metum fuisse dicebat, ne officii subornaretur inpulsu. expectatis, credo, augustissimi principes, ut praefectus et iudicii vestri securus et innocentiae suae, aliquid severum censuisse dicatur: fa-
10 teor, neque paenitet. animum temperavi, dum certam de vobis spero vindictam. statui, ut Felix vadibus, qui Fulgentio non essent cogniti, traderetur. quid mitius decerni, quid remissius potuit? tunc ille tamquam cessurus egreditur: sed cum ad eius aedes semel atque iterum princeps officii commeasset et obstinatam hominis contumaciam non posset inflectere, inanem syngrapham reportavit, qua redhibitionem Felicis in alterum diem sponsione distulerat. tenet domi testem, quem de se noverat audiendum: etiam huius iniuriae adsumo patientiam. culpate, ut vultis, ut dignum
11 est: scivi meliorem esse iudicum causam, quae rerum dominis reservatur. expectamus, ut altero die quam*vis* instructus officio redderetur: at ille crastina luce, ut gesta monstrabunt, adversum cautionis fidem vicariae potestati tradendus abducitur. hoc ubi princeps officii comperit, paucis comitatus excurrit: retinet Felicem celebri urbis loco nec tamen eripit: ita Fulgentius, qui se simulat verberatum, manu validiore legibus repugnavit. interea Felix a militibus vicariae potestatis abducitur, et †cum princeps officii mei sub conspectu Romanae plebis auditur. videro, quid de hoc
12 facto perennitas vestra debeat iudicare: ego ordinem tenebo gestorum. fatetur sub alterius cognitoris examine litigator, nihil sibi ab apparitoribus meis adversum Fulgentium esse mandatum. hi*nc* iussu eius ad commune secretarium, quo faciendae oblationis gratia summates quosque conduxeram, a principibus officii utriusque per-
13 ducitur: nihil enim repertum fuerat, quod praefecturam posset involvere. tunc Fulgentius facti sui conscientia perculsus, caesum se esse conqueritur: sed mox eiusdem Felicis ac devotissimi viri principis responsione pars ista purgata est. et tamen querellae eius audientiam non negavi, clarissimo et spectabili viro vicario in societatem cognitionis, si vellet, adscito . . . . stuere nomina testium plebeiorum danda promisit, credo, ut per moram vel meus dolor *praeter* satisfactionem mitesceret vel ipse
14 rursus alias moliretur insidias. qui, ut res indicat, conscientia hominis subornati, a quo vicariae potestati libellus oblatus est, domestice confectis apud eundem actis ausus est postulare, ne apparitores eius, quos ob discessum litigatoris custodia carceris iusserat adtineri, iniuriae subiacerent. post haec usurpato cursu publico neglectoque iudicio audacis facti conscius evolavit, ut praefecturae iustas querimonias praeveniret, ignarus, ut res est, parentes generis humani magis iustitia quam invidia commoveri.
15 haec ita esse gesta nec ulla arte fu*c*ari, instructio subiecta testabitur. in qua repperiet aeternitas vestra, praefecturam, quam in me puro iudicio contulistis, nihil saltem ad vindictam publicae disciplinae esse molitam, cum omnibus iniuriis cederetur, quas boni quique praesumunt pro vigore saeculi vindicandas. haec enim spes et

1 inliciti] illicitauit *M* 2 expectatis] et peccatis *T* principis *TM* 5 essent traditi traderentur *M* 6 remisius *T* cessurus *ex* censurus *corr.* *M*, censurum *T* edes eius *T* 8 inflectere *om.* *M* redibitionem *TM* 10 assumptio *M* uti uultis *Γ* 11 iuditium *M* reseruatum *TM* 12 quamuis] *Meyer*, quam *TM*, *om.* *Γ* ille crastina] *Γ*, ille crassa *T*, illa crasse *M* 13 cautioni *TM* potesti *M* 15 itaque *Γ* 17 *fort. scrib.* et ui princeps officii mei sub conspectu Romanae plebis auellitur *scil. a Felice, quem apprehenderat*) uideo *Γ* 18 debuit *Γ* ergo *TM* 19 apaparitoribus *M* 20 hinc] *Meyer*, hic *TMΓ* quo] quos *M* 21 quoque *TM* princibus *M* 22 fulgentii *M* 23 fati *T* conscientia *om.* *M* eiusdem uiri ac deuotissimi principis *M* 26 si uellet asscitostuere *T*, si uellet statuere *M*, ascito, si uellet struere *Γ* 27 per moram meus dolor uel per satisfactionem *Γ* praeter] *Suse*, *om.* *TM* mitescere *TM* 29 est *om.* *M* confectus *MΓ* factus *Γ* 31 ius erat *Suse* cursu] rursum *Γ* 33 parentis *TM* 34 fucari] *Meyer*, fugari *TM*, fingi *Γ* 37 haec] nec *Γ*

fiducia ius creditae mihi potestatis infregit, ut auctores honoris mei et publicae dignitatis et iudicii sui contumeliam iusta severitate defendant. ss. IIII. kl. Aug. Aeliano ocab. *TMΓ*

XXIIII (XXXVII. XXXXIIII) a. 384.

Per vices mensium singulorum ad perennitatis vestrae scrinia senatus et populi acta mittuntur, quae poterunt indicare, quid vir praecelsae et inlustris memoriae Praetextatus vel ad amplissimum ordinem vel ad devotum vobis populum pro saeculi vestri commendatione pertulerit, ddd. imppp. Valentiniane Theodosi et Arcadi inclyti victores ac triumphatores semper Augusti. sed quia speciatim sacris litteris imperastis, 2
ut, si qua ab eo Romae in his coetibus gesta sunt, agenti in rebus excerpta tradantur, misi omnia iussis caelestibus obsecutus, quae ipso praesente venerabilium orationum vestrarum sanctio definivit et patrum probavit auctoritas; praeterea quae apud plebem locutus est, ut cunctos in amorem bonorum temporum provocaret, adiunxi. iudicium vero civium, quod supremo die de virtute atque innocentia eius ha- 3
buerunt, speciatim v. c. et inlustri officiorum magistro subditis exemplaribus gestorum intimavi, licet vehiculo publico cum ceteris, quae ex more mittuntur, omnia necesse sit rursus ad serenitatis vestrae notitiam pervenire.

XXV (XXXVIII. XXXXV) a. 384—385.

Iam pridem rescriptum numinis vestri Cyriades v. c. comes et mechanicae professor exhibuit, ddd. imppp., quo statuerat aeternitas vestra, ut se ipse a quorundam criminatione purgaret ac rursus urgueret obiectis, si quos fraudis incesseret. qui cum 2
Auxentium v. c. sub examine decessoris mei coepisset arguere, postquam ad cognitionem meam ventum est, super basilicae atque pontis inmodico sumptu Auxentii v. c. voce perstrictus est, quem Cyriades vir parilis dignitatis mutua accusatione credidit remordendum. visum est igitur adcommodum, ut utriusque aedificationem fida aestimaret inspectio. dedi negotium sollicitis, quantum arbitror, viris et Cyriade paene recusante decrevi fabrilis artis magistros, quos adversario aequiores putabat, aestimationi operis admovendos, manente nihilominus penes Auxentium cura atque administratione coeptorum, quod necdum aeternitas vestra officium eius successore mutasset. itaque exactis aliquot diebus et adhuc pendente operis examine apparitio, 3
quae Auxentio fuerat deputata, per notoriam mihi fecit indicium, deseruisse clarissimum virum susceptorum curam locorum et sub ipso aestatis exordio, quo posset provectus aedificationis adsurgere, nihilum promoveri; sed quia senatoris fuga non vide-

1 mihi credite mihi *M* 2 *subscriptionem om.* *Γ*

4 D. Theodosio semper Aug. Symmachus praef. urb. *Γ* 5 scrinia] scripta *Γ* 6 quid] quod *T* illustrisque *Γ* 7 uel aduotum *M* 8 protulerit *Mommsen* ddd impp ual theodosi et archadi incliti — augusti *T*, ddd impr "theodosi "ualentiniane et archadi incliti — aug *M*, D. Imperator *Γ* 10 argenti *T*, *om.* *Γ* 11 ipso praesidente *Meyer*, ipso praefante *Mommsen* 12 rationum *Γ* 15 uiro consulari *Γ* gestorum exemplaribus *Γ*

18 D. Theodosio semper Aug. Symmachus praef. urb. *Γ* 19 iam quidem *Γ* mehanicae *M* 20 D. Imperator *Γ*, *cf.* *p.* 279, 7 quo] quod *TM* ut sepe a *M* 21 fraudes *TM* 22 uirum consularem *Γ* 23 superba atque *Γ* auxenti *M* uiri consularis *Γ* 24 perstrinctus *T* 26 sollititis *M*, *fort.* sollertibus 27 ad aduersio *M* 28 operi *M* admouendos] *Γ*, admonentes *T*, aduentes *corr. in* admouentes *M* paenis *TM* 29 successione *Γ* 30 appario *M* 31 notoriam] *Iuretus*, notarium *TMΓ* fecit mihi *M* 32 susceptorem *TM* aetatis *TM* posset] *Latinus*, possit *TMΓ* profectus *Γ*

TMΓ batur temere credenda, ut inpensius requireretur, admonui. diu nusquam gentium deprehensus, ubi comitatum sacrum numinis vestri adire iussus est, evolavit. interea Cyriades v. c. comes et mechanicus, cum statutum meum discessu eius videret elusum, multum anxius, ne quid in absentem adversarius moliatur, ut aeternitati vestrae
4 et relationem v. c. prodecessoris mei et nunc acta suggererem, depoposcit. cui audientiam negare non potui, eadem via praecepto numinis vestri cupiens edoceri, quid facto usus sit de aestimatione sumptuum, quos utriusque insumpsit expensio; siquidem meum spectat officium lacunam pecuniae publicae non tacere. fidem litteris sociata gesta praestabunt. quae ubi ad sacras aures perennitatis vestrae recitata pervenerint, oro atque obsecro, ut incertum animi mei responsis imperialibus instruatur.

XXVI (XXXVIIII. XXXXVI) a. 384—385.

Certum est quidem, clementiam vestram fidei amore et studio veritatis in examen adsiduum saepe explorata revocare, ddd. imppp., sed cum Auxentius v. c. et Cyriades comes ac mechanicus parilis dignitatis quadam inter se concertatione dis-
2 sentiunt, nonnihil superioribus iudicibus derogatur. iam dudum enim v. c. et inlustris Auchenius Bassus novi pontis opere perspecto sub actorum confectione signavit culpam vel diligentiam singulorum; denuo successor eius eadem loca rimatus adseritur; dehinc cum apud me ex rescripto, quod Cyriades v. c. impetravit, recidiva cognitione confligerent atque ipsis *in*sistentibus censuissem, ut utriusque tam sumptus quam aedificationem investigatio discussionis inquireret, v. c. Auxentius repente deseruit in-
3 dicatum. de cuius facto missurus relationem, quam sollicitudo intermissi operis exigebat, alia numinis vestri decreta rursus accepi, quibus examini meo v. c. et laudabilem vicarium copulastis, ut utroque residente accusata pontis vitia quaererentur. nec obsequium defuit imperatis. itaque adhibito v. c. tribuno et notario Aphrodisio, cui post Auxentium v. c. novarum molitionum cura legata est, habita est de *i*is
4 quaestio, qui pontis eiusdem fundamenta posuerunt, atque ita constitit, partem brevem atque discretam sub exordio hiemis inchoatam vi fluminis corruisse, cuius inpendium viginti solidorum definitione artifices aestimarunt. sed casus partis istius utpote adhuc a cetero corpore segregatae nihil videtur iniuriae locis distantibus ad-
5 tulisse; *ip*sam facili aedificatione reparandam Cyriades v. c. pollicetur. post haec alterius loci exploratio hiulcam conpagem lapidum deprehendit, quam Cyriades comes et mechanicus consilio suo et ratione artis ita positam suggerebat, ut infuso postea inpensarum liquore hiantia stringerentur. quod cum facere debuisset succedentis industria, adfectasse potius dicitur, ut in auctoris invidiam patula quaeque faeni et sparti manipulis clauderentur. quod cum adstrueret recitatione gestorum, factum quidem urinandi artifex non negavit, sed ex usu operis, non in dehonestamentum Cy-

3 ciriades *M* 5 praedecessoris *Γ* 6 quid] *Γ*, *cf. p.* 2, 27, qui *TM* 7 usus sit *om. M* 8 spectat] *Γ*, expectat *TM* lacunam] iacturam *Γ* 10 ut *om. M*

11 DD. Theodosio et Archadio semper Augg. Symmach. u. c. praef. urb. *Γ* 13 ddd impr *M*, DD. Imperatores *Γ*, *cf. p.* 279, 7 14 ciriades *M* ac] et *M* contertatione *M* 16 achenius *M*, Anthemius *Γ* noui potens *M*, pontis noui *Γ* *fort.* inspecto confectionem *TM* 17 negligentiam *Γ* 18 ciriades *M* recidiniua *T*, recidua *M* 19 refugerent *Γ* insistentibus] *ego*, consistentibus *TMΓ* 20 repente deseruit] *Γ*, rependae seruit *M*, repetende seruit *T* 24 imperatis] *Γ*, impetratis *M*, impetrastis *T* Aphrodisio] *Γ*, afridisio *TM* 25 habitata *corr. ex* habitati *T* his *TMΓ* 30 ipsam] *Mommsen*, quam *TMΓ* felici *T* reparandum ciriades *M* uir consularis *Γ* 31 ciriades *M* 32 moenichus nisus *M* 33 industriam *Γ* 34 patula quaeque *om. Γ* 35 sparo *M* 36 urinandi] *Γ*, murinandi *T*, *om. M*

riadis c. v. adserebat remedium huiusmodi esse provisum. tunc responsionum va- 6 *TMΓ*
rietate commoti coercuimus a praeteritis discrepantem; at ille Cyriadem sibi ait dudum fuisse terrori. quod credibile non videtur, cum illius temporis cognitor ad fidem veri districta quaestione pervenerit. interea Cyriades v. c. facilem profectum esse suggessit operis sarciendi, cuius stabilitatem, sicuti adsertum est, hiems tertia non
resolvit. ipse autem de aedificationibus Auxentii v. c. et de usurpatione inmodici 7
auri nonnulla indiciis intimavit, quae ideo gestorum paginis placuit adplicari, ut aeternitas vestra cunctis per ordinem patienter auditis providere dignetur, quem ad modum concertantium aemulatione conpressa et integritati sumptuum et firmitati operis consulatur.

XXVII (XXXX. XXXXVII) a. 384—385.

Vt vestri numinis veneror sanctiones, ita observantiam ingem saluberrimis divi genitoris vestri inpendo decretis. quid enim ille constituit, quod possit publica cura deserere? is inter alia, quae in bonum publicum contulit, etiam medendi professoribus dedit ordinem successionis, si locum quempiam decedentis fortuna nudasset. qua lege cautum est, ut primi artis eiusdem de novorum scientia iudicarent. hanc for-
mam, quantum adserunt, aetas secuta servavit, ddd. imppp. nunc Iohannes v. p. 2
non eum gradum, quem subrogandis dederunt scita divalia, sed summo proximum conatur adipisci fultus palatinae militiae privilegio et impetratione specialis oraculi, quo Epicteti archiatri locum tunc adhuc superstitis inpetravit. sed quia lege et more cogentibus summates eiusdem professionis par fuit in examen acciri, adhibitum est
iudicio collegium omne medicorum. quorum potissimi inter venerationem legis et 3
novi beneficii reverentiam iudicare non ausi eum locum Iohanni v. p. statuer*u*nt defere*n*d*u*m, quem tenere potuisset, si eo tempore, quo aulae obsequiis deputatus est, archiatrorum numero fuisset adiunctus. *s*ed cum ab eo palatini honoris indicia poscerentur, ut codicillorum praerogativa monstraret, quis illi inter archiatros ordo con-
peteret, adseruit domestica expilatione etiam documenta dignitatis ablata. at vero 4
pars magna medicorum munita lege divali eorum exempla deprompsit, qui e palatio in hunc gradum servato ordine transierunt. quare motus ambiguis et neque divi genitoris vestri ausus rumpere sanctionem neque obviam specialibus venire praeceptis, divino arbitrio numinis vestri subditis allegationibus partium summam negotii reservavi, opperiens, quid deliberatio augusta constituat, cui soli fas est de scitis divalibus iudicare.

14 Cod. Theod. XIII 3, 9.

---

1 c. uir *TM*, consularis uiri *Γ* huiusmodi remedium *M* 2 ciriadem *M* 4 ciriades *M* prospectum *Γ* 5 sicut *Γ* 6 uiri consularis *Γ* 7 indiciis] *Suse*, iudicis *T*, iudici *M*, indiciis *Γ* applicari placuit *Γ*

11 D. Theodosio semper Aug. Symmachus u. c. praef. urb. *Γ* 12 obseuuantiam *T* 17 ddd impr̄ *M*, D. Imperator *Γ*, *cf. p.* 279, 7 Ioannes uir patritius *Γ* 18 diualia scripta *Γ* 20 Epicteti] *Γ*, epictici *TM* adhuc nunc *M* 21 summatis *TM* in *om.* *M* est *om.* *M* 23 Ioanni *Γ* statuerunt] *ego*, statuerant *TΓ*, statuerat *M* deferendum] *Meyer*, deferre uudum *TMΓ* 25 sed] *Meyer*, et *TMΓ* officia *Γ* 26 codicellorum *TM* 27 explanatione *M* sibi *post* documenta *inser.* *Γ* 29 *fort.* in hunc locum graduum seruato ordine transierunt 31 summa *M* seruaui *T* 32 operiens *TM*

XXVIII (XXXXI. XXXXVIII) a. 384.

TMΓ Quid possint iusti principes culpare, praesentio: in causis etenim, quibus mo-
menti reformatio postulatur, appellationes recipi non oportet. sed consulto nunc ob-
iectum provocationis admisi, ut in examen clementiae vestrae et invasionis indignitas
2 et modus iudicii perveniret, ddd. imppp. nam Scirtius v. p. ereptam sibi partem
Caesarianae massae crebra aditione conquestus, cum integrationem status, quem ami-
serat, inpetrasset, heredes Thesei, qui reluctarentur, obiecti sunt, du*m revera* Artemi-
sius Olybri clarissimi atque inlustris viri actor executur*o*, ut ipse professus est, ob-
viavit, et cum ad pernoscendum possessionis statum loci habitatores adesse iussissem,
in iniuriam legum Rufino officiali iussa curanti, qui deducebantur, abrepti sunt. gesta
indicabunt facti incivilis auctores. interea distuli vindictam iudiciorum et rursus of-
3 ficio negotium dedi, ut necessarios evocaret. tunc cessantibus actoribus clarissimae
domus ceterisque subtractis ad contradicendum Thesei subrogantur heredes, †uno
tantum exhibiti, qui se adsereret libertum esse defuncti. is interrogatus, quo abissent
incolae praediorum, delituisse nonnullos. Scirti vero mancipia ad *sub*urbanam villam,
quae est clarissimi et inlustris viri Olybrii, translata respondit. cetera ut a liberto
Thesei dicta praetereo, licet in eum praescriptio ista non conpetat, cum a patre
4 minorum beneficium libertatis acceperit. his ita positis Praenestini curial*es*, quorum
in regione Caesariana possessio iacet, missis apparitoribus exhibentur. tunc demum
v. c. et spectabilis Olybrii procurator emergit *tandem cogentibus iudiciis postulatus*;
adest etiam defensor minorum. Scirtio adversum duos pugna proponitur, quamvis
5 patrocinia clarissimae domus et successorum Thesei quadam specie dissiderent. itur
in quaestionem possessionis; quae partium variis agitata conflictibus ad interrogatio-
nem testium iure transivit. admoveri singillatim, ut mos est, iubeo curiales: nomi-
num et dignitatis ab uno quoque posco responsa; tunc locorum iustos possessores
requiro; dehinc percontor, quis annuas functiones aut indicta persolverit. cum se-
cundum Scirtium testimonia cuncta procederent atque eam possessionem cum Theseo
tenuisse constaret, quando et per quos deiectus esset examino. secundum fere vel
tertium mensem manere consentiunt, ut eum clarissimae atque inlustris domus homi-
6 nes expulerunt. auditis optimatum testimoniis denuo cum defensoribus admitto iur-

1 D. Theodosio semper Aug. Symmachus praef. urb. *Γ* 2 principis *TM* prae se sentio *M* 3 reformatur postulatio *M* recepi *T* consultum *M* 5 ddd impr *M*, D. Imperator *Γ*, *cf. p.* 279, 7 sciricius *T*, scritius *M* 6 cesarianae *TM* aditine *T* 7 dum revera] *ego*, duro uero *T*, ruro uero *M*, tum uero *Γ* 8 Olybri] *T*, olibri *M*, Olibrii *hic et deinceps Γ* clarissimi uiri atque illustris uiri *TM* executuro] *ego*, exequnturi *M*, exequntiri *T*, executori *Γ* protectus *M* 10 Ruffino *Γ* adrepti sunt *T*, *om. M* 12 actoribus] *Latinus Latinius*, auctoribus *TMΓ* 13 theseis *T*, teseis *M* 14 exibiti *TM*, *sed corr. in* exhibiti *T*, exhibito *Γ* *fort. scrib.* tunc cessantibus actoribus clarissimae domus ad contradicendum Thesei subrogantur heredes ceterisque (*scil. testibus*) subtractis, unus tantum exhibitus, qui se adsereret libertum esse defuncti libertum esse — *p.* 313, 22 pudore ditatur *hoc loco omissum ante p.* 291, 14 ligna *inser. M* defuncti. is] *Γ*, defunctus *TM* 15 ad suburbanam] *ego*, ad urbanam *TΓ*, adiubandam *M* 17 praetereo] *M*, praeterea *T*, praeteream *Γ* in eum] *Γ*, cum *TM* a *om. T* 18 his] is *TM* Praenestini, in quorum finibus Caesariana *Γ* curialis *TM* 19 cesariana *TM* 20 spectabili *M* olibrii *M*, olybi *T* tandem cogentibus iudiciis postulatus *post* 21 defensor minorum *colloc. TMΓ*; *eo q. e.* iudiciis *in* indiciis *mutato transposui* 21 scircio *M* 22 tesei *M* 24 admoneri *MΓ* singulatim *Γ* 25 tum *Γ* 26 per cunctor *Γ* 27 scircium *M* 28 quando et] *ego*, ut quando et *M*, quando aut *TΓ* exanimo *M* 29 testium *TM* mense *T* manare *Γ* 30 expulerint *Γ* optimatium *T* denuo defensores admitto iurgantes *Γ*

gantes; quaesita et responsa partibus intimantur. ibi Tarpeius v. c. procurator in- *TMΓ*
lustris viri Olybrii adseruit, ei sex uncias praediorum Thesei morte quaesitas. contra
Scirtius de sex unciis, quas minores etiam se consentiente retinebant, non ibat in-
fitias nec sua interesse dicebat. actores clarissimae domus an heredes Thesei eadem
parte fruerentur. tunc actionibus copulatis Scirtium urguere coeperunt, quod se- 7
cundum mandatum c. m. feminae Farianae sex uncias Theseo per epistulam reddi-
disset. sex vero alias in eius liberos contulisset spontanea largitate. ad haec Scirtius
idem litteris familiaribus quod donationibus in Theseum vel parvulos transfusum esse
dicebat ipsius petitu, ut actorum fides beneficium roboraret. et re vera cum poste-
riora gesta pro indiviso sex uncias massae in eos conlatas esse testentur, intelleximus
partem donatoris exceptam. cur enim pro indiviso daret, si nihil resederat, quod ipse
retineret? sed haec cum ad proprietatis causam dicerem pertinere, recitata est a de- 8
fensoribus constitutio, quae iudicibus tribuit copiam, non inponit necessitatem, ut quo-
tiens de possessione successionis iudicant, continuo, si casus tulerit, etiam de iure
cognoscant. qua actione confessi sunt ad aliam causam se malle transire. praeterea
non solus Scirtius proprietatis quaestione videbatur urguendus, cum ipsi quoque inter
se super hac parte quodammodo dissiderent. quare de possessione secundum docu- 9
menta Scirtii et principalium testimonia iudicavi, adversariis eius sex unciarum reten-
tione et iure firmatis: principalem vero causam salvis allegationibus partium futuro
examini reservavi, et mox sententiae exemplar emisi, cum eius editionem procurator
spectabilis viri continuo postulasset. tunc Scirtius optulit sanctiones, quibus doceret 10
in reformatione momenti nullum esse appellationibus locum. postridie procurator cla-
rissim*i* et inlustris *viri* ac defensor minorum, qui putaba*n*tur in iudicio discrepare,
concordiam suam iunctis provocationibus indicarunt. haec est omnis summa lucta- 11
minis; nunc oraculum numinis vestri fortuna litis expectat. gesta et supplementa
partis utriusque subieci: quibus instructa perennitas vestra exemplo unius causae se-
curitati omnium dignabitur commodare.

XXVIIII (XXXXII. XXXXVIIII) a. 384—385.

Vendendis solidis, quos plerumque publicus usus exposcit, collectariorum corpus obnoxium est, quibus arca vinaria statutum pretium subministrat. huic hominum generi taxationis exiguae vilitate nutanti divus frater numinis vestri tantum pro singulis solidis statuit conferendum, quantum aequitas illius temporis postulabat, ddd. imppp. sed paulatim auri enormitate crescente vis remedii divalis infracta est, et cum in foro venalium rerum maiore summa solidus censeatur, nummulariis pretia minora pen-

---

1 intimaretur *T* ibi] *TΓ*, ita *M* 2 olybri *T* nuctias *T* 3 scircius *M*, scyrcitius *T* retinebat *TM* 4 ducebat *TM* 5 fruerentur *M*, frueretur *T* copulatis] pulsis *M* scyrtium *T*, scircium *M* 6 em. feminae] *TM*, c. f. *Γ* Facianae *Γ* tradidisset *Mommsen* 7 sex] sed *M* scyrtius *T*, scircius *M* 9 actor ei *M* 11 resideret, quod retineret *Γ* 12 hoc *Γ* 13 copiam tribuit *M* 14 continuo sus si *T* 15 quia *M* se causam mallem *T* pretera *M* 16 scyrtius *T*, scircius *M* propietatis *M* urguendum *T* 18 scyrti *T*, scircii *M* 19 saluis allegationibus] *Γ*, salius gationibus *M*, solius gationibus *T* 20 exempla remisi *TM* 21 scyrtius *T*, scircius *M* 22 clarissimi et inlustris uiri ac] *Bethmann-Hollweg*, clarissimus et in. l. ac *T*, clarissimus et in hac *M*, clarissimus et illustris ac *Γ* 23 putabantur] *Bethmann-Hollweg*, putabatur *TMΓ* 24 inducarunt *T* 26 subiecique quibus *TM*

28 D. Theodosio semper Aug. Symmachus praef. urb. *Γ* 30 obnoxam *TM* statuta *T* 31 uilitati *TM* 32 ddd impr *M*, D. Imperator *Γ*, *cf.* *p.* 279, 7 33 inormitate *TM* 34 minora] maiora *M*

TMΓ 2 duntur. petunt igitur de aeternitate vestra pro ratione praesenti iust*a* definitionis augmenta, qui iam tanto oneri sustinendo pares esse non possunt. haec est causa querimoniae, quam divinis sensibus vestris fides gestorum plenius intimabit; si petitionis genus probabile iudicatis, quaeso ut huic quoque parti praecepto mansuetudinis vestrae salubre remedium deferatur.

XXX (XXXXIII. L) a. 384—385.

Palatini munerationum sacrarum Avitus et Castor quaestus publicos eruentes inter cetera nomina, quae iudicio persequuntur, heredes Postumiani c. *m*. v. in examen meum conventionibus evocarunt, ddd. impp., Luciano monente, qui census senatorios ante tractavit, quod oblativis functionibus eadem domus esset obnoxia. pars debiti
2 Lollianam, pars Cattianillam pariter ac Severillam suggerebatur urgere. interea sequestrato Lollianae c. f. nomine, quam pro sex unciis stringit exactio. h*a*rum orta refragatio est, quas pro singulis bonorum quadrantibus solutionis cura mordebat. conperendinato plerumque iudicio res eo deducta est, ut fisci patrocinium securitat*es* a clarissimis personis inpleti per vices muneris flagitaret, Cattianillae vero ac Severillae
3 defensio *re*scripto ad relationem divi principis niteretur. vetus enim quaestio et cognitionibus praefecturae frequenter agitata usque ad inclyti semperque verendi genitoris vestri cucurrit arbitrium. qui Viventii clarissimae et inlustris memoriae viri tunc praefecti urbis insinuatione consultus quadam rescripti parte signavit, suis quibusque temporibus a Cattianilla ac Severilla clarissimis feminis oblativa munera soluta con-
4 stare. hic me *n*odus iam promptum atque declivem ad efflagitanda inlationum documenta defixit, cum videretur omnibus securitatibus esse vehementior imperatoris adsertio. de cuius responsis iugi honore mansuris vestrae clementiae fas est esse iudicium; nos venerari potius quam interpretari oracula divina consuevimus. praesto sunt monumenta gestorum, partium quoque supplementa non desunt. aequum est, ut maiestatis vestrae informetur arbitrio humana cunctatio.

XXXI (XXXXIIII. LI) a. 384—385.

Moribus seaevis familiare atque cognatum est armare spiritus inpunitatis exemplo, ddd. imppp. cur enim secundum desperet effugium, qui laqueos criminis prioris evasit? praesenti causae congruit praemissa sententia. siquidem Valerianus vir clarissimus, cui lar in Epiro esse suggeritur, neque rescriptorum veneratione neque legum severi-
2 tate vel pactionum fide aut iudiciorum reverentia permovetur. qui primo in examen

1 iusta] *ego*, iustae *T*, iuste *M*, iustitiae *Γ* 3 intimauit *T* 5 conferatur *M*

6 D. Theodosio semper Aug. Symmachus praef. urb. *Γ* 7 Auitus] Amicus *Γ* Castor] questor *M* questos puplicos *M* 8 persequantur *TM* depostumiani *TM*, *fort.* Cl(audii) Postumiani c. m. u.] *ego*, ū c̄ *TMΓ* 9 ddd impr *M*, D. Imperator *Γ*, *cf. p.* 279, 7 10 debiti *in margine add. M* 11 catcianillam *T*, catianillam *M* seuerellam *corr. ex* seuerallam *M*, Seuerellam *Γ* urgere *om. T* 12 astringit *Γ* harum] *Meyer*, horum *TMΓ* 13 quas] *TM*, quos *Γ* 14 securitatis *TMΓ* 15 impletis *M* catcianillae *T*, catianillae *M* Seuerellae *Γ* 16 rescripto] *Susc*, scripto *TΓ*, spripto *M* mitteretur *MΓ* enim] uero *M* 17 uerendi] *Γ*, gerendi *T*, reuerendi *M* 18 uiuentii *vel* iuuentii *TM*, Iuuentii *Γ* 19 urbi *Γ* 20 catcianilla *T*, catianilla *M* Seuerella *Γ* clarissimis f. *TM* solita *Γ* 21 hic me nodus iam] *Meyer*, hic me dodusiam *TM*, hoc me dudum *Γ* 24 potius *om. M*

27 D. Theodosio semper Aug. Symmachus praef. urb. *Γ* 28 saeuis *Γ* immunitatis *Γ* 29 ddd imp̄r *M*, D. Imperator *Γ*, *cf. p.* 279, 7 prioris criminis *M* 31 larinae pyro *M*

praetorianae sedis iussus acciri ad supplicationem v. c. Iunioris vim rescripti, sta*tu*tum *TMΓ*
praecelsae potestatis elusit; dehinc proconsularibus evocatus edictis leges pari arte
frustratus est; nunc cum et actione civili et criminali accusatione premeretur, sta-
tutis inciviliter repugnavit, ut apparitores praefecturae urbanae partim notoriis partim
suggestione signarunt. quorum unus agente in rebus eo mortuo, ad quem sacri prae-
cepti executio pertinebat, adfectum se a Valeriano gravibus iniuriis indicavit. motus 3
igitur indignitate talium querellarum, cum viderem rursus inludi posse iudiciis, si
quid severius censuissem, factu optimum credidi, ut aeternitati vestrae causae istius
pontificium reservarem: soli enim iure corrigitis admissa potissimae dignitatis. fides
rerum gestis cohaerentibus explicatur; nihilominus adservatu*r* regressus apparitor,
qui contumaciam senatoris et serviles impetus nuntiavit, suggestionibus suis, cum forte
usus tulerit, adfuturus. quaeso aeternam clementiam vestram, ut omnibus solita ae-
quitate perpensis evagari ulterius frustratorem tot iudicum non sinatis.

XXXII ⟨XXXXV. LII⟩ a. 384—385.

Difficile est, ut bona causa sit, cuius actio in ius alterius desperatione trans-
fertur. id adeo res probavit, ddd. imppp. nam Theodorus, ut adseruit, ex protec-
toribus ab Anniana quadam in rem suam procurator creatus iam pridem clarissimo
atque emendatissimo viro Eupraxio urbanis tribunalibus praesidente Flavianum quen-
dam denuntiata lite pulsavit. sed diem legitimum causae lapsus excessit. longo inter- 2
vallo a me petita reparatio cum partes ad necessarium contraxisset examen, post mul-
tas allegationes, quas iudicia ut invalidas respuerunt, orta praescriptio est, quae ad-
sereret novari tempora possessore mortuo debuisse: nam constabat non modo Fla-
vianum, qui propositam legibus quaestionem primus exceperat, sed etiam successorem
eius finem fecisse vivendi. ad hoc promissa est lectio veluti probatura iudiciis, no- 3
vationem tantum petitoris heredi esse decretam: quod verbo quidem adsertum sed
sanctionibus non probatum contrariae legis recitatione conpressum est. secutus igitur
scita manifesta et nullis principum vacuata responsis cessare processum negotii iudi-
cavi, cum lis alteri denuntiata aliam personam temporibus novationis etiam exactis
tenere non posset. tunc oblatis provocationis libellis suspensa sententia. cuius me- 4
ritum perennitas vestra lectis gestis ac refutatoriis cohaerentibus aestimabit: ego in
referendo prolixus esse non debui, cum paene in ipso actionum vestibulo repulsa le-
gibus causa constiterit.

24 Cod. Theod. II 6, 1 ita tamen, ut ea res non lateat possidentem. 26 Cod. Theod. II 6, 3.

1 uim] uestri *M* statutum] *ego*, statum *TM*, statu *Γ* 3 fustratus *T* nunc] nam *Γ* 4 notoris *TM*, notariis *Γ* 5 agenti *Γ* 7 indignatione *M* 8 optimum] autem non *M* aeternitatis *TM* 9 pontificum *T* 10 gestis rerum *Γ* nihil hominus *M* adseruatur] *Meyer*, adseruatum *TM*, ad senatum *Γ* 13 fustratorem *T*

14 D. Theodosio semper Aug. Symmachus praef. urb. *Γ* 15 in ius] unus *M* 16 ddd impr *M*, D. Imperator *Γ*, *cf. p.* 279, 7 17 aniana *M* in re sua *Γ* 18 Cuprasio urbanis tribulationibus *Γ* praesumente *M* 19 elapsus *TM* 20 petita a me *Γ* 23 praepositam *T* 24 adhaec praemissa *Γ* uelim *M* probatur *Γ* 25 decretum *M* uerbum *M* sed] uel *M* 27 scit *T* negotii *om.* *M* 28 etiam nouationis *post* 29 pronocationis *colloc.* *Γ* 30 aestimauit *T*, estimauit *M*

XXXIII (XXXXVI. LIII) a. 385.

TMΓ In causis appellationum malo ius potestatis infringere quam interpretationum
dubia sustinere, praesertim conscius haud iniquae iudicationis, cui nonnihil honoris
2 eveniet, si aeternitatis vestrae oraculo roboretur, ddd. imppp. tuli igitur Constantium
suarium temere provocantem, cum ex rescripto numinis vestri statum, quem Theodosio
absenti ademerat, reformassem. mota enim vestra clementia supplicationibus que-
*ru*lis brevi examine iussit inquiri, an Theodosio extra conflictum locato ac deinde,
ne rebus excederet, provocante possessionem corporum Constantius esset indeptus.
allegata igitur praeceptione divina primo cognitionem totius negotii, quamvis speciatim
mihi tranquillitatis vestrae delegatione mandatam, viri clarissimi vicarii praesentiae
reservavi. siquidem videbatur haec causa ceteris provocationibus esse coniuncta,
quae v. c. prodecessor*i* meo negabantur admissae et alterum mecum sumpsera*n*t cog-
3 nitorem. dehinc ubi eam partem, quae ad illius temporis iudicem pertinebat, vestro
retinuistis examini, appellationis inquisitione discreta, cum iam participem iudicii non
haberem, turbatae possessionis querellam rescripto obsecutus audivi; et quia Theo-
dosium iudicio non interfuisse constabat, quo sibi demptas questus est facultates, nec
ulla precum mendacia Constantius detegebat, executus sum circa germanum supplica-
toris heredem caeleste iudicium reformato statu, quem claruit mox proposita appella-
tione defensum, licet †cultus subditus quaestioni libellos, quos Theodosius publicavit,
apud se resedisse memoraverit. nihilominus oboediens imperatis statui, ut fides ge-
4 storum superiorum ad augusta scrinia mitteretur. hinc orta est provocatio, cuius vel
iustitia vel contumacia sacro expendetur arbitrio. interea constitutionis memor seque-
strari mobilia fructusque praecepi, ne medii temporis usurpatio abutatur indebitis.
omnium gestorum fida documenta cum supplementis partium relationi ex more sociata
sunt, ut diu fluctuanti causae tandem stabilem terminum divino ore ponatis.

XXXIIII (XXXXVII. LIIII) a. 384—385.

Omnes, qui ad amplissimos honorum gradus iudicio clementiae vestrae vel favore
provehimur, summo studio debemus eniti, ut famam saeculi suggestionum veritate
tueamur, ddd. imppp. quod enim genus gratiae beneficiis principum rependendae
2 fortuna inpar inveniet, si fidem deserat, quae sola munit imperium? contemplanti
mihi igitur rescriptum numinis vestri, quo areae vinariae debita a praefecto eius tem-
poris, quo contracta dicuntur, erui censuistis, silere fas non fuit, quid temporum ve-
strorum congruat aequitati. iam primum stupere me fateor caelesti mansuetudini ve-

22 Dig. XXXXVIIII 1, 21 § 3.

1 D. Theodosio semper Aug. Symmachus praef. urb. *Γ* 2 *post* appellationem *spatium vacuum litterarum 12—15 in M* instringere *T* 4 ddd impr *M*, D. Imperator *Γ*, *cf. p.* 279, 7 tulli *TM* 5 saiarum *M* scripto *M* uestri numinis *M* 6 reformasse *M* querulis] *Kiessling*, querelis *M*, quaerelis *T*, et querelis *Γ* 7 consilium *M* 8 exideret *Γ* possessionum *M* indemptus *TM* 12 prodecessori] *ego*, prodecessore *TM*, praedecessore *Γ* mecum] meum *M* sumpserant] *Meyer*, sumpserat *TΓ*, susceperat *M* 14 *fort. scrib.* cum appellationis inquisitione discreta iam participem iudicii non haberem 18 stato *M* 19 cultus] *TMΓ*, *fort.* cornicularius *vel* cognitionalis 20 resedisse] *Γ*, redisse *TM* 22 sequestraui *Γ* 24 cum *om. Γ*

26 DD. Theod. et Archad. semper Augg. Symmachus praef. urb. *Γ* 29 ddd impr *M*, D. Imperator *Γ*, *cf. p.* 279, 7 repetende *T*, repetendae *M* 30 impar inpar *T* muniat *Γ* 32 contra *M* dicitur *Γ* 33 primum] dudum *T*

strae totius orbis negotiis occupatae *et cui ideo inter multa curarum summatim nonnulla* *TMΓ*
tractanda sunt, litteras divi Constantii ita esse suggestas, ut comminatio sub condi-
cione deprompta instar cuiusdam debiti duceretur; dehinc tacitum quodam casu de
ea parte rescripti, quae tenebat officium, ut persona iudicis tamquam vilior appari-
torum suorum inpunitate premeretur; tertio quod ea summa solidorum, quam cog- 3
nitio et relatio viri inlustris decessoris mei ex maiore parte solutam probavit aerario,
tamquam debita et intacta deposcitur. namque XI milia CCCCXLVI solidos ex eo
anno, qui Sergii et Nigriniani sequitur consulatum, sacris accessisse thesauris et prae-
fecturae inquisitio et disenssorum litterae et v. c. decessoris mei scripta docuerunt.
inter haec igitur tam multa valida fidem clementiae vestrae debitam silentio violare 4
non potui, cum vestrum quoque numen adverterem solita cautione neque iudicis no-
men signasse rescripto et aestimasse, quod conveniendus luce frueretur. nam quando
clementia vestra vim veteris comminationis in mortuum tetendisset, cum etiam gra-
vium noxarum poena fine vitae solvatur? at vero iste terror divi principis litteris
conprehensus ne viventem quidem posset urgere; gravia enim subiectis saepe mini-
tamini acuendi potius studio quam nocendi. hoc etiam divus genitor tuus in omnium
semper animis et ore victurus pia lege constituit, qui sententias quoque sub commi-
natione depromptas effectu atque exsecutione vacuavit. hanc vero condicionem, quam 5
divus Constantius adiecit litteris suis, multa quae post visa sunt, subruerunt. nam
eodem principe adhuc orbem regente ad Tertullum praefectum urbi memorabilem vi-
rum migravit exactio, quae si hominis, non potestatis fuisset, circa personam prioris
iudicis potuisset haerere; nec multo post tempore inclyti Iuliani Maximum pari
honore tunc praeditum tituli istius cura convenit; divo etiam parente numinis tui 6
Romana iura et fata moderante praefectis ac discussoribus *haec* mandata provincia
est et per vices administrantium publici debiti cucurrit exactio. novissime relatus in
caelum germanus clementiae tuae, cum ipsum Basilium c. v. haberet adpositum, qui
personis iudicum non pepercit, primiscrinios urbani officii, quorum sollicitudo per
successiones exigenda curaverat, vel solvendo nomini vel edendae rationi fecit ob-
noxios. itaque a v. c. ac probatissimo Anicio Basso et Aventio viro spectabili 7
frequentata cognitio et solutam maiorem partem debiti deprehendit et provincialium
iudicum repperit sponsionem, qua professi sunt, si urbanum cessaret officium, per se
huius tituli integritatem posse sarciri. si igitur haec legibus conferantur, pronuntiabit
aeternitas vestra, in professione verum esse nexum, in comminatione terrorem. quid,
quod proxime apparitio cogendis provinciarum iudicibus admota spem debiti eruendi
fecisse suggeritur? non est meum famae incerta sectari; inveniet divina maiestas tua,
cur huic exactioni perpes cura defuerit. nam socerum meum clarissimae memoriae 8
virum Orfitum petit ista molitio, cuius heredes v. c. et inlustris officiorum magister
adscripsit litteris suis, cum tuae mansuetudinis verecundia nullum sacro oraculo no-

17 Cod. Theod. VIIII 38, 3. 4.

1 atque (*sic*) ideo inter — 2 tractanda sunt *post* 7 intacta deposcitur *colloc.* *TMΓ*; atque *in* et cui *mutavi et transposui* 3 diceretur *Meyer* 4 personam *TM* 6 praedecessoris *Γ* 8 quo *M* 9 praedecessoris *Γ* 13 granium etiam *Γ* 14 poenam finem *T*, paenam finem *M* error *TM* 17 sententiam *Γ* 18 depromptam *Γ* 20 praef̄ *T* urbis *Γ* 21 non potestatis] potestas *Γ* 22 oportuisset *Meyer* inclyti Iuliani] in Clytholiam *Γ* patri *T* 23 tunc praeditum] *Γ*, praeditum tunc *M*, praedictum tunc *T* 24 discursoribus *M* haec] *ego*, *om.* *TMΓ* 25 administrandum *M* occurrit *Γ* 26 cum] eum *Γ* c. u.] *Meyer*, cum *TMΓ* 27 indicium *T* primi scrinio sorbani *T* 28 successores *M* soluendo] sollicitudo *T* 29 et *post* itaque *inser.* *Γ* anitio *T* 30 debiti] *Γ*, *om.* *TM* 31 si urbanum *bis scrips.* *M* 32 integritate *M* haec igitur si *Γ* pronuntiauit *TM* 33 uestra] uestra tua *T* 34 proximae *TM*, proxima *Γ* apparatio *TM* cogendi *T* debiti erudiendi *M*, debitis eruendis *Γ* 37 heredis *T*

TMΓ men expresserit. quid ergo? existimem merito illius factum, qui maior honoribus quam facultatibus ante annos fere quindecim vitam peregit, ut comminatio saepe lecta semper omissa et novis post sepulta decretis, quam neque lex divalis admittit et so-
9 lutio magnae partis exclusit, resurgat in mortuum, quae non obfuit ante viventi? an meae potius contumeliae causa et ordinem tot ac talium statutorum et divi Gratiani recentem praeceptionem et discussorum diligentiam et praefectorum cognitiones et relationis fidem novis suggestionibus arbitrer sauciari? testor custodem numinis vestri deum nihil esse, quod iniuria dignus existimer. quieto mihi hanc praefecturam sine ulla adfec*ta*tione tribuistis: si quem forte mordet invidia, si alicuius desideriis rei publicae amore non cessimus, cogitet privata odia adversum leges exercenda non
10 esse; postremo cognoscat, si quis ille est, me meosque successionem clarissimae atque inlustrissimae memoriae viri Orfiti neque ratione iuris neque bonorum aditione cepisse. quaeso igitur, ne in contumeliam iudicii vestri et iuri et innocentiae fraus paretur. quando enim absentibus atque ignorantibus inter alios gesta nocuerunt? quis umquam sententiam numinis vestri inauditus excepit? quando comminatio ad heredes usque porrecta est? certe, ut ipsam causam loquar, quae me ac necessitudines meas vobis propitiis nullo iure contingit, pars maior debiti soluta monstratur, in evidentibus nominibus pars resedit: cuius studio absolvendi sunt debitores, ut implicentur innoxii?
11 quare insitam divinis sensibus vestris oro iustitiam, ne adversum divi Gratiani definitionem, adversum rescripta tot principum, quae praefectis debita eruenda mandarunt, adversum relationem, quae uberiorem summam docuit exsolutam, reliquum vero secundum rectorum litteras exculpendum ab obnoxiis intimavit, ignaros negotii et paternae hereditatis alienos pulsari incongrua conventione patiaris, neve exemplum novum pius imperator inducas, ut successio *hom*in*um*, qui rei publicae profuerant, ad
12 liberos secura non transeat. multos haec forma retinuit et plerosque, ut arbitror, iustius, si qui forte provinciis vestris male abusi sunt; at vero posteritas inlustris memoriae viri Orfiti nihil ex illo aliud quam generis insigne quaesivit. meae tantum iniuriae *stud*et ista suggestio, nam tenuitati illius frequenter exhaustae nemo testamento, nemo nostrum bonorum aditione successit. unde intellegit clementia vestra, quod non metu familiaris causae, quae legibus tuta est, sed temporum amore sollicitor, ne ad innocentiam fisci vestri infructuosa tantum recurrat invidia. et haec quidem cursim, ne mandatum negotium conperendinatio differret, tantum pro coniugis meae Rusticianae c. f. parte quaesita sunt, cuius germana multo angustior facultatibus
13 ex Etruriae longinquis adesse praecepta est. vestrum vero salutare numen omnes precamur, ne quod de tot provinciis pro maiore parte iam redditum adhuc difficilis exculpat exactio, senatoriae domus inopinata labes speretur posse persolvere. multis nocuit ista condicio, qui rei publicae praefuerunt: neque enim ius si*t*, *u*t una familia novo opprimatur exemplo. quaeso igitur, ut gesta, quae fidem relationis adserunt, audire dignemini legesque percenseatis, quarum plerumque duritiam pro clementia vestra decretis moderatioribus temperastis.

---

1 expressit *M* 2 consummatio *Γ* 4 non fuit *Γ* 5 causa *om. M* ac] et *Γ* graciani *T* 7 uestri *om. M* 8 quod] quo *TM* 9 adfectatione] *Latinius*, affectione *TMΓ* r̄ p̄ *T*, ·p· r. *M* 10 non cessimus] concessimus *TM* 12 bonorum *om. M* 19 diuinam *TM* gratiam *M* diffinitionem *TΓ* 20 qui *Γ* 22 ignarus *TM* 24 successio hominum] *Meyer*, successio omnium *Γ*, successor omnium *TM* reip. *TMΓ* profuerat *M* 25 retinebit *Γ* 27 alium *TM* insigne *in margine add. M* tamen *Γ* 28 studet] *Meyer*, est ut et *TM*, est *Γ* 30 sollicitus *Γ* 32 conperendi ratio *T* 33 rustitianae *T* 35 parte iam *bis scriptum in M* 36 exculpit *Γ* actio *M* lauis *TM* multis nocuerit *Mercerus*, multos nectat *ego* 37 rp. *TM* ius *om. M* sit ut] *Meyer*, sinit *TM*, fuerit ut *Γ* 40 temperetis *M*

XXXV (XXXXVIII. LV) a. 384—385.

DDD. NNN. *TMΓ*

Felicitas quidem vestra indefessas populo Romano copias pollicetur, ddd. imppp.,
sed cautio iudicum suggerenda non deserit, ut diligentia muniat, quod melior fortuna
promittit. frumenti cotidianus usus in facili est; olei tantum species victum plebis 2
tenuiter invecta sollicitat. cuius rei v. c. praefectus annonae, partium suarum diligens
executor, praetorianae amplissimae praefecturae, ut ipse adserit, dudum fecit indicium
missis de more brevibus, qui angustias patefacerent conditorum. sed ingravescente
defectu sileri apud clementiam vestram patriae cura non debuit, cuius spes atque
opes bonorum principum favore cumulantur. quare omnes suppliciter oramus, si ex- 3
pectatis preces, qui vota omnium beneficiis praevenitis, ut quam primum iudices Afri-
canos super hac specie Romanis horreis inferenda divinus sermo destimulet. nam
properato opus est, priusquam reliquum profliget diurna praebitio. addite igitur hoc
munus ceteris, quae praestare consuestis, ut cuncta saeculi bona pari adfluant largitate.

XXXVI (XXXXVIIII. LVI) a. 384—385.

Dies noctesque sollicitor, ut prompto obsequio divinae clementiae vestrae iussa
promoveam; siquidem non licet longa conperendinatione differri iustitiae ac legibus
amica decreta, ddd. imppp. unde cauto opus est, ne existimationem meam per alios
adlata praeceptis tarditas devenustet. nam cum de Macedonio secus de re publica 2
merito itemque Ammiano dudum mihi iudicium perennitas vestra legaverit, Ammianum
quidem protectorum adtestatione cognovi, cum urbis vicina contingeret, languore con-
sumptum; de Macedonio varia iactantur, quem iam pridem debuit custodum sollicitudo
perducere. quaeso igitur mansuetudinem vestram, ne mihi fraudi sit mora alieno 3
studio aut torpore contracta, simulque deprecor, ut venerabilis aeternitas vestra singu-
latim quaerenda distinguat, si forte designatum reum cognitioni meae prosequentium
cura tradiderit.

XXXVII (L. LVII) a. 384—385.

Soli omnium potestis aeternae urbis expensas a defectu sumptuum vindicare,
ddd. imppp., maiestati autem vestrae subditae potestates tantum mediocribus causis
valent ferre medicinam, magnarum vero rerum mole superantur. ad vos igitur salu- 2
taria numina convolamus et opem largam populi Romani inploramus aerario, cum iam

de inopia olei *T* 2 D. Theodosio semper Aug. Symmachus praef. urb. *Γ* 3 p. r. *TΓ*, r. p. *M* đđđ p̄p̄p̄ *T*, đđđ imp̄r̄ *M*, D. Imperator *Γ*, *cf. p.* 279, 7 4 indicium *M* 6 inuicta *TM* praef *TMΓ* 8 quae *Γ* 12 orreis *T* 13 diuina *T*, indiurna *M* 14 bonitate *Γ*

15 D. Theodosio semper Aug. Symmachus praef. urb. *Γ* 18 đđđ pp̄p̄ *T*, đđđ imp̄r̄ *M*, D. Imperator *Γ*, *cf. p.* 279, 7 19 ablata *T* machedonio *T* rp. *TM* 20 itaque animiano *M*, itemque Aminiano *Γ* animianum *M*, Aminianum *Γ* 21 dum *M* 22 machedonio *T* 24 corpore *TM* sigillatim *Γ* 25 quaerenda *om. M* reum *om. M* persequentium *Γ* 26 tradiderim *TM*

27 D. Theodosio semper Aug. Symmachus praef. urb. *Γ* 29 đđđ impr *M*, D. Imp. *Γ*, *cf. p.* 279, 7 30 ualens *M* 31 p. r. *TMΓ*

TMΓ diu nihil solitorum vectigalium decretae provinciae contulerunt atque ideo iustus est
metus, ne cessantibus subsidiis necessaria deserantur, quae hactenus personae tenues
alieno, ut queruntur, aere tolerarunt. super hoc etiam reverendus ordo consultus, cum
per se mederi adfectis rebus nequiret, opem vestrae perennitatis oravit. edita ratio est
vectigalium, quae Hispaniensis atque Alexandrinus invehere debuit commeatus; expen-
3 sionum quoque titulos conpetentes officii cura digessit: quaeso, ut omnibus, quae cohae-
rent, libenter inspectis utilitati publicae velox remedium porrigatis. urgentibus enim
causis negari non potest inlatio sollemnis inpendii. quare ferte, ut soletis, propitii auxi-
lium, et qui mentibus piis nova populo Romano beneficia defertis, etiam prisca servate
atque urbi vestrae adnuere dignamini, et quod praetermissio praeterita suspendit et
quod futurus usus expectat.

XXXVIII (LI. LVIII) a. 384—385.

In negotiis tempore ac iudicatione finitis cessare aequum est longae orationis ex-
cursum, ne et numinis vestri salutares actus oneret sermo prolixior et sine argumento
2 rerum loquacitas morosa displiceat, ddd. imppp. cum in iudicio moderatoris Apuli
inter Marcellum, qui se deiectum possessione questus est, itemque Venantium stra-
torem, ut ipse confirmat, eiusque germanam Batrachiam causa violentiae dis*ceptare*tur,
provocatio a reis inconsulta processit. quod provincialis cognitor promissis litteris ad
vicariam potestatem susceptum retineret examen, tunc auditorii sacri iudex rectoris
adfatu super appellatione consultus et praeiudicialem multam statuit a provocat*or*ibus
3 inferendam et ipsum quaesitorem crimini dedit cum executione vindictae. post haec
obreptionibus partium nonnulla gesta sunt, ut iudicatio consummata traheretur. nam
et vir spectabilis decessor meus, cum multam didicisset exactam, quam decreto sacri
auditorii appellatio praeiudicialis agnoverat, statuit causam criminis ad se debere
4 transferri, et ego idem secutus partes in examen accivi. sed cum et tempus repara-
tionis esset emensum, et poenam prov*oc*ationis aut expectaret aut sumpsisset aerarium,
violentiae quoque causam Venantii ac Batrachiae professio ac quorundam capitalis
damnatio terminasset, pronuntiavi cognitionem sacri cessare iudicii et Venantium,
quem v. c. et inlustris officiorum magister iusserat exhiberi, censui agenti in rebus
5 Decentio, quo prosequente venerat, esse reddendum. sed cum Venantii stratoris inli-
citam usurpatamque militiam Marcellus argueret, quod decurionum adscriptus albo, ut
gesta docuerunt, adversum leges ad palatina castra transisset, non debui obiecta
reticere, ut in ea re, quae modum mei egrediebatur examinis, aeternitas vestra ipsis
legibus, quas tuetur, angustior iudicaret.

32 Cod. Theod. XII 1, 94. 95. 100 et passim.

---

1 solitorum nihil *Γ*   2 subsidiis *corr. ex* subdiis *T*, studiis *M*   actenus *TM*   3 ut queruntur] *Γ*, *om.* *TM*   haec *Γ*   4 effectus *M*, afflictis *Γ*   5 Hispanienses atque Alexandrinos *Γ*   6 officii *om.* *T*   8 propitii ut soletis *Γ*   9 p. r. *TΓ*, r. p. *M*   10 dignemini *Γ*   11 expectat feliciter *Γ*

12 D. Theodosio semper Aug. Symmachus praef. urb. *Γ*   15 dispiceat *M*   ddd impr *M*, D. Imperator *Γ*, *cf. p.* 279, 7   16 inter] iter *M*   directum *M*   item *M*   17 uiolentiae disceptaretur] *ego*, uiolenti aedificetur *T*, uiolentiae aedificetur *M*, uiolentiae diceretur *Γ*   18 praemissis *Γ*   19 susceptam *TM*   auditori *TM*   rectori *TM*   20 est consultus *Γ*   a *om.* *Γ*   prouocatoribus] *Contius*, prouocationibus *TMΓ*   22 opreptionibus *T*, correptionibus *M*   23 multa *TM*   exacta *TM*   quam] cum *M*   24 agnouerat *om.* *M*   statui *M*   25 idem] quidem *M*   cum *om.* *M*   26 pronocationis] *Lectius*, probationis *TMΓ*   27 et *post* causam *inser.* *TM*   Batracheae *M*   *fort. scrib.* confessio   quorumdam *TM*   28 cessare] esse *Γ*   29 censu agenti *M*, censui genti *T*   30 decencio *M*   32 ad] et *TM*   33 exanimis *M*   34 legibus *om.* *M*

XXXVIIII (LII. LVIIII) a. 384—385.

Facit plerumque ratio aut fortuna causarum, ut in controversiis alter aequitate *TMΓ* alter iure nitatur; tunc humano labante consilio deliberatio cognitoris ad clementiae vestrae recurrit oraculum, ddd. imppp., quod etiam praesentis negotii qualitas deposcit. nam Musa annos egressa legitimos, cum in partem rerum paternarum Syn- 2
trophium quereretur admissum, quem veluti adultae suae fratrem dolus Acholii curatoris adsciverat, integri restaurationem suffragio iuris accepit, sed multis provocationibus variisque tracta iudiciis intra metas iusti temporis nequivit exequi propositas actiones. ut res monebat, amissum beneficium remedio integravit supplicationis: sed 3
idem mulierem casus etiam rescripti sacri humanitate fraudavit. siquidem mensium quattuor dilata curriculis supremo die temporis impetrati excidit; cognitorem *n*amque successor adveniens praemisso interdicto potestate privaverat. post haec cum vellet infelicem causae lapsum reparatione sarcire, obiectu Constantinianae legis explosa est. quae extra ordinem temporibus indultis longiorem negavit excursum. secuta est provo- 4
catio iudicatum. ubi ventum ad sacrae sedis examen et eadem constitutio a Faustino herede Acholii curatoris rursus ingesta est, pars procuratoris, cui actiones Musa mandaverat, non suo vitio causam cecidisse temporibus adprobavit. ad hoc parentum numinis vestri divorum principum protulit sanctionem. quae inter reliquas exceptiones reparationem iurgantibus tribuit, si per cognitorem causa labatur. cum igitur et in 5
Constantiniana lege, qua reparatio adimitur temporibus extra ordinem datis, casus iste cessantis disceptatoris non sit exceptus et recentiora scita divorum cunctis negotiis reparatione subvenerint, si forte a iudice deserantur, facilis in alteram partem esse non potui, sed quod unum remedium convenit rebus ambiguis, fortunam curiosi luctaminis augustissimis legum arbitris reservavi gestis omnibus de more subiectis, ut eorum lectio insinuationis meae adstruat veritatem.

XXXX (LIII. LX) a. 384—385.

Vrbium populorumque luctamina, quoniam sunt maiora privatis, iudicio augustior*i* cedenda sunt, ddd. imppp. merito Puteolanorum ac Tarracinensium causam, quae post Campani moderatoris examen ad sacrum auditorium ex provocatione migravit, cum perspicerem pari lance libratam, maiestatis vestrae arbitrio reservavi. est autem, 2
de quo agitur, eiusmodi: Puteolanis municipibus divus Constantinus centum quinquaginta milia modiorum in alimoniam civitatis indulsit, quae summa a divo Constante

13 Cod. Theod. II 6, 1. 18 Cod. Theod. XI 31, 2.

1 D. Theodosio semper Aug. Symmachus praef. urb. *Γ* 4 ddd imp̄r *M*, D. Imperator *Γ*, *cf. p.* 279, 7 deposcit *Γ* 5 annosa *T* syntrofium *M*, syntrophum *Suse* 7 integram restitutionem *Γ* 9 missum *T* 10 mulierum *M* sacri *om. MΓ* mensuum *T* 11 summo *Γ* cognitorem namque] *Gothofredus*, cognitor eamque *Γ*, cognitorem quem *TM*, excidit cognitore, quem *Meyer* 12 infilicem *T* 13 obiectum *T* Constantinianae legis] *M*, constantiane legis *T*, legis Constantianae *Γ* 17 approbabat *Γ* 18 duorum *TM* sanctionem] *Meyer*, sanctiones *TMΓ* 19 tribuunt *Γ* 20 constantiana *MΓ* 21 diuorum principum *Γ* 23 potuit *T*, possit *corr. in* potuit *M* cariosi *M* 24 arbitriis *Γ* de more subiectis] deiectis *T*

26 D. Theodosio semper Aug. Symmachus praef. urb. *Γ* 27 augustiori] *Meyer*, augustiore *TMΓ* 28 censenda *Γ* ddd imp̄r *M*, D. Imp. *Γ* Terracinensium *Γ et ita deinceps* 29 ex] *TΓ*, quae ex *M* 31 Constantinus] *M*, constantius *TΓ* 32 cl. M. mod. *Γ*, milia *om. TM*

TMΓ regente rem publicam media parte mutilata est. post Constantius aeque relatus in caelum supplicatione deposita annonam Puteolani populi viginti et quinque milium adiectione cumulavit, atque ita factum est, ut centum milia eiusdem populi victus
3 acciperet. sed divo Iuliano moderante rem publicam, cum Lupus consulari iure Campaniae praesideret *et* Tarracinensium contemplaretur angustias, quod nihil subsidii decreta dudum oppida conferebant, ne commoda populo Romano civitas, quae lavacris publicis ligna et calcem reparandis moenibus subministrat, defectu subito exhausta succumberet, quinque milia et septingentos modios Puteolanis municipibus derogatos Tarracinensium usui deputavit et amplissimae praetorianae sedi statuta et definita suggessit. Mamertinus id temporis praefecturae honore pollebat. is cum disposita roborasset, nihilominus arbitrium imperiale consuluit neque ullum responsum, quod eo tempore
4 bello Persico rector imperii tenebatur, accepit. exhinc per aliquot annos cucurrit ista praebitio, donec Capuana legatio apud divum atque inclytum Gratianum germanum numinis vestri sua tantum damna deplorans eum frumenti numerum, quem Cerealis ex multis urbibus Romano populo vindicarat, restitui omnibus impetraret. sed occasione rescripti cum sola triginta et octo milia modium, quae horreis aeternae urbis accesserant, provincialium recuperasset alimoniae, etiam quinque milia et sep-
5 tingentos modios Puteolani municipes Tarracinensibus abnuerunt. cum igitur haec causa in iudicium provinciale venisset, v. c. consular*is* non considerata summa, quae rescripto divi principis tenebatur, iudicatione generali omnia Puteolanis reddenda decrevit. verum post appellationem cognitio auditorii sacri, cum illum frumenti modum, qui Campanis fuerat restitutus, a quinque milibus et septingentis modiis, quos ob necessitates urbis aeternae civitas Tarracinensis accepit, secretum esse perspiceret, manente decreto divalis oraculi ea subsidia, quae Tarracinenses iudicio Lupi et Mamertini praefecti confirmatione capiebant, nec roborare potuit, cum responsi sacri nulla extaret auctoritas, nec demere civitati, ne populus utilitatibus aeternae urbis obnoxius
6 iustis commodis indigeret. ergo ut in rebus dubiis f*i*eri am*at*, ad clementiae vestrae salubre iudicium convolamus, licet defensio Puteolana post promissam relationem in cassum crediderit provocandum. praesto est gestorum fides, quae perennitatem vestram possit instruere. quaeso atque obsecro, ut negotio multa aetate nutanti tandem stabile remedium deferatur.

XXXXI (LV. LXII) a. 384.

Certum atque dilucidum est, nihil esse tam familiare legibus quam vestra decreta, ddd. imppp., sed executorum prava interpretatio, dum supplicantibus favet, plerumque iussa corrumpit. statuerat receptus in caelum germanus numinis vestri, cum Marcianus dudum protector Aggareae bona tamquam vacantia postulasset, ut, si ea hereditas

1 *et* 4 rp. *TM* 1 Constantius] quem N. *Γ* 2 puteoli *M* xxv M. mod. *Γ* 3 C M. mod. *Γ* 4 iu]iani *M* 5 praesideret et] *Meyer*, praesideret *TM*, praesidens *Γ* terracinensium *MΓ* 6 opida *TM* balacris *M* 8 derogata *TM* 9 diffinita *Γ* suggesit *TM* 12 et hinc *M* 13 denec *T* 15 r. p. *Γ* uindicara *T* restitui omnibus *bis scriptum in T* imperaret *Γ* 16 xxx et VIII modium *Γ* 17 accesserat *TM* alimonia *Γ* 18 municeps *M* 19 consularis] *Meyer*, consulares *TM*, *om.* *Γ* 20 indicationi *M* 21 cognitio *om.* *T* adiutorii *T* 22 milibus et *om.* *M* 23 terracinensis *MΓ* accepit — 24 quae Tarracinenses *om.* *M* 23 secretum] *Meyer*, discretum *Suse*, decretum *TΓ* 24 tarracinensis *T* 27 fieri amat] *Meyer*, feriam. et *TM*, fieri solet *Γ* 28 praemissam *Γ* 31 *hoc loco relationem tertiam inserit Γ*

32 D. Theodosio semper Aug. Symmachus praef. urb. *Γ* 34 ddd impr *M*, D. Imperator *Γ*, *cf.* *p.* 279, 7 35 martianus *MΓ* 36 Aggariae *Γ*

scriptum successorem vel legitimum non haberet, in ius fisci tamquam domino nuda *TMΓ*
concederet: tunc insinuato per rationalem patrimonii modo opperiretur petitor, quid ei
sacra deferret humanitas. annus fere secundus est, ut per defensores et rationales 2
augustissimae domus contra iustitiam sollemnis oraculi scripti fatigantur heredes. licet
iam sextus annus a testamenti recitatione numeretur, novissime fortuna causae in-
petibilem scopulum foedae cognitionis incurrit. nam cum apud virum perfectissimum
rationalem Bassianum primo delator bonorum secundum sacra scita *prod*eretur, novo
ausu calcata praescriptio est. dehinc cum testamenti iure confecti fidem recitatio 3
publicaret, calumnia inanis obiecta est, quod signatores nescio quid legati ex eadem
voluntate cepissent. adduntur etiam rescripta divalia, quibus adstipulatio cuiusdam
remota est, qui suam invisse causam testimonio diceretur, quasi vero simile esset
exemplum aut tenuis honor, quo subscriptores ob amicitiam defunctus adsperserat,
legitimum posset abolere iudicium. nam si his legibus viveremus, inimicis signa-
toribus tutius uteremur, quorum offensa nihil de testatore humanitatis exigeret. piget 4
dicere in quinque numero solidis potissimum subscriptoris fuisse legatum: ceteris enim
magis commemoratio honesta quam pecuniae quaestus accessit. ergo aut extremae
paupertatis successio fuit, si putatur exiguus honor fidem legitimi iudicii sauciasse,
aut si census hereditarius existimatur uberior, aliena est a suspicionibus brevis summa
legati. quis non familiarissimum quemque signandis adhibet, cum extrema condun-
tur? iam quid mirum est, si in oculis positus mereatur aliquod monumentum reli-
gionis, qui meruit advocari? non fero signatorem, cui pars bonorum magna defertur, 5
nam etsi integra conscientia non tamen sincero pudore ditatur; at vero haec levia
pignora aut amoris gratia aut testatoris verecundia relinquuntur. nihil huic religioni
novis legibus derogatum est; manet iste usus et vobis iura servantibus semper manebit:
unus et solus post humani *generis* memoriam rationalis emersit, qui exemplum novae
iudicationis induceret. hinc orta est provocatio, quae ubi auditorium sacrum decreto 6
etiam vestrae legis intravit, rursus eludendi iudicii causa propositum est inane com-
mentum, ut ab inlustri viro privatae rei comite delegata cognitio diceretur rationalis
examini atque ideo rursus ad eiusdem iudicium debere transferri, cum omnis quaestio
ex precibus Marciani dudum protectoris et vestrae clementiae largitate descendens
sacro potius auditorio ex provocatione competeret, accedente etiam proxima sanctione,
quae indiscrete huiusmodi appellationes sedi, quae vicem principum tuetur, prisco
iure commisit. examinatis igitur omnibus pronuntiavi bona obnoxia non esse rescripto, 7
cum vestri numinis aeterna iustitia, si scriptis aut legitimis successoribus vacaret here-
ditas, fiscum statuisset admitti. has autem facultates Marcellus Bizias et Heliodorus
iusta defuncti voluntate cepissent. tunc sententiam meam defensor venerabilis domus
inusitata provocatione suspendit. sed cum huius rei nullum exemplum cognitionalis 8
extare suggereret, nihilo minus obiectam vocem libenter admisi et relatione summatim
cuncta complexus gestorum quoque documenta subtexui, praesumens bonis placitura
principibus, quae secundum leges pro fama temporum iudicavi.

7 Cod. Theod. X 10, 8. 9. 12. 10 cf. Cod. Theod. II 2. Dig. XXII 5, 10. 31 Cod. Theod. XI 30, 41.

1 successorem scriptum *T* nuda domino *T* 2 quidoei *T* 4 cum insticia *Γ* 7 proderetur] *ego*, peteretur *TMΓ* 8 testati *M* 9 quo *M* qui *M* 10 scripta *Γ* 12 aut] ut *Γ* ob] ab *T* 14 piger *M* 15 solidos *Γ* 17 legitimi fidem *T* suasisse *T* 18 est auspitionibus *T* 20 si *om.* *TM* 24 nobis] nobis *Γ* 25 humani generis] *ego*, humani *TM*, humanam *Γ* 29 examinis *Γ* indicium *om.* *T* 30 martiani *MΓ* discedens *T* 31 accede *T* 32 indiscretae *T*, indiscretas *Γ* appellationis *TM* tueretur *M* 36 iuxta defuncti uoluntatem *Γ* 37 exemplum *om.* *TM* 38 subiectam *Γ*

XXXXII (LVI. LXIII) a. 384—385.

TMΓ Petronianus urbanarum dudum cohortium miles ad corniculorum gradum inculpati laboris diuturnitate provectus more institutoque maiorum testimonium meruit castrensis industriae, quod ceteris quoque post honestum cursum stipendiorum indicia detulerunt. ddd. imppp. Valentiniane Theodosi et Arcadi inclyti victores ac triumphatores semper Augusti. dignum est igitur divina temporum vestrorum felicitate, ut peractam sine offensione militiam, si perennitatis vestrae pius vultus adriserit, praerogativa sollemnis exornet.

XXXXIII (LVII. LXIIII) a. 384—385.

Curae mihi est, ut qui animis et maiestate congruitis, mutua honorificentia gaudeatis. dignum est igitur, domine imperator Valentiniane inclyte victor ac triumphator semper Auguste, ut decretum senatus ad invictissimos fratres numinis tui, si ita
2 placet, clementia tua insinuante perveniat. quorum auctor et parens, ut dudum v. c. et inlustri officiorum magistro scripsisse memini, statuarum equestrium honore decoratus est, quas ei ordo venerabilis Africani et Brittannici belli recordatione decrevit ea scilicet causa, ut iustis superiorum ducum titulis praesentium circa vos devotio provocetur.

XXXXIIII (LVIII. LXV) a. 384—385.

Cum mancipes salinarum magno ex numero ad paucos redacti necessitatis publicae molem ferre non possent, delata supplicatione meruerunt, ut his . . . . . . qui ante *s*ecreti atque excusati fuerant, redderentur et ex aliis corporibus seu vacantibus iusta supplementa incunctanter acciperent. ddd. imppp. allegata igitur praeceptione divina, cum plerosque consortio suo ante *s*ecretos muniri Macedonii suffragio repperissent, relationem super eorum muniminibus impetrarunt. vestrae tantum clementiae liberum
2 est inique elicita rescripta rescindere. tunc urgente defectu navicularios aeque lignorum obnoxios functioni ad parem sollicitudinem vocare coeperunt, ut utriusque corporis cura coniuncta indiscretum munus agnosceret. at illi nonnullos de turmalibus suis tradere maluerunt quam in societatem tanti oneris convenire. itaque factum est, ut volentibus iisdem certi homines m*an*cipibus iungerentur. nunc perennitatis vestrae stabilem censionem publica causa deposcit, ne obreptivis supplicationibus subsidia

1 D. Theodosio semper Aug. Symmachus praef. urb. *Γ* 2 corniculariorum *Γ* 3 prouectus] *Γ*, peruectus *corr. ex* prouectus *T*, peruectus *M* 5 d̄d̄d̄ imp̄r *M*, D. Imperator *Γ* Valentiniane — 6 Augusti *om. Γ* 5 archadi *TM* 6 aug̃ *M* uestrorum temporum *Γ* 7 uultus] *Γ*, uatus *TM*, uutus *Meyer et Halm*

9 D. Theodosio semper Aug. Symmachus praef. urb. *Γ* 11 impr *M* Valentiniane] Theodosi *Γ* 12 aduictissimos *T* 14 me scripsisse *Γ* 15 ei] illi *M* brittanni *TM* 16 nos *Γ*

17 D. Theodosio semper Aug. Symmachus praef. urb. *Γ* 18 municipes *Γ* publicae *om. M* 19 non possent *om. M* his qui *TMΓ*, *supple* obsequiis *vel simile quid* ante *post* 20 excusati *colloc. Γ* 20 secreti] *Meyer*, decreti *TMΓ*, discreti *Lectius* 21 d̄d̄d̄ imp̄r *M*, D. Imperator *Γ*, *cf. p.* 279, 7 22 secretos] *Meyer*, decretos *TMΓ*, discretos *Lectius* macedoni *TM* 23 muniminibus] *Γ*, numinibus *TM* enim *ante* tantum *inser. Γ* 26 de turmalibus] *MΓ*, detur manibus *T*, *fort. scrib.* de decurialibus 28 iisdem uolentibus *Γ* hisdem *corr.* 1 *m. ex* isdem *T*, hisdem *M* municipibus *MΓ*, municipibus suis *T* 29 publicationibus *Γ*

integrati corporis subruantur. relationi gesta coniunxi tam de *i*is habita, quos Macedonii interventus absolverat, quam me disceptante confecta, quibus sine vexatione cuiusquam voluntas naviculariorum nonnullos m*anc*ipibus deputavit. erit iam sacrosancti numinis vestri et illorum antiquare suffragia, quos ostenditur ambitus liberasse, et his obstruere aditum supplicandi, quos sui corporis adiudicavit adsensus. 3 *TMΓ*

XXXXV (LVIIII. LXVI) a. 384—385.

Devotione et more commonitus magistratuum nomina, quibus varias functiones designationum tempore amplissimus ordo mandavit, ad aeternitatis vestrae perfero notionem, ut muneribus exhibendis aut subeundis fascibus destinatos cognitio imperialis accipiat. his copulati sunt, quos senatui vestro recens ortus adiecit. prolixus in talibus rebus esse non debeo, cum decreti publici fides gestorum potius insinuationem postulet quam largum referentis eloquium.

XXXXVI (LX. LXVII) a. 384—385.

Etiamsi prisca institutio mittendis ad clementiam vestram censuum brevibus cursum vel ordinem non dedisset, ddd. imppp. Valentiniane Theodosi et Arcadi inclyti victores ac triumphatores semper Augusti, diligentia tamen boni saeculi fidem publicae instructionis exigeret. siquidem convenit principes et parentes humani generis edoceri, quid reverendo ordini vel senatorum novorum accessus adiciat vel glebae excusationibus detrahatur. harum rerum aeternitati vestrae fidum exhibebit indicium 2 trimestris instructio, quam sollemniter sumptam de officio censuali paginis relationis adnexui, ut maiestas vestra cognoscat, qui in amplissimam curiam collegarum numerus influxerit, et quid censibus senatoriis aut nov*i* professio incrementi dederit aut exemptio veteris amputarit.

XXXXVII (LXI. LXVIII) a. 384—385.

Bellorum quidem vestrorum gloriosos exitus fama non occulit, sed maior est victoriae fides, quae oculis adprobatur, ddd. imppp. Valentiniane Theodosi et Arcadi inclyti victores ac triumphatores semper Augusti. dudum fando acceperat Romanus populus caesorum funera Sarmatarum, at nunc confirmata est nuntiorum laetitia spectaculo triumphali. iam minores non sumus vetustatis exemplis: vidimus, quae *l*ecta mira*ba*mur, catenatum agmen victae gentis induci illosque *t*am *truces* pridem vultus

1 integritati *M* his *TMΓ* macaedonii *T* 2 ueneratione *Γ* 3 nonnullos *om. M* municipibus *TMΓ* 4 librasse *M* 5 et in his *TM* adiuuauit *TM*

6 D. Theodosio semper Aug. Symmachus praef. urb. *Γ* 8 temporum *M* profero *T* 9 exibendis *TM* 10 excipiat *M*

13 D. Theodosio semper Aug. Symmachus praef. urb. *Γ* 14 cursum uel ordinem] *TMΓ*, *fort. scrib.* cursum sollemnem 15 ddd imp *M*, D. Imperator *Γ* Valentiniane — 16 Augusti *om. Γ* 15 archadi *TM* 16 aug *M* 18 quod *M* gleuae *M*, *om. Γ* 19 exibebit *M* 20 trimenstris *M*, quadrimestris *Contius* 21 in *in rasura T*, *om. M* 22 noui] *ego*, noua *TMΓ* 23 uetus *Γ*

24 D. Theodosio semper Aug. Symmachus praef. urb. *Γ* 25 gloriosus *TM* 26 occulis *T* ddd imp *M*, D. Imperator *Γ* Valentiniane — 27 Augusti *om. Γ* 26 archadi incliti *TM* 27 aug *M* r. p. *Γ* 29 lecta] *Meyer*, tecta *TM*, acta *Γ* 30 mirabamur] *Lectius*, miramur *TMΓ* catenarum *M* tam truces pridem] *ego*, iam pridem truces *TMΓ*

TMΓ misero pallore mutatos. stetit harenae medio subiecta voluptati, quae fuit ante formidini, et adsuetae armis gentilibus manus gladiatoria instrumenta timuerunt. 2 felicem nimis belli istius ducem, qui divinae clementiae vestrae fretus auspiciis ex hostium numero alios ad securitatem provinciarum penitus extinxit, alios ad laetitiam plebis Martiae reservavit. merito illi iudicia vestra respondent, iure in litteris imperialibus saepe celebratur: neque enim tanta devotio digniorem possit invenire praeconem. sit vobis frequens usus ac facilis laurearum, et eos, qui forte ausus impios in Romanum nomen extulerint, fortitudo militum capiat, harena urbis expendat. perpetua haec devotis civibus virtutis vestrae tamquam tributa praestetis.

XXXXVIII (LXII. LXVIII) a. 384—385.

Certa officia sunt omnium potestatum: praefecturae urbanae proprium negotium est senatorum iura tutari, ddd. imppp. quare partium mearum conventus necessitate allegationibus clarissimorum virorum iusta poscentium deesse non potui. a quibus pleraque servitia palatinus Eusebius iussus eruere, ut bonorum Catuli clarissimae memoriae viri quaestio indicationibus sacrisque responsis consumpta repetatur, optimatium querimonias, qui dudum partis fruuntur, excivit.
2 ventum est igitur ad leges executore cupiente . . . . quem contradictio repellebat, inplorataeque vestri numinis sanctiones, quae senatorum controversias transferri ab urbano foro ad peregrina vetuerunt. sed cum adsererem, non eandem praerogativam esse . . . . . . servorum, quibus supplicantibus certum perennitas vestra detulit cognitorem, responsum est, quod fortunas clarissimarum personarum precatio subtilis incesserit.
3 inter haec cum Donatus adsisteret ceteris precatoribus sacro iunctus oraculo, quaesivi, ut mos est, ne eodem nomine alius subderetur, quae hominem condicio haberet et an ipse de Catuli iudicio supplicasset. tunc ille Hilariani clarissimi viri servum professus ab illarum precum conscientia, quas dicitur obtulisse cum ceteris, alienum se constanter adseruit: atque ita visa est supplicationis fides etiam de auctore nutare.
4 adiecta sunt alia plena iuris atque rationis, quod post crebras cognitiones et rescripta ad relationem numerosa poenam legis inciderint, qui denuo contra vetitum supplicarunt. extant quippe sententiae, quas cum provocatio temptasset inhibere, consultus relatione divus genitor clementiae vestrae finem posuit quaestioni. cui victoriae fiscus accessit emolumentum bonorum Catuli clarissimae memoriae viri, ut adsertum est, pro certa parte sortitus.
5 cum igitur senatorum allegatio rescriptis ac legibus niteretur, maluerunt causam suam vestrae per me aperire iustitiae quam legitimo vindicare iudicio, securi decretorum, quae et necessitate iuris et divi patris veneratione servabitis. itaque servos bona fiducia tradiderunt: quos in praeiudicium absentium post consummationem negotii aequitas temporum, quantum praesumimus, non patietur audiri.

2 et *om.* *Γ* tenuerunt *Γ* 3 numero hostium *Γ*
10 D. Theodosio semper Aug. Symmachus praef. urb. *Γ* 12 ddd impr *M*, D. Imperator *Γ*, *cf. p.* 279, 7 14 seuitia *T* 15 consummata *Γ* optimatuum *M*, optimatum *Γ* 16 exciui tuendum *TM* 17 cupiente quem *TMΓ*, *supple* executore cupiente, ut causa ad cognitionem u. c. et inlustris comitis rerum priuatarum ex sacro rescripto transferretur *aut simile quid* inplotaeque *T* numins *T* 18 transferre *Γ* 19 uetuerint *corr. ex* uetuerunt *M* non *om.* *T* esse seruorum *TMΓ*, *supple* in causa *vel simile quid* 22 uti *Γ* eodem ne *Γ* 23 seibus deretur *TM* 21 precum *om.* *TM* 26 adiecta est *Γ* aliena *M* 27 atque] at *T* 28 plenam *T* supplauerunt *T* 36 patiemur *T*

XXXXVIIII (LXIII. LXX) a. 384—385.

Quid habeat condicionis inscriptio, prae ceteris nostis iuris publici conditores, *TMΓ*
ddd. imppp. Valentiniane Theodosi et Arcadi inclyti victores ac triumphatores semper
Augusti. provisum est enim, ne quis temere in alieni capitis discrimen irrueret, ut
se *eius*dem prius poenae sponsione vinciret. secundum haec scita legum agens in 2
rebus Africanus accusationem professus Campano et Hygino clarissimis viris violentiae
crimen obiecit. continuo, ut severitas exigebat, reos custodia militaris dissimulata
dignitatis *reverentia* circumdedit: sed ubi partes sub examine constiterunt, multo lucta-
mine patronorum decursa cognitio oratione magis quam probationibus redundavit. cum 3
longa verborum serie causa traheretur, summates Aricinae urbis, quos ut conscios
accusator exciverat, adhibuimus quaestioni. gestorum ordinem sciscitamur: omnium
convenit adsertio, nihil turbarum esse conflatum. tunc ad eludendum iudicium prae-
sentia cuiusdam coepit exposci, quem non tenebat inscriptio. eo denique res rediit,
ut a partibus Africani accusationis omissio desperatione peteretur. supererat ut cri-
mine non probato in accusatorem formidata reis poena transiret; sed cum me Africani 4
militia pariter atque incauta adolescentia permoveret, malui iudicium de eo clemen-
tibus reservare. alia est enim condicio magistratuum, quorum corruptae videntur esse
sententiae, si sint legibus mitiores, alia est divinorum principum potestas, quos decet
acrimoniam severi iuris inflectere. relationi gesta subtexui. partium quoque subple-
menta sociavi. quaeso augustissimam perennitatem vestram, ut perpensis omnibus
sequenda iubeatis.

4 Cod. Theod. VIIII 1, 5. 8. 9. 11. 14.

---

1 DD. Valentiniano Theodosio et Archadio Symmachus u. c. praef. urb. *Γ* 2 prae ceteris nostri *TM*, nostis prae ceteris *Γ* 3 ddd impr *M*, DD. Imperatores *Γ* archadi *TMΓ* incliti *TM* 4 aug *M* ut] *T*, et *M*, ni *Γ* 5 eiusdem] *ego*, idem *TMΓ* uinceret *M* 6 Affricanus *Γ* ygino *TM*. Higino *Γ* 8 dignitatis reuerentia] *ego*, dignitatis *TM*, dignitate *Γ* 9 probationis *M* 10 ariciorum *M* conscius *TM* 11 questori *M* 13 adiit *M* 14 affricani *MΓ* disperatione *T* 15 Affricani *Γ* 16 iudicium *om.* *M* 18 est *om.* *Γ* diuorum *Γ* 20 uestram augustissimam perennitatem *Γ* per perpensis *M* 21 quinti. aur. (aurelii *M*) symmachi. uc. relationes explicitae sunt feliciter *TM*

Q. AVRELII SYMMACHI V. C. ORATIONVM

QVAE SVPERSVNT.

Subiecta est varia lectio codicis rescripti, cuius pars maior in bibliotheca Ambrosiana (E 147 inf.), minor in Vaticana (5750) asservatur.

Litteris **diversis** *in apparatu critico ea distinxi, quae aut lectionis minus certae aut plane dubiae erant.*

Quae Symmachus, cum editionem alteram orationum pararet, margini adscripsit (v. praefationem), litteris minoribus distinxi et lineis binis inclusi.

I hab. d. 25 Febr. a. 369.

LAVDATIO IN VALENTINIANVM SENIOREM AVGVSTVM PRIOR.

Deest folium unum.

Ambr. p. 438 . . . . liem. totius orbis estis ind*i*genae alibi fructum lucis, alibi usum laboris indepti. an non ipsam quoque Africam iure patriam tuam dixerim, quae te prima in contuberni*o* parentis edocuit, qual*i*s princeps esse deber*e*s? || nec umquam te existimes aliis militasse: futurus Augustus sibi quaesivit, quidquid ante defendit; servavit tenera aetas, quod regeret matura felicitas || ibi primum tolerans solis et pulveris esse d*i*dicisti, cuius dudum cunabula Illyriae nives texerant: qui caesam glaciem paulo ante potaveras, is veluti ad alia elementa translatus arentis Libyae sitim patienti*a* temperabas. pro*r*sus quasi a*d* ipsius mundi gubernacula designatus, mutando varias caeli plagas usum tibi omnium cardinum vindicasti. merito non potest hodie obesse provinciis tam longa absentia tua, quas tuetur prima noti*o*. similis est princeps deo pariter universa cernenti, qui cunctas partes novit imperii.

2 'Si litteras', inquit Tullius, 'Graecas Athenis non Lilybaei, Latinas Romae non in Sicilia didicisses', videlicet ex locorum ingeniis adprobans, ea nescire Caecilium, quae cum dicit, ubi innata non erant, adsecutum: sola est enim disciplinarum magistra natura regionum. tibi ardores Gaetuliae aestivam consuetudinem, tibi Illyriae pruinae Ambr. p. 437 brumalis *h*orror*i*s tolerantiam tradiderunt; genitus in frigoribus, educatus | in solibus,

16 Cic. div. in Caec. 12, 39.

2 *de inscriptionibus v. praefationem* 5 indegene 7 contubernia quales deberis *locus, cui periodos* nec umquam — 9 matura felicitas *inserenda erat, cum folio primo periisse videtur* 8 seruabit 10 dedicisti 11 ly|biae patientiam 12 pronsus ad] *Mai*, ab, *fort.* quasi ab ipsius uitae primordiis ad mundi gubernacula designatus 14 notio] *ego*, notitia *Mai*, notia est *post* princeps *repetitur*

16 lilybei romae *corr. 1 m. ex* pomae 19 getuliae 20 horroris] *Mai*, errores geni us

ante fortunae munera totius mundi exempla sumpsisti. quare seu in Aethiopas *atque* Indos contra externum militem solo calore munitos felicia signa contuleris, frustra ad aestuantes recessus || aut torrida astra || confugient — cito enim terrarum talium dominus eris, qui vim siderum non timebis —; seu in Scythia*e* regna frigentia Tanainque glacialem fines Ponticos proferre censueris, ibi quoque naturam patriae recognoscens fugaces incolas per dorsa fluminum consequeris. v*ic*isti experientiam singulorum, qui habes omnium. privatae hoc industriae tuae debe*s*, quod *t*e dignum reddidit principat*u*: cum tantum munus acceperis, ut nihil tibi possit adici, tantum meriti p*rae*tulisti, ut nullum praemium tibi debeat inputari.

Meruisti quondam, inclute Gratiane, meruisti, ut de te sacra germina pullularent, 3 ut esses seminarium principatus, ut fier*e*s vena regalis: erudisti liberos parent*e*s omnium mox fut*u*ros, in quos tantum frugis bonae institutio privata conge*ssit*, ut fortuna hodie clarior nil requirat. hinc factum est, quod primaevum nepotem castrensia decreta legerunt: cum familiae vestrae natura p*er*mitteret, ut cautela patris in puero nil timeret, cur tardaret aetas, quem tot exempla generis adserebant? praeiudicata bona in examen vocare . . . .

Deest folium unum.

. . . . aut lic*e*ntia poetarum d*e*arum aliquam dixerim d*e*strict*o*s 4 Vat. p. 11 a vitalibus tuis detorsisse mucrones, neque te quadrigis pernicibus diva aurigante simulabo subtractum, nec cavae nubis infusa circa te narrabo velamina: sint haec figmenta carminum, nos hab*e*mus exempla fa*c*torum. haesit ante te maestior rebellis instinctus, et si mihi credis, Auguste, tibi magis quam sibi timuere dementes, nec ignorabant hoc ipso crimen suum posse cumulari. quod solum principis socerum dignum caede cred*id*erant, iam nec furoris nomine || et defensione || purgandi, qui ab alterius nece consilio temperabant.

Credamus historiis minora iactantibus, quae ferunt Gaium Marium pressum labe 5 fortunae obiectu quodam prioris evasisse reverentiae. cum secundis, inquiunt, rebus eius in adversa mutatis virum toto orbe victorem Minturnensis carcer includeret, percussoris ictum, qui iussus inruperat, maiestate suspendit, quae ei sola restabat. stetit pro sene vetus gloria, nec valuit carnifex inpia manu ferire, quem necesse habebat agnoscere. quae, rogo, sunt maiora miracula, ministrum irascentis inhibere an ipsos, qui irascuntur, obtundere? unus, cui parcit, ignoscit, multi metuunt, quem tuentur; iuvenem terror excusat, senem miseratio; in illo recolebatur, in te sperabatur imperium. || non sunt par*i*a exempli | utriusque momenta: Mario adhuc supererat fulgor occidui sideris, in te iam radiabat flamma nascentis. || Vat. p. 12

---

1 Aethiopas atque] *Mai*, aethiopa|setquae 3 aut] *2 m.*, ut *1 m.*, *scribendum erat aut* ad aestuantes recessus, *aut* ad torrida astra 4 bim timebiseu Scythiae] *Haupt*, scy|thia rigentia *Kiessling* 5 sibi 6 uicisti] *Mai*, uteisti 7 debes quod te] *Heindorf*, debeoquodie 8 principatum 9 praetulisti] *ego*, pertulisti

11 essent *1 m.* seninarium *corr. in* seminarium *1 m.* fieris li/erosparentis 12 futoros tan|um congessit] *Mai*, conce//// *corr. in* conge/,,/ *1 m.* 14 permitteret] *ego*, promitteret 15 tot *corr. in* non *1 m.*

18 ligentia deearum districtus 19 neque] *2 m.*, que *1 m.* 20 caue inf/sa 21 habemus exempla factorum] *Baehrens*, habeamusexemplafatorum 22 dementis *1 m.* 23 cumular/ principes *1 m.* 24 credederant furores *1 m.* defensionem *scribendum erat aut* furoris nomine *aut* furoris defensione *Kiessling*

28 uictoreminturnensis *sed corr. 1 m.* 33 *in prima editione scriptum erat* in illo recolebatur, in te sperabatur imperium, *in altera* non sunt paria exempli utriusque momenta: Mario adhuc supererat fulgor occidui sideris, in te iam radiabat flamma nascentis *Kiessling* 34 paria] *Mai*, parta

6 Ecquis est motus animorum vel ordo vivendi, qui pro vicissitudine temporum et mutatione causarum non aliquando varia iactatione quatiatur? Fuerit aliquis in pace iucundus, sed idem rebus trepidis parum felix; hunc timuerint factiosi, sed despectui habuere concordes; hunc violandum nemo cred*i*dit. non tamen etiam sublimandum aliquis aestimavit; illi honorem regium decrevit exercitus, sed idem latuit ante privatus: te unum timent rebell*e*s, eligunt iudicantes, quem nemo audax in furore contempsit, nemo consultus in honore praeteriit. quid interest, saeviat miles an sapiat? ubi ira est, tu solus evadis; ubi consilium est, tu solus eligeris.

7 Vrgeor, Auguste venerabilis, ut mihi tamquam aliquod lumen astrorum post privatas exuvias iam purpuratus in oratione nascaris. sentio divinae lucis adflatum, ut ferme adsolet, cum iubar emicat et mundi splendor aperitur. || aut cum solis emergente purpura ruborem ducit aurora || tandem rogatus exorere sideri novo similis, quod in rediviva diei erumpentis officia perfusum sacris undis adtollit oceanus! procedat imperii candidatus insignis suis armis ante quam publicis, nam semper enituit, qui electioni omnium solus occurrit. galea diademate, sceptris pila mutentur: || auri praemium ferri labore meruisti || haec in te mutari sola potuerunt. nam quod spectat ad mores, unum hoc tibi fortuna addidit, ut plura curares.

Vat. p. 5

8 Excesserat divus Iovianus e terris ac se inproviso fine subtraxerat. maestum omnium repente iustitium, nec ulla, ut adsolet, murmura factionum. cessabat ambitus, quia dignus extabat. ecquis miratur non ilico in te conversa suffragia? nulla causa properandi est, ubi non est suspecta dilatio, et saepe minuit boni facti laudem, quisquis ei obesse existimat tarditatem. || ergo servatus es indicio multitudinis, nequis te muss*i*taret praeiudicium captasse paucorum. || nihil circa honorem tuum sibi adsumit eventus: ab *i*is imperator electus es, qui deliberarunt. agimus gratias consilio longiori: sic de te diu tractatus est habitus, ut palam constet, quod dignior non sit inventus.

9 Et iam concilii dies certus instabat: aderat exercitus ex omni robore Romanae pubis electus. digna plane comitia tanti imperii principatu! decernebant liberi, cui deberent esse subiecti. tibi habe, vetustas, redemptas saepe centurias et gratiosas Quiritium classes et tribus plerumque venales: negotia mandare nesciunt otiosi: emeritum bellis virum castrensis senatus adscivit. noti testimonio, ignoti suffragio provehuntur. ubi hic equinus hinnitus Persici quondam lector imperii et adfectata ad regnum via libidine pecudis concubitum gestientis! qualis ille dominus fuit, de quo inprudens animal iudicavit! remove hinc prisca miracula et theatralibus praestigiis digna commenta. armati censeant, cui potissimum regenda arma credantur: ars est boni militis ducem nosse deligere. merito nunc quoque || certatim in omnibus parent || libenter obtemperant: neque enim tantum imperio tuo, sed etiam indicio suo militant.

Vat. p. 6

10 Vellem nunc tecum civica expostulare pietate, cur in medium invitus existi, cur diu obluctatus, cur sero mollitus es. an et hoc maiestati tuae debebatur, ut semper invictus in accipiendo tantum imperio vincereris? periclitati sumus, ne te superiorem faceret excusatio. maiore beneficio praestitisti coactus adsensum, quam adeptus es

4 crededit 6 rebellis

10 horatione 11 iuuar *scribendum erat aut* cum iubar emicat et mundi splendor aperitur, *aut* cum solis emergente purpura ruborem ducit aurora 13 toceanus 14 ius g nis 15 *scribendum erat aut* galea diademate sceptris pila mutentur: haec in te mutari sola potuerunt, nam quod spectat ad mores, unum hoc tibi fortuna addidit, ut plura curares *aut* galea diademate, sceptris pila mutentur: auri praemium ferri labore meruisti

19 ut *corr. ex* ui *1 m.* 20 hecquis 22 ergo seruatus — 23 paucorum *post* 25 inuentus *inserendum erat?* 22 mussitaret] *ego*, mutaret 24 his quid 25 tractatu/

26 adeaderat 30 proueuntur 31 pers ci 32 libidinem gestientes *1 m.* 35 cer|tatinomnibus *1 m.* *in prima editione scriptum erat* libenter obtemperant. *in secunda* certatim in omnibus parent

39 inin|perio

probatus imperium; || quae res invitamento omnibus fuit || nam res publica vehementius delectatur invitis. nemo plus dignitati tuae adfuit, quam qui non paruit voluntati. stabat ante nobilem candidatum aula viduata || erat quidem verecundiae tuae, ut repugnares, sed non minus devotionis, ut cederes. prodest nonnumquam militaris inprobitas: hodie ho . . . .

Deest folium unum.

Ambr. p. 52

. . . . . . incredibili providentia utrumque conplexus, ne aut in uno spes staret 11 imperii aut in duobus esset causa certandi.

Huic accedit, quod cum duo sint in imperio gradus, ilico in germanum et pariter contulisti, quod noveras bis posse praestari. adeo ne gratiam quidem captas, ut a perfectis beneficiis semper incipias. exigui animi vices munerum partiuntur; tua liberalitas desideriis nil reliquit maximeque in imperatore faciundo magnitudinem regiae largitatis minui cred*i*disti, si cum insperata concederes, adhuc speranda differ*res*. ergo Augustum pari iure confirma*ns* curasti, ne umquam tibi suspectus esset, cui non reliquisti, quod ultra optare deberet.

Hinc plerique principum, quos secundos creaverant, quasi aemulos mox timebant. urget 12 enim potissim*os* expectatio proximorum, semperque similis invidenti est, cui superest, quod requirat || nec istud nimium gratiosa aut populari festinatione fecisti *i*amdudum cuncta expertus in fratre, quae diu explorantur in Caesare. dubitaretur de iudicio tuo, nisi ab inmodicis inchoasses. statim perspeximus, qualem principem legeres, postquam cognovimus, quod nihil tibi quasi sollicitus reservares.

Si qua inter cognatas caelitum potestates huiusmodi esset aequatio, paribus cum 13 sole luminibus globus | soror*i*s arderet, nec radiis fratris obnoxia precarium raperet Ambr. p. 51 luna fulgorem: || *i*isdem curriculis utrumque sidus emergeret || pari exortu diem germana renovaret, per easdem caeli lineas laberetur, nec menstruo pigra d*e*cursu aut in renascendo varias mutaret e*f*figies aut in senescendo parvas pateretur aetates. ecce formam beneficii tui astra nesciunt aemulari: illis nihil est in mundana luce consimile, vobis totum est in orbe commune.

Nondum adulta rerum a te gestarum profano monumenta *et* iam cedo primitiis. 14 faciam, quod usu *ven*ire nobis in prolixo itinere solet, ubi qui ad destinata properant, non omnes obvios consalutant. ergo in duas curas dividis orbis excubias: invictum fratrem relinquens Orienti, ipse supra inpacati Rheni semibarbaras ripas raptim vexill*a* constituens et provincias luxu superiorum deditas veteris ignaviae pudore defendens, princeps creatus ad difficilem militiam revertisti. statim itinera, statim proelia et primus in aci*e* purpuratus; || et regalis aula sub pellibus || somnus sub caelo, potus e fluvio, tribunal in campo. haec imperio quidem nova sed tibi cognita. docuisti magis fortunam regiam, quid virum facere conveniret, quam didicisti ab ea, quid imperatores | ante fecissent. Ambr. p. 53

1 non quaerens inuitamento omnibus fit *Baehrens* resp. 3 antemobilem *1 m.* ,rat 4 prodes 11 inc'pias 12 im|peratorem 13 credeclisti differres] *Mai*, d'fferis 14 confirmans] *Baehrens*, confirmas tibi] *2 m.*, ti *1 m.*
16 hinc plerique — 17 quod requirat *ante* 14 ergo Augustum *inserendum erat* 17 potissim,, 18 fecistiamdudum 19 caesarem 21 quod 'ihil
22 potest'tes 23 /orores praecarium 24 isdem *scribendum erat aut* iisdem curriculis utrumque sidus emergeret *aut* pari exortu diem germana renouaret 25 decursu] *Baehrens*, discursu 26 effigies] *Baehrens*, etfegi|es
29 et] / 30 usus uenre prolyxo quiaad distinata *1 m.* 31 cu|.as 32 reni uexillas 33 luxu 35 acie] *Haupt*, aciem et regalis — pellibus *post* 36 tribunal incampo *inserendum erat* 36 trib'n lin ti i 37 didic'sti

15 An exiguum virtutis et patientiae tuae specimen arbitraris, quod rerum summa fastigia || et Romani nominis apicem || consecutus inter tot provincias partim situ amoenas partim pace iucundas aut urbium maiestate mirabiles aut populorum copiis redundantes sedem quodammodo in ea parte posuisti, qua totius rei publicae ruina vergebat? tales sibi terras eligunt, qui ut subveniant eliguntur. nondum degustatis imperii bonis solas difficultates de honore sortiris. ta*m*diu te non tenerent Galliae, si placerent.

16 Iactet se Punicis Africanus exuviis, sed diu in Sicilia palliatus erravit: Mithr*a*daticis spoliis Lucullus exultet, sed [diu] in Pontico luxu paene victor elanguit: Orientis tropaea ostentet Antonius, sed inter Aegyptias taedas regio amore diffluxit. h*i* sunt illi triumfales viri, d*e*licatis negotiis frequentibus occupati, amoena litorum terrarumque opima sectantes. vis petam proximae aetatis exempla? ecce Baias sibi Augustus a continuo mari vindicat et molibus Lucrinis sumptus laborat imperii; Tiberius in devorsoriis insularum natans et navigans adoratur: Pius otia Caietana persequitur: in Lycio et Academia remissior Marcus auditur. tibi nullae sunt feriae proeliorum. Ambr. p. 54 || maximeque hoc in Galliis delegisti, quod hic | non licet otiari || tibi nulla*s* necessitas remittit indutias. lustrum imperialium iam condis annorum, ubi caelo et terris horror aequalis est, sub crassa nube iugi frigore feroci hoste latissima vastitate. quietem tibi negas, quam ceteris praestas: inter tot milia laurearum nondum digrederis ad triumfum, et cum sis maior Augustis, delegisti tibi provinciam, de qua Caesares querebantur.

17 Et tu quidem bellico intentus operi dudum ferocis Alamanniae terga vertebas, sed parte alia fraterni imperii liberam pacem rebellis exul inruperat. quod cum ad te primum pernices nuntii et fidae litterae pertulerunt, quis non congruum iudicavit, ut a caede barbarica in facinus civile arma torqueres?

18 At tu rei publicae plus timebas et inter duas causas hi*nc* *in*testinam, inde finitimam malebas potentiam tuam interim frui aemulum quam longa*m* inpunitatem vicinum, nec ita turpe duxisti plures tecum esse principes quam terras imperii breviores. frustra tunc tibi perduell*e*s motus optav*era*t Alamannia, cui tantum miseriae invexit conflictus tuus, quantum proeliis debebatur ambobus. probasti animum constantissimi duc*is* minus tibi consulendo quam ceteris. tutior aput te fuit tuus quam noster inimic*us*. Ambr. p. 283 non uno igitur beneficio Gal*lias* obligasti, quibus pariter a te utrumque delatum est, et sui periculi cura et tui neglegentia.

19 Qui*n* ipsas contiones tuas et humanis sensibus celsiora retexo conloquia! 'huc', inqui*t*, 'fidissimi commilitones, adversum truces populos || et Rheni feroces ind*i*genas vexilla conferte! hic communis host*i*s est, ille privatus: prima victoriae publicae,

1 *scribendum erat aut* rerum summa fastigia consecutus *aut* Romani nominis apicem consecutus 3 mirabilis *corr. in* mirabiles *1 m.* remundantes *1 m.* 4 reip. 5 decustatis *corr. in* degustatis *1 m.* 6 sor|tires *1 m.* tandiu

7 deu *1 m.* palleatus *1 m.* mitha|ridaticis 8 deu *1 m.*, *uncis inclusit Baehrens* orientes *1 m.* 9 tro'pea iner *1 m.* hii 10 tri|umfalis *1 m.* dilicatis, *fort.* deliciis quam negotiis frequentius occupati 13 adoratur] *fort. scrib.* demoratur 14 nulle *corr. ex* nulli *1 m.* *in prima editione scriptum erat* tibi nullae sunt feriae proeliorum, tibi nullas necessitas remittit indutias, *in secunda* tibi nullae sunt feriae proeliorum maximeque hoc in Galliis delegisti, quod hic non licet otiari 15 nullas] *Maehly*, nulla 17 suscrassa *1 m.* feruci *1 m.* 18 n|gas

23 pernicies fide *1 m.* 24 cede

25 reip. hinc intestinam] *Mai*, hicstentinam 26 potentiamtuam longainpunitatem 28 tib perduellis optauerat] *ego*, optauit 29 quantum] *2 m.*, tantum *1 m.* duces 30 manus *corr. in* minus *1 m.* inimicos 31 Gallias obligasti] *Mai*, gal|obligasti dila|tum *1 m.* 32 et tui] *Mai*, detetua *1 m.*, tui *2 m.*

33 quin] *Baehrens*, quid huicinquid 34 fidessimi *1 m.* *scribendum erat aut* aduersum truces populos *aut* aduersum Reni feroces indigenas reni indegenas 35 hostes

secunda vindictae meae causa est; alio bello petitur nostra dignitas, hoc vestra possessio'. quid plura? contra te suadendo vicisti, tantumque valuit auctoritas tua, ut dissimularetur iniuria. putasses praeceptum tuum parvi habitum, si quis te vindicasset invitum. quisquamne neglectum sui postulat et devotionem putat, si se nemo defendat? en animus maior imperio, sub quo maiestas neclegitur et eruptio vindicatur!

Quid quod vis ista naturae est, ut ea sint unicuique ad sensum doloris prima, 20 quae propria, nec quisquam se ipso iudice inpune laedatur? tu in casibus tuis clemens, severus in publicis turpe existimas principi motus odii habere privati. merito ergo a nobis amplius amaris, quia pro te minus irasceris. nescis uti regia manu contra domesticas simultates. si erubescis tuas iniurias ultum ire, audi, imperator, quod te acuat: nostri inimici sunt, qui rebellant. Ambr. p. 284

| Sed illius latronis iustus occasus venerandi fratris tui laudibus cum ceteris 21 Orientis adoreis reservetur; unum tamen hoc praelibasse sufficiet, cum diu anceps bellum fuerit, sic victoriae moderatus est, quasi contra se nemo pugnarit.

O mira inter vos similitudo pietatis! tu nescis civile certamen adripere, ille non 22 potest vindicare. quamquam illa dissimulatio tua non caret honore germani: satis idoneus tibi ad vincendum visus est, cui auxilium non tulisti. in magna fiducia minor cura est. merito illi captivus rebellis in deditionem datus est, merito usurpator tanti nominis oblatus ad poenam: consilio quippe tui *nu*minis factum est, ut imperio indicaretur indignissimus, qui ne hoc quidem meruit, ut ei videreris infensus.

Inter has belli artes externosque procinctus et semper de hostibus novas laurus, 23 civilium rerum nulla cessatio. possum dicere, fugato ambitu virtuti redditas dignitates nec iam ad honorum infulas opibus viam patere sed moribus, castrorum curiaeque parem nunc esse fortunam, cum videas praetorianas cohortes parere nobilibus et ante emerit*o*s duces urbana insignia gestare lictores. togas paludamentis saepe mutamus, armatis trabeas frequenter in*duimus* . . . .

Desunt folia sex.

II hab. kal. Ian. a. 370.

LAVDATIO IN VALENTINIANVM SENIOREM AVGVSTVM ALTERA.

Desunt pauca.

. . . . solvitur pro labore. fastidium te forsitan *c*aperet iterati praemii Ambr. p. 285 et saepe repetendi, nisi nobis consuleres, ne videamur ingrati. honor tibi summus in viribus est, honor plenus in moribus. tuas veras secures non lictorum umeri sed cervices gentium ferunt, reges decreta custodiunt, castella pro fascibus eriguntur. tu inter obsides victoris iure disceptans viam iube*s* ire, quos reddis, et redire, quos suscipis. ambiat licet sacros umeros gemmarum cohaerentium velamen opulentum et trabeam consularem discolora serta praetexant: ille tamen ornatus insignior est, quem

1 illo bello *Maehly* 3 te *corr. ex* ue *1 m.* 5 neclegetur
6 nalurae *corr. in* naturae *1 m.* 7 causis tuis *Baehrens*
12 latrones *1 m.* 13 ado|eis
19 numinis] *Mai*, nominis
21 nouasnouas 25 emeritus
32 te|aperet 35 fecerunt 36 dis|ceptans iubens 37 suscipis coherentium opitulen|tum *1 m.*

Rhenus meruit, quem limes accepit. || beneficia tua devotionem *vi*cere rei publicae. quae sumis, annua sunt, quae condis, aeterna ||

2 Novimus, invicte moderator, tantis negotiis parem non esse mercedem: idem tibi praemium plerumque decernitur, cum a te diversa praestentur. si non congruit meritis, quod solutum est, honor vincitur non voluntas. nam quid tibi adicit cons*u*latus, cum f*e*lices annos imperii tui de aetatibus novarum urbium calculemu*s*? aliorum tempora fastis numerata sunt, vestra victoriis. hoc unum tamen rite curavimus, ut in oppidis Ambr. p. 286 nuper erectis primum discerent consulem conditorem, | inaugur*are*ntur incl*u*tis triumfalia castra nominibus. fuit evidens causa, qua fasces sumere tertio cogereris: etenim ne magistratus Romanos proxime adiuncta terra respueret, ab eo sumptum est principium, qui timetur.

3 nihil ante || prioribus || gestis, Auguste, decerpimus, si recentia sola repetamus. stupeo non minus illa *sane*, quae conperi, sed haec magis diligo, quae probavi. adque utinam modicum ingenii mei saltem nota commende*nt*! adempta mihi

4 est honesta defensio: quae ipse non videram, venia maiore laudabam. quisquis arcana naturae scrutari postulat, te sequatur: non fluminum meatibus, non obiectu montium, non itinerum errore tardabitur. omnia adversum barbaros patent, quae sunt munita pro nobis. scit bicornis iste vicinus succu*m*bendum esse rostratis, ne ei necesse sit viam praebere vestigiis: cui possibile est fluenta cont*e*gere, ludus est navigare. nec arduis locorum obicibus inpedimur: testis est haec ipsa ripa barbariae, cui altitudo nomen inposuit, imis summa cessisse; ascendentem fugere nuper exercitum, qui occurrere per plana *con*suerunt. et tu quidem bello vincere maluisses, sed gloriosius factum est, ut ferox natio videret Alamanno|*rum* . . .

Deest folium unum.

Ambr. p. 289

5 . . . . . tenere secretum. itaque Crassus percontanti filio, quid noctis moveri castra iussisset: 'vereris', inqui*t*, 'ne tuas aures forte non penetret occent*a*tio bucinarum?' nobis satis est curare praesentia. futuros exitus tecum fortuna disponat. unum ambiguum est, semper barbaros suspicari, quae saepe perpessi sunt? sed inexplorata veritas magis anxios efficit, quam paratos. sciunt, quid . . . . cavere. altitudo principis utrumque providit, ut et illorum circumspectio falleretur, qui numquam mente securi sunt, et *hos* *er*rorum animus integer per*m*uniret, qui ante sollicitii non fuerunt.

6 Quid ego in te peritiam bellicae rei, quid usum ducendi agminis, quid locorum notitiam temporum demensiones, laborem sine †pernicie curam sine maerore conlaudem? vidi fidissimos comitum tuorum solito laetiores, cum ad d*e*stinata praemissi, quae videbant prae ceteris se tantum meruisse cognoscere. *g*auderent cum omnibus etiam se ante nescisse. praestitum sibi utrumque dicebant, cum eos iudicio el*i*geres

1 renuserunt *1 m.*, m *add. 2 m.* denotionem nicere] *Maehly*, deuotionemulcere reip. beneficia — 2 aeterna *post* 3 esse mercedem *collocandum erat*

3 inuice *1 m.* 5 naquid *1 m.* abicit *1 m.* consolatus 6 filices calculemur 8 inaugurarentur] *ego*, inaugurerntur inclotis 10 adiunta *1 m.* ab/osumptum

11 anterioribus *Haupt*, *in prima editione scriptum erat* ante gestis, *in secunda* prioribus gestis angustae recentisola *1 m.* 12 minus sane] *ego*, sunt 13 ingenii commendent] *ego*, commendem

17 iste sucunbendus *1 m.*, m *pro* s *corr. 2 m.* siut 18 contenge|re 21 consuerunt] *ego*, potuerunt nello *1 m.* 22 ferox alamanno *videre mihi visus sum*, alamannia *legit Mai*, alamanni *Krueger*

25 inquid occentantio 27 perpessi 28 amxios *1 m.* sciuntquidcauere, *supple* sciunt, quid cauendum sit, nesciunt cauere 29 circumspectio 30 hos errorum] *ego*, nostrorum permuniret] *ego*, perueniret

33 pernicie *cod.*, peruicacia *Maehly*, pernicitate *Baehrens* merore 34 fiducissimos distinata 35 gaucere *ante* gauderent *inser. cod.* 36 elegeres

et auspiciis adiuvares, nec dubitabant principem protinus adfuturum. qui inter divisas cohortes discretasque | legiones et illorum coeptis inprovisus interfuit et nobis praestitit, Ambr. p. 210 quod resedit. ita nulla pars questa est, vel cito abisse ductorem vel sero venisse. divina consilia post terminum patent: intellegimus te ideo praemisisse nonnullos, ne esset tarda victoria, ideo plerosque tenuisse, ne esset multitudo suspecta. ante Alamanniam mancipasti, quam interiora quaereres.

Vides nihil esse prolixum magna curantibus: nec remanentem relinqu*a*s, nec a praecedente 7
desereris. ignosco iam desidiae barbarorum: quid iuvat quaerere, ubi potissimum degas, cum ubique semper appareas? ||

Cedo mihi, imperator, belli Iliensis historiam! probabo Graeciam parva mentitam 8
nec magnitudini servisse nec fidei. aiunt heroas ad Troiam classe delatos ignoti litoris timuisse contactum, donec formidata responsa vel strenuus temeritate iniret vel fraude versutus eluderet. nolo dolos, nolo commenta! in exercitu principis mei certatum est, quis primus exiret, necdum extrema riparum navalia rostra pulsaverant et iam miles inpiger desilibat. sub tali duce tuta devotio est: magis unusquisque curavit, ne quis anteiret, quam ne quis occurreret. Ambr. p. 365

Plus | videris mihi e*g*isse quam cuncti, qui fortunam singulis praestitisti. non 9
harenis inmersa haesere vestigia nec tardior nisus per adclive cunctatus est. mitiora omnia visa sunt, quam fuerunt: Rhenus placidus, cum aestuaret, terra stabilis, cum dehisceret, ripa planior, cum tumeret.

His virtutis excursibus non obreptioni via quaeritur nec repentinae caedi insidia- 10
rum †appacit ferire praeventus; exaturat animum gloriosum fortunata velocitas. abire cum liberis et, quo magis cognoscerent, bella exigi, patiebaris a barbaris arma transferri. nemo vilibus culmi*s* contecta gurgustia internecivo igne populatus est, nec indormientes lectulis feras matres antelucanus raptor extraxit: vix desudata in diem crapula || et refrigeratis cubilibus || fugam veniae miscuerunt. ut damnis pernicibus campus aperitur, || ut agmina ignava cervorum latibulis emota silvestribus in plana coguntur
ita gratius v*i*sum est discurrentem barbarum spectare quam caedere. triumph*i* spe- 11
ciem vicit inpunitas: si bene aestimo rigidum nationis ingenium, vitam credit infamem, cui contemptus ignoverit. || numquam paeniteat pepercisse metuenti. laus certaminum fortuita est, certa clementiae || qui odium hostile non meruit, par esse desivit. alterum Ambr. p. 366 necesse est de miserabili populo suspic*e*mur: si adficitur indulgentia tua, mihi crede, punitus est, si gratulatur, obnoxius est.

Dicam, quod nulla monumenta testantur: tibi incola vivit Alamanniae: quos 12
ferro subtrahis, ad*d*is imperio. sat est, quod mores gentium parcendo mutasti. quid illis remansit inmune, quorum salus mancipata est beneficiis tuis et terra castellis? iure interim liberi sunt, sed iam pudore captivi. an ad longinqua diffugient, quos
non vexilla tantum tua, verum etiam nova oppida perseq*u*untur? exclusit cultus in- 13

1 Necdubitabant *novum caput incipit in codice* 3 quaesta 6 intempo|riora *1 m.*
7 uides nihil esse — 9 semper appareas *ante* 5 ante Alamanniam *inserendum erat* 7 relinquens
12 firmi|data *1 m.*
17 eggesse 18 haeserestigia *1 m.* 19 sun,
21 nec repentinae caedi ansa; paruum placet ferire praeuentos *Haupt*, nec repentinae caedi insidiarum appa[ratus statuitur. nolebas obtruncari aduentu] citeriore praeuentos *Kiessling*, caedi. insidiarum piget, piget ferire praeuentos *Baehrens* 23 etbarba|ris *1 m.*, a *add. 2 m.* 24 culmis] *Haupt*, culminis 25 indormientis *1 m.* *scribendum erat aut* uix desudata in diem crapula *aut* uix refrigeratis cubilibus 26 damnis *1 m.* *in prima editione scriptum erat* ut dammis pernicibus campus aperitur, *in secunda* ut agmina ignaua ceruorum latibulis emota siluestribus in plana coguntur *Kiessling* 28 uiusum cedere
28 triumphis 30 nuuquam — 31 clementiae *ante* 28 triumphi speciem *collocandum erat* 31 alterum *novum caput incipit in codice* 32 suspicemur] *Heindorf*, suscipimur adficimur *1 m.*
35 adis 38 persequntur

digenas, et quasi iam vacantibus mediis ulterior accola Romanum foedus efflagitat. non est, ut auguror, otiosum, quod Burgundionum crebra legatio concordiam postulavit: aut arma principis sentiuntur, aut iam celsa eminus castrorum tecta rutilarunt. optant cohaerere victoribus prius pace quam limite. si ulla tibi in otio esset aetas, preces forsitan distulissent. quidquid interiacet, ornando iungetis accessu . . . . Ambr. p. 117 ore rogans tota consumitur. ubi ill*i* sunt, qui dudum Germaniae civitates obsidione ceperunt? si fas est dicere, civitatibus obsidentur.

14 Verum est, quod saepe non credidi, etiam † bosis facti deberi. qualem te, inhospita regio, nuper invenimus? ignaram vetustatis urbi*um ac* virgeis domibus et tectis herbidis indecoram. pro beneficio tibi exprobro, quod victa es: cum ceteris provinciis et tu iam turrita pingeris. felicius principi meo terrae serviunt, quam resistunt: si haec, quae nuper adiunxit, conferantur intactis, quis non putet illa expugnata, quae libera sunt, et haec defensa, quae capta sunt?

15 Audite, quam *mi*ra adseram, qui gesta nescitis: sponte obtulit barbarus diruenda et novae constructionis adiuvit effectum, credo veritus, ne in occ*a*sionem belli cessatio operis verteretur. quae possunt tri*buta* esse graviora! superat omnem famulandi modum, qui contra se huiusmodi praestat officium. o pulchra admodum pompa for-

16 tunae! servitus misera, quod amiserat, extruebat. prospexerant forte finitimi, ne quod sibi relinquerent, instaurar*e* victor optaret. urebant consciam latrocinii nationem quondam Romanae coloniae antiqua vestigia et tituli sceleris proditores. obsequio Ambr. p. 118 reddidit, quod norat gladiis | vindicandum. qua in re animus victor*is* apparuit receptae urbis reliquias transferentis: ostendit enim se potuisse reparare, quae licebat evehere. familiare est magnis animis repudiare conpendia: incaute positam civitatem probarat amissio; captivam solvimus, ut liberam conderemus. antiquata sunt delicta maiorum: turpiter amissa revocastis, neclegenter facta corrigitis. in eam condicionem venit Alamannia, ut quae sua conpellebatur amittere, fateretur se nostra tenuisse.

17 Carthago Tyriorum, quam Punicis glaebis advena opulentus inposuit, pre*tio a* Li*b*ysin veni*t*. *ecce* exempla veterata saeculorum! armato populo terra Li*b*yae tuta est nec otiosae, suspicor, ‖ bo*vini tegminis* ambitum definitum ‖ a*d*itionis. inermitas conpulit breve spatium postulari. sed quo magis fieret turpe commercium, dolus circumcisi tergoris au*x*it dedecus emptionis. tibi succu*m*bunt regna, non veneunt, nec urbium tuarum fata trutinata sunt. sic omnia ingrederis, quasi ad prop*r*ia revertaris. non Ambr. p. 111 ferro pellimur, non auro ‖ aut aere ‖ fraudamu*s*. idem metus ava|ritiam coherecet hostilem, qui conpescit audaciam; sublata fiducia certaminis nullus locus est pactionis. aestimet

2 bur|gumdionum *1 m.* 3 ru|tularunt *1 m.* 5 praeces ac cessuorerogans, *supple* barbaria pro parte citeriore pugnans, pro ulteriore rogans *vel simile quid* 6 illis 7 fas dicere
8 n|n etiambosisfactideberi, *fort.* etiam ab hostibus tibi gratiam benefacti deberi 9 ignara *1 m.* urbium ac] *ego*, urbinis c 10 tec|tisherbidis beneficio ceter sprouinciis et 11 terrae resistunt 12 nuper quino~|potet *1 m.* expugn q aeliber s nt 13 capta
14 mira] *ego*, uera sponte obt lit arbarus deruenda *1 m.* 15 noue str cti nis *1 m.*, con *add. 2 m.* adi teffectum ueritus oc|cansione *1 m.*, m *add. 2 m.* bellicessatioperis *1 m.* 16 possunttr b famulandi/odum 17 hu iusmod praetat *1 m.* 18 quo|damiserat
18 prospexeranf 19 quid *1 m.* reli/querent instaura|ret 21 uictores 22 quae 24 delicta 25 am/s|sa neclegenter corri|gitisineam 26 alaman|nia q esuacon-p lleba ur
27 ca tago quampun cis a uena inposuit pretio a Libysin uenit ecce] *ego*, prae oliuis| inueni ce 28 uetererat saecu|lorum terraliue *1 m.*, terraliuie *2 m.* tuta 29 otiosesuspicor b ini egm nis bonini tegminis ambitum definitum *post* 30 spatium postulari *collocat Gruppe* aditionis] *ego*, auttionis 31 auxit] *ego*, ausit tibisuccunbunt 32 pro|pia 33 *scribendum erat aut* non auro fraudamus *aut* non aere fraudamus fraudamus] *ego*, fraudamur host lem 34 sublata locus

tibi ter*ras suas* barbarus, si audet obsistere. *id i*am a te munus sumit Alamannia,
quia nonnulla interim relinquis intacta.

Invideant novis moenibus ceterae civitates, quas manus designavere privatae; si 18
quae sunt con*d*itionis principum, li*v*ore aemulo mordeantur. habent *auc*tores inclutos:
numquid art*i*fic*es purpu*ratos? interfui, Auguste venerabilis, *cum po*sitis armis funda-
menta describ*eres*, felicem dexteram fabrilibus linei*s occu*pares. hinc ego oppidis tuis
perennem promitto fortunam: quae deo proximus auspicatur, aeterna sunt. haetenus
Syracusani Archimedis stetit gloria: docuit namque exitus, nihil valuisse pro civibus
commenta prudentis. qui nequivit clausa protegere, quando potuisset aperta munire?
peritius urbes consti*t*uunt, qui tuentur. sed qui*d* prius mirer, ignoro, cete*ro*s ab usu 19
fabricationis, *te per* te solum scisse, quid conderes, an sub te uno magistro omn*e*s ilico,
qui aderant, institutos? nullus inde abiit | inscius, quod iam *per* te erat eruditus. Ambr. p. 112
praetereo, quod aliis vic*es* m*ensium* curantibus vim solis aut imbrium iugi patientia pertulisti —
quanto tibi labore cons*t*ant *rei publicae* semper oti*a* vindicata! — || sol*us* Epius Troianis arcibus
adduxit excidium et Cretaeus Daedalus grassatorem Cecropiae nobilitatis inclusit: quid
expecta*b*it Alamannia, quam totus exercitus et mancipare novit et claudere?

In quod periculum *sermo* prolapsus est? formam con*d*itae *civitati*s nec describere 20
audeo nec tacere. *at ser*viam fidei, quae suad*e*t audaciam. pr*imum* visentibus naturae
munus occurrit, soli tribunal et duorum fluminum benignus adflexus; inde artifex
manus geminas aggerum institutiones mole vallavit. succedit scaena murorum tantum
ex ea parte declivis, qua margines turrium fluenta praestringunt. nam brachiis utrin-
que Rhenus urgetur, ut in varios usus tutum praebeat commeatum. ipsa illa, quae
propugnaculis ambiuntur, *ut* opere suo decenter armata sunt, ita crebris hiatibus d*i*-
sti*nc*ta coniunctio pandit exitum *c*landestinis iactibus sagitta|rum. stat mediae arcis Ambr. p. 363
aurata sublimitas et tecto comitur pro tropaeo. cui per ordines in prona declives levis
plumbi lorica su*per*texitur. quem tibi, Auguste, animum, cum haec conderes, fuisse
credamus? quasi sollicitus munita fecisti, quasi securus ornasti.

Prodidit vetus fabula, giganteam manum quondam montanas turr*e*s intulisse side- 21
ribus. talia forte temptavit, neque enim terr*i*genas licet iuvenes Pelion adque Ossam
conve*x*isse credibile est. dum solitis maiora conantur, infirma moliti sunt: sed fama
auxit invidiam, ut fragilitas operis neclegentius conlocati simulata n*u*minum conspira-
tione culpa careret incuriae. aut si rerum talium fides constat, habes testimonium
grande meritorum: tanto caeli favore ista perfecta sunt, quanto illa odio corruerunt.

1 tibi terras suas] *Mai*, tibi|ter// id iam] *ego*, //am 2 quia
3 nobis *1 m.* priua|tae 4 conditionis] *Kiessling*, cognitionis principu li bore auc-tores] *ego*, // to|res 5 artifices purpuratos] *ego*, arteficis// ra *in ligatura* |tos uenerabilis cum positis] *Mai*, uenerabilis si|tis 6 describeres] *Mai*, describ// s linei/ occupares] *Mai*, ///pa|res hunc *1 m.* 7 pro mittofortunam proxim^u^s *corr. 2 m.* us|picator *1 m.* haetenus 8 na~ quae 9 glausa *1 m.* 10 constituunt] *ego*, construunt *Mai*, constuunt
10 quit miser *1 m.* ceteros] *Heindorf*, ceteris 11 te per] *Heindorf*, *om. cod.* omnis 12 iam te /ruditus 13 praetereo — 14 uindicata *ante* 10 sed quid prius mirer *collocandum erat* 13 praetereo uices mensium] *ego*, uicis m n m uim solis patientiaper|tulist — qua to 14 laborecons nt rei publicae semper otia] *ego*, ei|semperotio solosepius oia|nis 15 creta s|dedalus grassorem *1 m.* caecropiae nobilita|/isinclusit 16 expectauit q m no|ui t claudere
17 sermo] *ego*, s / conditae ciuitatis] *ego*, cognit/e|///. s 18 at seruiam] *ego*, /. uiam suadit primum] *ego*, pr // 19 occur ritsoli b nignus indeartifex 20 geminas mole succaedit moeroru~ *1 m.* 21 margi|nis *1 m.* prestringunt *2 m.*, perstringunt *1 m.* bracchiis 23 ut] *ego*, *om. cod.* opere sufficienter *Maehly* distincta] *ego*, destricta 24 glandestinis 25 tropeo leues *1 m.* 26 supertexitur] *ego*, subtexitur conderis *1 m.* 27 *fort.* munimenta
28 gigantean *1 m.* turris 29 ter|regenas 30 conuexsisse *2 m.*, conuessisse *1 m.* infirmam 31 flagilitas *1 m.* conlocatiusimulatanomi|num 33 quan|to illa *corr. ex* illo *1 m.*

22 obs*i*detur oculis subiecta barbaria et intellegit sibi libertatem pro parte sublatam, cui non licet habere secretum. non ego montium speculas aut decisa Aegyptiis rupibus procera miracula ‖ vel pyr*a*midum vertices angulosos ‖ fastigiis celsae urbis aequa-Ambr. p. 361 verim. reg*e*s ipsos si quis interroget, laudabunt | mehercule, quod institui noluissent. ipse in hostibus deprehendi ambigua signa formidinis et stuporis; ita conspicuam moenium dignitatem vario interpretantur adfectu, ut adhuc d*i*iudicare non possint, utrum eam mirari magis debeant an vereri.

23 Dixi, Auguste venerabilis, negotiis tuis auxilio fuisse caelest*e*s. facilis adsertio est, cum Rheno teste nitamur: qui Alpinae nivis defluo liquore cumulatus, cum ripae utriusv*is* confinia cogeretur excedere, maluit ad victoris iura transire. aversatus est solum barbarum totumque principi agmen exposuit more migrantium perfugarum. non fuit ille, si credis, hostil*i*s excursus: lento per aperta processu venit similis supplicanti. deditionem vidimus fluentorum Nili eruptionibus proximam, quibus arens Ca*nop*us et Memphitica glaeba pinguescit: et ille ut obsequatur egreditur. *a*ccessit aliu*d*, quo magis hoc amice fieri crederemus, quod Nigrum fluvium quasi quoddam pignus accepimus. iam minus mirum est, quod tibi regum liberi pro foederibus offeruntur: nec Rhenus, ut ita dixerim, Romana pace gauderet, nisi amnem convenam velut ob-Ambr. p. 199 s*i*dem tradi disset.

24 Ventilemus prisca monumenta, scrutemur annales: invenies vetustatem paene ignaram fluminum, quae tenetis. ipsi illi vates exoticis nominibus licenter ornati, cum ad Indicum Gangen et Borysthenen Scythicum carmen extenderint, Nigrum parem maximis ignoratione siluerunt. nunc primum victoriis tuis externus fluvius publicatur. gaudeat servitute: captivus innotuit. clementis quodammodo ditatam cerno rem publicam, cui amnes incogniti mancipantur, longinqua terra coniungitur. dum orbis terminos quaeris, gentium sustulisti. parum quiddam naturae superest, quod adhuc

25 Romanus inquirat. relabi credis imperium, nisi semper accesserit. quid si impetus tuos institutio moenium non teneret? nescis transire deserta. diligentiam iactantiae praetulisti. nam celeritas famae commoda est, munitio firmitati. quererer, consul invicte, needum tibi parere omnia, nisi ea, quae adiuncta sunt, scirem facta meliora.

26 Consulto multa praetereo, ne in poeticos flatus rerum ingentium cothurnus erum-Ambr. p. 200 pat. unum e pluribus stri*c*ta insinuatione contingam: Rhenum | numquam antehac temere navigatum tumentibus aquis itinera tuta portass*e*. sem*i*ta*e* in morem nexa navigia constrato desuper solo riparum ex*t*ima momorderunt. unius diei negotio pendentis machinae ordo convaluit. ludo iocoque certatum est, ex qua parte velocius in amnem medium contextio perveniret. eat nunc Troiani carminis auctor inlustris et pro clade popularium Xanthum fingat iratum, ar*t*atas cadaveribus undas scriptor decorus educat: nescivit flumina posse frenari. tantumne valuit rivus Iliacus, ut in auxilium Vulcani flamma peteretur? profundus didicit, quid parvus evaserit. defensio ipsa

1 obsedetur partem 2 *scribendum erat aut* decisa Aegyptiis rupibus procera miracula *aut* pyramidum uertices angulosos 3 pyrumidum *corr. ex* purumidum *1 m.* fastidiis *1 m.* 4 regis quodstitui *1 m.* 5 depraehendi 6 interpraetanturadfec tum diiudicare] *Haupt*, diiuindicare

8 caelestis 9 quia 10 utrinsuis] *ego*, utrinsq. 11 megrantium *1 m.* 12 hostiles similes *1 m.* 13 fluendorum *1 m.* ares *1 m.* Canopus] *Mai*, caponus 14 est memfitica pinguiscit *1 m.* acessit] *ego*, cessit aliut 15 quondam *1 m.* 17 renus *2 m.*, renos *1 m.* obsedemtradi dissent

24 long nqua morbis 25 parunm *Baehrens* quiddam *corr. ex* quidam *1 m.* adhoc *1 m.*

28 quaererer consuluictae *corr. 1 m.*

30 ingentiumcoturnus 31 stricta] *ego*, strita 32 tenere *1 m.* portasse semitae] *Kiessling*, portassepita 33 extima] *Mai*, existima unius 36 artatas] *Baehrens*, armatas

caelestium tuo operi non meretur aequari: fluvium incendisse vindicta est, calcasse victoria.

Vt video, aeterne defensor, conscientia tua maior est consulatu. habes, quod tibi alter praestare non possit, animum praemio *cel*s*i*orem. nec ideo putes ingratam esse rem publicam: hoc est in orna*m*entis civilibus maximum, quod tuis meritis fatemur angustum. sa*t* est ad remunerationem beneficii, ut cu*i* digna rependi nequeunt, vel summa solv*antur* 27

Desunt folia tria.

Ambr. p. 369

. . . . *Rheni ab* | ortu in oceani ostia riparum margines operum corona praetexit. quis credat hoc quoque esse curatum, ne portibus indigeret? nam qua regio Nemetensis extenditur, recessum fluminis murorum ambitus vindicavit, parvo aditu nec satis libero, ut stationis exitus propugnaculis desuper protegatur. habent sua quodammodo castra rostratae, et intr*a* conclave Rheni regia classis armatur. fallit eminus intuent*es* theatra*le* consaeptum, qui cum videant per summ*a* discurri, per ima nesciunt navigari. 28

Supererant, Auguste, plura quae dicerem, sed inter tot scriptores rerum tuarum nolo ceteris universa decerpere. debent tibi ingenia omnium, quod lo*qu*untur: sonet aput te libertas forensis eloquii, quam dudum exulem tribunalibus reddidisti! ruri emeritus torpebat orator: quibus facundiam natura dederat, officium *iu*s negabat. nusquam maius silentium quam in sacrariis litterarum. idem varias aetat*e*s tacendi morbus urguebat, cum incipientium studia brevis finis artaret, peritiam veterum desuetudo longa conrumperet. exitum litium regebat eventus: | quid enim de a*c*tore praesumer*e*s, in quo haec tantum spes erat, quod cum peiore certabat? nec dubitabamus, *c*um plus in negotiis p*e*rsequendis habere prudentiae, qui soleret consilium a desinentibus postulare. haec alieni temporis vulnera in Alamannicis conte*m*platus excubiis, cum alligares manus hostium, solvisti vincla linguarum. 29 Ambr. p. 370

Congruebat hoc gloriae tuae, congruebat vigiliis curisque sollertibus, ut campi pariter ac fori laude fruereris. nullae art*e*s silent, nulla friget industria; vacant ora legibus, arma limitibus. par fuit, ut eloquentiae usum redderes, cum iam totiens scribenda gessisses. silentium magnis rebus inimicum est: quid est gloria, si tacetur? habes tot testimonia, quo*t* ingenia liberasti. invenisti, principum maxime, genus aliu*d* laurearum: dum *orbis* secreta rimaris, dum in medul*l*is barbarorum non t*e*ntoria sed tecta constituis, triumfum pacis egisti. 30

Canant alii, quae supersunt: ego testis fung*ar* officio. ibo per urbes, ibo per populos iactantior victore laudato; dicam senatui plebique Romanae: 'fasces in provincias novas mittite, trans Rhenum indices praepara*t*e'. de te autem, Gratiane venerabilis, narrabo grandia, sed spondebo maiora. sciet res publica, geminis se custodibus esse munitam sed quasi uni esse munificam, sub communi stipendio duos prin- 31 Ambr. p. 359

3 consula*t*u 4 celsiorem] *Heindorf*, certiore~ 5 ornammentis 6 sa*t*]est, *potest etiam* satis est *fuisse* cu*i*
13 intro 14 intuentis theatrale] *ego*, theatra summam
17 ingenia oratorum *Heindorf* locuntur 19 ius] *ego*, nis 20 aetatis 21 studia 22 actore] *Heindorf*, auctore 23 praesumeris 24 cum persequendis] *Baehrens*, prosequendis 25 contenplatus
28 pariter artis 30 ges|sisesses *1 m.* 31 quod 32 aliut orbis] *Mai*, urbes medu|liis 33 tantoria
34 que fungar] *Haupt*, fun|gor 35 iac tantior 36 renum praepara|tae 37 ·r·p· 38 duo *corr. in* duos *1 m.*

cipes militare, plures necessitat*es* laborum esse quam sumptuum. felic*is* saeculi ista commodita*s* est obsequia utrique iuncta praebere et beneficia divisa percipere. moderatum est, quod penditur, quia simul sumitis, amplissimum, quod geritur, quia
32 certatim ambo praestat*is*. quanto parcior vestri numinis cultus est quam deorum! illis singula templa fundantur et sua cuique locantur altaria. inde, ut arbitror, maluerunt dispares ritus, ne in consortium cogerentur: nulli cum altero fas est dicare pulvinar; *h*unc Phrygius antistes placat, hunc pontifex: illas castae matr*es* tuentur aras, has infulata virgo custodit; sumpserunt nomina diversa tot flamin*es*, ne possent dis pluribus esse communes. ipsas nobilium divisere gentes: Pinarios Hercules occupavit, Idaea mater legit hospites Scipiones, Veneriis sacris famulata est domus Iulia.
Ambr. p. 360 orbem paene ipsum sumptus defecit, quia cul|tus implevit. vestri imperii iuncta frugalitas est, discreta ma*ie*stas: unum quodammodo in vobis putamus esse, qui regimur, cum duos sentiant, qui resistunt.

III hab. d. 25 Febr. a. 369.

LAVDATIO IN GRATIANVM AVGVSTVM.

Desunt pauca.

. . . . sollemnibus copulare, sed prima mihi devotionis causa peragenda est: libens aurea su*m*e munuscula, qui talia tempora praestitisti.

2 Salve no*v*i saeculi spe*s* sperata et in gremio rei publicae nutricis adolesce, laetitia praesentium, securitas posterorum. an ego vere*ar*, ne in adulescentem gratiosus existimer, cuius primum est st*i*pendium principatus? tuis certe auspiciis discis imperium.
Ambr. p. 357 | te imperii candidatum toga picta vestivit. neque enim aliud expectare iam poteras, qui a perfectis honoribus inchoabas. vidimus in sellis curulibus novum lumen, clementiae auspices incruentas secures, virtutis omina in fascibus laureatis, maiestatis au*gu*rium in a*q*uilis scipionum. tunc primum forensis in*d*ustria, lege quondam silentiis subiugata, liberos oculos ad tuum tribunal erexit. cum in amplissimo magistratu inlustre quiddam et dulce resonantia decreta sancires, statim intelleximus, ad honesta officia facundiam posse remeare, quam videbamus in consule.

3 His ad imperium lectus auspiciis praerogativam consulis ad comitia purpurae detulisti. errat, quisquis i*n* deo *re*censet aetatem: pro senibus puer dimica*s*, pro liberis nostris aequaevus insudas. tu nempe e*s*, quem paene intempestive putabamus electum!

4 O militum sincera suffragia! scit iudicare devotio! fortunae publicae fuit, ut qui *g*enuerat, parciora promitteret, qui needum noverant, felicius iudicarent. quis umquam de indole pueri cum parente contenderet? et tamen fiducia non peccat exercitus: spe electus es, re probatus.

---

1 necessitatis felices 2 commoditatest 4 praestates
4 uertri 7 nuncfrygius plagat matris 8 tot nomina diuersa *Baehrens* flaminis 10 idea 11 pene frugalitas 12 magistas 13 *post versus tredecim, qui olim rubrica scripti fuerunt, nunc autem vacuorum instar sunt, sequuntur laudationis in Gratianum prima, quae supersunt, verba*
18 sume|me
19 nobi spes sperata] *Cramer*, spes parata *Heindorf*, spesperata ·r·p· 20 uerear] *ego*, uereor 21 stependium 25 augurium in aquilis] *Mai*, auriuminali quilis industria] *Mai*, inlus|tria 28 uideamus *corr. in* uidebamus *1 m.*
30 in deo recenset] *ego*, ideocenset dimicans 31 est intempesti|uae
34 genuerat] *Mai*, tenuerat

Ambr. p. 358

Si quis mihi Zeuxis disco|loribus ceris haec comitia spectanda digereret. si quis 5
Apelleus imitator illud caeleste iudicium verisimili adf*la*tu artis animaret, viserent posteri vix credenda miracula. hinc Augustum, inde legiones et inter hos medium regni inpuberem candidatum; anceps diu utrimque certamen et cunctis alacri favore plaudentibus patrem sero cedentem. ‖ turmas supplices, cuneos a*m*bientes ‖ digna tabula saeculis, ‖ digna pictura temporibus ‖ quibus magis utiles videmus eligi quam volentes!

Decuit annis florentibus omnium favere iudicia: melius unumquemque officii usus 6
exercet. sic Antiocho ante robur aetatis Syria sponte subiacuit, Pellaeum ducem praecox fortuna delegit, Ptolomaeo inter prima rudimenta lactantis infantiae regnum Roma reparavit. et mehercule tenacius rapit inperii disciplinas teneritudo primaeva; virtus, cum cito inchoat, diutius perseverat. nempe virentibus ramis artifex rusticandi alienum germen includit, ut novella praesegmina coagulo libri †ubidiovis inolescant. audio in edomandis equis a e v i, ut ait . . . . ., i n s c i o s aptius essedis colla subiun|*gere*. . . . .

Desunt folia quinque.

Ambr. p. 206

. . . . . . *ty*|rannos vinces officiis. servetur tibi aliquod opus virtutis in posterum, 7
cui nihil iam remansit ignotum. quas habes laboris indutias? tropaeis et litteris occupatus otiosa cum bellicis negotia miscuisti. agnosco in te non adumbrata vestigiis sed expressa veterum signa virtutum: nempe Fulvium nobilem tam laude quam nomine inter aquilas cantusque lituorum praeceptor Accius frequentavit: Africanum illum terra marique victorem lectionis particeps et laboris Panaetius non reliqui*t*; cum magno Alexandro mundanam paene militiam philosophorum comitatus exegit. iam credimus vetustati, cum in *i*isdem tentoriis tuis volumina et arma tractentur. nec deest, quod pro condicione rerum temporumque percenseas: historia oblectar*i*s in proeliis, in adhortatione suasoriis, actionibus in conloquiis, carminibus in triumphis.

Sentio me ad exempla veterum tempestive esse dilapsum; iure igitur ex annalium 8
memoria Pompei usurpabo responsa. is equestri censu equum de more traducens, cum forte interpellaretur voce censoris, sub quo imperatore meruisset, 'me ipso', inqui*t*, 'prin|cipe militavi'. nolo explorare iactationem ducis tanti fortasse mendacem: Ambr. p. 205
dignius tamen sibi istam gloriam vindicaret, qui coepit ea aetate ceteros reger*e*, qua nondum posset ipse parere. me si quis interroget, quando inclytus Gratianus dilectui nomen obtulerit, respondebo libere: 'quando imperatoris accepit'.

Si mihi nunc altius evagari poetico liceret eloquio, totum de novo saeculo Maronis 9
excursum vati similis in tuum nomen excriberem; dicerem caelo redisse Iustitiam et ultro uberes fetus iam gravidam spondere naturam; nunc mihi in patentibus campis sponte seges matura flavesceret, in sentibus uva turgeret, de quernis frondibus rorantia mella sudarent. quis haec sub te negaret esse credenda, cuius indol*e*s multa iam

11 Verg. Georg. II 75 angustus in ipso fit nodo sinus, huc aliena ex arbore germen includunt udoque docent inolescere libro. 13 Verg. Georg. III 189. 201. 33 Verg. Ecl. 4.

1 zeuxisdisco|lorib 2 adflatu] *ego*, adfectu 5 turmas — ambientes *ante* 4 anceps *inserendum erat* anbi|entes digna tabula saeculis *in altera editione scriptam erat*, digna pictura temporibus *in altera* 7 fauore *1 m.* 8 exercit *corr. in* exercet *1 m.* robor *1 m.* spontae pelleum 9 ptolenaeo *1 m.* 12 ut] *2 m.*, et *1 m.* ubidiouis *codex*, uuidioris *Kiessling*, uuidi ocius *Baehrens* 13 equisae|uiuntaitinscios, *supple:* ut ait uates *vel simile quid* 16 rantnos 17 tropeis 19 nemfe *corr. in* nempe *1 m.* 21 reliquid 22 filosoforum 23 Cuminisdem *novum caput incipit in codice* 24 oblectares adortatione *2 m.*, adoratione *1 m.* 27 me|moriam 28 inquid 30 regeret 33 marones *1 m.* 37 indolis *2 m.*, indolus *1 m.*

praestitit et adhuc spes plura promittit! et vere, si fas est praesagio futura conicere, iamdudum aureum saeculum currunt fusa Parcarum. nec poeticis utar indiciis: ecce iam Rhenus non despicit imperia sed intersecat castella Romana; a nostris Alpibus
Ambr. p. 149 in nostrum exit oceanum. ille libera hucusque cervice repagulis pontium captivus urgetur. en noster bicornis. c*ave* aequalem te arbitrere Tiberino, quod ambo principum monumenta gestat*is*: ille redimitus est, tu subactus. non uno merito pons uterque censetur: victus accepit necessarium, victor aeternum; pretiosior honori datus est, vilior servituti.

10 Queri de paterna gloria Macedonum rex solebat, quod subactis longe lateque provinciis nihil ad victoriam virtuti reliquisset heredis. absit a meo iuvene ista querimonia! laus omnis amborum est: filium te exhibes reverentia, virtute collegam. *una* est utriusque militia et coniuncta felicitas: tu gaudes magisterio patris, ille contubernio iunioris. certa ratione naturae numquam invidet, qui cohaeret.

11 Quodsi fortunam tuam, Gratiane venerabilis, quae prima in ducibus aestimatur, perpensa examinatione libremus, quid felicius principe sub parentibus imperante? te placido sinu cunctus orbis amplectitur, cumque sit res publica patri et patruo tuo quadam specie distributa, tibi uni tamen cum utroque communis est. a cubilibus sur-
Ambr. p. 150 gentis aurorae ad metas solis occidui nihil cernis alienum. inter cognatos siderum globos quantum adhuc alterutro minor es, tantum singulis ex utroque cumulatio*r*.

12 audio iampridem fatidicos obmurmurare gentium vates, hactenus nomen stetisse barbaricum, iam genitum esse, iam crescere, cui necesse sit cum toto orbe servire. incusant alii senectutem servatamque in tempora captiva canitiem; alios tenerae taedet aetatis, qui postquam sensum libertatis hauserunt, metu servitutis agitantur. merito undique certatim supplices misere legatos: captivo similis est, qui primus currit ad pacem. credo hostium responsis, credo praesagiis: quantum gloriae consequeris olim patre incolumi ducturus exercitum, qui quacumque duceris, iam rogar*is*!

IIII a. 376.

PRO PATRE.

Si quis miratus, cur post patris mei gravissimam orationem ego quoque susceperim
Ambr. p. 139 dicendi munus et gratulationis verba p*ro*tulerim, secum repute*t*, quantos huius bene*fi*cii habeamus auctores — humanitatem vestram, qui pos*t*ulastis, clementi*am* principum, qui dederunt — desinet profecto mirari, non unum pro consulatu gratias agere, quem tam multos videat detulisse.

2 An si vos, patres conscripti, tantopere curastis, ut optimae voluntatis vobis ratio constaret, ut omnium pro uno testimonium concordiam senatus et pios mores can*did*ati adsereret, nonne ius hominum *et* deorum est, aliquid laeti negotii praeter ceteros

2 nec] *2 m.*, ne *1 m.* 3 renus 4 ceruce 5 caue] *Mai*, catio aequa| em 6 gestates redimi| us pons] *2 m.*, post *1 m.*
9 quaeri 10 heredes *1 m.* ab|sit 11 o| nis teexibes *2 m.*, texibes *1 m.* reueren| una] *Mai*, Vana *2 m.*, Vanum *1 m.*, *incipit novum caput* 13 iu|n ores *1 m.*
14 quodse *1 m.* gratiamne 17 surguen|tis *2 m.*, urguen|tis *1 m.* 18 aurore cer|nis 19 cumulation *1 m.*, cumulatia *2 m.*
23 aetatis hau| runt me ito| dique 24 legatos|captiuo 26 quacum|queduceris rogares *novem, qui in pagina supersunt versus nunc vacui esse videntur, sed olim inscriptionem et initium orationis pro patre rubrica scripta continebant*
30 gratulationis protulerim] *ego*, per|tulerim reputet] *Mai*, reputem be|neﬁi 31 ues|tram posttulastis clementium 32 consolatum 33 multos
34 optime *1 m.* 35 omn um candidati] *ego*, cantatis 36 et] praeterceteros

filium sustinere? quando de benefactis principum dignius, quando aput vos iustius, quando de patre felicius disser*e*mus? nova sunt, quae adgredimur, sed vestra humanitas auctor est inusitata faciendi. egistis comitia non petentis; consulatum istum bonorum ambitus impetravit: vos recepistis candidati officia, nos designati.

3 Quid quod etiam mearum partium terminos occupastis modo ac plane paulo ante laudes principum totus ordo celebravit? sed omnia mihi non potest*i*s eripere: eadem gratiarum actio debetur et vobis. crevit | Ambr. p. 440 igitur et honor imploratus a multis et gratia soluta per mult*o*s. vultis scire, qui petitor*e*s pro meo parente fuer*i*tis? merito conpetitores esse possetis. hicine noster est consulatus an curiae? quem nos fatemur ab omnibus praestitum, vos putatis omnibus esse decretum.

4 Vbi sunt, qui falso animis inb*i*berunt, magis efficace*m* esse audaciam factionis quam voluntates bonorum? nempe fugit repulsa virtutem et contra ambitus omnis ignavus est. quod honeste poscitur, feliciter impetratur. hoc ius patriciae genti tempora reddiderunt: postulatio vestra iudicium est. impetrabilius cuncta nunc petitis, quam aliquando iussistis.

5 Quam raro huic rei publicae, patres conscripti, tales principes contigerunt, qui idem vellent, idem statuerent quod sena*t*us! nemo olim sibi in illa arce fortunae potens nimium videbatur, nisi diversa sensisset. quantis plerumque offuit amor publicus! neque enim pati poterat sollic*itudo* do*mi*ni, cuiquam deferri, quod ipse non merebatur. inpatiens est alienae gratiae, qui diffidit suae. hinc saepe mortalium pessi*mos* ad amplissimas potestates fatorum vola|Ambr. p. 204 tus evexit, scilicet hoc uno placendi suffragio, quia omnibus displicebant. genus quoddam erat novi ambitus non amari. hanc inlecebram propositae spei mores publici sequebantur; ita accidebat, ut boni, quibus adversa omnia erant, aut opprimerentur improborum insidiis aut mutarentur exemplis.

6 At nunc idem principes nostri quod proceres volunt. unum corpus est rei publicae adque ideo maxime viget, quia capitis robusta sanitas val*e*tudinem membrorum tuetur. amor vester praerogativa est consulatus; magistratus boni capiunt, quia non ab uno tantum sed ab omnibus eliguntur. sciunt enim parentes generis humani, diligentiora iudicia esse multorum || et de proximo melius spectari cuiusque mentem || et infucatum semper esse examen aequalium; quia par dignitas, nisi meritis adquiescat, aemulationi magis opportuna est quam favori. ergo in eum locum venimus, ut iam de vestro studio, patres conscripti, de vestra adfectione possit intellegi, quos dehinc consules ex hoc numero simus habituri. quisquis bonus est, iam designatus est. renuntiet ceteris artibus, quae spem plerumque frust*r*antur; | Ambr. p. 203 vitam denique subeat consularem. ad mores rediit honor, quem saepius, ut de ambitu taceam, fata praestabant.

7 Sit mihi fas, patres conscripti, in certamen praesentium vetustatem citare. illa tribus evocet libertina ac plebeia faece pollutas, nos patricios: *di*visores classis illa,

---

2 disserimus 1 Vos — designati *caput proprium constituit in codice*
5 etiam occupastis 6 sedomni/ nonpotestes *2 m.*, nonpotesses *1 m.* eripere 7 igi/uretho.or/mploratus 8 multo petito|ris parentefueretis con petitores 9 noste/est
11 falso inbeberunt efficaces au/aciam 12 fugit contr/ambitus 13 hone/teposci ur iusp triciaegenti 14 cuncta 15 iu-sistis
16 raro reip· ·p·c· contigerun//quidem, *corr. 1 m.* 17 senattus olim in 19 sollicitudo domini cuiquam] *ego.* sollic /do/nicui|quam ipse 20 enpatiens *corr. in* inpatiens *1 m.* alienaegratiaequi hinc mortalium pessimus 21 fatorum 22 umbitus *1 m.*
25 at] ad principis, *sed corr. 1 m.* proceris *corr. in* proceres *1 m.* 26 ualitudinem 27 tuetor *1 m.* magistratus] *ego*, magistratum 29 *scribendum erat aut* et de proximo melius spectari cuiusque mentem *aut* et infucatum semper esse examen aequalium 32 ·p·c· 33 simus *corr. ex* simul *1 m.* 34 frustantur 35 honorem
36 ·p̄·c· 37 plebeiamfaecae diuisores] *ego*, fauisores

nos principes. tales collega vester suffragatores habuit, quales antiquitas candidatos. intellegamus nostri saeculi bona: abest cera turpis, diribitio corrupta clientelarum cuneis, sitella venal*is*: inter senatum et principes comitia transiguntur: eligunt pares, confirmant superiores. idem castris quod curiae placet: quis hoc non putet orbis terrarum esse
8 indicium? si haec nimis obsoleta adque arida sunt, sequentem scrutemur aetatem. fasces istos largiri didicerat prisca dominatio, et ne ad aliam munificentiam cogeretur, obtentu honoris tegebat aerarium. aliis mos fuit fastidita diu onera praetextae privatorum umeris paulisper inponere. renuntiavit his iniuriis consulatus: ipsae dignitates decus suum receperunt: res, quae donum solebat esse, iam praemium est.

Deest folium unum?

Ambr. p. 371
9 . . . . *talia. quae singuli accipimus, ut in* | cunctos redundent, talia, quae in commune consequimur, ut perveniant ad gratiam singulorum. quantum est, quod boni mor*es* timer*e* iam nesciunt, ‖ quod iudicio non terretur alieno, qui fretus est suo ‖ quod totus senatus non refertur in numerum noxiorum, quod sola suspicio reos non facit? in absentes ideo nihil fingitur, quia nihil creditur; nullius divit*is* crimen optatur. certe innocentes sumus, necdum liceret hoc dicere, si eosdem adhuc accusatores haberet Roma quo*s* iudices. quantum est gratias agere pro nobis! etiam famam saeculi superior*is* diligentiores posteri diluerunt. neque enim fas est negari, non alios divum principem pertulisse hostes existimationis, quam nos salutis. iamne constat, fortunam nobilitatis consentire temporibus? eadem iustitia purgavit imperium quae senatum.

10 Gratulamur tibi, iu*v*enis Auguste, quod paterni successor factus imperii, tantum malos iudices quasi hereditatis onera repudiasti. non satis tibi idonea bona illa visa sunt cum †ministris. at primo consilium tuum deliberatio distulit, dum experiris, an
Ambr. p. 372 improbi atque externi mores exem|plo saeculi vincerentur, vel quod optimo filio congruebat, dum palam facere studes, praeterita delicta potestatum fuisse non temporum. sciebas enim, quo spectaret invidia, cui familiare est maximas insimulare fortunas, adque ideo paulisper inpotentiam passus es, ut liqueret, eos publici doloris auctores dudum fuisse, qui etiam tum nocendi artem colebant, cum iam noverant non licere.

11 Quid primum igitur admirer, quod circa divum munus pii filii an quod circa nos partes parentis egisti? alienorum simulatio*ne* criminum Maximinus fidem fecit suorum. vestra aestimatio sit, qualis fuerit in ceteros, quem ipsi rerum domini tyrannum paene estis experti. urgebat enim novo fastu patientiam regiam et praefecturae suae putabat esse dispendium, si quid licuisset imperio. interea nos opperiebamur, ut principatus
12 ultro talia vindicaret, vos exspectabatis, ut senatus argueret. credo tamen, has moras ad suffragium publicae causae parasse fortunam, ut suscepturus, Gratiane venerabilis,
Ambr. p. 201 indicium doloris nostri, adferr*es* testimonium tui; etsi illud magis confirmare | me convenit, nostram legationem nostras egisse querimonias, ut videreris *tu* quoque inter

3 uenales
7 mox *1 m.* 8 ipse *1 m.*
11 redundent in 13 moristimeri *in prima editione scriptum erat* quod boni mores timere iam nesciunt, *in secunda* quod iudicio non terretur alieno, qui fretus est suo 14 referturinnumeru/ 15 diuites certe 17 quos] *Mai*, quod superiores 19 existima|tiones *corr. in* existima|tionis *1 m.* 20 eandem *2 m.* iustitiam que *1 m.*
21 inbe|nis 23 ministris istis *Baehrens*, malorum ministris *ego* at delibera io 24 sae/uli optime *1 m.*
29 quid] quod *1 m.* 30 parentes *1 m.* simulatione] *Mai*, simulatio 32 fasto *1 m.*
36 i/dici md/loris adferris 37 uidereris tu] *ego*, *om. cod.*

ceteros vindicari. nam prinsquam senatus causa iungeretur tuae, satisfactum tibi putabas, quod insidiator regni exemplo innocentium potestate decesserat: postquam ventum est ad commun*es* querellas, adhibuisti severitatem, qualem reliqui principes maiestatis tantum negotiis exhibebant. actum erat, clementissime imperator, de iniuria tua, nisi nobilitas fuisset offensa.

Bene igitur aput vos locata est tutela rei publicae: pacem innocentiae reddidistis, 13
abrogata est externis moribus vis nocendi. crevit principatus, quia liberis imperatis: tantum potestatibus quantum legibus licet. nullae iam nuptiae caesa parente iunguntur nec funeri succedit hymenaeus neque flammeo vestis atra mutatur. credetne posteritas, olim talia fuisse iudicia, quae conubia satellitum suorum sacrarent auspice pugione, spineam facem de rogo damnatae matris incendere*nt*, ululatibus adultarum carmina fescennina mis*ceren*t? quid loquar crimina necdum delata iam vendita et 14
humani sanguinis auctiones, aut eru|ditos in mendacium reos et subornandi art*i*fices Ambr. p. 202
ianitores, veteres calumnias novas poenas, crimina sine accusatore iudicia sine iure *sine iure* sententias? fortunata esset, optimi principes, ter quaterque res publica, si adhuc promitteretis, quae iam praestitis*tis*. rerum versa condicio est: paulo ante soli invidiam felicitatis trahebant, quos mors subripu*it* is*tis* ae*rumnis*, mis*e*rabiles nunc habentur, quos vita non serva*v*it his gaud*ii*s.

Haec est illa Latii veteris aetas aureo celebrata cognomine, qua fertur incola 15
fuisse terrarum necdum moribus offensa Iustitia. pie regimur et quaedam pignora principum sumus. neque alia inter cives quam inter filios iudicii discretio est: dignus amore praeponitur et tamen, quis*quis* displicet, non necatur; praemiis virtutis corrigitur ignavia. quant*o*s iste ad optimam frugem rapiet consulatus! dum alios honoratis, alios eruditis; nam quibus ab natura recti amor defuit, spem sequentur. vellem nunc truces iudices sciscitari, quae validior emendatio sit? olim timor agebat, ut bonus quisque trepidaret, nunc honor facit, ut malus quisque desperet.

Honor . . . .

Desunt folia sex?

V hab. d. 9 Ian. a. 376.

PRO TRYGETIO.

. . . . *desiderio ves*|tro, cum absumus, testimonio, cum venimus. nec formidamus Ambr. p. 207
invidiam: sensit ac exp*e*rta est, quid parenti meo adversata profuerit. cesserat quidem sponte ille per verecundiam paucorum facilitati, et quo melior ad vos rediret, curarum vacuus animum litteris excolebat. sed hoc ordo amplissimus diu non tulit: statim quasi ex longo, ut redire vellet, orastis — iussistis malui dicere. nam senatus, cum petit, vehementius praecipit. parum hoc deferentibus visum est: adlegantur ad 2
eum cum primis nobiles viri administri et internuntii publicae voluntatis. quanta haec

3 communis 4 maiestates *1 m.*
6 r. p. 8 potestatibu/ caesa] *2 m.*, causa *1 m.* iunguntur 9 hymeneus
11 incenderent ululatibus] *ego*, incendereauttululatibus 12 miscerent] *Mai*, mscire *1 m.*, miscire *2 m.*
13 artefices 14 sine iure sine iure] *ego*, sineiure 15 resp. 16 praestitis 17 subripuit istis] *ego*, subripuis|set aerumnis] *Haupt*, aurum miserabiles] *Mai*, mirabilesnise 18 seruabit gaudiis] *Mai*, gaudes
19 latiis 21 discretio *corr. ex* discritio *1 m.* 22 quisquis] *ego*, quis 23 quantus consulates *1 m.* 24 defit *Baehrens* 25 iudicis 26 faci/
32 sensitac|experta 33 paucorum
36 parum

desiderii vestri pompa est. quae beneficium suum paene ambitum vult videri! || credo haec vestra opinio erat, ut per fetiales quodammodo evocaretur; verbenae tantum et sagmina defuerunt || certum est quidem, patres conscripti, et inexcusabile, quod iubetis, sed ille sic accitus est, tamquam posset negare.

3 Ad te etiam, venerabilis imperator, laudis istius summa referenda es*t*. is enim rem publicam liberam tenet, sub quo aliquid invidendum *in* potestate senatus. *i*deo | Ambr. p. 208 magnus, ideo praeclarus es, quia primum te mavis esse quam solum. quidquid adipisc*u*ntur boni, saeculo tuo pro*fi*cit. traxerunt olim pl*e*rique . . . . . suspiria, et quasi amari imperatoribus tantum liceret, privatorum merita presserunt. mihi autem vere pater patriae videtur, sub quo laudari vir optimus non timet. est etiam illa securitas temporis tui, quod nemo se apud principem minorem fieri putat, si ipse alterum sibi praeferat. quis enim est invidiae locus, cum omnes a te iusto ordine diligantur?

4 Sed iam satis multa de nobis! demus aliquid operae, aliquid temporis etiam Trygetio clarissimo et emendato viro, qu*i* vos oratos per me adque exoratos cupit, ut eius filium function*i* praetoriae destinatum decimus annus accipiat. si voluntas spectanda est, debetis munificum senatorem probare; si facultat*e*s, nihil plus potestis imponere.

5 Me quoque in hoc negotio cogitari decet, qui soleo agere gratias. | qui obliterari benefacta non patior | recte locantur officia secunda, ubi prima viguerunt. istum novo debito alligate, me gemino . . . .

VI a. 376—378.

PRO FLAVIO SEVERO.

Ambr. p. 211 . . . . posset vindicare virtuti. sed quid opus est apud nobilissim*o*s humani generis de cuiusquam familia gloriari? solis radiis omne lumen obtunditur. | stellarum ign*e*s rutilare non sinit candor diei || vos tamen mementote, non diffidentia istud fieri sed reverentia. ante sacras quodammodo curiae for*e*s ornamenta maiorum suorum novus collega deponit, tantum virtutibus stipatus ingreditur, quae solae etiam genus indicare possunt, quod laudare noluimus.

2 Si posset ullus in tantis rebus ordo retiner*i*, mor*e*s viri prius adsererem, tunc honores: sed intellego utrumque iungendum: fideliter enim de ingeniis singulorum potentia iudicat. quanta verecundia factum putatis, ut tam sero legeretur! olim pervectus in fastigia summa rei publicae adhuc dubitat, an senatorem possit implere. nempe auxit dignitatem nostram ista cunctatio et superior locus factus est, quem sibi optimus virorum post honores potissim*o*s reserva*v*it. fateamur necesse est, patres Ambr. p. 212 conscripti, ideo nobis amplius esse delatum, quia properantibus | aliis ad hunc ordinem nil negamus.

---

1 Credo *novum caput incipit in codice* 3 ·p·c·
5 estest 6 in potestate] *ego*, po estate *2 m.*, po estut *1 m.* ideo] *Mai*, adeo 7 adi|piscuntur 8 profecit pliriquesuspiria, *supple* traxerunt olim plerique principum in inuidiam, si quisquam absens ciuium moueret suspiria *vel simile quid*
11 quisuos 15 functioni] *Mai*, functiones 16 facultatis
18 *in prima editione scriptum erat* qui soleo agere gratias, *in secunda* qui obliterari benefacta non patior
23 nobilissimus 24 *in prima editione scriptum erat* solis radiis omne lumen obtunditur. *in secunda* stellarum ignes rutilare non sinit candor diei 25 ignis 26 foris
29 reti|neremoris 32 r. p. 34 potissimus *1 m.* reseruabit|fateamur ·p·c·
35 am|plius

Non tenui laud*e* celebrand*a* est votorum mediocritas, in hac praesertim nostrae 3
aetatis facilitate, quae desiderii gradus non habet. quis credat, summatem facundiae
diu inter fori ornamenta numeratum praesidalem dudum recepisse provinciam multo-
que itinere decurso ad honorem paene exiguum navigasse, cum pl*e*rique hominum
viliorum prope a summis potestatibus inchoarent? sed bona conscientia illud ducit
eximium, quod ipsa susceperit, eumque ordinem statuit magistratuum, quem fecerint
merita rectorum. || nescit publicam curam nominibus aestimare et illud putat esse fastigium,
quod acceperit digniorem ||

Crevit adeo illo tempore praesidatus seseque ad magnitudinem regentis tetendit, 4
et cum potissimi viri gloriam provincia una non caperet, egit fama latior negotium
suum, ut Theodosio quondam militarium magistrorum celeberrimo consultor belli per
Africam iungeretur. hic iam dissimulare non possum, quid testimonii . . . .
. . . .

VII ante a. 388.

PRO SYNESIO.

Quod Iuliani c. v. cum primis amici mei filio precator potius quam testis adsum, Ambr. p. 197
nemo viri diffidentia curatum putet, cum statuerim, patres conscripti, non minore a vobis
reverentia *me*met fidem *in* omnia poscere quam ceteros. opto iurare et mehercule de-
buissem subire partes dicendi testimonii, nisi eius desiderium recepissem, a quo lauda-
tores consuetudo vestra magis exigit quam dubitatio *iurat*ores. nulli igitur suspecta sit 2
ista libertas muneris mei: rogaturus, ut dignitati nostrae novus senator accedat, habeo
praesentem poena*m*, si iungor indigno, neque eam numero et modo simplicem, si uno
facto et meae auctor iniuriae et reus vestrae sim. quare credatis velim, non mea
cautela factum sed securitate suscepti, ut hoc potius sortirer officium. dum iuratoribus
abundat, dum meriti sui certus est, adhibuit petitorem, quem testem sibi alius reser-
vasset: | nec me putetis satis absolutum condicione iurantium | ego vero, cum res amici
agitur, etiam de nobis arbitror iudicandum. memini, quanta diligentia mihi constet 3
singulorum | familiaritas, neque ita sum prodigus publicae dignitatis, ut de alieno Ambr. p. 198
solvam contractum domesticae gratiae. taceo officiorum nostrorum laudabil*es* vices:
nolo pro meo debito curiam *int*ervenire. quippe utrumque deforme est, et collegam
futurum non censeri merito suo et laudatorem eius de commun*i* esse solvendo. quanto
honestius dico, non ideo Synesius in senatum legendus est, quia mihi amicitia iungi-
tur, sed ideo amicus est mihi, quia dignus est, qui legatur!

Pater huic iuveni est iamdiu adscitus senator, quae res de meritis venit; siquidem 4
dignitas innata felicitatis est, delata virtutum. ceteri retro maiores illius tunc a vobis
probati sunt, cum ipse legeretur. num distat orationis meae fides a testimonio? iurasse

1 laudemcelebrandam 4 plirique 5 *in prima editione scriptum erat* sed bona conscientia illud ducit eximium, quod ipsa susceperit, eumque ordinem statuit magistratuum, quem fecerint merita rectorum, *in secunda* sed bona conscientia nescit publicam curam nominibus aestimare et illud putat esse fastigium, quod acceperit digniorem

16 praecator 17 p. c. 18 reuerentia memet fidem in] *ego*, reuerentiametfidem 20 dubitatio iuratores] *Mommsen*, dubitatiores

22 poena 25 /i|bi 26 Nec *novum caput incipit in codice* nec me — iurantium *ante* 24 dum iuratoribus *inserendum erat* conditione

27 c/nstet 29 laudabilis 30 interuenire] *Haupt*, peruenire 31 commune 32 quia *corr. ex* qui *1 m.*

35 felicius *1 m.* 36 fides

me existimate. quia praedico, quae potestis agnoscere. nec iniuria quis dixerit, Synesium plus dec*oris quam genit*orem adferre, cui et illud accessit, quod ex eadem domo iam secundus admittitur. etenim propago generis, quanto longius recedit a novis, tanto altius tendit ad nobiles. non multum apud . . . .

5 . . . .

Vat. p. 7 . . . . timori. pendet circa illum sollicitae dom*us* pietas. sed ipse de se exigit, quidquid omnium sibi humanitas relaxavit. iam video, Iuliane, causas consultissimae

6 placiditatis tuae: tali filio magis securus es quam remissus. illud autem non vereor, patres conscripti, ne quis inparem senatoriis muneribus arbitretur unicum filium non pauperis patris. atque utinam fortun*a* germanum quoque eius incolume*m* senatui tradidisset! quod nunc alteri superest, satis esset ambobus. Synesius quidem meus omnes sibi opes cum fratre credit ablatas, sed res naturae est, ut divisa, cum in unum redeunt, augeantur. et quantum, dii boni, in dies proficit domus sobria! quippe, ut scitis omnes, saepe inopia vel copia ex moribus venit. nisi forte excongruam putatis istiusmodi laudem: ‖ plane inter facultat*es* censenda est parsimoni*a* nam senator, qui privato usui minimum vindicat, *p*ublico plus reservat.

7 Cetera testibus sedulo adde*n*da servamus: mihi uber*i*us loqui cautio est, ne videar Vat. p. 8 non tam fide actoris multa dicere quam iniurati securitate. | duobus quidem nitimur Euresio adque Avito cc. vv., quorum religionem si omnes aequare possent, nemo iuraret. sed horum priori quamquam facundo posse*m* gratiam facere dicendi: suff*i*cit desiderio nostro ad suffragium, quod avunculus petitoris est. siquidem vir honorum frequentium, multae in re publica vigilantiae, generi suo quaesivit omne, quod meruit. enimvero nec Avitus meus orator de summatibus minore momento causam iuvabit, quia ornamentum sic de amicis ut de proximis sumitur; in his dignitas generis, in illis specimen honestatis est; illa pars familiam commendat, haec vitam.

8 Vos nunc, patres conscripti, oro adque obsecro, ne tamdiu in una domo sinatis esse dispares dignitat*es*. hic omnium parentum summus est labor, ut magis splendeant, qui sequuntur. dedit natura Synesio bonos mores, pater optimas disciplinas, fortuna commodas facultates: hoc unum ac potissimum novo adhuc iuveni decus superest, cuius vos er*i*tis auctores.

VIII.

PRO VALERIO FORTVNATO.

Vat. p. 9 . . . . *audierat fibrum, ubi periculo ur*|getur, parte corporis, quae in se desideratur, abscisa vitam pacisci. quod mater familias in usum vertit suorum, sed maiore *i*actura, dum nimis timide consulit aeris a*n*gustiis, hoc tamen verius questa quo minus eripuit quam refudit.

---

1 exis|ti//te ag|noscere 2 decoris quam genitorem adferre cui] *ego*, decoremadferresui 4 nobiles 6 domos 9 ·p· c. 10 fortunam incolumen 15 plane — parsimonia *ante* 13 quippe, ut *inserendum erat* facultatis parsimonia~ 16 minimu plublico 17 addeda uberibus 18 securitate 20 possem] *ego*, possent suffecit 22 multe 26 patres ·c· 27 dignitatis 28 n//ura 30 eretis *post* auctores *sequitur virgula finem orationis indicans* 34 abcisa 35 maiore iactura] *Baehrens*, maio|resactura augustiis hoc — questa *post p.* 339, 3 quod precatur *inserendum erat* quaesta

Subicite oculis, patres conscripti, imaginem quamdam *sub*p*licant*i*s matronae et ante principum pedes filii ornamenta ponentis. dolet misera et quod queritur et quod precatur [id est defectum pecuniae et voti deformitatem]. nam certe potuerat convenientem censibus suis, ut nunc facimus, petere quaesturam, sed inopiae suae conscia hoc quoque ut gravissimum timuit, quo minus nihil est. erat censurae vestrae, patres conscripti, Fortunati ostentationem notare, quod nullo postea rei familiaris auctus profectu vel minima fungi optat supra matris confessionem. 2

Sed ut narrandi viam relegam, diu *tenuit*as infelici remedio fuit. postquam illi aetas provenit ad maturitatem, agitur in votum recuperandi, quod genere quaesiverat, inpulsu fortasse boni sanguinis, qui se semper agnoscit; nam, quod sciam, | nullus illi adventus novi conpendii fiduciam sui fecerat. supplicat contra matris orata — quid dico matris? — adversum se supplicat pro senatu. et *f*orte eo tempore tamquam vacuum dignitat*i*s Emeritensis ordo pulsabat, ratus saltem mediocritati suae Fortunati conpetere facultat*e*s. lis procedit ad forum; multa de genere et integrato natalium splendore dicuntur, quae licet essent valida ad victoriam, plus tamen profuit, quod nec illis idoneus visus est. *i*deo renuerunt sterile certamen, adque ita noster hic quaestorius candidatus non magis ut senator obtinuit quam ut pauper evasit. 3 Vat. p. 10

Eligite nunc tempus, quo potuit, si modo umquam debuit, vocari ad tantae editionis inpensas: primis aevi sui annis senator *e*sse desierat, proximis laboravit, ne minori curiae iungeretur. num designari potuit a vobis aut per beneficium primae supplicationis alienus aut sub periculo secutae *l*itis incertus? 4

Intellego amplitudinem vestram diu ista nescisse, adque ideo ratum esse non debuit, quod statuit ignoratio earum 5

---

1 ·pc· subplicantis] *ego*, publicantes matrone 2 quaeritur 3 prae|catur id est — deformitatem *uncis inclusi* 5 ·pc· 6 rei
8 tenuitas] *ego*, t/as 9 /e|tas agitur|/n 12 porte 13 dignitatis] *Baehrens*, dignitates 14 facultatis 16 ideo] *Baehrens*, adeo
18 tante 19 senator esse desierat] *ego*, senatorissedesierat 20 num be|n/ficium 21 autsub bitis
22 i/|ta 23 earum

FRAGMENTA.

AD THEODOSIVM IMPERATOREM.

1. *Symmachus ad Theodosium imperatorem*: beatum iam parvulum meum, cui pium adrisit .... *Arusianus Messius VII p. 458 Keil. s. v. Arrisit illi. vocem* adrisit *in cod. omissam ex lemmate supplevi.*

2. *Symmachus ad Theodosium imperatorem*: solere principes bona verba largiri. *Arusianus Messius VII p. 489 Keil. s. v. Largior hanc rem.*

DE CENSVRA NON RESTITVENDA.

3. Quae tempestate resecata est. *cf. p. 108, 21.*

EX LIBRIS INCERTIS.

4. *Retinetis facundissimi Symmachi eximium dictum*: specto feliciter virtutis eius augmenta, qui differo laudare principia. *Cassiod. var. XI 1 fin.*

5. *Sed si pudoris nostri fecisses utcumque rationem. Symmachianum illud te cogitare par fuerat*: ut vera laus ornat, ita falsa castigat. *Apoll. Sid. ep. VIII 4, 1 (10, 1). Illam sententiam saecularem quidem sed valde utilem cogitemus*: ut vera laus ornat, ita falsa castigat. *Caesarii Arelat. hom. 25. Margarin de la Bigne, Maxima biblioth. vet. patr. Lugduni a. 1677. tom. VIII p. 845. Verecundiam magis incurrimus illud doctissimi viri ad animum producentes, qui dixit*: sicut vera laus ornat, sic falsa castigat. *Pelag. pap. epist. 8 (9).*

6. *Symmachus sic*: verba dare captivi est, argentum dare satellitis. *Sergii explan. in artem Donati, IV p. 488 Keil.*

INDICES.

I.

SYMMACHI SCRIPTA ORDINE CHRONOLOGICO DIGESTA.

364—365.

II 44.

365—366.

II 27.

369.

Orat. 1. 3.

370.

Orat. 2. — IX 112.

370—371.

I 14.

375.

VIII 5. 6. 7. 8. 9. 10. 20. IX 115. X 1. — I 1. 2. 3. 4. 5. 10. 11. 9. 7. 8. II 38.

375—376.

I 6.

376.

I 13. — Orat. 5. I 44. 105. III 7. V 43. — I 52. 96. 78. — III 43. X 2. Orat. 4. 6?

376—377.

I 16.

378.

I 18. III 17? — VII 66. — I 49? III 47. — I 85. 22. 20. 19.

378—379.

I 15. 26.

379.

I 21. — I 94. III 50. — I 104. — IV 53. IX 1. — I 27. — I 25. IV 24. — I 95. III 18.

379—380.

I 31. 32. — I 58. — II 57.

380.

III 45? — I 102? — III 19. I 46. — I 64. 65. 66. 67? 68. 69. 70? 71? 72? 73? 74? — I 101. III 21. IX 113. I 54. 83. III 6.

380—381.

I 100?

381.

I 103.

382.

III 81. 66. II 8. III 58. II 17. 23. 19. III 89. IV 2.

382—383.

II 33. 66. 87. III 86. V 36. II 18. V 37. II 22. — III 25? 29?

383.

III 90. II 24. 65. III 69. — III 24? 27? — IV 74. II 4. 5. 6. 52. VI 72. I 51. II 7.

384.

I 55. Rel. 1. 2. — III 28? — Rel. 41. 3. 8. 28. 16. 21. 10. 11. 12. 24. 7. 15.

384—385.

Relationes.

385.

II 36. Rel. 33. 13. — III 59. 61. — IV 15. — Rel. 17. 34. IX 150. Rel. 23. — II 47. 48. 55. 26.

385—386.

V 55.

386—387.

IV 68.

387.

III 62? 63. 52. 65? IV 69. 70. V 76.

388—389.

VIII 69.

389.

II 13. — II 30. 31. 28. 32. — V 39. — III 84. 82. 55. — III 85. V 38. 34

390.

II 62. V 15. IX 149. II 63. 64. IX 61. 62. 63. 64. 65. — II 20.

391.

IX 153. — VIII 41? — Fragm. 1. 2.

392—393.

V 21. 22. 25. 26.

393.

V 59. 49. II 46. 76. V 20. 46. II 77. — II 83. 84. 85. V 53.

394.

II 81. VII 76. IX 117. 118. 119. 120. 121. 122. II 78. — VI 74? — IX 10. 77. 78. 79. IV 17. V 98. 97. VI 20. IX 68. 69. 70. 71.

394—395.

VI 1. — IV 46? — III 34.

395.

IV 50. 20. 19. 51. III 33. — IV 30. — V 85. 86. IV 34. 35. 52. VI 22. 2. 4. 55. 65. VII 68.

395—396.

VI 18. 21. 15.

396.

VI 12. 41. 45. V 47. VI 26. 14. IV 18. 36. 32. 22. — IV 21. V 93. VII 63. VIII 23. 24. 25. 26. V 12. VIII 27. VII 36. 24. 30. V 78. VIII 46. 47. V 33. VIII 48. 49. 50. 51. 52. 53. VII 28. 32. 79? 80? VIII 54. 55. 56. 57. 58. 59. 73. 60. 61. 1. 2. 3. IX 124. 125. 126.

396—397.

V 54. 66. — V 62. 63? — VI 71. — III 36? IX 55? 56? 57? 58? 59? 60?

397.

IV 23? — VII 35. VI 80. 81. VII 20. VI 78? 70. 52. 63. 53. 56. 59. 8. V 52. VII 65. VI 6. 73. 28. 16. 19. VII 77. 78. III 11. VI 23. V 69. VII 71? VI 75. 76. VII 73. 74. VI 77. V 67. 68. IX 29. 29 A. 30. IV 54. VI 51. VII 18. VIII 33? 34? 35? 36? 37? 38? VI 50? 7. VII 112. IV 44. VII 15. 26. 27. VI 47. 48. III 38? 39? VIII 17. 18. IX 127. 128. VI 54. VII 43. VI 29. 57. IV 71? V 58? VIII 11? 12? IX 91? 92? VIII 19. IV 5. VII 39.

397—398.

VI 64. — IV 29. 45. V 9. VII 58. — IV 43. V 65?

398.

VII 54. 113. 114. — VI 58. VII 21. 22? VI 61. 62. VIII 63. 64. 65. 66. 67. 68. VI 66. IX 81. — VII 40. 41. 38. — IV 59. — V 10. 11. VI 30. 10. 35. 36. V 5. VI 60. — V 6. IV 6. 39. VII 47. 95. 102. IX 47. 48.

398—399.

IV 37. — IV 38. VII 45. — IV 40. VII 46. 94. 103.

399.

VII 91. 81. 89. 83. — IV 4. VII 93. 104. VIII 29. 30. — IV 58. V 82. — IV 7. VII 48. 105. 106. 82. V 83. IV 60. IX 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. — VII 90. 97. — IX 23. 24. 25. 26. 27. 28. — VIII 21. VII 1.

399—400.

VI 5. — VII 88. — VII 96. 100. — IX 51. — IX 141. 151. 152.

400.

VII 4. 7. 8. IV 31. — IV 49. V 74. IX 7. 8. 9. — IV 63. VIII 44. 45. 13. 14. 15. 16. IX 73. 74. 75. — IV 12. VII 59. 122. — VIII 71. 72.

401.

VII 121. IX 131. 132. 133. 134. 135. 136. 137. 138. 139. 140. 141. 142. — IV 8. VII 110. 50. — VI 40. 17. 25. IX 3. 4. 5. 6. VI 42. 33. 34. 38. 43. — V 56. — IV 14. IX 93. 94. 103. 104. 105. 106. 107.

401—402.

VII 126.

402.

VII 2. 13. 14. IV 9. V 95. — IV 13. V 96. 91. IV 56. IX 54.

II.

INDEX NOMINVM.

III.

INDEX AVCTORVM

QVI AVT A SYMMACHO COMMEMORANTVR AVT IN PRAEFATIONE ILLVSTRANTVR.

*) De constitutionibus, quae ex Codicis Theodosiani partibus superstitibus haustae sunt, vide s. v. Codex Theodosianus.

Typis expresserunt Breitkopf et Haertel Lipsienses

8821